357 **Breviarium Usum Sarum**: a Reprint of the Folio Edition, by Chevallon and Regnault, *Paris*, 1531, edited by F. Proctor, M.A., and Chr. Wordsworth, M.A.: Vol. 1, Kalendar and Temporale; Vol. 2, Psalter, &c.; Vol. 3, Sanctorale, with an Introduction, List of Editions from the Papers of H. Bradshaw, and Complete Indexes; 3 vols, 8vo, rare, £4 4s 1879-86

The only complete edition published since 1557.

The edition of the Great Breviary here reproduced is that of 1531, the aim being to present a more legible form, *i.e.*, without the perplexing abbreviations of the original, and with paragraphs better defined.

An introduction of 130 pages, contains [besides other interesting information as to the Breviary and its contents] Mr. Bradshaw's exhaustive lists of editions and copies of the Breviary and allied liturgical books.

The most important article in this month's *Pall Mall Magazine* treats of the most recent discovery by Lord Newton of a much-worn copy of the Sarum Missal. One side of the binding was missing, and apparently the title-page, but the discoverer readily perceived that it was a Caxton of a very early date. After examining it, Mr Pye, of the British Museum, wrote: "It is a very interesting and curious book, and is of an earlier date than any Sarum Missal in the Museum. It is not, however, *printed* by Caxton, . . . but at his expense, by a French printer named Guillaume Maynyal, at Paris, in 1487." The volume, now carefully bound, is of great historical value, and has hitherto been entirely unknown to bibliographers. It is the earliest known impression of the Salisbury Missal and has a plain colophon dated December 4th, 1487, which is about five years earlier than the celebrated Rouen edition, dated October, 1491, hitherto looked upon as the *editio princeps*. It also gives a new fact in the typographical history of England's prototypographer, William Caxton, having been printed at Paris by William Maynyal, to whom Caxton must have left his large device, which appears prominently at the end of the volume. That Caxton's successors employed foreign printers to assist them is well known; but it was not suspected until now that Caxton had initiated the custom. From May, 1487, the date of "The Book of Good Manners," to May, 1489, when Caxton finished the "Doctrine of Sapience,' nothing is known to have been issued from the press at Westminster. Was it because at this time Caxton was employed abroad, and among other things passed through the press this very missal? Among other very readable articles

Edmund Burke

1902.

BREVIARII

AD USUM INSIGNIS ECCLESIAE

SARUM

FASCICULUS I.

Cantabrigiae
TYPIS ACADEMICIS EXCUDEBANT
C. J. CLAY ET FILIUS

BREVIARIUM

AD USUM INSIGNIS ECCLESIAE

SARUM.

FASCICULUS I.

IN QUO CONTINENTUR

I. KALENDARIUM,

ET

II. ORDO TEMPORALIS

SIVE

PROPRIUM DE TEMPORE

TOTIUS ANNI,

UNA CUM ORDINALI SUO QUOD USITATO VOCABULO DICITUR

PICA SIVE DIRECTORIUM SACERDOTUM.

JUXTA EDITIONEM MAXIMAM

PRO CLAUDIO CHEVALLON ET FRANCISCO REGNAULT A.D. MDXXXI. IN ALMA PARISIORUM ACADEMIA IMPRESSAM,

LABORE AC STUDIO

FRANCISCI PROCTER, A.M.

ET

CHRISTOPHORI WORDSWORTH, A.M.

TYPIS ATQUE IMPENSIS
ALMAE MATRIS ACADEMIAE
CANTABRIGIENSIS
MDCCCLXXXII.

PREFACE.

The Fasciculus here presented to the Reader contains two of the four main divisions of the Breviary, that is to say, the Kalendar (KALENDARIUM) and the Proper of Seasons (TEMPORALE). It has been already explained that the constant reference to the Psalterium and Commune Sanctorum from all other parts of the book rendered it necessary to print that portion first.

A few pages of Introduction, briefly describing the component parts of the Breviary and stating the characteristics of this edition, will be found at the beginning of the Fasciculus which contains the PSALTERIUM (with the *Commune Sanctorum* and other miscellaneous matter). The Editors have thought it best to defer their main Preface or Introduction (promised in the preceding Fasciculus) till the completion of the work, so that they may be able to give the latest results which have been reached in this branch of study.

A word of apology is due for the appearance of a few notes which were introduced with the idea (adopted for a time) of making the present to some small extent a critical edition.

TV · AVTEM · DOMINE : MISERERE · NOSTRI ·
DEO · GRATIAS.

In festo Paschæ,
1882.

CONSPECTUS TOTIUS BREVIARII.

IMPRIMIS

CONTENTA IN HOC FASCICULO PRIMO.

(I.) KALENDARIUM, &c.

(II.) TEMPORALE,

SIVE

PROPRIUM DE TEMPORE.

* Locum imaginum majorum in exemplari nostro A.D. 1531 impressarum (quantum ad pp. i.—mccccxcviii. attinet) per litteras majusculas in hoc indice notavimus.

* Hic inseruntur in Portiforiis *Gratiæ in Vigilia Paschæ.*

* Lectiones pro quinta etiam hebdomada in Legendis Sarum A.D. 1518 (sicut et in Portiforiis) ineptius procurantur; quas supplet liber Ecclesiasticus e cap. xvi. 7—9, et vii. 3 *usque ad* viii. 13.

Lectiones inter dominicas et hebdomadas satis prudens non distribuit Chevallonius, qui sæpe monet ut *Lectiones legantur per ordinem.* Distinctionem tamen lectionum antiquiorum per Dominicas in hoc conspectu saltem per numeros paginularum nos indicavimus.

Finis Officiorum Dominicalium.

FINIS FASCICULI I.

ITEM

CONTENTA IN FASCICULO SECUNDO.

PSALTERIUM AD USUM SARUM*.

* Nota quod Psalmorum numeri secundum usum Sarum ordinem sequuntur latinum, et non hebraicum sive biblicum anglicanis ævi nostri usitatiorem. Concordantiam in hoc loco protulimus.

Ordo latinus Psalterii.		Ordo anglicanus hebræorum.
i. ii. *usque ad* viii.	*similiter*	i. ii. *usque ad* viii.
ix. 1—21	=	ix.
ix. 22	=	x.
x. xi. xii. &c. *usque ad* cxii.	=	xi. xii. xiii.... *usque ad* cxiii.
cxiii. 1—9	=	cxiv.
cxiii. 9	=	cxv.
cxiv.	=	cxvi. 1—10.
cxv.	=	cxvi. 10.
cxvi. cxvii....cxlv.	=	cxvii. cxviii....cxlvi.
cxlvi.	=	cxlvii. 1—11.
cxlvii.	=	cxlvii. 12.
cxlviii. cxlix. cl.	*similiter*	cxlviii. cxlix. cl.

¶ Tituli de Psalterio et Communi in hoc conspectu sic notati majori pictura in Breviario Magno sunt ornati, qualem nos (p. 489) gratia exempli ponendam curavimus.

SERVITIUM B. MARIÆ. COMMUNE SANCTORUM ATQUE SANCTARUM PROPRIUM NON HABENTIUM.

TABULA DE FESTORUM DIVISIONE (462—475).

[1] 'missa votiva die Dominica.' (*Missale Sarum.*)

[2] 'missa votiva die Mercurii,' excepto quod in Missali sequentia est *Veni Sancte Spiritus*, *Et emitte* &c.

[3] 'missa votiva die Veneris,' omissa sequentia.

[4] 'missa sive officium de v vulneribus, a S. Bonifacio papa, nunciante S. Raphaele archangelo, conscriptum.'

In his non inveniuntur Missa De Angelis, et Missa *Salus populi*, quæ in Missali intitulantur Missæ Votivæ dierum Lunæ et Martis.

SEQUUNTUR

CONTINENDA IN FASCICULO III.

(IV.) PROPRIUM SANCTORUM.

SIVE

SANCTORALE.

* Litteris majusculis notavimus eos dies quos in Breviario Magno A.D. 1531, per insertionem imaginis grandioris ligno incisæ ornavit Chevallonius, et in Legendis Sarum A.D. 1518 Hopylius similiter.

Festa Februarii.

	DIES MENSIS
Brigidæ virginis	1
IN PURIFICATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS	2
Blasii episcopi martyris	3
Agathæ virginis et martyris	5
Vedasti et Amandi episcoporum et confessorum	6
Scholasticæ virginis	10
Valentini martyris	14
Julianæ virginis et martyris	16
In Cathedra sancti Petri	22
Matthiæ apostoli	24

Festa Martii.

Davidis episcopi confessoris	1
Ceddæ episcopi confessoris	2
Perpetuæ et Felicitatis martyrum	7
Gregorii papæ et doctoris	12
Edwardi regis et martyris	18
Cuthberti episcopi confessoris	20
Benedicti abbatis	21
IN ANNUNCIATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS	25
[Resurrectio Domini *vacat.*]	

Festa Aprilis.

Richardi episcopi confessoris	3
Ambrosii episcopi doctoris	4
Tiburtii et Valeriani [et Maximi] martyrum	14
Alphegi archiepiscopi martyris	19
Georgii martyris	23
Marci evangelistæ	25
Vitalis martyris	28
(Erkenwaldi episcopi confessoris)	30

Festa Maii.

Philippi et Jacobi apostolorum	1
In Inventione sanctæ Crucis	3
De Alexandro Eventio et Theodulio martyribus *memoria*	3
*JOHANNIS APOSTOLI ANTE PORTAM LATINAM	6
Johannis de Beverlaco	7
Translatio Nicolai episcopi	9
Gordiani et Epimachi martyrum	10
Nerei Achillei et Pancratii martyrum	12

* Picturam in hoc loco non habet Legend. A.D. 1518.

* *Hic incipit* Pars Estivalis *in Portiforiis.*
† *Hic explicit* Pars Hyemalis *in Portiforiis.*
‡ Imaginem in hoc loco non habet Legend. 1518.

FESTA AUGUSTI.

* *Nulla memoria de Sanctis in die* Jul. 2. *secundum Sarum.*
† Osmundi Translatio, *non Sarum sed Synodale tantum.*
‡ Picturam non habet Brev. 1531. Habet Leg. 1518.

FESTA SEPTEMBRIS.

* Picturam hic non habet Leg. 1518.
† Thomæ herfordensis, *non Sarum sed Synodale tantum.*

* Picturam in his locis non habet. Legend. 1518.
† Erkenwaldi Translatio, *non Sarum sed* Synodale london.

ACCENTUARIUM.

FINIS.

CORRECTIONS

FOR THE

KALENDARIUM

CAMBRIDGE, 1882.

It is fair to the Printer and to ourselves to state that in a great number of instances the words printed in our text which are now to be supplanted by these corrections, are not absolute blunders, *but actual readings either of some edition of the Sarum Breviary other than* A.D. 1531, *or of the works of the Fathers, which was used in preparing the earlier half of our text for the press.*

They are noted here simply in order that the student may ascertain, as far as possible, the exact text of Chevallon and Regnault's edition.

* *A star marks an error, or a questionable reading, in the text of* A.D. 1531.

MONITUM DE KALENDARIO, *line* 1. As I find, too late for alteration, that my friends are perplexed by the expression 'nomina cetera,' I may explain here that I meant to imply 'nomina, et cetera.' (Cf. Munro on *Lucret.* II. 859.)

KALENDARIUM. In the memorial hexameters which are placed at the heading of the months the following readings should be noted :

Mart. 'Prima mandentem : diripit : quarta bibentem.' *Chevallon.* The edition of the *Brev. Sarum* A.D. 1516, has the same punctuation, but reads 'madentem': the *Portiforia* (A.D. 1519, 1543—4, &c.) read 'madentem : disrumpit.'

Decemb. 'et anguis' *Chevallon*; 'ut anguis' *Portiforia* (A.D. 1519, 1543—4, &c.).

And at the foot of the months :

Februar. 'neuma'...'Mercurii et Veneris.' *Chevallon.*

Jun. 'ordea.' *Chevallon.* For the last line the Master of Clare proposes with great probability to read 'Vellantur : caseus fit, et emplastratio pomis.' June seems early for picking beans but the verses may have been written originally, as Dr Atkinson suggests, for a more southerly climate than England. '*Alvearia castrare*, bienstöcke schneiden. *Pallad.* mense Junio tit. 7.' Basilii Fabri Sorani *Thesaurus Eruditionis Scholasticæ.*

'*Emplastratio*, insitionis est species, die impfung, die verbindung des propff=reises, de qua integro capite præcipit *Plinius* l. xvii. c. 16 et *Pallad.* l. iii. c. 17.' *ibid.*

August. Place '*Si bona*' within brackets. Both this and 'doctorem' are omitted by Chevallon. Read 'prohibet quæ Julius.'

Septemb. Read probably 'Tunc viciæ satio.'

Novemb. 'Querit' (*i.e.* quærit). *Chevallon.*

CORRECTIONS

FOR THE

TEMPORALE

CAMBRIDGE, 1882.

Column	Line	Read
vi.	7	perire
xxii.	3, 5	mærens: a...sanitas. Vulnus
	42	Incensum vestrum
xxiv.	38	igitur tetram
*xxv.	*antepenult.*	ligneam
xxxi.	*ult.*	facite
xxxii.	35	*tunc vesperæ*
xxxiv.	32	*Responsoriorum*
xxxvii.	6	43.
xliii.	15	resuscitati
xliv.	39	Maria, *si*
	41	*tino tantum*
xliv.	44	Maria, *in*
liii.	16	scelestos
lviii.	18	Verbum Domini
lxv.	18	*et*
lxvi.	26	grandes et pulchræ absque
lxix.	34	*Ant.* Te jure.
lxxiii.	21	angelus Gabriel
	40	voluit Dominus
lxxiv.	24, 5	*omit* et cogitabat...salutatio.
	32	Solam in (*in Bedæ editione*).
lxxv.	29	quia (juxta
lxxvi.	25	Sancti in quo
	33	solet et a corpore
	35	*omit* omnem
lxxvii.	5	*omit* anus
*lxxvii.	7	ordini
	11	illa de filiabus
lxxvii.	20	quia non merito sibi (*Chev. cum Leg.* 1518).
lxxxiv.	13	pistrino
	16	constet
lxxxvii.	39	quod modo

Column	Line	Read
lxxxviii.	22	post
*xc.	33	*Responsoria et versus*
xci.	29	*de feria agitur*
xciii.	*ult.*	Quis ibit ex vobis ['Quis ibit nobis' *ed. Vulg*].
ciii.	6, 7	vocabulis, unus
civ.	29	tangit sed sola resonat
*cxi.	16	pythonibus
*cxvi.	14	parentibus primis,
*cxvi.	30	exalta, 'exulta' *Chev.*
	37	designentur
cxvii.	8	qui ad
cxviii.	6, 7	reddit
*cxxii.	30, 31	indicium vitæ revertentes
cxxiv.	19, 20	veneratione
	25	libenter quam devote
cxxviii.	27	In adventu igitur
	31	*omit* omnis
	38	Judea
	47	aqua
cxxxvi.	14	terræ vestræ,
	23	Christo ?
	29	Esaya testimonium Christo
cxxxvii.	37	cognovit Petrus
cxxxviii.	42	in præsepe
cxxxix.	6	sibi conveniunt
cxl.	28	Qui
	penult.	gratiam ut
cxli.	18	testes, tanta
	24	respondebit
	32, 33	nos ad gentes
cxliii.	46	latinum transversis sive translatis
cxliv.	2	esse ipsa veritate : ut nichil
cxlv.	36	dicit
*cxlvi.	27	*Philippenses*
*cliii.	21	ascendet
*cliv.	24	*ab*
*clx.	33	*super Canticum dicetur*
clxiv.	30	*et nichil*
*clxvi.	31	interpolet
clxix.	13	Ne mentem
*clxxi.	37	concinimus
*clxxii.	7	*omnibus Festis*
clxxii.	28	procedens
clxxvii.	43	omnium cultibus
clxxix.	2	jocunditate
*cc.	27	repercutiens

Column	Line	Read
ccvii.	43	et Hieremiam
*ccxvi.	22	fuit
ccxvii.	*ult.*	bibentes
*ccxxv.	40	Dei
ccxl.	40	certamina
ccxlvi.	26	salutarem
ccl.	34	Judeis oret
ccliv.	29	consecuturam *Chevallon cum Legend.* 1518.
cclvi.	22	titulum perpetuo
*cclvii.	14	A clamore
cclxii.	1	oblitus est
cclxiii.	8	*omit* autem
	13	Apostolus in se : Nos enim (inquit)
	34	gitur. Tu autem.
cclxvi.	5	nativitas, et
	31	a Patre
	32	Patriarchis, et a
cclxvii.	2	tantam
cclxxiv.	16	*omit* Deus
	21	temporis Verbum *omit stop*
cclxxxvii.	14	resurrexit
	36	habebuntur
cclxxxviii.	*antepenult.*	peccatum nesciebam
*ccxci.	40	undam
ccciii.	31	dimisit
*cccxiv.	35	Emmanuel
cccxxx.	10	item
cccxxxiii.	23	Quantam
cccxxxvi.	25	ut cum Dei
cccxxxvii.	4	Judeorum ? Vidimus
	12	detractas,
cccxlv.	38	misereretur
ccclii.	39	est et commutare
ccclvi.	14	humillimus
*ccclvii.	44	et ccclviii. 39. *Ant.* Te qui
*ccclix.	*penult.*	imitemur et intercessione adjuvemur. Per
*ccclxiii.	29	*sic iterum*
ccclxix.	24	faciens
*ccclxxvi.	27	*Quadragesimam* Port. 1525-6, 1556 (sed *Quinquagesimam* Chevallon cum Port. 1543-4).
ccclxxxv.	30	Dominica Quinta
ccclxxxvii.	*in initio*	(vel in fine ccclxxxvi.) *addendum*, Feria ii. et iii. de commemoratione, et memoria de sanctis [Sulpitio, et Prisca]. Dominica Secunda, tota cantetur historia. In Laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Column	Line	Read
*ccccxxxiv.	33	*ante Laudes*
*ccccxl.	22	*Ps.* Magnificat (p. 221).
*ccccxlv.	*ult.*	transire
ccccIix.	38	obdormis
*ccccIxxxvii.	20	Creatorem suspiceret (*Legend.* 1518; *Portif.* 1556. *Sed cum* Chev., Port. 1525-6, 1543-4).
dxix.	18	diffinitionibus
dlxxxv.	12	insert '*Lectio prima.*'
dxciv.	18	insert '*Lectio prima.*'
dxcvii.	20	insert '*Lectio prima.*'
dci.	*antepenult.*	insert '*Lectio prima.*'
dxcvi.	4	bene hinc exit.
dciii.	16	opprobria, cui est
*dclxiii.	2	These *Sermons* in the title of the third nocturn are more properly styled '*Omelia*' in Legend. 1518, where however ten of the *Expositiones Æstivales* from Bede or Augustine are headed '*Sermo.*'
*mxxvi.	1	
*dcclxxxvii.	21	(The word here *may* be intended for '*Lameth.*', which is the reading of *Legend.* 1518 both here and at column dccxcvii. In the latter place, however, *Chevallon* has '*Lamech.*' unmistakeably.
*dccxcvii.	36	Nota quod in *Legend.* A.D. 1518, tres mediæ lectiones '*de sermone venerabilis Bedæ presbyteri*' designentur.
dccccxlvii.	1	reserata* est
mxvi.	37	isto tunc
*mxxviii.	3	eos. Alleluya.
*mli.	*penult.* mlii. 16	Rabbi
mlxi.	14	sacrificabo
*mlxi.	17	sunt
*mlxiii.	2	'sic ut nos visitas sicut te colimus' *Portif.* 1519. 'Sic tu nos visitas sicut te colimus' *Portif.* 1556. 'Sic nos tu visita: sicut te colimus' *Brev. Roman.* 1508.
*mclxxxiii.	10	venienti
*mclxxxviii.	10	*Et ad* Magnificat *dicitur Antipho-*
*mcxciv.	9	*Alias tamen*
*mcxcv.	2	*et alia Festa*
*mcxcix.	3	*et super Ps.*
*mcxcix.	6	*singulis* [*diebus*] *Dominicis*
*mccvii.	11	Azotios
mccxlviii.	26	ferialia

Glaston Rectory,
Lent, 1882.

CORRECTIONS

FOR THE

PSALTERIUM & COMMUNE SANCTORUM

CAMBRIDGE, 1879.

Where no star is prefixed, the error is my own. *A star is prefixed in all instances where the text as it was printed in 1879 represents faithfully a misprint or suspected reading in the original of 1531. (In the remainder of the work we are attempting to note Chevallon's misprints on the page whereon each occurs, and to secure a more accurate revision of our sheets.)

Page	Line	Read
xviii.	11 (note)	x. xi. &c. *usque ad* cxii. = xi. xii. xiii. . . . *usque ad* cxiii.
xviii.	*ult.*	= cxlviii. cxlix. cl.
xix.	31	*Insert* xxxvii. *as the third of the* Septem Psalmi.
xix.	*penult.*	Ego dixi, cxlviii.—cl., Benedictus.
xix.	*ult.*	Ps. cxviii., cxxxviii.
1	(heading)	*Ante Horas di*[*cenda*].
6	7	In sempiterna secula
10	36	fac : ex
17	37	restitues he-
19	2	*usque ad*
23	22	*Psalmus xviij.*
24	17	ab hoste Redemptor
25	36	ceciderunt :
26	16	seculum
32	*penult.*	exaltavit
34	*penult.*	*prædicto Capitulo*
64	36	*Capitulum : [j. ad] Thessa. v.*
*68	16	*Capitulum : Ad Ephesios iv.*
73	9	mea et
,,	44	est in
78	45	dicent : Domine
93	6	delictis

Page	Line	Read
101	16	me est : et
102	26	tuis : in
111	17	Nos excitator
120	19	*omit the line.*
127	29	*A* Domine ne in ira *usque*
129	8	exsolvebam
131		In some copies of our edition (1879), the 7th verse of *Ps. lxx.* 'In te confirmatus sum ex utero : de ventre matris meæ tu es protector meus.' was omitted. A cancel page is supplied.
132		*In the last verse of* Ps. lxx. *read* tota die.
138	5	vestro : omnes
144	16	tui : posside
*145	27	nos : et
149	36	Nullis ruamur actibus.
156	35	superbum : in
171	13	Dominus : in
183	4	(*in some copies*) mare in navibus
184		,, ,, the 6th verse of *Ps. cvii.* 'Salvum fac dextera tua et exaudi me : Deus locutus est a sancto suo' *was omitted.* A cancel page is supplied.
187	40, 41	omnes fines terræ
*190	*antepenult.*	et arripuerint judicium manus meæ
*198	6	clamavi
* ,,	24	custodiat
222	36	Domine
,,	37	constituisti me.
225	34	In sempiterna secula
228	25	*et per Octavas*
*239	18	*tim ut vix audiatur*
257	11	Wlfranne
262		In the Index of Psalms the several sets of psalms under initial C. commencing respectively with the same word, viz. *Cantate*, *Confitebor*, and *Confitemini*, should be distinguished (as those under the initials D. and I. will be found to be) as *i. ii.* &c., or '*primum*' '*secundum*' &c.,—in the order in which they stand in the list, excepting that *Ps. cxlix.* is called '*Cantate Domino iii.*' because it occurs near the end of the Book of Psalms, though early in the liturgical course.
279	5	stilo
281	27, 28	*Ps.* Exaltabo [te Domine] (*xxix.* p. 72).
*284	22	*ut in præbendatis*
290	1	arguet in æquitate

PAGE	LINE	READ
291	3	¶ *Quando* [a new section commences].
„	4	*Adventum,* [omit the full stop.]
*306	10	redemptoris
*307	5	in hominibus
„	*antepenult.*	genuisti puerperio
309	26	est ut quanta sit
313	2	ergo auctor
*321	21	*Ant.* Synagogam reprobans
*330	19	*Ant.* Tantilla puellula
333	28	generationi ob
*335	10	quendi parcior,
* „	13	prece pauperis
336	38	velut purificationem
*338	18	(?) et tenuit pro-
340	21	*R.* 7. Archa Dei [in] qua } *metri gratia.*
* „	23	Dei [sancta] reficitur }
* „	39	studiose refera-
* „	*penult.*	a Deo promissiones
*342	3	per Lucam vero innuitur, quia
*343	25	in laude Mariæ
344	25	generationes seculorum
*345	1	qua cuncta sunt fragrantia
*348	45	in lanificio, et
357	20, 21	*ebdomadis sequentibus.*
358	9	*Ps.* Deus Deus (*lxii.* et *lxvi.* p. 30).
364	3	*per totum annum, extra*
„	7	accipietis regnum
„	40	Nec lacerari
*368	4, 11	Portantes facem
371	17	*quando festum sancti Cle-*
372	32	suffert, p. 383.
*375	3	habentur. A
* „	30	*Ant.* Filii
379	35	cogatur alterum eligere
380	32	beatis spiritibus
381	22	diligamus et quos
* „	25	*Evangelium. Secundum Matheum xvi.* [24—28].
*382	21	quia quiqui ad
386	31	proximos
387	10	Vos igitur
391	4	Dat illis decem
*393	9	et virtus vestra et
* „	46	vel initiarent. Et
*395	22	non fugiant. Derident
* „	31	conservatio. Tu

Page	Line	Read
404	12	quoniam vestrum
,,	16	verbum intenta
* ,,	43	Mox ubi spei
412	18	suæ tenens ubique
*413	12	suo præposuit Dominus
419	11	utrique sexui prædi-
422	38, 39	in æterna illa patria
423	13	sui torporis
,,	25	melioris
*425	46	torpore
427	23	fideliter ingredi
436	4	nescientem rapit.
438	46	eum quem contempsisse
449	15	*Ps.* Defecit
*452	48	nidoribus ('que nolunt audire: quod malum est; quarum talis ab illicitis sacrificiorum nitoribus' *Legend.* 1518).
*454	1	'Sic intellecturi' *Legend.* 1518. 'Succine intellecturi' *Chevallon.*
455	5	De quo in alio loco
,,	20	beatitudinis æternæ
474	20	*fiat cum Nocturno,*
[*476		*Littera F.* The figure 7 belongs without question to 2F., and not to 3F. where Chevallon placed it.]
496	25	Deus solus : et non est alius præter te ('et præter te non est alius' is the order of some editions).
* 502	24	supera, demus
,,	28	altis perfrui mox palaciis
513	34	vulneraverunt me, et con-
*516	30	*ad Missam quotidianam*
,,	32	*sabbato.* ¶ *Sequentia dicitur per*
*554	14	† quoniam affectum †, *or some such alteration of Chevallon's text, is demanded by the sense.*
558	27	impetra quam non meruimus.

On pp. 100, 118 (*bis*), 135, 142, 143, 158, 263, 268, I have doubled the *p* in *repuli.* This should by rights have been noted on p. xvi. *cf.* xiv., or let alone. In the remainder of our work we are adhering to the original spelling, excepting diphthongs and abbreviations, and, in some cases, *j* and *u*.

CHR. W.

GLASTON RECTORY,
Advent, 1881.

Ima permutat brevis hora summis.

¶ Breviarium seu horarium domesticum: sive choro ecclesiastico deserviens ad usum insignis ecclesiae Sarisburiensis, cum integro ordinario suo, propriis suis locis accommodate inserto

C. Chevallon.

1531

KALENDARIUM.

Kalendario Chevalloniano (A.D. 1531) nonnulla nomina cetera addidi: quorum

Quædam ex ejusdem *Sanctorali* [uncinis] includenda curavi: perpauca *ex aliis Breviariis* tam uncinos circumiciendo quam annorum numeros 1519, 1526 (hoc est 1525-6), addendo notavi.

Plura insuper litteris minusculis mandavi: quæ pleraque ex *Enchiridio* Maskelliano 1530 deprompsi; cetera ex Kalendariis *Missalium* 1514, 1521, 1533, et *Orarii* 1546 (Hendersono partim, viro in hoc genere peritissimo eidemque benevolentissimo, confisus), commemoravi.

CHR. W.

Sed ne hic quidem (Lector) virum mihi conjunctissimum Fra. P., mendorum meorum quamvis insontem, otium tamen (vel in hac minima operis parte) egisse putes; en tibi in tempore opportuno nonnulla ex kalendario Breviarii A.D. 1556 et ex margine cujusdam exemplaris nostri A.D. 1531, quæ illi reddas accepta.

JANUARIUS.

Aureus numerus.		KL	*Prima dies mensis et septima truncat ut ensis.* Januarius habet dies xxxi. Luna xxx.	
iii	A	*Januarii.*	CIRCUNCISIO DOMINI *festum minus duplex, ix lectiones.* [D.]	1
	b	iv. No.	Octa. S. Stephani. invitatorium duplex, iii lectiones cum regimine chori.	2
xi	c	iii. No.	Octa. S. Johannis. invitatorium duplex, iii lectiones cum regimine chori.	3
	d	pridie No.	Octa. Innocentium. invitatorium duplex, iii lectiones cum regimine chori.	4
xix	e	*Nonis.*	Vigilia. Oct. S. Thomæ, memoria tantum. S. Edwardi [regis et] confessoris memoria. [Vigilia.]	5
viii	f	viii. Idus.	EPYPHANIA DOMINI: *duplex festum principale, ix lectiones.*	6
	g	vii. Idus.	Felicis et Januarii. *Claves Septuagesimæ.*	7
xvi	A	vi. Idus.	LUCIANI presbyteri Sociorumque ejus martyrum, memoria tantum.	8
v	b	v. Idus.	Jodoci. [*Si dies dominicus infra Octavam evenerit, tunc hac die legetur evangelium* Vidit Johannes., 1519, 1526.]	9
	c	iv. Idus.	Pauli primi eremitæ.	10
xiii	d	iii. Idus.	Ignatii presbyteri et martyris. *Sol in Aquario.*	11
ii	e	pridie Idus.	Archadii martyris.	12
	f	*Idibus.*	Octa. Epyph., ix lectiones. Mediæ lec' de S. HYLARIO.	13
x	g	xix. *Kalend.*	*Februarii.* S. Felicis Pr. et. M., iii lectiones. [vesp' S. Mauri.]	14
	A	xviii. Kal.	Mauri abbatis et confessoris, iii lectiones.	15
xviii	b	xvii. Kal.	Marcelli papæ et martyris, iii lectiones.	16
vii	c	xvi. Kal.	Sulpicii episcopi et confessoris, iii lectiones. [et S. Antonii., 1514, 1521.]	17
	d	xv. Kal.	PRISCÆ virginis et martyris, iii lectiones. [Prima LXX. 1519, 1526.]	18
xv	e	xiv. Kal.	Vulstani episcopi et confessoris, ix lectionum.	19
iv	f	xiii. Kal.	FABIANI ET SEBASTIANI *martyrum, expositio nulla, ix lectiones.*	20
	g	xii. Kal.	AGNETIS *virginis et martyris, expositio nulla, ix lectiones.*	21
xii	A	xi. Kal.	VINCENTII *levitæ et martyris, expositio nulla, ix lectiones, et Anastasii.*	22
i	b	x. Kal.	S. Emerentianæ virginis. [*Post i. lunam post Epyph. computa x dies*, et Sab. sequenti claudetur* Alleluya., 1519, '26.]	23
	c	ix. Kal.	S. Timothei (1530, 1546).	24
ix	d	viii. Kal.	CONVERSIO PAULI, *ix lectionum; invitatorium triplex. Memoria de S. Præjecto.* [D.]	25
	e	vii. Kal.	Policarpi episcopi et martyris (1530, 1546).	26
xvii	f	vi. Kal.	Juliani episcopi et confessoris. Invitatorium duplex, iii lectiones [cum nocturno].	27
vi	g	v. Kal.	Agnetis (secundò). Invitatorium duplex, iii lectiones. *Cla-*	28
	A	iv. Kal.	Valerii episcopi. [*ves Quadragesimæ.*	29
xiv	b	iii. Kal.	Batildis reginæ virginis non martyris, iii lectiones.	30
iii	c	pridie Kal.	Saturnini et Victoris (1530). Ignaci (*Douce* ms. 275.)	31

Nox habet horas xvi: Dies vero viii.

[*Omnia festa trium lectionum quæ infra Septuagesimam contingunt habent invitatorium simplex; et matutinæ cum nocturno dicuntur usque ad iv. Feriam in Capite Jejunii. In Quadragesima vero neque servitium fiat de tali festo neque memoria nisi ad vesperas et matutinas de S. Maria ante memoriam de S. Spiritu.*, 1519, 1526, 1556.]

Pocula læta pius amat et convivia Janus.
Mittatur sanguis : lactuca cicercla serenda.
Nasturci et semen vitis vetus ablaqueanda.
Lunaque decrescens : bona ligna fabrilia cedit.

* *Hoc est ipsum diem primum numerando: quando aureus numerus fuerit xix vel viii a crastino die computando.*

FEBRUARIUS.

Aureus numerus.		KL	*Quarta subit mortem : prosternit tertia fortem.* Februarius habet dies xxviii. Luna xxix. Sed quando est bissextus : tunc habet dies xxix. Luna xxix.	
	d	*Februarii.*	Brigidæ virginis non martyris, iii lectiones.	1
xi	e	iv. No.	Purificatio Beatæ Mariæ Virginis, *Majus duplex, ix lectiones* [*nulla memoria*].	2
xix	f	iii. No.	Blasii episcopi et martyris, Invitatorium duplex, iii lectiones.	3
viii	g	pridie No.	Gilberti confessoris.	4
	A	*Nonis*	Agathæ *virginis et martyris, expositio nulla, ix lectiones.*	5
xvi	b	viii. Idus.	Vedasti et Amandi episcoporum et confessorum, ix lectiones ['iii lectiones.', 1519, 1526].	6
v	c	vii. Idus.	Anguli episcopi. [*Ubicumque prima luna fuerit post festum S. Agathæ : proxima dominica sequens erit dominica xl.*, 1519 '26.]	7
	d	vi. Idus.	Pauli ep., Luci.	8
xiii	e	v. Idus.	Apolloniæ.	9
ii	f	iv. Idus.	Scolasticæ virginis non martyris, iii lectiones.	10
	g	iii. Idus.	S. Frideswidæ Translatio, 1521 ; Euphrasiæ V., 1530. *Sol in Piscibus.*	11
x	A	pridie Idus.	Eulaliæ V.	12
	b	*Idibus.*	Vulfrani Ep. et Conf.	13
xviii	c	xvi. *Kalend.*	*Martii.* Valentini martyris, iii lectiones.	14
vii	d	xv. Kal.	Faustini et Jovitæ.	15
	e	xiv. Kal.	Julianæ virginis et mart., Invita. duplex, iii lectiones.	16
xv	f	xiii. Kal.	Policronii Ep. et M. [*Annos partiri per partes quattuor æquas Cum poteris Domini : bissextus adesse docetur.*, 1519 '26.]	17
iv	g	xii. Kal.	Symeonis Ep. et M.	18
	A	xi. Kal.	Sabini et Juliani MM.	19
xii	b	x. Kal.	Mildredæ V.	20
i	c	ix. Kal.	Sexaginta novem MM. [*Ultima Septuagesimæ.*, 1519 '26.]	21
	d	viii. Kal.	Cathedra S. Petri, *Invitatorium triplex, ix lectiones.*	22
ix	e	vii. Kal.	Policarpi. Vigilia (1530, 1546).	23
	f	vi. Kal.	Mathiæ apostoli, *festum inferius duplex, ix lectiones. Locus bissexti. Cum bissextus fuerit : festum Mathiæ apostoli fiat quarto die a Cathedra S. Petri, et* f *littera bis numeretur.*	24
xvii	g	v. Kal.	Inventio S. Pauli.	25
vi	A	iv. Kal.	Alexandri Ep.	26
	b	iii. Kal.	Augustini Ep. (1530, 1546).	27
xiv	c	pridie Kal.	Oswaldi Ep. et Conf.	28

Nox habet horas xiv : Dies vero x.

[¶ *Si festum Purificationis B. Mariæ infra Septuagesimam contigerit : semper dicitur Sequentia ad missam : similiter fiat in Annunciatione ejusdem.*

¶ *Quodcunque festum novem Lectionum a Capite Jejunii usque ad Passionem Domini evenerit, licet duplex festum fuerit, fiat semper solennis memoria de Jejunio ad utrasque vesperas : et ad matutinas; sed non ad missam. Nam post missam de Festo dicitur missa de Jejunio; utraque ad principale altare.* 1519, 1526, 1556.]

Post Cineres, Pneuma, post Crucem, postque Luciam
Mercurii [et] Veneris Sabbato jejunia fient.

Februus ad febres aptus stomacho nocet ægro.
Cephalicam patefac : gaudentque propagine vites.
Fac sepes statuas oliveta rosaria sparge,
Consere tunc canabum : lentem : atque trimestria cuncta.

MARTIUS.

Aureus numerus.		KL	†*Primus*† *mandentem :* †*disrumpit*† *: quarta bibentem.* Martius habet dies xxxi. Luna xxx.	
iii	d	*Martii.*	DAVIDIS *episcopi et confessoris, ix lectiones.* } *de Communi,*	1
	e	vi. No.	CEDDÆ *episcopi et confessoris, ix lectiones.* } *Sarum.*	2
xi	f	v. No.	Maurini et Asterii. [¶ *Quodcunque festum novem Lectionum infra Pascha evenerit, nihil fiat de festo, nisi duplex festum fuerit : tunc enim totum servitium fiet de festo, usque ad Cenam Domini, cum neuma* Gloria Patri *et* Jesu Christe., 1519 '26.]	3
	g	iv. No.	Adriani M.	4
xix	A	iii. No.	Phocæ et Eusebii.	5
viii	b	pridie No.	Victoris et Victorini.	6
	c	*Nonis.*	PERPETUÆ et Felicitatis martyrum, iii lectiones.	7
xvi	d	viii. Idus.	Depositio S. Felicis. [*Post Martis nonas : ubi fit nova luna requiras,*	8
v	e	vii. Idus.	Quadraginta Martyrum. [*Moxque dies Domini tertia Pascha fiet.*, 1519 '26.]	9
	f	vi. Idus.	Agapæ V.	10
xiii	g	v. Idus.	Quirini et Candidi. *Claves Paschæ. Sol in Ariete. Equinoctium.*	11
ii	A	iv. Idus.	GREGORII *papæ, expositio nulla. Inferius duplex, ix lectiones.*	12
	b	iii. Idus.	Equinoctium vernale.	13
x	c	pridie Idus.	Petri M. [*Ultima Quadragesimæ*, 1526.]	14
	d	*Idibus.*	Longini M.	15
xviii	e	xvii. *Kalen.*	*Aprilis.*	16
vii	f	xvi. Kal.	S. Patricii 1514, 1521. Gertrudis 1530. *Introitus Noe in archam.*	17
	g	xv. Kal.	EDWARDI regis et martyris, expositio nulla, ix lectiones.	18
xv	A	xiv. Kal.	Joseph Sp. B. M. (1530, 1546).	19
iv	b	xiii. Kal.	Cuthberti episcopi et confessoris, expositio nulla, ix lectiones.	20
	c	xii. Kal.	BENEDICTI abbatis, expositio nulla, ix lectiones. [*xvi*]	21
xii	d	xi. Kal.	Aphrodisii Ep. *Primum Pascha.* [*v*]	22
i	e	x. Kal.	Theodori Ep. *Hic Adam creatur.*	23
	f	ix. Kal.	Agapiti M. (Vigilia, 1546.) [*xiii*]	24
ix	g	viii. Kal.	ANNUNCIATIO *dominica, festum minus duplex, ix lectiones.* [*ii*]	25
	A	vii. Kal.	Castoris M.	26
xvii	b	vi. Kal.	Resurrectio Domini, *festum principale, iii lectiones.* [*x*]	27
vi	c	v. Kal.	Dorotheæ V.	28
	d	iv. Kal.	S. Victorini. [*xviii*]	29
xiv	e	iii. Kal.	Quirini M. [*vii*]	30
iii	f	pridie Kal.	Adelmi Ep. et Sabinæ.	31

Nox habet horas xii : Dies vero xii.

[¶ *Respice numerum per quem currit prima ista rubrica in hac parte istius cartæ : et in altera parte ejusdem cartæ : et ubicunque ille numerus invenitur, in Dominica proxima sequente, sine dubio, Dies Paschæ celebrabitur.* 1519, 1526. In 1556 sic se habet;—

Si vis invenire Pascha. Attende ad rubricam aureorum numerorum in dextera parte collocatam. Et nota quod ubicunque in ea aureus numerus anni currentis invenitur: sine dubio in Dominica proxima sequente dies Paschæ celebratur.]

Martius humorum genitor : motorque dolorum.
Morbus apes vexat : culturam postulat hortus.
Putandæ vites : purgandaque prata; boves tunc
Compara; equas maribus subdas; cinerato novellas.

APRILIS.

Aureus numerus.		KL	*Denus et undenus est mortis vulnere plenus.* Aprilis habet dies xxx. Luna vero xxix.	
	g	*Aprilis.*	Theodoræ V. [*xv*]	1
xi	A	iv. No.	S. Mariæ Egyptiacæ. [*iv*]	2
	b	iii. No.	RICHARDI ep. et conf., ix lect' [vesp' S. Ambrosii]. Pancratii.	3
xix	c	pridie No.	AMBROSII : *cum regimine chori, inferius duplex, ix lectiones.* [*xii*]	4
viii	d	*Nonis.*	Martiani. [¶ *Nota quod si aliquod festum vel jejunium in Ebdomada Paschæ evenerit, nihil fiat de festo vel de jejunio nec post nec ante, nisi duplex festum fuerit : tunc enim festum differatur usque post Octavas Paschæ : de jejunio vero nihil fiat eo anno.* [*i*]	5
xvi	e	viii. Idus.	Sixti papæ et M. *Augustin. Hieron.* Dedit Do.	6
v	f	vii. Idus.	Euphemiæ V. *Gregor. Ambros.* Ecce Sacerdos. [*ix*]	7
	g	vi. Idus.	Egesippi et sociorum. 1519, 1526.]	8
xiii	A	v. Idus.	Perpetui Ep. [*xvii*]	9
ii	b	iv. Idus.	Passio SS. Septem Virginum. [*vi*]	10
	c	iii. Idus.	*Sol in Tauro.* S. Guthlaci Conf.	11
x	d	pridie Idus.	Julii papæ et Conf. *Sol in Thauro.* [*xiv*]	12
	e	*Idibus.*	Euphemiæ V. [*iii*]	13
xviii	f	xviii. *Kalen.*	*Maii.* Tiburtii et Valeriani [et Maximi, 1519 '26] martyrum, iii lectiones. [Invitatorium duplex, 1519.]	14
vii	g	xvii. Kal.	Oswaldi archiep. *Claves Rogationum.* [*xi*]	15
	A	xvi. Kal.	Isidori M. (1530, 1546).	16
xv	b	xv. Kal.	Aniceti papæ et M. [*xix*]	17
iv	c	xiv. Kal.	Eleutherii et Anthiæ. [*viii*]	18
	d	xiii. Kal.	ALPHEGI archiepiscopi et martyris, iii lectiones, [Invitatorium duplex., 1519 '26.]	19
xii	e	xii. Kal.	Victoris papæ et M.	20
i	f	xi. Kal.	Simonis Ep.	21
	g	x. Kal.	Sotheris.	22
ix	A	ix. Kal.	GEORGII *martyris, festum duplex cum regimine chori, iii lectiones.*	23
	b	viii. Kal.	Wilfridi Ep. et Conf.	24
xvii	c	vii. Kal.	MARCI *evangelistæ, inferius duplex, iii lectiones cum regimine chori.* Letania Major. Ultimum Pascha.*	25
vi	d	vi. Kal.	Cleti papæ et M. (1530 et *Douce* ms. 275.)	26
	e	v. Kal.	Anastasii papæ (1530, 1546).	27
xiv	f	iv. Kal.	Vitalis martyris, cum regimine chori, iii lectiones.	28
iii	g	iii. Kal.	Petri Mediolanensis. *Egressio Noe de archa.* [' *Translatio S. Edmundi regis et martyris sinodale cum regimine chori, iii. lectiones et in villa de Bury majus duplex.*' Regula m.s. ex Brev. 1531, Coll. D. Joh. Cant.]	29
	A	pridie Kal.	['*Depositio*', 1521,] *Erkenwaldi episcopi et confessoris* [*Synodale London.*], *inferius duplex, iii lectiones.* Quære servitium hujus festi immediate post translationem ejusdem non Sarum. (In breviariis 1519, 1526 non commemoratur.)	30

Nox habet horas x: Dies vero xiv.

[*Nota quod si dominica proxima ante Ascensionem Domini non vacaverit a duplici festo, vel ab octavis cum regimine chori: tunc dicuntur omnes Antiphonæ super Laudes. Quando ultimo fit servitium de Dominica ante Ascensionem; etiam ad processionem ante missam dicitur antiphona* Sedit angelus, *cum suo versu.* 1519, 1526, 1556.]

Aprilis terras aperit : porosque relaxat :
Hinc scabies : ventrem solvas minuasque cruorem
Quærere opes poteris in apricis ponere olivam.
Nascuntur vituli : sere melones apiumque.

* ['Jejunium.' 1519.]

MAYUS.

Aureus numerus.		KL	*Tertius occidit : et septimus ora relidit.* Mayus habet dies xxxj. Luna xxx.	
xi	b	*Maii.*	PHILIPPI *et* JACOBI, *inferius duplex cum regimine chori, iii lectiones.*	1
	c	vi. No.	Athanasii Ep. et Conf. (1530, 1546).	2
xix	d	v. No.	INVENTIO CRUCIS, *festum minus duplex cum regimine chori, iii lectiones* [Memoria de Alexandro Eventio et Theodulio MM.]	3
viii	e	iv. No.	Coronæ Spineæ Domini.	4
	f	iii. No.	Godardi Archiep.	5
xvi	g	pridie No.	JOHANNIS ante Portam Latinam, cum regimine chori, invitatorium triplex, iii lectiones. [vesp. de Jo. Beverl.]	6
v	A	*Nonis.*	Johannis de Beverlaco : iii lectionum [de Communi Sarum] cum regimine chori.	7
	b	viii. Idus.	Apparitio S. Michaelis.	8
xiii	c	vii. Idus.	Translatio S. Nicholai episcopi : cum regimine chori non Sarum [secundum quosdam, sed sinodale in dyocesi. 1519 '26]. Transl. S. Andreæ (*Douce* ms. 275.)	9
ii	d	vi. Idus.	Gordiani et Epimachi martyrum, iii lectiones [Invitatorium duplex.] ('*Primum Pentecoste.*' J. R. L.)	10
	e	v. Idus.	Anthonii M. *Primum Penthecoste.*	11
x	f	iv. Idus.	Nerei et Achilei et Pancratii martyrum, iii lectiones †.	12
	g	iii. Idus.	Servatii Conf. *Sol in Geminis.*	13
xviii	A	pridie Idus.	Bonifacii M. Nota quod festum Translationis S. Ceddæ episcopi semper debet celebrari Dominica i. ante Ascensionem Domini : trium lectionum cum regimine chori: non Sarum [sed synodale].	14
vii	b	*Idibus.*	Isidori M.	15
	c	xvii. *Kalen.*	*Junii.* Brandinii.	16
xv	d	xvi. Kal.	Translatio S. Bernardi. (Barnardi, 1546.)	17
iv	e	xv. Kal.	Dioscori M.	18
	f	xiv. Kal.	DUNSTANI *archiepiscopi et confessoris, iii lectiones cum regimine chori, expositio nulla. Memoria de S. Potentiana, V. et M.**	19
xii	g	xiii. Kal.	Bernardini. Ethelberti.	20
i	A	xii. Kal.	[Obitus regis Henrici A.D. 1471. *Littera dominicali* F, tunc iiii feria Rogationum, 1519 '26]. Helenæ Reginæ.	21
	b	xi. Kal.	Julianæ V.	22
ix	c	x. Kal.	Desiderii M.	23
	d	ix. Kal.	Festum S. Salvatoris (1514). Translatio S. Francisci (1530).	24
xvii	e	viii. Kal.	Aldelmi episcopi et confessoris, ix lectiones. Mediæ lectiones de S. Urbano. [expositio nulla.] [*Incipit Æstas et habet dies xci.* 1519 '26.]	25
vi	f	vii. Kal.	AUGUSTINI *episcopi et confessoris, Anglorum apostoli, ix lectiones, inferius duplex.*	26
	g	vi. Kal.	Bedæ Pr. (1530, 1546.)	27
xiv	A	v. Kal.	Germani [Parisiensis] episcopi et confessoris, iii lectiones.	28
iii	b	iv. Kal.	Coronis M.	29
	c	iii. Kal.	Felicis papæ. Huberti.	30
xi	d	pridie Kal.	Petronillæ virginis non martyris, iii lectiones cum nocturno [cum extra Octavas S. Trinitatis et Corporis Christi contigerit.]	31

Nox habet horas viii : Dies vero xvi.

[*Nota quod dominica prima vacante post Octavas Corporis Christi, vel feria prima, incipiatur Liber Regum : quamvis hystoria inchoetur cum memoria in dominica infra Octavas; et legantur lectiones per ordinem.*, 1519, 1526, 1556.]

Mayus amat medicos et balnea scindere venas.
Pinguis ager colitur : operitur vitis et arbor.
Tunc augentur apes : vituli castrantur, ovesque
Tondentur : caseus premitur : lateres faciendi.

* Quando festum S. Dunstani, aut S. Aldelmi, aut S. Augustini, aut S. Barnabæ apostoli, ante Penthecosten evenerit; fiant tres lectiones cum regimine chori : si vero post Penthecosten; fiant ix lectiones.

† ['Invitatorium duplex.' 1519]

JUNIUS.

Aureus numerus.		KL	*Denus pallescit : quindenus federa nescit.* Junius habet dies xxx. Luna xxix.	
	e	*Junii.*	NICHOMEDIS martyris, iii lectiones.	1
xix	f	iv. No.	Marcellini et Petri martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	2
viii	g	iii. No.	Erasmi M.	3
xvi	A	pridie No.	Petrocii Conf.	4
v	b	*Nonis.*	BONIFACII episcopi, sociorumque ejus, martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	5
	c	viii. Idus.	Melonis Archiep.	6
xiii	d	vii. Idus.	Translatio S. Wulstanni.	7
ii	e	vi. Idus.	Medardi et Gildardi episcoporum et confessorum, iii lectiones. Wilhelmi Archiep.	8
	f	v. Idus.	*Translatio Edmundi archiepiscopi et confessoris, Invitatorium triplex, iii lectiones* [*ix lectiones : memoria et mediæ lectiones de martyribus Primo et Feliciano.*, 1519, 1526].	9
x	g	iv. Idus.	Translatio S. Yvonis. positio nulla.]	10
	A	iii. Idus.	BARNABÆ *apostoli, Invitatorium triplex, ix lectiones.* [Ex-	11
xviii	b	pridie Idus.	Basilidis, Cirini, Naboris, Nazarii martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	12
vii	c	*Idibus.*	*Sol in Cancro.* [*Ultima Penthecostes.*] *Solsticium Estivale.*	13
	d	xviii. *Kalen.*	*Julii.* Basilii episcopi et confessoris, iii lectiones.	14
xv	e	xvii. Kal.	Viti Modesti et Crescentiæ martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	15
iv	f	xvi. Kal.	*Translatio S. Richardi episcopi et confessoris, ix lectiones* [*mediæ lectiones de S. Cirico et Julitta.*, 1519 '26.]	16
	g	xv. Kal.	Botulphi Conf.	17
xii	A	xiv. Kal.	Marci et Marcelliani martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	18
i	b	xiii. Kal.	Gervasii et Prothasii martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	19
	c	xii. Kal.	*Translatio S.* EDWARDI *regis et martyris, ix lectiones* [*nisi factæ fuerint in Quadragesima.*, 1519 '26.]	20
ix	d	xi. Kal.	Walburgæ V.	21
	e	x. Kal.	ALBANI [Angl. *protho*] *martyris, expositio nulla, ix lectiones.*	22
xvii	f	ix. Kal.	Etheldredæ virginis, non martyris, iii lectiones cum nocturno. Vigilia.	23
vi	g	viii. Kal.	*Nativitas S. Johannis Baptistæ, festum minus duplex, ix lectiones.*	24
	A	vii. Kal.	Translatio S. Eligii.	25
xiv	b	vi. Kal.	Johannis et Pauli martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones. [Si Dominica fuerit, expositio nulla.]	26
iii	c	v. Kal.	S. Crescentis.	27
	d	iv. Kal.	Leonis papæ et confessoris, iii lectiones, cum nocturno. Vigilia.	28
xi	e	iii. Kal.	APOSTOLORUM PETRI ET PAULI, *festum minus duplex, ix lectiones.* [*Vesperae de Apostolis.*]	29
	f	pridie Kal.	*Commemoratio S. Pauli, invitatorium triplex, ix lectiones.*	30

Nox habet horas vi : Dies vero xviii.

Post Personas tres : librum Regum dare debes. *Deus Omnium.*

[*Petrus cum Paulo : Jacobus cum Bartholomeo, Thomas, Andreas, pariter cum Symone Judas, Ut jejunemus nos admonet atque Matheus.*, 1519, 1526, 1556.]

Fena cadunt Junio : tunc messis ad *h*ordea prima.
Area trituræ reparanda est plana futuræ.
Fucos pelle : et apum castres alvearia fabæ
Fellantur caseus sit et emplastratio pomis.

JULIUS.

Aureus numerus.		KL	*Tredecimus mactat Julii : denus labefactat.* Julius habet dies xxxi. Luna xxx.	
xix	g	*Julii.*	Octava S. Johannis Baptistæ, invitatorium duplex, iii lectiones.	1
viii	A	vi. No.	Festum Visitationis *B. Mariæ Virginis, majus duplex* [*Sarum, nulla memoria*], *ix lectiones.* [SS. Processi et Martiniani., 1521, 1526. S. Swithini. 1521.]	2
	b	v. No.	Translatio S. Thomæ apostoli.	3
xvi	c	iv. No.	Translatio [*et Ordinatio*] S. Martini *episcopi, ix lectiones.*	4
v	d	iii. No.	Zoe, V. et M. [*Mem. et med. l'c. de Apostt. m. de Visit.*].	5
	e	pridie No.	Octava apostolorum Petri et Pauli, invitatorium triplex, ix lectiones [de Visitatione memoria].	6
xiii	f	*Nonis.*	*Translatio* Thomæ *archiepiscopi, festum minus duplex, ix lectiones. Dominica i. post festum Thomæ : celebratur Festum Reliquiarum. ix lectiones.*	7
ii	g	viii. Idus.	Depositio S. Grimbaldi.	8
	A	vii. Idus.	Octava S. Mariæ virginis, ix lectiones, invitatorium triplex [mem. Processi et Martiniani, et Swythuni]. Cirilli, Ep. et M.	9
x	b	vi. Idus.	SS. Septem Fratrum Martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	10
	c	v. Idus.	Translatio S. Benedicti abbatis, ix lectiones, si non fuerint in Quadragesima [et tunc fiunt iii lectiones et invitatorium duplex., 1519 '26].	11
xviii	d	iv. Idus.	Naboris et Felicis.	12
vii	e	iii. Idus.	Privati, M.	13
	f	pridie Idus.	Divisio Apostolorum (Medeldridæ V. M. *Douce ms.* 275.) *Sol in Leone. Dies caniculares.*	14
xv	g	*Idibus.*	Translatio Swithini Sociorumque ejus episcoporum et confessorum, ix lectiones.	15
iv	A	xvii. *Kalen.*	*Augusti.* Translatio S. Osmundi episcopi et confessoris, non Sarum [Synodale tantum], ix lectiones.	16
	b	xvi. Kal.	Kenelmi regis et martyris, invitatorium duplex, iii lectiones.	17
xii	c	xv. Kal.	Arnulphi episcopi et martyris, iii lectiones.	18
i	d	xiv. Kal.	Rufinæ et Justinæ, MM.	19
	e	xiii. Kal.	Margaretæ *virginis et martyris, ix lectiones.*	20
ix	f	xii. Kal.	Praxedis virginis et [*l.* non] martyris, iii lectiones.	21
	g	xi. Kal.	Mariæ Magdalenæ, *invitatorium triplex, ix lectiones** [memoria de S. Wandragesillo].	22
xvii	A	x. Kal.	Apollinaris [episcopi et] martyris, iii lectiones.	23
vi	b	ix. Kal.	Christinæ virginis et martyris, iii lectiones, cum nocturno. Vigilia.	24
	c	viii. Kal.	Jacobi *apostoli, festum inferius duplex, ix lectiones,* [iii lectiones, 1519, 1526.] [memoria de Christoforo et Cucufato MM.]	25
xiv	d	vii. Kal.	Annæ *matris B. Mariæ Virginis, invitatorium triplex, ix lectiones* [*Memoria de vii Dormientibus*].	26
iii	e	vi. Kal.	SS. Septem Dormientium martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	27
	f	v. Kal.	Sansonis episcopi et confessoris, invitatorium duplex, iii lectiones. [memoria de S. Panthaleone, Ep.]	28
xi	g	iv. Kal.	Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	29
xix	A	iii. Kal.	Abdon et Sennes martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	30
	b	pridie Kal.	Germani [autissiodorensis] episcopi et confessoris, invitatorium simplex, iii lectiones.	31

Nox habet horas viii : Dies vero xvi.

Et post Sampsonem : Sapientem da Salomonem. *In principio.*

[*Si Octava Visitationis in dominica continget, nihil fiat de Octava nisi solennis memoria ad utrasque vesperas et matutinas; et missa de Octava Visitationis dicitur pro missa de S. Maria in capella cum versiculis* Spiritus et alme, *et* Benedictus Mariæ Filius., 1519, 1526, 1556.]

Julius et medicos vitat : retinetque cruorem,
Vinaque miscet aquis : falci resecatur avena,
Et proscissa prius iteratur terra : serantur
Cepullæ : vaccas juvat et submittere thauris.

* [Expositio nulla.]

AUGUSTUS.

Aureus numerus.		**KL**	*Prima necat fortem : perditque secunda cohortem.* Augustus habet dies xxxi. Luna xxx.	
viii	c	*Augusti.*	Ad Vincula S. Petri, *invitatorium triplex, ix lectiones.* [SS. Machabæorum.]	1
xvi	d	iv. No.	Stephani papæ et martyris, invitatorium duplex, iii lectiones.	2
v	e	iii. No.	*Inventio S. Stephani prothomartyris sociorumque ejus, ix lectiones.* [*Expositio nulla.*]	3
	f	pridie No.	Justini, presbyteri.	4
xiii	g	*Nonis.*	Oswaldi regis et martyris, invitatorium duplex, iii lectiones. *Mariæ de Nivibus.*	5
ii	A	viii. Idus.	Transfiguratio *Domini nostri Jesu Christi, ix lectionum, minus duplex.* [Memoria de Sixto, Felicissimo, et Agapito MM.]	6
	b	vii. Idus.	*Festum dulcissimi* Nominis Jesu, *majus duplex, ix lectiones* [Donati Ep., 1519, 1526; 1521].	7
x	c	vi. Idus.	Ciriaci sociorumque ejus martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	8
	d	v. Idus.	Romani martyris, iii lectiones cum nocturno. Vigilia.	9
xviii	e	iv. Idus.	Laurentii *martyris, invitatorium triplex, ix lectiones.*	10
vii	f	iii. Idus.	Tiburtii martyris, invitatorium duplex, iii lectiones.	11
	g	pridie Idus.	Claræ V. *Sol in Virgine.*	12
xv	A	*Idibus.*	Ipoliti sociorumque ejus martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones. [Si Dominica fuerit, expositio nulla.]	13
iv	b	xix. *Kalen.*	*Septembris.* Octava Nominis Jesu, invitatorium triplex, ix lectiones. Eusebii presbyteri. Vigilia.	14
	c	xviii. Kal.	*Assumptio B. Mariæ virginis, festum* [*majus duplex et*] *principale, ix lectiones.*	15
xii	d	xvii. Kal.	Rochi (1530). Arnulphi Ep. et Conf. (*Douce* ms. 275.)	16
i	e	xvi. Kal.	Octava S. Laurentii [memoria tantum., 1519, 1526]. [Eusebii (1546).	17
	f	xv. Kal.	Agapiti martyris. Memoria.	18
ix	g	xiv. Kal.	Magni martyris. Memoria.	19
	A	xiii. Kal.	Ludovici Ep. et Conf. (1530). Philiberti Ab., et Bernardi (*Douce* ms. 275).	20
xvii	b	xii. Kal.	Bernardi Conf.	21
vi	c	xi. Kal.	Octava Assumptionis B. Mariæ, invitatorium triplex, ix lectiones, [memoria de Timotheo et Symphoriano].	22
	d	x. Kal.	Thimotei et Apollinaris martyrum, iii lectiones cum nocturno. Vigilia.	23
xiv	e	ix. Kal.	Bartholomei *apostoli, festum inferius duplex, ix lectiones,* [*Expositio nulla.*] memoria de S. Audoeno.	24
iii	f	viii. Kal.	Ludovici regis Franciæ (1530). Genesii (*Douce* ms. 275).	25
	g	vii. Kal.	Severini.	26
xi	A	vi. Kal.	Ruffi martyris, invitatorium duplex, iii lectiones.	27
xix	b	v. Kal.	Augustini *episcopi* [*et doctoris*], *inferius duplex, ix lectiones,* Hermetis memoria tantum.	28
	c	iv. Kal.	Decollatio *S. Johannis Baptistæ, invitatorium triplex, ix lectiones,* memoria de S. Sabina.	29
viii	d	iii. Kal.	Felicis et Adaucti martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	30
	e	pridie Kal.	Cuthburgæ virginis, non martyris, invitatorium duplex, iii lectiones.	31

Nox habet horas x : Dies vero xiv.

Post Augustinum [doctorem] Job lege justum. *Si bona.*

Augustus prohibetque Julius : ac Venus absit
Et gula : tunc napi : rape radixque serantur.
Si tibi aquæ desunt : quære illas arte modoque.
Insere pira citrum tunc pascua flamma perurat.

SEPTEMBER.

Aureus numerus		KL	*Tertia Septembris et denus fert mala membris.* September habet dies xxx. Luna xxix.	
xvi	f	*Septembris.*	EGIDII *abbatis, ix lectiones.* Mediæ lectiones de S. Prisco.	1
v	g	iv. No.	Anthonini M. (Chrisostomi, 1546.)	2
	A	iii. No.	ORDINATIO S. GREGORII papæ, si de eo non fit in Quadragesima, ix lectiones, non Sarum.	3
xiii	b	pridie No.	Translatio S. Cuthberti episcopi et confessoris, ix lectiones, [nisi factæ fuerint in Quadragesima., 1519 '26].	4
ii	c	*Nonis.*	Bertini abbatis et confessoris, iii lectiones cum nocturno.	5
	d	viii. Idus.	S. Eugenii. [*Dies caniculares finiuntur.*]	6
x	e	vii. Idus.	Evurtii Ep. et Conf. [Vigilia., 1519.]	7
	f	vi. Idus.	NATIVITAS B. MARIÆ, *festum majus duplex, ix lectiones.*	8
xviii	g	v. Idus.	Gorgonii martyris, memoria tantum.	9
vii	A	iv. Idus.	Silvii Ep.	10
	b	iii. Idus.	SS. Prothi et Jacincti martyrum, memoria tantum.	11
xv	c	pridie Idus.	Martiniani Ep. *Sol in Libra. Æquinoctium* [*autumnale*].	12
iv	d	*Idibus.*	Mauritii Ep.	13
	e	xviii. *Kalen.*	*Octobris.* EXALTATIO *S. Crucis, festum minus duplex, ix lectiones.** [Memoria de Cornelio et Cypriano MM.]	14
xii	f	xvii. Kal.	Octava Nativitatis Mariæ, invitatorium triplex. Memoria de S. Nichomede.	15
i	g	xvi. Kal.	Edithæ virginis non martyris, ix lectiones. Mediæ lectiones de S. Eufemia [Lucina et Geminiano].*	16
	A	xv. Kal.	LAMBERTI episcopi et martyris, iii lectiones.	17
ix	b	xiv. Kal.	Victoris et Coronæ. [*Observa mensis noni Jejunia semper Post Exaltatam feria quarta Crucem.*, 1519 '26.]	18
	c	xiii. Kal.	Januarii M.	19
xvii	d	xii. Kal.	Eustachii. Vigilia.	20
vi	e	xi. Kal.	MATHEI *apostoli et evangelistæ, festum inferius duplex, ix lectiones.* [Memoria de S. Laudo.]	21
	f	x. Kal.	Mauricii sociorumque ejus martyrum, ix lectiones.*	22
xiv	g	ix. Kal.	Teclæ virginis non martyris, iii lectiones cum nocturno.	23
iii	A	viii. Kal.	Andochii, M.	24
	b	vii. Kal.	Firmini episcopi et martyris, iii lectiones.	25
xi	c	vi. Kal.	Cipriani et Justinæ martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	26
xix	d	v. Kal.	Cosmæ et Damiani [fratrum] martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	27
	e	iv. Kal.	Exuperii Ep. Vigilia (1546).	28
viii	f	iii. Kal.	MICHAELIS *archangeli, festum inferius duplex, ix lectiones.*	29
	g	pridie Kal.	HIERONYMI *presbyteri et doctoris, festum inferius duplex, ix lectiones.*	30

Nox habet horas xii : Dies vero xii.

Thobiam dictum post Prothum et Iacinctum.	*Peto Domine.*
Subjungas Judith : post Vigiliamque Mathei.	*Adonay.*
Post sanctum Cosmam : dabis hystoriam Machabei.	*Adaperiat.*

September fructus maturos carpit : et uvas
Colligit : et mustum : morbos gravat : et pluvias fert.
Tunc viciæ satior formandaque prata novella.
Pisa seras : sisamum farrago lupina papaver.

* [*Expositio nulla.*]

*** '*Dominica prima Octobris celebretur festum Dedicationis Ecclesiæ*'. (regula m.s. cir. 1536 in Brev. 1531 Coll. Exon.)

OCTOBER.

Aureus numerus.		KL	*Tertius et denus: est sicut mors alienus.* October habet dies xxxi. Luna vero xxx.	
xvi	A	*Octobris.*	Remigii sociorumque ejus [Germani, Vedasti, et Bavonis] episcoporum et confessorum, ix lectiones [mediæ lectiones de S. Meloro martyre].	1
v	b	vi. No.	Leodegarii episcopi et martyris, iii lectiones. *Thomæ herfordensis episcopi non Sarum [sed synodale], ix lectiones.* Mediæ lectiones *de S. Leodegario Ep.*	2
xiii	c	v. No.	Candidi, M.	3
ii	d	iv. No.	Francisci, Conf.	4
	e	iii. No.	Apollinaris, M.	5
x	f	pridie No.	[Translatio S. Hugonis ubi celebratur] Fidis V. et M., iii. lec.	6
	g	*Nonis.*	Marci Marcelli et Apuleii martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	7
xviii	A	viii. Idus.	Pelagiæ, V.	8
vii	b	vii. Idus.	Dionysii *sociorumque ejus [Rustici et Eleutherii] martyrum, ix lectiones. [Expositio nulla.]*	9
	c	vi. Idus.	Gereonis sociorumque ejus martyrum, iii lectiones.	10
xv	d	v. Idus.	Nichasii sociorumque ejus [Quirini et Scuviculi] martyrum, iii lectiones, invitatorium duplex.	11
iv	e	iv. Idus.	Wilfridi, Ep. [Depositio].	12
	f	iii. Idus.	Translatio S. Edwardi *regis et confessoris, inferius duplex, ix lectiones. [Expositio nulla.]*	13
xii	g	pridie Idus.	Calixti papæ et martyris, invitatorium duplex, iii lectiones.	14
i	A	*Idibus.*	Vulfranni episcopi et confessoris ix lectiones. *Sol in Scorpione.*	15
	b	xvii. *Kalen.*	*Novembris. Michaelis in Monte Tumba, invitatorium triplex, ix lectiones. [Expositio nulla.]*	16
ix	c	xvi. Kal.	Translatio S. Etheldredæ virg. non martyris, ix lectiones.	17
	d	xv. Kal.	Lucæ evangelistæ, ix lectionum, inferius duplex. Memoria de S. Justo martyre.	18
xvii	e	xiv. Kal.	[Depositio] Fredeswidæ virginis non martyris, ix lectiones.	19
vi	f	xiii. Kal.	Austrebertæ, V.	20
	g	xii. Kal.	Undecim milium virginum, invitatorium duplex, iii lectiones ['ix lectiones.', 1526].	21
xiv	A	xi. Kal.	Mariæ Salomæ (1530, 1546).	22
iii	b	x. Kal.	Romani archiepiscopi et confessoris, iii lectiones cum nocturno.	23
	c	ix. Kal.	Maglorii Ep. et Conf.	24
xi	d	viii. Kal.	Crispini et Crispiniani martyrum, ix lectiones. Mediæ lectiones de S. Johanne Beverlaco.	25
xix	e	vii. Kal.	Evaristæ et Amandi.	26
	f	vi. Kal.	Florentii, M. Vigilia.	27
viii	g	v. Kal.	Apostolorum Symonis et Judæ, *festum inferius duplex, ix lectiones.*	28
	A	iv. Kal.	Narcissi Ep. et M.	29
xvi	b	iii. Kal.	Germani Capuani.	30
v	c	pridie Kal.	Quintini martyris, iii lectiones cum nocturno. Vigilia.	31

Nox habet horas xiv: Dies vero x.

Post Judam Symonem : subjungas Ezechielem. *Vidi Dominum.*

Vina dat October : volucres fugat; *h*ordea linum
Triticeam et palmam sere, et ablaqueanda novella.
Pomaque conserves : cole prædia : compara avenam.
Atque alimenta quibus tibi opus sit tempore brumæ.

NOVEMBER.

Aureus numerus.		KL	*Scorpius est quintus : et tertius est nece cinctus.* November habet dies xxx ; Luna xxix.	
	d	*Novembris.*	FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM: *festum majus duplex, ix lectiones.*	1
xiii	e	iv. No.	*Commemoratio Animarum* [*'Defunctorum'*], *ix lectiones.*	2
ii	f	iii. No.	Wenefredæ virginis et martyris, ix lectiones. [Eustachii., 1521.]	3
	g	pridie No.	Amantii et Vitalis.	4
x	A	*Nonis.*	Leti Presb. et Conf. [*D.*]	5
	b	viii. Idus.	LEONARDI *abbatis et confessoris, ix lectiones.*	6
xviii	c	vii. Idus.	Willibrordi Archiep.	7
vii	d	vi. Idus.	Quatuor Coronatorum Martyrum, invitatorium duplex, iii lectiones.	8
	e	v. Idus.	Theodori martyris, iii lectiones.	9
xv	f	iv. Idus.	Martini papæ.	10
iv	g	iii. Idus.	MARTINI *episcopi et confessoris, ix lectiones, invitatorium triplex.** Memoria de sancto Menna.	11
	A	pridie Idus.	Paterni M. (Menna., 1514.) *Sol in Sagitario.*	12
xii	b	*Idibus.*	BRICTII episcopi et confessoris, invitatorium duplex, iii lectiones.	13
i	c	xviii. *Kalend.*	*Decembris. Translatio Erkenwaldi episcopi et confessoris, ix lectionum, non Sarum* [*sed sinodale London.*]	14
	d	xvii. Kal.	MACHUTI episcopi et confessoris, ix lectiones.* Mediæ lectiones de S. Martino.	15
ix	e	xvi. Kal.	[Depositio] *Edmundi Cantuariensis archiepiscopi* [*'Ep. et Conf.'*], *invitatorium triplex, ix lectiones.**	16
	f	xv. Kal.	HUGONIS episcopi et confessoris, ix lectiones.* [Memoria et mediæ lectiones de S. Aniano.]	17
xvii	g	xiv. Kal.	Octava S. Martini, invitatorium duplex, iii lectiones.	18
vi	A	xiii. Kal.	Elizabeth matris.	19
	b	xii. Kal.	EDMUNDI *regis et martyris, ix lectiones.**	20
xiv	c	xi. Kal.	Præsentatio B. Mariæ.	21
iii	d	x. Kal.	S. CÆCILIÆ virginis et martyris, ix lectiones. *	22
	e	ix. Kal.	CLEMENTIS *papæ et martyris, ix lectiones.* [Memoria de S. Felicitate.] [*Incipit hyems : et habet dies xci.*, 1519.]	23
xi	f	viii. Kal.	Grisogoni martyris, iii lectiones.	24
xix	g	vii. Kal.	KATHERINÆ *virginis et martyris, ix lectiones.**	25
	A	vi. Kal.	Lini papæ et martyris, iii lectiones.	26
viii	b	v. Kal.	Agricolæ et Vitalis. *Abhinc ubi dominica ibi Adventus Domini.*	27
	c	iv. Kal.	Ruffi martyris.	28
xvi	d	iii. Kal.	Saturnini et Sisinnii martyrum, iii lectiones cum nocturno. Vigilia.	29
v	e	pridie Kal.	ANDREÆ *apostoli: festum inferius duplex, ix lectiones.*	30

Nox habet horas xvi : Dies vero viii.

Post festum Lini, semper erit Adventus Domini. *Aspiciens.*

Quæris habere focos ignesque nivose November
Prata nova instituis : seris allea ponis olivam.
Castaneam et triticum seris : est generatio ovina.
Glans legitur : faber et cædit durantia ligna

* [*Expositio nulla.*]

DECEMBER.

Aureus numerus.		KL	*Septimus exanguis : virosus denus* ut *anguis.* December habet dies xxxi: Luna xxx.	
	f	*Decembris.*	Eligii Ep. et Conf.	1
xiii	g	iv. No.	Libani.	2
ii	A	iii. No.	Barbaræ V.	3
x	b	pridie No.	Depositio S. Osmundi episcopi et confessoris, ix lectiones.	4
	c	*Nonis.*	Sabbæ abbatis.	5
xviii	d	viii. Idus.	Nicolai *episcopi et confessoris, invitatorium triplex,* [*ix lectiones.*§ *Prosa dicitur ad matutinas*].	6
vii	e	vii. Idus.	Octava S. Andreæ, invitatorium duplex, iii lectiones.	7
	f	vi. Idus.	Conceptio B. Mariæ virginis, *minus duplex, ix lectiones.*	8
xv	g	v. Idus.	Cypriani abbatis.	9
iv	A	iv. Idus.	Eulaliæ V.	10
	b	iii. Idus.	Damasi papæ et confessoris.	11
xii	c	pridie Idus.	Pauli Ep. et Conf. *Sol in Capricorno.* Solstitium hyemale.	12
i	d	*Idibus.*	Luciæ virginis et martyris, ix lectiones.§	13
	e	xix. *Kalend.*	*Januarii.*	14
ix	f	xviii. Kal.	Valerii Ep. et Conf.	15
	g	xvii. Kal.	*Hic incipit* O Sapientia,	16
xvii	A	xvi. Kal.	Lazarii Ep. et Conf. *nullæ deinceps fiant preces ad vesperas.*	17
vi	b	xv. Kal.	Gratiani Ep.	18
	c	xiv. Kal.	Venesiæ V.	19
xiv	d	xiii. Kal.	Julii M. Vigilia.	20
iii	e	xii. Kal.	Thomæ *apostoli : festum inferius duplex, ix lectiones.*§	21
	f	xi. Kal.	Triginta martyrum.	22
xi	g	x. Kal.	Victoriæ V.	23
xix	A	ix. Kal.	SS. Quadraginta Virginum. Vigilia.	24
	b	viii. Kal.	Nativitas Domini nostri *Jesu Christi : festum principale* [*duplex*], *ix lectiones.* [S. Anastasiæ, 1521.]	25
viii	c	vii. Kal.	Stephani *prothomartyris : minus duplex, ix lectiones.**	26
	d	vi. Kal.	Johannis *apost. et evangelistæ, minus duplex, ix lectiones.**	27
xvi	e	v. Kal.	SS. Innocentium *martyrum, minus duplex, ix lectiones.**	28
v	f	iv. Kal.	*Thomæ archiepiscopi et martyris, minus duplex, ix lectiones.*	29
	g	iii. Kal.	Translatio S. Jacobi.	30
xiii	A	pridie Kal.	Silvestri papæ et confessoris, ix lectiones. [Vigilia.]	31

Nox habet horas xviii : Dies vero vi.

Vultque focum assiduum genialis habere December,
Tum piper et pernas : sine cura Bachus amicat.
Frumenti satio est : lactuca serenda : ridicas.
Et palos facias : corbos quoque condi echinnos.


* [Prosa dicitur ad matutinas.]

§ [*Expositio nulla.*]

TABULA FESTORUM MOBILIUM.

[*Annus habet duodecim menses; hebdomadas quinquaginta duo, et diem unum; et habet dies tercentum sexaginta quinque, et horas sex.* (1526.)]

Rota litteræ dominicalis. *Rota numeri aurei.*





¶ *Ad inveniendum litteram dominicalem hanc nota regulam.* Ultra millenarios et centenarios recipe residuos Domini incarnationis annos et incipe numerare 1, 2, 3, et cetera immediate post crucem usque ad annum currentem : vel alias quemcunque tibi placentem. Et quam litteram sub isto anno invenies, eandem dominicam non dubites*. Et durabit ista crux centum annos sine variatione [quam ad seculum 1801—1900 accommodavi. Et nota quod annus ipse 1900 non est bissextilis. Et mox rota erit ✠ f. e. d. c. a.]
b

¶ *Ad inveniendum aureum numerum.* Ultra millenarios et centenarios accipe residuos Domini incarnationis annos : et incipe numerare post crucem 1, 2, 3, et cetera, et fac pariformiter sicut cum littera dominicali : et habebis immediate aureum numerum illius anni. Et durabit ista crux etiam centum annos sicut illa in littera dominicali [videlicet 1801—1900. Ipsius anni 1900 aureus numerus erit 1, qui fuit etiam annorum 1501 et 1805. Et seculi (si quod erit) vicesimi rota sic decurret, ✠ 2. 3. 4.]

Nota istam collectam ad inveniendam Septuagesimam et per consequens alia festa mobilia perpetuis temporibus.

j	ij	iij	iv	v	vj	vij	viij	ix	x
Domine	Deus	infunde	nobis	dona	gratie	beati	apostoli	Jacobi	piis

xj	xij	xiij	xiv	xv	xvj	xvij	xviij	xix
meritis	reple	tuos	famulos	bonis	qui	subdis	colla	gentium.

Nota quod quælibet dictio istius collectæ tenet unum annum, et quot sunt litteræ in qualibet dictione : tot sunt septimanæ a die Dominica sequente diem Natalis Domini usque ad Septuagesimam. Et numerus desuper est aureus numerus. Cum autem perfeceris, reincipe Domine Deus. *Et hoc anno præsenti* M.CCCCC.XXXI. *aureus numerus est xii, sequenti anno erit xiij, et sic consequenter.*

Et nota quod inter Septuagesimam et Diem Paschæ sunt novem ebdo-

* Quæ si unica occurrit : annum communem esse intelliges. Si duplex : bissextilem. Et tunc prior, id est superior, usque ad festum Matthiæ apostoli utilis erit. Inferior autem ad reliquam anni partem accommodabitur (*ex Brev.* A.D. 1525-6).

madæ; a Pascha ad Ascensionem sunt dies quadraginta; et ulterius usque ad Penthecosten dies decem. Et ita calculando omnia festa unicuique patebunt inspicienti.

[*Tabula clavium festorum mobilium, simulque aurei numeri subjuncti: revolutio cujus est post annos xix, post quos cum annis tunc currentibus semper ad ejusdem regreditur initium* (ex editione A.D. 1525-6 desumpta) *sequitur.*

Claves festorum mobilium.

Claves	12	31	20	39	28	17	36	25	14	33	22	11
Aur. Nu.	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16

30	19	38	26	15	34	23	*Claves Festorum.*
17	18	19	1	2	3	4	*Aureus numerus.*

Simili computo ut dictum est de littera dominicali etiam deprehendere potes clavem festorum mobilium. Nam clavium numero primo, qui videlicet est 12, da annum 1524; sequenti numero, qui est 31, da 1525; sicque deinceps semper singulos numeros clavium accommoda: donec perduceris ad numerum anni propositi. Nam ubi annus tuus propositus sedem invenit: illic numerum clavis deprehendes. Sub quo continuo aureus numerus pro nova luna reperienda valens apparebit.

Festorum mobilium canon.

Festa igitur mobilia, habita clave anni currentis, hoc modo inveniuntur. Animadverte quot unitates sunt in clave anni currentis: deinde tot dies numera deorsum descendendo a loco cujuslibet clavis in Kalendario notati. Ubi autem numerus ille terminatur, ibi dominica proxima tale festum peragetur. In anno tamen bissextili, si Septuagesimam aut Quadragesimam quaeris, clavi adde unitatem; et si Quadrigesima juxta talem computationem in xxiv. die Februarii, vel post, inventa fuerit, ipsa per unum diem retracta erit peragenda.]

Noviluniorum Canon.

Novilunium, sive luna nova, singulis mensibus anni sic reperitur. Habito aureo numero anni tui, ubicunque ille in ordine aurei numeri in Kalendario positi tibi occurrerit, a loco illius diei juxta positi, sequentium verborum syllabas sursum computa: ut puta *In cœlis est hic*, unicuique diei accommodando syllabam unam; diesque ille supra quem syllaba *hic* ceciderit dies est novilunii propositi per singulos menses anni.

Carmina docentia per novilunia invenire pascha.

Post regum festa quære novilunia trina.
Post dominica tertia, sacrum pascha celebra.

Alia carmina ad idem.

Post veris æquinoctium, quære plenilunium.
Et dominica proxima, sacrum celebra pascha.
Non verius invenies, si mille legas codices.

[*Alii versus.*

Quique bis inde dias bis septem bis decas tetras
Si cadit in lucem domini numerabis eandem
(1525-6).]

BENEDICTIONES MATUTINALES.

[Hasce *Benedictiones*, in exemplari nostro A.D. 1531 impresso, a fronte Kalendarii post frontispicium conlocatas, in hunc locum propter spatii exigentiam concinnavimus.]

De benedictionibus dicendis ad matutinas per totum annum.

Quotienscunque fiunt ix lectiones per totum annum dicuntur istæ sex Benedictiones ad Matutinas præterquam in festis Beatæ Mariæ et omnium Sanctorum; et in festis iii lectionum sine expositione Evangelii, sive chorus regitur sive non, et in Oct. et infra Oct. et in feriis Paschalis temporis, secundum ordinem Nocturnorum.

In Primo Nocturno dicuntur istæ Benedictiones, viz.

Benedictione perpetua : Benedicat nos Pater æternus.

Deus Dei Filius : Nos benedicere et adjuvare dignetur.

Spiritus Sancti gratia Illuminet corda et corpora nostra.

In Secundo nocturno dicuntur hæ Benedictiones.

Omnipotens Dominus sua gratia nos benedicat.

Christus perpetuæ : Det nobis gaudia vitæ.

Intus et exterius nos purget Spiritus almus.

Quando dicitur, Evangelium secundum Mathæum : *dicitur ista Benedictio,*

Evangelica lectio Sit nobis salus et protectio.

Quando dicitur, Evangelium secundum Marcum : *dicitur ista Benedictio,*

Evangelicis armis muniat nos conditor orbis.

Quando dicitur, Evangelium secundum Lucam : *dicitur ista Benedictio,*

Per evangelica dicta : Deleantur nostra delicta.

Quando dicitur, Evangelium secundum Johannem : *dicitur ista Benedictio,*

Fons evangelii : Repleat nos dogmate cæli.

Quando expositio evangelii non habetur, tunc dicitur ad vii. lectionem ista Benedictio, videlicet,

Creator omnium rerum : Benedicat nos hic et in ævum.

Ad octavam Lectionem semper dicitur ista Benedictio, nisi in festis Beatæ Mariæ et omnium Sanctorum.

Divinum auxilium : Maneat semper nobiscum.

Quando vero dicitur Expositio Evangelii ad primam lectionem, ista tunc sit secunda Benedictio.

Divinum auxilium : Maneat semper nobiscum.

In festis vero Sanctorum sit ista nona Benedictio.

Ad societatem civium supernorum Perducat nos Rex angelorum.

Et semper dicitur Rex angelorum *secundum usum ecclesiæ Sarisburiensis quandocunque dicitur nisi in festis beatæ Mariæ.*

Similiter in festis iij lectionum cum Expositione evangelii sit ista tertia Benedictio. Ad societatem civium supernorum.

Quando vero ix lectiones fiunt de Temporali per totum annum, nisi a festo Sanctæ Trinitatis usque ad Ad-

ventum Domini, sit ista nona Benedictio,

In unitate Sancti Spiritus : Benedicat nos Pater et Filius.

Dicatur etiam in festo Corporis Christi et in Oct. ejusdem, in festo Transfigurationis, et in festo Nominis Jesu et in Dominica infra Octavas et in Octava ejusdem, et in festo Exaltationis S. Crucis, et in festo Dedicationis ecclesiæ et in Dominica infra Octavas, et in Octava ejusdem.

Quando vero fiunt iij lectiones de Temporali cum expositione Evangelii, tunc sit ista iii. Benedictio,

In unitate Sancti Spiritus.

A festo Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum Domini, in Dominicis diebus quando de Dominica agitur, sit ista nona Benedictio,

In charitate perfecta : Confirmet nos Trinitas Sancta.

In omnibus Feriis per annum extra Tempus Paschæ et quando expositio non habetur, dicantur hæ tres Benedictiones,

Deus misereatur nostri : Et det nobis pacem

Virtus Christi : Habitet in cordibus nostris

De cælo missus, Doceat nos Spiritus almus.

In festis et in commemorationibus Beatæ Mariæ per totum annum dicantur hæ Benedictiones.

In Primo Nocturno videlicet,

Alma virgo virginum : Intercede pro nobis ad Dominum

Christus Mariæ Filius : Sit nobis clemens et propitius.

Sancta Dei genitrix : Sit nobis auxiliatrix.

In Secundo Nocturno dicuntur hæ tres Benedictiones.

Sanctæ Mariæ merita : Nos perducant ad regna cælestia.

Quæ peperit Christum : Pro nobis postulet ipsum.

Stella Maria maris Succurre piissima nobis.

In Tertio Nocturno dicuntur hæ tres Benedictiones,

Per Mariæ merita : Prosit nobis lectio evangelica.

Divina solatia : Nobis impetret virgo Maria

Ad societatem civium supernorum : Perducat nos regina cælorum.

Item aliæ Benedictiones de S. Maria cum fit servitium de ea infra Octavas tantum.

In Primo Nocturno dicuntur hæ tres Benedictiones,

Pura, pudica, pia : Miseris miserere Maria

Virgo parens natum : Fac nobis propitiatum.

Nos precibus matris : Salvet sapientia Patris.

In Secundo Nocturno dicuntur hæ tres Benedictiones,

Virgo Deo digna : Precantibus esto benigna.

Intercede pia : Pro nobis virgo Maria

Quæ peperit florem : Det nobis floris odorem.

In Tertio nocturno dicuntur hæ tres Benedictiones,*

Conserva famulos : Virgo Maria tuos.

Sanctæ Mariæ precibus : Benedicat nos Pater et Filius.

Filius virginis Mariæ : Det nobis gaudia vitæ.

In festo Omnium Sanctorum dicantur benedictiones ut in festo ejusdem ante lectiones prænotatæ sunt.

* *Similiter in cotidianis Matutinis de B. Maria.*

RUBRICÆ GENERALES.

Hæ sunt dominicæ per annum in quibus ultimum R. ad matutinas a duobus cantabitur in Suppelliciis ad gradum chori, Scilicet omnibus dominicis ab octava Paschæ usque ad Ascensionem Domini quando de dominica agitur tantum : et dominica infra Octavam Ascensionis Domini, et dominica infra ebdomadam Nativitatis Domini, et dominica infra Octavam Epyphaniæ, Visitationis, Assumptionis, et Nativitatis Beatæ Mariæ, et Dedicationis Ecclesiæ, Corporis Christi, et Nominis Jesu.*

Hæc sunt festa simplicia cum regimine chori : in quibus ultimum R. ad matutinas a duobus cantetur in suppelliciis ad gradum chori : scilicet, Sancti Silvestri papæ : et etiam in omnibus festis cum regimine chori quæ contingunt infra Octavam Ascensionis Domini, Corporis Christi, Visitationis Mariæ, Nominis Jesu, et infra Octavam Dedicationis Ecclesiæ.

Hæ sunt dominicæ per annum in quibus R. ad primas Vesperas a duobus de superiori gradu cantetur in capis sericis ad gradum chori : Scilicet dominica prima Adventus Domini, et dominica in Passione Domini, dominica ramis palmarum, et in festo Sancti Vincentii, Sancti Dionisii, et Sancti Clementis. In omnibus vero aliis festis simplicibus et dominicis per annum dicitur Responsorium ad primas Vesperas si Responsorium habeatur, a duobus de secunda forma, loco et habitu prædictis.

Hæc sunt festa majora duplicia : in quibus tres ultimæ lectiones in capis sericis legantur in pulpito : et fiat processio quacunque die contigerint : festa Nativitatis, et Epyphaniæ Domini. Primus dies Paschæ. Dies Ascensionis. Primus dies Penthecostes. Festum Sanctæ Trinitatis. Festum de Corpore Christi. Festum Reliquiarum. Festum Purificationis, Visitationis, Assumptionis, et Nativitatis B. Mariæ. Festum Nominis Jesu. Festum Dedicationis Ecclesiæ, et Festum loci. In festo vero Omnium Sanctorum tres primæ lectiones in capis sericis a dignioribus personis legantur.

Hæc sunt festa ix lectionum quæ non habent Expositiones Evangeliorum ad matutinas secundum usum Sarum : scilicet Sancti Nicholai, Luciæ Virginis, Thomæ Apostoli, Fabiani et Sebastiani, Agnetis Virginis, Sancti Vincentii martyris, Agathæ Virginis, Gregorii Papæ, Cuthberti Episcopi, Benedicti Abbatis, Aldelmi, Barnabæ Apostoli, Albani Martyris, Johannis et Pauli, licet dominica fuerit, Margaretæ Virginis, Inventio S. Stephani sociorumque ejus, licet dominica fuerit, Ypoliti sociorumque ejus, licet dominica fuerit, Bartholomei Apostoli, Egidii Abbatis, nisi quando differtur a dominica in secundam feriam propter inchoationem Hystoriæ. Tunc enim legatur Evangelium Nemo accendit lucernam. *Exaltatio Sanctæ Crucis. Edithæ Virginis. Mauricii sociorumque ejus, Dionysii sociorumque ejus, Translatio Sancti Edwardi Confessoris, Michaelis in Monte Tumba, Martini Episcopi, Machuti Episcopi, Edmundi Archiepiscopi, hujus Evangelium sed non Omeliam, Hugonis Episcopi, Edmundi Regis et Martyris, Ceciliæ Virginis et Martyris, Sanctæ Katherinæ Virginis et Martyris.*

* *R.* id est *Responsorium.*

De Sancto Wolfado Martyre.

Oratio. Deus qui beatum Wolfadum martyrem tuum ut exaltaretur in cælis capite minui voluisti in terris : concede nos quæsumus ejus meritis et precibus sic in hac peregrinatione minui : ut magnificemur in patria paradisi. Per Dominum nostrum.

De Sancta Radegunde virgine.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus largitor probitatis ac remunerator, da nobis sancte vivendi affectum et concede : ut qui vitiorum labe corrumpimur : beatissimæ famulæ tuæ Radegundis interventu salvemur. Per.

De Sancta Modwenna virgine.

Oratio. Deus qui nos beatæ Modwennæ virginis tuæ annua solennitate lætificas : concede quæsumus ut ejus adjuvemur meritis : cujus castitatis irradiamur exemplis. Per.

De Sancta Editha virgine.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus qui beatam virginem Editham regali stemmate sublimasti : atque Anglorum genti in solennitate ejus gloriosa patrocinia contulisti : concede familiæ tuæ propitius ipsius meritis a peccatorum nexibus absolvi, et sanctorum cœtibus feliciter adjungi. Per Dominum.

Nota de his quæ sequuntur quod invenies ea hoc eodem ordine quo hic ordinantur : immediate post Psalterium : ante Commune. (Pp. 271—352.)

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis. Amen.

INCIPIT ORDO BREVIARII SECUNDUM MOREM ET CONSUETUDINEM ECCLESIÆ SARUM ANGLICANÆ: UNA CUM ORDINALI SUO QUOD USITATO VOCABULO DICITUR PICA, SIVE DIRECTORIUM SACERDOTUM:

ET PRIMO,

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

A. LITTERA DOMINICALIS A. Tertia die Decembris tota cantetur hystoria *Aspiciens*. Secundæ vesperæ erunt de S. Osmundo, cum pleno servitio in crastino; et solennis memoria de octavis [S. Andreæ], et de dominica et de S. Maria cum antiphona *Ave Maria*.

Feria ii. de S. Osmundo : ix. lectiones : omnia de Communi unius Confessoris et Pontificis. ii. vesperæ erunt de commemoratione et memoria de Sancto, de octavis, de Adventu, et de S. Maria, cum antiphona *Ave Maria*.

Feria iii., v. et Sabbato, de commemorationibus, et responsoria ferialia prætermittantur; et missa de octava S. Andreæ dicitur in capitulo.

B. LITTERA DOMINICALIS B. Quinto Calendas Decembris tota cantetur hystoria *Aspiciens* et memoria de S. Maria.

Feria ii., vi., et Sabbato de Commemorationibus.

Feria iii. de feria et nihil de martyribus [Saturnino et Sisinnio] nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria. Missa de vigilia.

Feria iv. de Apostolo [Andrea], et solennis memoria de Adventu et de S. Maria.

Feria v. de feria cum responsoriis ferialibus, et mémoria de octavis et missa de iv. feria.

C. LITTERA DOMINICALIS C. Quarto Calendas Decembris tota cantetur hystoria.

Feria iv., v., et vi. de Commemorationibus.

Feria ii. de feria et nihil de sanctis [Saturnino et Sisinnio] nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria. Missa de vigilia.

Sabbato de S. Osmundo ix. lectiones: omnia de communi unius Confessoris et Pontificis, et memoria de octavis, et de Adventu et de S. Maria.

D. Littera dominicalis D. Tertio Calendas Decembris tota cantetur hystoria. Missa de vigilia dicitur in capitulo; et nihil de sanctis nisi [memoria] ad vesperas et ad matutinas de S. Maria. Secundæ vesperæ erunt de Apostolo [Andrea], et solennis memoria de dominica et de S. Maria cum antiphona *Ave Maria.*

Feria iii., v., et Sabbato de Commemorationibus.

Feria iv. de feria cum responsoriis ferialibus.

Feria vi. de S. Osmundo : ix. lectiones : omnia de Communi unius Confessoris et Pontificis : et memoria de octavis et de Adventu et de S. Maria.

E. Littera dominicalis E. Pridie Calendas Decembris tota cantetur hystoria et solennis memoria de S. Maria; et festum Apostoli differatur in crastinum, licet festum loci fuerit. Secundæ vesperæ erunt de Apostolo cum oratione *Majestatem* [ex Sanctorali], et memoria de dominica et de S. Maria solenniter, cum antiphona *Ave Maria.*

Feria ii. de [S. Andrea] Apostolo.

Feria iii., iv., et vi. de Commemorationibus.

Feria v. de S. Osmundo : ix. lectiones : omnia de Communi.

F. Littera dominicalis F. Prima die Decembris tota cantetur hystoria et ad primas vesperas quæ erunt de dominica, licet festum Apostoli fuerit festum loci,* et solennis memoria de Apostolo [Andrea] et de S. Maria. Secundæ vesperæ in dominica erunt de commemoratione et memoria de octavis de dominica et de S. Maria, cum antiphona *Ave Maria.*

Feria ii., iii., et Sabbato de Commemorationibus; nisi ubi festum Apostoli est festum loci: quia ibi, licet infra octavas non fiat de eo nisi memoria in Adventu, tamen in octava die fiant ix. lectiones cum invitatorio triplici et Commemoratio beatæ Mariæ fiat alia feria, viz. hac hebdomade feria v. præcedenti.

Feria iv. de S. Osmundo : omnia de Communi unius Confessoris et Pontificis.

Feria v. de feria, cum responsoriis ferialibus et missa de iv. feria. Et missa de octavis dicitur in capitulo in Sabbato.

['Feria vi. de S. Nicholao, invitatorium triplex, ix lectiones.' *Directorium* A.D. 1495, 1501.]

G. Littera dominicalis G. Secunda die Decembris tota cantetur hystoria: memoria de Apostolo et de S. Maria. Secundæ vesperæ in dominica erunt de commemoratione et memoria de octavis et de dominica et de S. Maria cum antiphona *Ave Maria.*

Feria ii., iv., et vi. de Commemorationibus.

Feria iii. de S. Osmundo, ix. lectiones : omnia de Communi : et responsoria ferialia prætermittantur.

['Feria v. de S. Nicholao: invitatorium triplex, ix lectiones sine expositione; memoria de Adventu et de S. Maria.

'Sabbato festum Conceptionis B. Mariæ, minus duplex :.et fiat processio ante missam sicut in Nativitate ejusdem. Ad ii. vesperas hymnus *Ave maris stella*, et solennis memoria de Adventu.' *Directorium* 1495, 1501.]

* Cf. *Crede Michi* (1495) Cap. 'De Contingentibus in Dominicis Adventus Domini.'

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis. Amen.

INCIPIT ORDO BREVIARII SECUNDUM MOREM ET CONSUETUDINEM ECCLESIÆ SARUM ANGLICANÆ.

Dominica prima Adventus.

Ad vesperas. *Super psalmos feriales*

Ant. Benedictus.

Ps. Ipsum (*cxliii.* p. 215).

Ant. In æternum (p. 218).

Ps. Exaltabo (*cxliv.* p. 216).

Ant. Laudabo.

Ps. Lauda anima mea (*cxlv.* p. 218).

Ant. Deo nostro (p. 219).

Ps. Laudate Dominum, quoniam bonus (*cxlvi.* p. 218).

Ant. Lauda Hierusalem.

Ps. Ipsum (*cxlvii.* p. 219).

Capitulum. Esaiæ ii. [2].

Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in verticem montium et elevabitur super colles et fluent ad eum omnes gentes. Deo gratias.

R. Ecce dies veniunt dicit Dominus et suscitabo David germen justum, et regnabit rex et sapiens erit et faciet judicium et justitiam in terra. Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.

V. In diebus illis salvabitur Juda : et Israel habitabit confidenter.

Et hoc [*&c.*]. Gloria [Patri]. Dominus justus noster.

Hymnus.

Conditor alme siderum :
Æterna Lux credentium,
Christe Redemptor omnium
Exaudi preces supplicum.

Qui, condolens interitu
Mortis periri seculum :
Salvasti mundum languidum :
Donans reis remedium.

Vergente mundi vespere
Uti sponsus de thalamo
Egressus honestissima
Virginis Matris clausula.

Cujus forti potentiæ
Genu curvantur omnia
Cælestia, terrestria,
Fatentur nutu subdita.

Te deprecamur Agie,
Venture Judex seculi,
Conserva nos in tempore
Hostis a telo perfidi.

Laus honor virtus gloria
Deo Patri et Filio
Sancto simul Paraclito
In sempiterna secula. Amen.

V. Rorate cæli desuper.

R. Et nubes pluant justum : aperiatur terra et germinet salvatorem.

Eodem modo respondeatur ad omnes versus post hymnum tam ad matutinas quam ad vesperas, et completorium per totum annum, nisi in tribus feriis ante Pascha, et in servitio mortuorum; ita tamen quod in tempore paschali finiantur cum Alleluya *Et sub silentio.*

Ant. Ecce nomen Domini venit de longinquo, et claritas ejus replet orbem terrarum.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio. Excita quæsumus Domine potentiam tuam et veni : ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi: te liberante salvari *terminando sic,* Qui vivis et regnas cum Deo Patre, *&c.*

Cum Dominus vobiscum.

Et Benedicamus Domino.

Nulla fiat processio ante crucem hoc sabbato ad vesperas, nec abhinc usque ad Dominicam in Albis, et tunc inchoetur.

Hac ipsa die nulla fiat memoria nisi de Sancta Maria. Verumtamen si festum S. Andreæ Apostoli hoc Sabbato præcesserit, vel in ipso contigerit, de eo fiet memoria, quæ præcedet memoriam beatæ Mariæ, et in ipso die et quotidie infra Octavas et in Octava : et tunc Oratio ejusdem sic terminetur, Per Christum Dominum.

Et sciendum est quod quando fit memoria vel processio ad vesperas vel ad matutinas tunc ad omnes Orationes post primum Benedicamus *quæ terminantur* Qui vivis et regnas cum Deo Patre., *vel sic* Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto., *vel sic* Qui vivis et regnas Deus per., *vel sic* Qui tecum vivit et regnat., *semper dicuntur usque in finem. Tamen Orationes quæ finiuntur sic,* Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. *non dicuntur ulterius, sed statim dicitur* Amen *a choro, et postea fiet processio vel memoria. Cum vero post primum* Benedicamus *sequatur aliqua memoria, vel processio post aliquam Orationem quæ terminatur sic,* Per Dominum nostrum Jesum, *vel sic,* Per eundem Dominum., *tunc concluditur sic,* Per Christum Dominum., *vel sic,* Per eundem Christum. *Similiter fiat per omnia post illas orationes quæ dicuntur post processionem ante missam.*

MEMORIA DE S. MARIA.

Ant. Ave Maria gratia plena Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus. Alleluya.

*Et dicatur hæc prædicta Antiphona ad Memoriam de S. Maria usque ad vigiliam Nativitatis Domini in primis vesperis Sanctorum ix lectionum et in Sabbato.**

Finita Antiphona dicatur Versus Egredietur virga de radice Jesse.

R. Et flos de radice ejus ascendet.

Oratio. Deus qui de beatæ Mariæ semper virginis utero verbum tuum angelo nuntiante carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Dei genitricem credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum nostrum Jesum.

His dictis sine intervallo dicantur Vesperæ de sancta Maria sine nota ut habetur post Commune (p. 283) *in Officio de beata Maria tempore Adventus, vel hoc modo.*

Super psalmos Antiphona. Prophetæ prædicaverunt nasci Salvatorem de virgine Maria.

Ps. Lætatus sum (*cxxi.* p. 199).
Ad te levavi (*cxxii.*).
Nisi quia (*cxxiii.* p. 200).
Qui confidunt (*cxxiv.*).
In convertendo (*cxxv.* p. 201).

Feria autem iii. quando prædicti Psalmi ad Vesperas de die dicantur; tunc ad Vesperas de S. Maria dicentur hi Psalmi, scilicet.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Confitebor (*cx.* p. 192).
Beatus vir (*cxi.* p. 193).
De profundis (*cxxix.* p. 203).
Memento (*cxxxi.* p. 204).

[*Quod observetur in omni feria iij. per totum annum quando fit de S. Maria commemoratio in Conventu.*]

* 'Similiter ad i. Vesperas Festi Loci et quando cantatur primum *O.*' *Credo Michi.*

Capitulum. Esaiæ v. [vii. 14, 15].

Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel : butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. Deo gratias.

Hymnus. Ave maris stella.*

V. Diffusa est gratia in labiis [tuis.

R. Propterea benedixit te Deus in æternum.]

Ant. Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum : ecce concipies et paries filium. Alleluya.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio. Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus perpetua mentis et corporis salute gaudere, et gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia : et æterna perfrui lætitia. *Quæ terminatur sic,* Per Christum Dominum nostrum. *Chorus respondeat,* Amen.

Non dicatur Dominus vobiscum. *nec* Benedicamus Domino.

Sed statim dicitur

MEMORIA DE SANCTO SPIRITU.

Ant. Veni Sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.

V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ.

Oratio. Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti da nobis in eodem spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.

Deinde fiat MEMORIA *de* SANCTO *in cujus honorem dedicata est ecclesia ut in præbendis vel aliis ecclesiis parochialibus. Et postea* DE RELIQUIIS *secundum antiquum Ordinale.*

Ant. Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in eternum.

V. Beati qui habitant in domo tua Domine.

R. In secula seculorum laudabunt te.

Oratio. Propitiare quæsumus Domine nobis famulis tuis per Sanctorum tuorum quorum reliquiæ in præsenti continentur ecclesia merita gloriosa, ut eorum pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Christum Dominum nostrum.

Alia oratio ad Matutinas tantum.

Oratio. Præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut Sanctorum tuorum quorum reliquiæ in hac continentur ecclesia nos protegant merita, quatenus eorum precibus tranquilla pace in tua jugiter laude lætemur. Per Christum Dominum nostrum.

MEMORIA *fiat de* OMNIBUS SANCTIS *semper ad vesperas et ad matutinas de S. Maria : quandocunque chorus regitur. In aliis vero diebus fiat memoria de eis ad vesperas et ad matutinas de die. Quod per totum annum observetur, nisi a Capite Jejunii usque ad Cenam Domini : tunc enim nulla fit memoria de festo loci, nec de Omnibus Sanctis ad vesperas nec ad matutinas de die.*†

Ant. Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo : et erit in die illa lux magna : Alleluya.

V. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam.

R. Et cum eo sanctorum milia.

Oratio. Conscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus cum omnibus sanctis paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum.

* *Quæras hymnum in* Sanctorali *in servitio* Annunciationis *B. Mariæ virginis.*

† 'Et per totam hebdomadam Pentecostes non dicitur Memoria de S. Spiritu ad Vesperas seu Matutinas de S. Maria.' *Crede Michi* (1495).

MEMORIA DE PACE.

Ant. Da pacem Domine in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster.

V. Domine fiat pax in virtute tua.

R. Et abundantia in turribus tuis.

Hæc oratio sequens dicatur ad vesperas tantum.

Oratio. Deus a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla.

Quæ terminetur sic Per Dominum nostrum Jesum [Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.]

Cum Dominus vobiscum. [Et cum spiritu tuo.]

et Benedicamus Domino. [Deo gratias.]

Alia subsequens dicatur ad Matutinas tantum.

Oratio. Deus auctor pacis et amator, quem nosse vivere, cui servire regnare est, protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos : ut qui in defensione tua confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per Dominum.

Dominus vobiscum.

Benedicamus Domino.

AD COMPLETORIUM *de Adventu,*

* *Hebdomadarius incipiat hoc modo.* Converte nos Deus salutaris noster.

Chorus. Et averte iram tuam a nobis.

Sacerdos. Deus in adjutorium. [p. 222] *ut supra ad Vesperas.*

† *Unus clericus de ii. forma incipiat,*

Ant. Miserere mihi Domine, et exaudi orationem meam.

Ps. Cum invocarem (*iv.* p. 222). *et*† *intonetur psalmus ab aliquo de superiori gradu.*

Ps. In te Domine speravi. *i.* (*xxx.*) *et dicatur usque ad versum* Odisti observantes *tantum* (p. 73, *cf.* 223).

Ps. Qui habitat (*xc.*).

Ps. Ecce nunc (*cxxxiii.* p. 224).

Hi prædicti Psalmi dicantur quotidie ad Completorium per totum annum, de quocunque fiat servitium, præterquam a Cena Domini usque ad octavam Paschæ; et dicuntur sub una voce nullum psalmum exaltando in choro, ut supra.

Capitulum. (*Hieremiæ* xiv.) Tu in nobis es Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos Domine Deus noster.

Chorus respondeat. Deo gratias.

Hymnus. Te lucis ante (p. 224).

Hic hymnus dicatur ad Completorium per totum annum, nisi in duplicibus festis, et in octavis cum regimine chori, et a XL. *usque in crastinum S. Trinitatis.*

V. Custodi nos Domine.

R. Ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos.

Ant. Veni Domine visitare nos in pace : ut lætemur coram te corde perfecto.

Ps. Nunc dimittis (p. 225).

Sequuntur PRECES.

Kyri eleyson *ter.* Christe eleyson *ter.* Kyri eleyson *ter.*

Pater noster. Et ne nos. Sed libera.

In pace in idipsum : Dormiam et requiescam.

Credo in Deum.

* '*Post* Pater noster *et* Ave Maria' (1525—6).

† Excerpta (ut videtur) haec sunt ex tractatu S. Osmundi *De Officiis Ecclesiasticis* Sarum, cap. xxvii. (Rock's *Church of our Fathers*, iv. append. p. 20). Legit tamen '*Primus clericus.*'

Carnis resurrectionem. Et vitam æternam. Amen.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

Laudemus et superexaltemus eum in secula.

Benedictus es Domine in firmamento cæli.

Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in secula.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus.

Chorus respondeat. Amen.

Excellentior persona, scilicet Sacerdos dicat.

Confiteor Deo, beatæ Mariæ, omnibus sanctis,

vertens se ad chorum, et vobis: peccavi nimis,

Cogitatione, locutione, et opere: mea culpa.

Respiciens ad altare, Precor sanctam Mariam et omnes sanctos Dei,

respiciens ad chorum, et vos orare pro me.

Chorus respondeat ad eum,

Misereatur vestri omnipotens Deus: et dimittat vobis omnia peccata vestra: liberet vos ab omni malo: conservet et confirmet in bono: et ad vitam perducat æternam.

Postea ad altare converso, Confiteor *ut supra.*

Deinde dicat sacerdos ad chorum conversus hoc modo.

Misereatur vestri, &c.

Deinde dicat sacerdos.

Absolutionem et remissionem omnium peccatorum nostrorum, spatium veræ pœnitentiæ, emendationem vitæ, gratiam et consolationem Sancti Spiritus: tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Tam ad primam quam ad completorium per totum annum quando Confiteor *dicitur,*

Deinde dicat sacerdos executor officii.

Deus tu conversus vivificabis nos.

Et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

Et salutare tuum da nobis.

Dignare Domine nocte ista

Sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine.

Miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos.

Quemadmodum speravimus in te.

Domine Deus virtutum converte nos

Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Domine exaudi [orationem meam].

Et clamor [meus ad te veniat].

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Illumina quæsumus Domine Deus tenebras nostras: et totius noctis insidias tu a nobis repelle propicius. Per Dominum nostrum.

Hæ preces prædictæ dicantur supradicto modo per totum annum ad Completorium, tam in festis duplicibus quam simplicibus. Et in feriis, nisi a Cena Domini usque octavam Paschæ: ita tamen quod in omnibus feriis per Adventum; et a Domine ne in ira, *usque ad Cenam Domini; et a* Deus omnium, *usque ad Adventum Domini; quando de feria agitur, post Versum* Fiat misericordia, *statim sequitur,*

V. Exaudi Domine vocem meam qua clamavi ad te. Miserere mei et exaudi me.

Ps. Miserere (*l.* p. 245), *totus Psalmus dicitur cum* Gloria, *et* Sicut erat. *sine nota. Et tunc omnia fiant in prostratione ab inceptione primi* Kyrieleyson *usque post orationem, et* Confiteor, Misereatur, *et* Absolutionem; *ita tamen quod immediate post Psalmum erigat se sacerdos sic dicendo cum nota Versum,*

Exurge Domine, adjuva nos.

Et Chorus respondeat,

Et libera nos propter nomen tuum.

Domine Deus virtutum converte nos.

Et ostende faciem tuam et salvi erimus.

Domine exaudi. Et clamor.

Dominus vobiscum. Oremus.

Illumina, quæsumus, [Domine Deus, tenebras nostras: et totius noctis insidias tu a nobis repelle propicius. Per Dominum.]

Dominus vobiscum.

Benedicamus Domino. Deo gratias.

Sub eodem tono dicantur et finiantur orationes ad omnes horas, scilicet ad primam, tertiam, sextam, et nonam, et ad Completorium per totum annum, nisi a Cena Domini usque ad Completorium in Vigilia Paschæ, et nisi in die Animarum.

Hæc oratio prædicta cum capitulo prædicto et V. Custodi nos, *dicatur per totum annum ad Completorium nisi a Cena Domini usque ad Octavam Paschæ: Antiphona vero super Psalmos, scilicet* Miserere *per totum Adventum dicatur: et a crastino Octavæ Epiphaniæ usque ad* XL., *et a dominica Passionis Domini usque ad Cenam Domini: et a crastino festi Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum Domini dicatur: nisi in festis et per octavas B. Mariæ: et nisi in festo Reliquiarum et Omnium Sanctorum.*

Hoc prædictum completōrium non mutatur in toto Adventu: nisi in festis duplicibus quæ infra Adventum eveniant. Tunc enim mutetur Hymnus solummodo, et dicatur Hymnus Salvator mundi (p. 226).

Omni die per annum post Completorium de die, et post matutinas de die, et matutinas de Sancta Maria, præterquam in festis duplicibus, et per Octavas Assumptionis et Nativitatis B. Mariæ, et dedicationis Ecclesiæ, et in die Animarum, et in vigilia Natalis Domini, et abhinc usque ad inceptionem Hystoriæ Domine ne in ira, *et a Cena Domini usque ad inceptionem Hystoriæ* Deus omnium, *dicatur* PRO PACE ECCLESIÆ *cum genuflectione: scilicet, Ps.* Ad te levavi (*cxxii.* p. 36) *cum* Gloria, *sed sine nota. Finito Psalmo sequitur*

Kyri eleyson. Christe eleyson. Kyri eleyson. Pater noster.

Et ne nos.

Sed libera.

Exsurge Domine adjuva nos.

Et libera nos propter nomen tuum.

Domine Deus virtutum converte nos.

Et ostende faciem tuam et salvi erimus.

Domine exaudi. Et clamor.

Dominus vobiscum. Et cum.

Deinde dicat sacerdos executor officii in audientia, sed sine nota, Oremus.

Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine preces placatus admitte: ut destructis adversitatibus et erroribus universis, secura tibi serviat libertate: et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Christum Dominum.

His dictis surgat sacerdos et omnes clerici a prostratione osculantes formulas.

Ad Completorium de Sancta Maria, quod extra chorum dicitur. Super Psalmos,

Ant. Beata es Maria, quæ credidisti: perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino: Alleluya.

Ps. Usque quo (*xii.* p. 15).
Judica me Deus (*xlii.* p. 109).
Sæpe expugnaverunt (*cxxviii.* p. 203).
Domine non est (*cxxx.* p. 204).

Capitulum. (*Ecclesiastici* xxiv. 15.) Sicut cynamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

Hymnus. Virgo singularis. / Vitam præsta. / Sit laus. } p. 560.

V. Elegit eam Deus, [et præelegit eam.

R. Et habitare eam facit in tabernaculo suo.]

Ant. Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum verbum tuum.

Ps. Nunc dimittis (p. 225).

Oratio. Gratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde; ut qui angelo nunciante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. *Quæ finitur sic.* Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum.

Dominus vobiscum.

Benedicamus Domino.

Hæc Oratio dicitur ad simplex Completorium de S. Maria per Adventum tantum. Sciendum est quod per totum Adventum ad simplex Completorium dicantur de S. Maria Antiphonæ et Psalmi prædicti, cum prædictis Capitulis, Hymno, et Versibus ut supra.

Ad Matutinas de Adventu.

Dicat Sacerdos Pater noster. Ave Maria.

Postea sacerdos incipiat servitium hoc modo.

Domine labia mea aperies.

Chorus respondeat. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

Sacerdos statim. Deus in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria.

**Officium principalis Rectoris est in primis Invitatorium quærere a Cantore, et cantum Psalmi* Venite.

**Deinde cum Socio suo Rectore chori in cappis sericis ad gradum chori simul incipiant Invitatorium* Ecce, *Chorus prosequatur sic,* venit rex.

Occurramus obviam Salvatori nostro.

Rectores dicant simul totum Psalmum Venite [*xciv.* p. 2], *nullum versum exaltando.*

Post primum, † *tertium,* † *et quintum versum Psalmi, repetatur totum Invitatorium a Choro.*

Et post iii. versum a Cantore vel Succentore reincipiatur Invitatorium vocem exaltando, et percantetur a Choro. Post secundum vero et quartum et sextum versum Psalmi repetat chorus Occurramus, &c.

Deinde reincipiatur Invitatorium a Rectore et percantetur a Choro.

Hic ordo observetur per totum annum de Invitatoriis cum suis Psalmis dicendis, nisi a Passione Domini usque ad diem Paschæ: ita tamen quod in festis duplicibus primo percantetur Invitatorium a Rectoribus chori qui dicturi sunt psalmum Venite, *et postea repetatur a Choro,*

Hymnus.

Verbum supernum prodiens,
A Patre olim exiens :
Qui natus orbi subvenis
Cursu declivi temporis.

Illumina nunc pectora
Tuoque amore concrema :
Audito et præconio
Sint pulsa tandem lubrica ;

Judexque cum post aderis
Rimari facta pectoris
Reddens vicem pro abditis
Justisque regnum pro bonis,

Non demum artemur malis
Pro qualitate criminis :
Sed cum beatis compotes
Simus perennes cælibes.

Laus honor virtus gloria
Deo Patri et Filio,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna secula. Amen.

Istæ tres antiphonæ sequentes incipiantur in secunda forma.

* Excerpta ex Osmundi *De Officiis Sarum,* cap. xxiii.

In primo Nocturno.

Ant. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).
Quare fremuerunt (*ii.* p. 7).
Domine quid multiplicati.
Domine ne in furore. *i.* (*vi.* p. 9).

Et dicantur sub una voce et sub uno Gloria Patri, *nullum psalmum exaltando. Et notandum, quod per totum annum quandocunque plures psalmi habentur sub uno* Gloria *ad nocturnum vel ad horas, nullus eorum debet exaltari antequam perveniatur ad illum versum* Gloria Patri.

Ant. Erit ipse expectatio gentium, lavabitque vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum.

Ps. Domine Deus meus (*vii.* p. 10).
Domine Deus noster (*viii.* p. 11).
Confitebor (*ix.* p. 12).
In Domino confido (*x.* p. 14).

sub una voce sub uno Gloria Patri, *nullum psalmum exaltando.*

Ant. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.

Ps. Salvum me fac. *i.* (*xi.* p. 15).
Usquequo (*xii.* p. 15).
Dixit insipiens, *i.* (*xiii.* p. 16).
Domine quis habitabit (*xiv.* p. 17).

sub una voce, sicut prædicti psalmi dicebantur.

V. Ex Sion species decoris ejus,

R. Deus noster manifeste veniet.

Deinde dicitur Pater noster *et* Ave Maria *a toto choro privatim. Et notandum est, quod nunquam in ecclesia Sarisburiensi incipitur* Pater noster *nec* Credo *a sacerdote executore officii in audientia ad aliquod servitium, nisi ad Missam tantum, ubi totaliter in audientia dicantur vel cantentur. Et postea dicat Sacerdos in audientia,* Et ne nos inducas in tentationem. *Chorus respondeat,* Sed libera nos a malo.

Clericus lector dicat. Jube Domine benedicere.

Sacerdos. Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus. *Chorus respondeat,* Amen.

Et sciendum est quod omnes Benedictiones ad matutinas per totum annum modesta voce dicantur a sacerdote, interim sedente, nisi tantum ad primam, quartam, et septimam lectiones. Tamen in die Natalis Domini tres ultimæ benedictiones stando dicantur.

Hac die incipiatur Esaias, et legatur per totum Adventum, quando de temporali agitur, nisi in secundo et tertio nocturnis dominicis diebus : et nisi in iv. et vi. feria et Sabbato Quatuor Temporum.

Clericus primam lectionem legat hoc modo.

Lectio prima. Esaiae i. 1—4.

Visio Esaiæ filii Amos quam vidit super Judam et Hierusalem, in diebus Oziae, Joatham, Achaz et Ezechiæ regum Juda. Audite cæli, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est, Filios enutrivi et exaltavi : ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis : dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.

Hæc dicit Dominus Deus, convertimini ad me, et salvi eritis.

Sic finiantur omnes lectiones de Prophetia per totum annum ad Matutinas : nisi in vigilia Mortuorum, et in tribus noctibus ante Pascha. Reliquæ vero lectiones finiantur cum Tu autem Domine miserere nostri, *quotidie per annum ; nisi solummodo*

in vigilia Mortuorum, et in die Animarum, et etiam in tribus noctibus ante Pascha : quæ terminentur ut patet in lectionibus.

Finita lectione non respondeat chorus Deo gratias. *Sed statim absque intervallo Responsorium incipiatur : quod per totum annum observetur.*

**Hac die primum R. incipiatur a tribus pueris in suppelliciis ad gradum chori conversis ad altare, et percantetur a choro; videlicet duo pueri ex parte chori, cum tertio puero ex opposito, in medio eorum stante simul incipiant.*

R. 1. Aspiciens a longe ecce video Dei potentiam venientem, et nebulam totam terram tegentem. Ite obviam ei, et dicite, Nuntia nobis, si tu es ipse. Qui regnaturus es, In populo Israel.

**Solus puer ebdomadarius ex parte Chori stans dicat primum Versum.*

V. Quique terrigenæ et filii hominum, simul in unum dives et pauper.

Chorus. Ite obviam.

Omnes repetitiones dicantur usque ad finem Responsorii,

Secundus puer ex parte Cantoris in medio stans solus dicat secundum

Versum. Qui regis Israel intende; qui deducis velut ovem Joseph.

Chorus. Nuntia.

Tertius puer ex parte Chori solus dicat tertium

V. Excita Domine potentiam tuam et veni : ut salvos facias nos.

Chorus. Qui regnaturus es.

Deinde hi tres pueri simul dicant Gloria Patri.

Chorus. In populo.

Chorus vero ab inceptione Gloria Patri *stare tenetur usque ad inceptionem secundæ lectionis.*

Item omnes tres pueri reincipiant Responsorium Aspiciens. *Et percantetur a choro.*

Lectio ii. [*Isai. i.* 5—9.] Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? Omne caput languidum et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus et livor et plaga tumens, non est circumligata nec curata medicamine neque fota oleo. Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni : regionem vestram coram vobis alieni devorant et desolabitur sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Syon ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, sicut civitas quæ vastatur. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorra similes essemus.

Hæc dicit Dominus Deus; convertimini ad me : et salvi eritis.

Responsorium 2. Aspiciebam in visu noctis, et ecce in nubibus cæli filius hominis venit. Et datum est ei regnum et honor : et omnis populus, tribus et linguæ servient ei.

V. Potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. Et datum.

Lectio iii. [*Isai. i.* 10—15.] Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei vestri populus Gomorræ. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam et sabbatum et festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri : calendas vestras et solennitates vestras odivit anima mea : facta sunt Mihi molesta. Laboravi sustinens. Et cum extenderitis

* Excerpta ex tractatu Osmundi *De Officiis*, cap. xxviii.

manus vestras avertam oculos meos a vobis : et cum multiplicaveritis orationem non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Hæc dicit Dominus [Deus, convertimini ad Me : et salvi eritis].

R. 3. Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum, et expavescit virgo de lumine : ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum, ecce concipies et paries : Et vocabitur Altissimi filius.

V. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Jacob in æternum. Et vocabitur. Gloria Patri. Et vocabitur.

In secundo Nocturno.

Ant. Bethleem, non es minima in principibus Juda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Ps. Conserva me (*xv.* p. 17).

Ant. Ecce virgo concipiet et pariet filium : et vocabitur nomen ejus Emmanuel.

Ps. Exaudi Domine (*xvi.* p. 19).

Ant. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis : et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.

Ps. Diligam te (*xvii.* p. 20).

V. Egredietur virga de radice Jesse.

R. Et flos de radice ejus ascendet.

Tres mediæ lectiones de sermone beati Maximi episcopi : et legantur sine titulo, sed cum Jube Domine *incipiantur, et cum* Tu autem *finiantur.*

Lectio quarta.

Igitur quoniam post tempus spiritualibus epulis reficere nos debemus, videamus quid evangelica lectio prosequatur. Ait enim Dominus, (sicut audivimus) de adventus sui tempore : Sicut fulgur coruscans de sub cælo, ita erit adventus filii hominis. Et addidit in consequentibus : In illa nocte erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et unus relinquetur : duæ molentes in pistrino : una assumetur, et una relinquetur. Movet fortasse vos, fratres, cur Dominus adventum suum indicans, noctis se tempore ostenderit adventurum, cum utique adventus ejus magna cum claritate diei magno cum tremore et timore suscipi deberet a cunctis.

Tu autem.

Responsorium 4. Ave Maria, gratia plena : Dominus tecum. Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quod enim ex te nascetur Sanctum : vocabitur filius Dei.

V. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei : Spiritus sanctus. *Quando dicitur* Gloria Patri, *repetatur* Quod enim.

Lectio quinta.

Frequenter audivimus sacris literis prædicatum prius quam Dominus Jesus Christus adveniat antichristum regnaturum. Qui ita tenebras humano generi suæ pravitatis infundet, ut lucem veritatis nemo pæne perspiciat, et caligine propria operiens mentes hominum cæcitatem quandam spiritualibus oculis exhibebit. Nec mirum si diabolus emittat iniquitatis tenebras, cum ipse sit nox omnium peccatorum. Ad hujus igitur noctis tetram caliginem depellendam velut fulgor quoddam Christus adveniet. Et sicut lucente die nox subvertitur, ita coruscante Salvatore anti-christus effugabitur. Nec ulterius poterit disseminare iniquitatis suæ tenebras, cum lumen veritatis effulserit. Quod autem ait, In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur, et unus relinquetur : hic jam resurrectionis meritum demonstratur, quod pro qualitate vivendi sit gra-

tia resurgendi. Ac tantam in singulis quibusque resurrectionis esse distantiam, ut duobus etiam pariter dormientibus et una sede quiescentibus, æqualis non possit esse assumptio. Quamvis enim eodem consortii lectulo teneantur, pro meritis tamen alter eorum rapietur in cælum, alter relinquetur in terris. Lectus enim quidam noster communis est terræ hujus amplissimum solum : in quo corpora nostra deposita tutissima sede requiescunt. In hoc autem lectulo ille mollius dormit, quisquis durius in hac vita sese gesserit. Tu autem.

R. 5. Suscipe verbum virgo Maria quod tibi a Domino per angelum transmissum est : concipies per aurem, Deum paries et hominem : concipies et paries Deum pariter et Hominem. Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

V. Paries quidem filium; sed virginitatis non patieris detrimentum : efficieris gravida, et eris mater, semper intacta. Ut benedicta.

Lectio sexta.

Possumus etiam ipsa membra nostra lectulos nostros proprios nuncupare, in quibus animæ nostræ veluti in quodam stratu suavissime demorantur. Quod quidem sanctum prophetam sensisse arbitror, cum dicit : Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. Beatus est enim ille, cujus stratum Dominus in ipsius infirmitate convertit : ut qui fuerat paulo ante iracundus et adulter et petulans, et cunctorum scelerum infirmitatibus plenus, assuetum corpus ejus malo versans Dominus, fiat castus humilis et modestus. De quo stratu spiritualiter ad paraliticum dictum est a Domino : Surge : tolle grabatum tuum, et ambula. Non enim tam in eo admirationis aliquod erat, ut confracti lectuli ligneum cratem portaret paraliticus, quam ut resoluti corporis membra et debilitate confracti velut animæ suæ necessarium lectulum paraliticus ipse gestaret : et coram positis Judæis propriis abiret pedibus, qui manibus allatus fuerat alienis. In hoc plane (sicut dixi), completa est Prophetica illa sententia : Versasti stratum ejus in infirmitate ejus, ut versa vice portaret lectum in quo fuerat paulo ante portatus. Et anima illius quæ prius vasculo corporis ferebatur, postea corpus suum ipsa utilius circumferret. Potest etiam accipi quod ait : Erunt duo in lecto uno : Unus assumetur, scilicet Christianorum plebs; et unus relinquetur, populus Judæorum. Qui velut uno lectulo, hoc est una mandatorum lege tenentur, et velut simili resurrectionis spe gloriantur. Tunc igitur Christianorum beatus populus assumetur in gloriam. Judæorum autem execrabilis Conventus relinquetur in terra. Tu autem.

R. 6. Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum : Qui reformabit corpus humilitatis nostræ. Configuratum corpori claritatis suæ.

V. Sobrie et juste et pie vivamus in hoc seculo; expectantes beatam spem et Adventum gloriæ magni Dei. Qui reformabit. Gloria Patri. Configuratum.

In tertio Nocturno.

Ant. Nox præcessit, dies autem † appropinquabit † : abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

Ant. Hora est jam nos de somno surgere, et aperti sunt oculi nostri surgere ad Christum; quia lux vera est † fulgens in cælo †.

Ps. Exaudiat te Dominus (*xix.* p. 25).

Ant. Gaudete in Domino semper: modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dominus prope est : nihil solliciti sitis; sed in omni

oratione petitiones vestræ innotescant apud Deum.

Ps. Domine in virtute (*xx.* p. 26).

V. Egredietur Dominus de loco sancto suo.

R. Veniet, ut salvet populum suum † a peccatis eorum †.

Non dicatur ulterius.

Hæ prædictæ Antiphonæ in nocturnis hujus Dominicæ cum suis Psalmis dicantur omnibus Dominicis per totum Adventum.

Lectio septima de Expositione Evangelii hoc modo incipiatur: post acceptam benedictionem cum

Jube Domine benedicere.

Et sequatur sic.

Lectio sancti evangelii secundum Matthæum xxi.

Non dicatur Gloria tibi Domine.

Lectio septima (*Matt. xxi.* 1).

In illo tempore. Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis, et venisset Betphage ad montem Oliveti, tunc misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est; et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea. Solvite, et adducite mihi. Et reliqua.

Finitis verbis Evangelii: dicat lector titulum de omelia sub eodem tono quo et lectio dicebatur: ita quod non dicatur, de eadem lectione, *per totum annum quando de temporali agitur, scilicet in fine, sed hoc modo hac die:*

Omelia ex diversis tractatibus.

quod per totum annum observetur secundum Sarum: ut post Evangelia suis locis intitulantur.

Betphage, domus buccæ sive domus maxillarum interpretatur; qui sacerdotum viculus erat, et confessionis portabat typum. Et erat situs in monte Oliveti, ubi lumen scientiæ, ubi laborum et dolorum requies est. Tunc misit duos discipulos suos. Non immerito possunt duo discipuli ad exhibenda Domino animalia destinati duo prædicatorum ordines unus videlicet in gentes, alter in circumcisionem directus intelligi. Qui recte duo mittuntur, sive propter scientiam veritatis et operationis munditiam, sive propter geminæ dilectionis, Dei videlicet et proximi, sacramentum toto orbe prædicandum.

R. 7. Audite verbum Domini gentes, et annuntiate illud in finibus terræ, et in insulis quæ procul sunt dicite, Salvator noster adveniet.

V. Annuntiate et auditum facite, loquimini et clamate. Salvator noster adveniet.

Lectio octava.

Ite in castellum quod contra vos est. Contra enim apostolos erat, nec jugum doctrinarum volebat accipere. Missi igitur isti discipuli doctores significant, quos ut indocta ac barbara totius orbis loca quasi contra positi castelli mœnia evangelizando penetrarent destinavit. Et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea. Solvite: et adducite mihi. Introeuntes mundum prædicatores sancti invenerunt populum nationum perfidiæ vinculis irretitum. Funiculis enim peccatorum suorum unusquisque constrictus erat. Nec solum nationum, verum etiam Judæorum. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Asina quippe quæ subjugalis fuit et edomita synagogam quæ jugum legis traxerat, pullus asinæ lascivus et liber populum nationum significat. Super quem nullus adhuc hominum sedit; quia nemo rationabilium doctorum frenum correctionis, quod vel linguam cohiberet a malo vel in artam vitæ viam ire cogeret; nemo indumenta salutis, quibus spiritualiter calefieret, populo gentilium utilia suadendo contulerat. Sederet namque super illum homo, si aliquis ratione utens ejus stultitiam deprimendo corrigeret. Tu autem Domine.

R. 8. Ecce virgo concipiet et pariet filium, dicit Dominus: Et vocabitur nomen ejus Admirabilis Deus fortis.

V. Super solium David et super regnum ejus sedebit in æternum. Et vocabitur.

Lectio ix.

Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos. In Luca scriptum est, quia dixerunt domini ejus ad illos : Quid solvitis pullum? Et aperte satis : Multos quippe habebat dominos : qui non uni dogmati et superstitioni deditus, sed pro libito immundorum spirituum, ad varios diversosque miser aptabatur errores; ad simulacra muta prout ducebatur incedens. Hoc autem totum factum est, ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem : Dicite filiæ Syon : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum filium subjugalis. Hoc in Zacharia scriptum est. Filiam Syon hystorialiter Hierusalem totam, vel Syon quæ in arcem posita erat dicit. Spiritualiter vero sanctam ecclesiam significat ad quam Christus venire dignatus est. Quod dixit, Rex tuus, ac si dicat; non extraneus, non alienigena, sed proprius. Mansuetus, id est, non ferox et immitis, ut ceteri. Ipse enim de se ait, Discite a me : quia mitis sum et humilis corde.

R. 9. Lætentur cæli et exultet terra : jubilate montes laudem : quia Dominus noster veniet, Et pauperum suorum miserebitur.

V. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis. Et pauperum. Gloria. Et pauperum.

Non dicatur Te Deum *per totum Adventum, de quocunque fit servitium; sed nonum Responsorium reincipiatur; et hoc fiat in Dominicis et in festis ix lectionum tantum. Non dicatur etiam per totum annum* Te Deum laudamus *in vigiliis, nec in Quatuor temporibus, nisi in Vigilia Epiphaniæ quando in Dominica contigerit, et præterquam in quatuor temporibus ebdomadæ Penthecostes.*

Hæc Responsoria quæ sequuntur dicuntur Ferialia quia in feriis per ebdomadam dicantur, ut postea docebitur.

R. Obsecro Domine. *V.* A solis ortu.

R. Alieni. *V.* Ego veniam. Nam. Gloria. Et colles.

Finito ultimo Responsorio dicat Sacerdos, loco nec habitu mutato, hunc versum.

Ante Laudes.

V. Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.

R. De petra deserti ad montem filiæ Syon.

Sacerdos dicat, Deus in adjutorium meum intende. *ut supra* (p. xvii.).

In Laudibus.

Ant. 1. In illa die stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lac et mel. Alleluya.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. 2. Jocundare, filia Syon; exulta satis, filia Hierusalem. Alleluya.

Ps. Jubilate Deo, omnis terra.

Ant. 3. Ecce, Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo; et erit in die illa lux magna. Alleluya.

Ps. Deus Deus meus (*lxii.* p. 30), *et Ps.* Deus misereatur. *sub uno* Gloria Patri *dicantur: quod etiam per totum annum observetur, quando* Gloria Patri *dicitur.*

Ant. 4. Omnes sitientes, venite ad aquas : quærite Dominum dum inveniri potest. Alleluya.

Ps. Benedicite omnia.

Et dicatur sine Gloria Patri *per totum annum, quandocunque dicitur.*

Ant. 5. Ecce veniet propheta magnus; et ipse renovabit Hierusalem. Alleluya.

Ps. Laudate Dominum de cælis.

Ps. Cantate.

et Ps. Laudate Dominum in Sanctis (*cxlviii—cl.* pp. 32, 33),

sub uno Gloria Patri *dicantur in Laudibus per totum annum quando* Gloria Patri *dicitur.*

Hi Psalmi prædicti dicantur in Laudibus omnibus Dominicis per annum, præterquam a LXX. *usque ad passionem tantum. Dicantur etiam in omnibus festis Sanctorum tam iii quam ix lectionum per totum annum, et non in feriis, nisi in tempore paschali.*

Capitulum. (*Rom. xiii.*)

Hora est jam nos de somno surgere: nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus.

Chorus respondeat. Deo gratias.

Hymnus.

Vox clara ecce intonat.
Obscura quæque increpat:
Pellantur eminus somnia,
Ab æthere Christus promicat,

Mens jam resurgat torpida,
Quæ sorde extat saucia:
Sydus refulget jam novum,
Ut tollat omne noxium.

Et sursum Agnus mittitur
Laxare gratis debitum:
Omnes pro indulgentia
Vocem demus cum lacrimis.

Secundo ut cum fulserit
Mundumque horror cinxerit:
Non pro reatu puniat
Sed pius nos tunc protegat.

Laus honor virtus gloria
Deo Patri et Filio:
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna secula. Amen.

V. Vox clamantis in deserto.

R. Parate viam Domini: rectas facit semitas Dei nostri.

Iste Versus et ceteri versiculi prædicti, scilicet de nocturnis, dicantur per totum Adventum suis locis, quando de temporali agitur.

Ant. Spiritus Sanctus in te descendet, Maria: ne timeas, habens in utero Filium Dei. Alleluya.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio. Excita quæsumus Domine potentiam. *ut supra* (p. vii.).

MEMORIA *de Sancta* MARIA.

Ant. Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph.

V. Egredietur virga de radice Jesse.

R. Et flos de radice ejus ascendet.

Oratio. Deus, qui de beatæ Mariæ.

Hæc Antiphona dicatur ad memoriam de S. Maria ad Matutinas in festo ix lectionum per Adventum et in Commemoratione.

Deinde dicantur Matutinæ de S. Mariâ, sine nota statim post vesperas et Matutinas de die, quando in choro dicuntur.

In Adventu, quando aliquod festum ix lectionum in Sabbato contigerit, ibi celebretur, et secundæ vesperæ erunt de Dominica, et solennis memoria de festo, nisi duplex festum fuerit; tunc enim erunt vesperæ de festo, et solennis memoria de Dominica sequenti: nisi in primo Sabbato Adventus Domini; tunc enim vesperæ erunt de Dominica, quodcunque festum fuerit.

Si vero aliquod festum ix lectionum in aliqua Dominica per Adventum contigerit, semper differatur in crastinum, licet duplex festum fuerit. Et quando differtur in crastinum, vel in eadem feria festum contigerit, tunc enim in Dominica erunt vesperæ de festo, et solennis memoria de Dominica, quæ præcedet memoriam beatæ Mariæ.

Et sciendum est quod de quocunque festo fit servitium infra Adventum, semper fit solennis memoria de Adventu et de S. Maria. De festis autem iij lectionum in Adventu nihil fiat nisi de Octavis S. Andreæ, nec etiam memoria fiat secundum usum Sarum.

Notandum est : si festum S. Andreæ in Dominica prima Adventus Domini contigerit, semper differatur in crastinum, licet ecclesia dedicata fuerit in honore sancti Andreæ. Residuum istius rubricæ scilicet sancti Andreæ require in festo ejusdem.

AD MATUTINAS DE S. MARIA *per totum Adventum, quando non fit plenum servitium de ea, hoc modo fiat servitium. Invitatorium.* Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Ps. Venite (p. 2).

Et dicetur in secunda forma ab aliquo clerico ex parte chori : quod per totum annum observetur, quando non fit plenum servitium de ea.

Hymnus. Quem terra (p. 286).

Dominica et ij. feria.

Ant. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Ps. Domine Deus noster.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

Ps. Domini est terra.

V. Specie tua et pulchritudine tua.

R. Intende, prospere procede, et regna.

Feria iij.

Ant. Specie tua et pulchritudine tua : intende, prospere procede, et regna.

Ps. Eructavit cor meum (*xliv.* p. 101).

Ps. Deus noster refugium (*xlv.* p. 103).

Ps. Fundamenta ejus (*lxxxvi.* p. 154).

V. Diffusa est gratia in labiis tuis.

R. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Feria iiij.

Ant. Gaude Maria virgo : cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

Ps. Cantate Domino. *i.* (*xcv.* p. 164).

Ps. Dominus regnavit; exultet.

Ps. Cantate. *ii.* (*xcvii.* p. 169).

V. Specie tua et pulchritudine tua.

Feria v. vj. et Sabbato, quando non fit plenum servitium de S. Maria, idem ordo Antiphonarum et psalmorum et versiculorum servetur qui in præcedentibus feriis.

Sciendum est autem quod quando servitium de Sancta Maria propter aliquod festum prætermittitur de choro, nihilominus ordo ferialis in Antiphonis, Psalmis, et Versibus servabitur in sequenti feria in conventu, quod per totum annum generaliter observetur. Nam quotidie per totum annum sive in choro sive extra chorum vesperæ et matutinæ de S. Maria dicantur. Quod per totum annum generaliter observetur. Omnes lectiones in secunda forma legantur, versus quoque Responsorum ab eisdem lectoribus dicantur : ita tamen quod prima et tertia lectiones ex una parte chori legantur, et secunda ex altera parte chori : quod per totum annum observetur in quotidianis matutinis de S. Maria.*

Lectio i. Isai. xi. (4).

Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis,

* 'Multi libri tenent contrarium, et false.' *Crede Michi* (1495).

spiritus scientiæ et pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini.

Quæ terminetur sic, Hæc dicit. *Similiter ij. et iij. lectiones.*

Resp. Missus est Gabriel. *ut supra tertium* (p. xxiii.).

Lectio ii. Isai. xi. (3—5).

Non secundum visionem oculorum judicabit neque secundum auditum aurium arguet sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terrae : et percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus et fides cinctorium renum ejus. Hæc dicit Dominus Deus, Convertimini ad me : et salvi eritis.

R. Ave Maria. *Ut supra* (p. xxiv.).

Lectio iii. Isai vii. (10—15).

Locutus est Dominus ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit : Audite ergo domus David : Numquid parum vobis est molestos esse hominibus quia molesti estis et Deo meo? hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet Filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet ut sciat reprobare malum et eligere bonum. Hæc dicit.

R. Suscipe verbum. *Ut supra quintum* (p. xxv.).

Et dicantur istæ lectiones cum prædictis Responsoriis de S. Maria quotidie per Adventum, nisi quando dicitur plenum servitium de ea.

Non dicatur Te Deum *per totum Adventum.*

Ante Laudes, V. Sancta Dei genitrix.

Iste versus dicatur ante Laudes per totum annum, quando non fit plenum servitium de S. Maria.

In Laudibus *hæc sola antiphona.*

Prophetæ prædicaverunt nasci salvatorem de virgine Maria.

Ps. Dominus regnavit.

Et ceteri Psalmi consueti (p. 29).

Capitulum. Ecce virgo.

Hymnus. O gloriosa femina. [*ex Sanctorali.*]

V. Elegit eam Deus.

Ant. Spiritus Sanctus in te descendet Maria, ne timeas habens in utero Filium Dei, alleluya.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio. Concede nos (p. 284).

Quæ terminetur sic. Per Christum Dominum nostrum.

sicut ad Vesperas supra dictum est.

Et fiat memoria de Sancto Spiritu, et de Sancto Ecclesiæ, et de Reliquiis, et de omnibus Sanctis, et de Pace ut supra ad vesperas.

Quotidie per totum annum dicuntur Vesperæ et Matutinæ de S. Maria in choro : nisi in festis duplicibus, et nisi in Vigilia natalis Domini : et abhinc usque ad Octavam S. Stephani, et nisi in vigilia Epiphaniæ; et a Cena Domini usque in crastinum octavæ Paschæ, et per ebdomadam Penthecostes, et per octavam Dedicationis Ecclesiæ. Et nisi quando fit memoria de S. Maria ad Vesperas de die cum Antiphona Sub tuam.

Ceteræ Horæ, scilicet prima, tertia, sexta, et nona, et etiam Completorium non dicuntur in choro.

Quandocumque dicuntur matutinæ de S. Maria ferialiter in choro, tunc dicuntur horæ ejusdem, viz. Prima, III. VI. *et* IX. *ante inchoationem Missæ B. Mariæ, in capella ejusdem ab executore illius Missæ cum aliis vicariis qui ibi tenentur interesse.*

Ad Primam *et ad omnes alias Horas per totum annum, quando non fit plenum servitium de* S. Maria, *dicatur hic Hymnus:* Memento salutis. Maria plena. Gloria tibi Domine (p. 559).

Ant. Prophetæ prædicaverunt.

Psalmi. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Laudate Dominum omnes (*cxvi.* p. 197).
Confitemini (*cxvii.* p. 42).

Capitulum. [*Isa. xi.* 1, 2.]

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet; et requiescet super eum Spiritus Domini.

R. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Iterum. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.

V. Benedicta tu, in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Dominus tecum.

Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Hic ordo servetur in Responsoriis dicendis ad omnes horas.

V. Diffusa est gratia in labiis tuis.

Oratio. Deus qui de beatæ Mariæ (p. viii. *vel* p. 289). *quæ terminetur sic ad omnes horas, præterquam ad nonam,*

Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Sine Dominus vobiscum.

Et finietur cum Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

Ad Nonam sic concluditur in fine. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, *&c.* Dominus vobiscum *cum* Benedicamus Domino.

Ad Tertiam.

Ant. Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph.

Psalmi. Ad Dominum cum tribularer (*cxix.* p. 197).
Levavi (*cxx.* p. 198).
Lætatus (*cxxi.* p. 199).

Capitulum. [*Isa. xi.* 3, 4.]

Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.

R. Diffusa est gratia in labiis tuis.

V. Propterea benedixit te Deus in æternum. In labiis tuis. Gloria. Diffusa.

V. Specie tua.

Oratio ut supra.

Ad Sextam.

Ant. Angelus Domini nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu Sancto. Alleluya.

Psalmi. Ad te levavi (*cxxii.* p. 199).
Nisi quia (*cxxiii.* p. 200).
Qui confidunt (*cxxiv.*).

Capitulum. [*Isa. xi.* 4, 5.]

Et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium; et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.

R. Specie tua, et pulchritudine tua.

V. Intende, prospere procede, et regna.

Et pulchritudine tua. Gloria Patri. Specie tua.

V. Adjuvabit [eam Deus vultu suo.

R. Deus in medio ejus: non commovebitur.

Oratio. Deus qui. *p.* viii.]

Ad Nonam.

Ant. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus: Alleluya.

Ps. In convertendo (*cxxv.* p. 201).

Ps. Nisi Dominus (*cxxvi.* p. 202).

Ps. Beati omnes (*cxxvii.*).

Hi psalmi prædicti dicantur super horas B. Mariæ per totum annum, quando non fit plenum servitium de ea.

Capitulum. [*Isa. vii.* 10—12.]

Locutus est Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: non petam, et non tentabo Dominum.

R. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

V. Deus in medio ejus: non commovebitur.

Deus vultu suo. Gloria. Adjuvabit.

V. Elegit eam.

Istæ Horæ dicantur supradicto modo quotidie per totum Adventum, quando non fit plenum servitium de sancta Maria.

AD PRIMAM *de Adventu Domini.*

Hymnus. Jam lucis orto (p. 37).

Ant. In illa die (p. xxx.).

Ps. Deus, Deus meus (*xxi.* p. 37).

Ps. Dominus regit. Gloria.

Ps. Domini est terra (*xxiii.* p. 40).

Ps. Ad te Domine levavi. Gloria.

Ps. Judica me (*xxv.* p. 41).

Ps. Deus in nomine tuo. Gloria.

Ps. Confitemini *iiii* (*cxvii.* p. 43).

Ps. Beati immaculati. Gloria.

Ps. Retribue. Gloria.

Hi prædicti Psalmi ad Primam dicantur supradicto modo omnibus Dominicis diebus per totum Adventum, et a Domine ne in ira *usque ad Pascha, et a* Deus omnium *usque ad Adventum, quando de Dominica agitur: ita tamen quod a* LXX. *usque ad Pascha dicatur,*

Ps. Dominus regnavit, decorem. *loco Psalmi* Confitemini Domino.

Quandocumque dicitur Ps. Deus, Deus meus respice *cum reliquis Psalmis ad Primam, dicitur super hunc Ps.* Quicunque vult *hæc Antiphona,* Te Deum Patrem.

In ceteris autem dominicis diebus simplicibus totius anni, et in omnibus festis semiduplicibus, tam ix lectionum quam iii cum regimine chori, et in Octavis, et infra Octavas, quando chorus regitur, et in Commemoratione beatæ Mariæ et festi loci: nisi in his festis quæ contingunt infra Octavam S. Trinitatis dicatur hæc Antiphona Te jure laudant, *super psalmum* Quicunque.

In omnibus festis duplicibus per annum extra ebdomadam Paschæ, et extra ebdomadam S. Trinitatis, dicitur hæc Antiphona Gratias tibi Deus, gratias tibi, vera una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas. *super Ps.* Quicunque.

In omnibus feriis quando de feria agitur per totum annum, et in festis iii lectionum sine regimine chori, et in Octavis et infra Octavas in quibus chorus non regitur, et in vigiliis, et in Quatuor Temporibus extra ebdomadam Penthecostes et ebdomadam S. Trinitatis dicitur hæc Antiphona, Gloria tibi Trinitas, æqualis una Deitas, et ante omnia secula et nunc et in perpetuum. *super Ps.* Quicunque.

Capitulum. Regi seculorum.

Require Capitulum, †*Regulas*† *et Preces post Ps.* Quicunque. *in Psalterio, ut ibi notatum est* (p. 49).

AD TERTIAM.

Hymnus. Nunc sancte nobis *ut in Psalterio* (p. 57).

Ant. Jocundare, filia Sion; exulta satis, filia Hierusalem. Alleluya.

Ps. Legem pone (*cxviii.* p. 57).

Ps. Memor esto.

Ps. Bonitatem fecisti.

Capitulum. Hora est jam.

Clericus dicat Responsorium. Veni ad liberandum nos, Domine Deus virtutum. *Chorus idem repetat.*

Clericus dicat Versum,

Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Chorus. Domine Deus virtutum.

Clericus. Gloria Patri.

Chorus. Veni ad liberandum nos, Domine Deus virtutum.

Clericus dicat Versum,

Timebunt gentes nomen tuum, Domine.

Chorus respondeat sub eodem tono,

Et omnes reges terræ gloriam tuam.

Hic ordo servetur in omnibus Responsoriis cum suis Versibus super Horis dicendis per totum annum extra XL., *præterquam in Dominicis* LXX. *et* LX. *et* L.

Deinde dicat sacerdos Orationem cum Dominus vobiscum. Oremus.

Excita, quæsumus, Domine (p. vii.).

Hæc Oratio dicatur ad omnes Horas hujus diei, et etiam totius ebdomadæ, quando de temporali agitur. Hoc autem per totum annum generaliter observetur, sive de temporali, sive de aliquo Sancto fiat servitium, quod semper Oratio quæ dicitur ad Matutinas dicitur ad III. VI. *et* IX., *et ad secundas Vesperas, præterquam in iiij. et vi. feriis, et in sabbato Quatuor temporum Adventus Domini, et in vi. die a Nativitate Domini, et in ii. feria in Rogationibus, et nisi in iiij. feria in Capite jejunii usque ad Octavam Paschæ: nam tunc ad Vesperas semper variantur Orationes, nisi in Dominicis* XL. *Similiter fiat in festo Dedicationis Ecclesiæ, et in octava die ejusdem, ad secundas Vesperas.*

Ad Sextam.

Hymnus. Rector potens. *ut in Psalterio notatur* (p. 61).

Ant. Ecce Dominus.

Ps. Defecit (*cxviii.* p. 61).

Ps. Quomodo.

Ps. Iniquos.

Capitulum. [*Rom. xiii.* 12.]

Nox præcessit, dies autem appropinquabit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.

R. Ostende nobis, Domine, Misericordiam tuam.

V. Et salutare tuum da nobis. Misericordiam. Gloria Patri. Ostende.

V. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui.

R. Visita nos in salutari tuo.

Ad Nonam.

Hymnus. Rerum Deus. *ut in Psalterio notatur* (p. 65).

[*Ant.* Ecce veniet.]

Ps. Mirabilia testimonia (*cxviii.* p. 65).

Ps. Clamavi.

Ps. Principes.

Capitulum. [*Rom. xiii.* 13, 14.]

Sicut in die honeste ambulemus: non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum.

R. Super te Hierusalem, Orietur Dominus. Super.

V. Et gloria ejus in te videbitur. Orietur Dominus. [Gloria Patri.]

V. Domine Deus virtutum, converte nos.

R. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Omni die per annum, excepta die Parasceves, post missam, in ultimo recessu ante prandium, in statione puerorum, dicitur Ps. De profundis *pro omnibus fidelibus defunctis, sine nota et sine* Gloria Patri, *cum* Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos a malo.

Requiem æternam dona eis Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.
A porta inferi.

R. Erue Domine animas eorum.
Credo videre bona Domini.

R. In terra viventium.

Non dicitur Requiescant in pace *ante Orationem pro mortuis secundum usum Sarum, sed post Orationem, loco* Benedicamus Domino, *dicitur.*

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Absolve, quæsumus, Domine, animas famulorum tuorum pontificum, sacerdotum, parentum, benefactorum nostrorum, et omnium fidelium defunctorum, ab omni vinculo delictorum; ut in resurrectionis gloria inter sanctos et electos tuos resuscitatæ respirent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Requiescant in pace. Amen.

Ad ii. Vesperas.

Ant. Sede a dextris meis, dixit Dominus Domino meo.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Ant. Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in seculum seculi.

Ps. Confitebor (*cx.* p. 192).

Ant. In mandatis ejus volet nimis.

Ps. Beatus vir (*cxi.* p. 193).

Ant. Sit nomen Domini benedictum in secula.

Ps. Laudate pueri (*cxii.* p. 193).

Ant. Nos qui vivimus benedicimus Domino.

Ps. In exitu (*cxiii.* p. 194).

Hæ prædictæ Antiphonæ cum suis Psalmis dicantur omnibus Dominicis per Adventum, et a Domine ne in ira, *usque ad Dominicam in Ramis Palmarum, et in ipsa Dominica, et a* Deus omnium, *usque ad Adventum Domini, quando de Dominica agitur.*

Capitulum. Hora est (p. xxxi.).

Clericus de secunda forma incipiat hoc Responsorium Tu exurgens, Domine, *et percantetur a Choro,* Misereberis Syon.

Clericus, V. Quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Chorus. Misereberis Syon.

Clericus. Gloria Patri.

Chorus. Tu exurgens, Domine, misereberis Syon.

Hoc R. dicatur quotidie ad Vesperas per totum Adventum supradicto modo usque ad O Sapientia *quando de temporali agitur, præterquam in sabbatis : ita quod in feriis dicitur ab uno solo puero in prima forma, loco nec habitu mutato, sicut in Dominicis ab uno clerico de secunda forma.*

Hymnus. Conditor alme.

V. Rorate.

Ant. Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum; ecce concipies et paries filium. Alleluya.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio. Excita, quæsumus, Domine (p. vii.).

Memoria de S. Maria.

Ant. Beata es, Maria, quæ credidisti; quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino. Alleluya.

V. Egredietur virga de radice.

Oratio. Deus, qui de beatæ Mariæ (p. viii.).

Hic ordo Memoriarum de S. Maria ad i. Vesperas et ad Matutinas et ad ii. Vesperas hujus Dominicæ servetur per totum Adventum in Dominicis et in festis ix lectionum. Etiam in Commemoratione festi loci ad Matutinas et ad primas Vesperas tantum ubi Ecclesia non est de Sancta Maria : nisi quando Antiphona. Beata es, Maria. *super Ps.* Magnificat *dicitur : tunc ad Memoriam de S. Maria dicetur Ant.* Ne timeas, Maria. *Si a festo cum regimine chori vacaverit in crastinum tantum : vel nisi quando Ant.* O Sapientia *in die Dominica incipienda sit : tunc enim dicetur Ant.* Ave Maria. *In utrisque Vesperis ipsius Dominicæ ad Memoriam de S. Maria.*

Deinde dicuntur Vesperæ de S. Maria supradicto modo : et postea dicuntur Vigiliæ mortuorum, scilicet

Placebo, *Ant.* Dirige, *usque ad Laudes tantum, et cetera* [pp. 271—282].

Dicantur autem Vigiliæ mortuorum quotidie cum missa in crastino in capitulo, nisi in primis Vesperis festorum ix lectionum usque ad Vigil. Nativ. Domini : et a crastino Octavarum Epyphaniæ usque ad iii. feriam ante Pascha : et in ipsa tertia feria fiant Vigiliæ mortuorum cum ix lectionibus in conventu, et cum missa in crastino nisi aliquod festum duplex impedierit, vel in ipsa iiij. feria contigerit ; et tunc fiat prædictum servitium in aliqua die præcedenti ipsius ebdomadæ quæ ad hoc vacaverit, videlicet in Dominica vel in ii. feria, et sic compleatur servitium mortuorum usque ad Octavam Paschæ, nisi corpus præsens fore contigerit. Post Octavas vero Paschæ non fit servitium mortuorum in conventu, nisi corpus præsens affuerit, vel dies anniversarius vel tricennalis contigerit, usque in crastinum S. Trinitatis. In crastino autem S. Trinitatis, et ab hinc, fiant quotidie Vigiliæ Mortuorum usque ad Adventum Domini : nisi per Octavas, et in Octavis Corporis Christi, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis B. Mariæ, Dedicationis Ecclesiæ et Nominis Jesu.

Canonico enim defuncto statutum est triginta dierum in conventu obsequium fieri, et triginta psalteria separatim unumquemque* [*celebrare*] *presbyterorum—reliquos vero cujuscunque ordinis sint separatim—viginti psalteria cantare : et ab uno quoque in ebdomada sua privatim ejus anniversaria celebrari.

Impediuntur autem debitæ Vigiliæ mortuorum per totum annum per festa duplicia in primis et ii. Vesperis, et in Octava die Epyphaniæ et aliarum Octavarum quando dicitur Hymnus Salvator mundi Domine (p. 226), *nisi corpus præsens affuerit : in omnibus etiam aliis festis ix lectionum et in festis iii lectionum et in Octavis in quibus chorus regitur, et in diebus Dominicis in primis Vesperis tantum: similiter fiat in Commemoratione B. Mariæ et festi loci.*

Fiant autem Vigiliæ Mortuorum cum ix Psalmis et ix Antiphonis et ix lectionibus quandocunque corpus adest præsens, vel quando dies anniversarius vel dies tricennalis contigerit, nisi in tempore paschali. In paschali vero tempore dicuntur iii Psalmi et tres lectiones cum tribus Antiphonis super Psalmos ante lectiones, qualiscunque nocturnus dicitur, et omnes Antiphonæ cum suis Psalmis ad Vesperas scilicet Placebo, *et Antiphonæ super Psalmos in Laudibus dicantur.*

Et sciendum est quod quandocunque Antiphona sequitur immediate Ps. Dilexi. *tunc non dicetur ultimus versus ejusdem Psalmi, quia idem est cum Antiphona* Placebo.

Post Octavas vero Paschæ in quacunque feria inchoetur Officium mortuorum, incipiatur a primo nocturno, et compleantur duo sequentes Nocturni in eadem ebdomada, si fieri potest: sive autem fieri possit, sive non, deinceps non servetur ordo nocturnorum, sed feriarum in hoc tempore sicut in aliis temporibus observetur: ita tamen quod quandocunque fit servitium pro corpore præsenti cujuscunque fuerit et in anniversariis, et tricennalibus episcoporum in prædicto tempore, semper dicuntur Antiphonæ, Psalmi, Versus, Lectiones, et duo Responsoria de primo Nocturno.

Sciendum est autem quod in tempore Paschali semper erit tertium Responsorium Libera me Domine de morte. *cum his tribus Versibus, scilicet,* Dies illa *V.* Quid ergo miserrimus. *V.* Nunc, Christe, te petimus. *Et*

* Excerptum ex Osmundi tractatu *De Officiis Sarum*, cap. x.

quandocunque dicitur hoc prædictum Responsorium Libera me [p. 279] *semper reincipiatur ab illis Clericis qui versum Responsorii cantaverint.*

Quandocunque corpus adest præsens, et in anniversariis; et tricennalibus episcoporum et quatuor personarum principalium, scilicet, decani, cantoris, cancellarii, et thesaurarii, et in die Animarum, post ultimam reinceptionem Dum veneris; *in anniversariis episcoporum, et quandocunque corpus adest præsens, et in die animarum, iii. vi. et ix. Responsoria debent repeti ab illis clericis qui Versum Responsorii cantaverint.*

In quotidianis Obsequiis Mortuorum, videlicet quando corpus non est præsens, vel dies anniversarius vel tricennalis non habentur, tunc fiunt Vigiliæ mortuorum cum iii lectionibus tantum et ix Psalmis, et una sola Ant. super omnes Psalmos, ad Vesperas, quæ erit Placebo. *et cum hac Ant.* Dirige. *super omnes Psalmos ante lectiones: et tunc semper ante lectiones dicitur iste Versus,* Complaceat tibi, Domine, ut eruas me. *R.* Domine, ad adjuvandum me respice. *Omnes lectiones in secunda forma legantur, Versus quoque Responsoriorum ab eisdem lectoribus dicantur: ita quod prima et iii. lectiones ex parte chori legantur, et ii. lectio ex altera parte chori. Ad Laudes vero hæc sola Ant. super Psalmos dicitur, scilicet* Exultabunt Domino ossa humiliata. *Et hæc omnia sine nota dicantur statim post Vesperas de die et de S. Maria, ante Completorium de die.*

In lectionibus vero legendis et Responsoriis dicendis ordo feriarum servetur, viz. die Dominica et feria iiij. lectiones et Responsoria de i. Nocturno: et ii. et v. feria lectiones et Responsoria de ii. Noct.: et iii. et vi. feria lectiones et Responsoria de iii. Nocturno: ita tamen quod semper in iii. et vi. feria sit iii. R. Libera me Domine de viis inferni (p. 280).

In quotidianis Obsequiis Mortuorum cum ix Psalmis et iii lectionibus Responsorium nunquam repetatur.

Notandum vero quod quandocunque corpus adest præsens, vel dies anniversarius vel dies tricennalis contigerit, per totum annum, dicitur Commendatio animarum cum nota statim post Primam ante Missam Capituli pro defunctis. Super Psalmos Antiphona a quodam clerico de superiori gradu incipiatur hoc modo.

Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Ps. Beati immaculati (cxviii. p. 44). *usque ad Ps.* Ad Dominum cum tribularer.

Finitis Psalmis sine Gloria Patri. *tota Ant. repetatur: qua dicta sequatur*

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Deinde dicitur Pater noster *sine pronuntiatione* Et ne nos.

Et postea dicitur Ps. Domine probasti (cxxviii. p. 210). *sine nota.*

Finito Psalmo sine Gloria Patri. *statim incipiatur Missa in Capitulo.*

Officium Requiem æternam.

Quandocunque enim dicitur Commendatio, semper dicitur sedendo supradicto modo usque ad Ant. dicendam super Psalmos. Quando vero sigillatim extra conventum dicitur commendatio, tunc immediate post Ps. Domine probasti. *dicitur V.* Requiem æternam. *V.* A porta inferi. *V.* Credo videre bona Domini.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Tibi Domine commendamus animas famulorum famularumque tuarum, et omnium fidelium defunctorum, ut defuncti seculo tibi vivant: et quæ per fragilitatem mundanæ conversationis peccata admiserunt, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Requiescant in pace. Amen.

Nunquam enim dicitur alia Commendatio in ecclesia Sarum sive corpus sit præsens sive non, quam ista prædicta Commendatio : et semper dicatur sedendo usque ad Antiphonam.

A die Animarum usque ad iii. feriam ante Pascha dicitur Placebo. *et* Dirige. *usque ad Laudes tantum post Vesperas diei et de S. Maria. Post Matutinas vero de die et de S. Maria dicuntur Laudes mortuorum. Quandocunque enim dicitur servitium mortuorum in conventu nisi corpus præsens fuerit : vel quando dicitur pro episcopis : et nisi in die Animarum : semper dicatur* Placebo *sedendo usque ad Antiphonam super Psalmum. Similiter in Laudibus. Ad* Dirige *vero per totum tempus sedet chorus : nisi dum Antiphona super Psalmos ante Lectiones dicatur quousque incipiatur Lectio : ita tamen quod Lectiones, Versus et Responsoria stando dicantur vel legantur ab illis clericis scilicet qui dicturi sunt tantum. Chorus vero interim sedet. In repetitione autem noni R. post ultimum versum stet chorus usque ad primam Antiphonam super Laudes incipiendam. Prostratus debet esse chorus in omni feria, quando de feria agitur, extra tempus Paschæ: et in vigiliis mortuorum iii lectionum; Ad* Placebo, *ex quo dicitur* Kyrie eleyson, *donec ultima oratio dicatur; et ad* Dirige *similiter, dum* Pater noster *dicitur ante Lectiones, Post Psalmum* Benedictus *eodem modo quo post Ps.* Magnificat *ad* Placebo.

Quandocunque corpus adest præsens, et quando fit servitium pro episcopis, omnes clerici stare tenentur ad Placebo, *per totum tempus : Ad* Dirige *vero, ut in alio tempore. Ad Laudes similiter, per totum tempus; nisi ab inceptione Psalmi* Te decet, *usque ad Versum ante Ps.* Benedictus. *In Vigiliis quoque Mortuorum iii lectionum extra tempus Paschæ, omnes Versus dicantur a sacerdote executore officii, loco nec habitu mutato*. In anniversariis et tricennalibus episcoporum ecclesiæ Sarum, totum servitium discurrat more duplicis festi scilicet S. Johannis Baptistæ : habitus tamen hic non mutatur legendo nec cantando.' Nullum etiam Responsorium a tribus cantatur, nisi nonum. Tertium quoque vi. et ix. Responsoria repetantur a Clericis qui Versum Responsorii secundi cantaverunt.*

Lectiones vero non in pulpito, sed ad gradum chori super lectrinum legantur. Executor tamen officii in orationibus dicendis locum non mutet nec habitum. Omnes etiam Versus dicantur et respondeantur sub eodem tono quo in tribus noctibus ante Pascha.

In omnibus aliis anniversariis et tricennalibus prima Antiphona super primum Psalmum ad Placebo, *in superiori gradu inchoetur. Ceteræ Antiphonæ in secunda forma discurrant per ordinem, excepta Antiphona super Ps.* Magnificat, *et i. Antiphona super primum Ps. ad* Dirige, *et prima Antiphona super Laudes, et Antiphona super Ps.* Benedictus, *quæ in superiori gradu discurrant.*

Sex primæ Lectiones in secunda forma legantur, loco nec habitu mutato suorum quoque Versus Responsoriorum ab eisdem lectoribus cantentur.

Septima Lectio cum suo Versu Responsorii et sic deinceps, in superiori gradu supra dicto modo discurrant; ita tamen quod nonum Responsorium a duobus de superiori gradu cantetur ad gradum chori, habitu non mutato, cum suis tribus Versibus. Omnes vero Versus ab aliquo sacerdote in superiori gradu dicantur sub eodem tono quo in tribus noctibus ante Pascha : loco nec habitu mutato : vel ab executore officii. Et respondeat chorus supradicto modo.

* Excerptum ex Osmundi *De Officiis*, cap. cv.

Quando vero fit servitium pro corpore præsenti, non pro uno canonico, omnes Antiphonæ in superiori gradu secunda forma discurrant. Tres primæ Lectiones cum suis Responsoriis in secunda forma, quarta et deinceps in superiori gradu. Singula Responsoria a duobus cantentur : et Versus eorundem ad caput corporis defuncti ad orientem conversis, habitu non mutato. Ultimum vero Responsorium a tribus cantatur, loco et habitu prædictis. Singuli Versus a duobus pueris ibidem dicuntur: habitu non mutato, sub eodem tono quo in tribus noctibus ante Pascha : sicut jam sæpe ante dictum est.

Et sciendum est quod in obsequiis pro corpore præsenti non incensatur corpus ad Ps. Magnificat, *vel ad Ps.* Benedictus, *nisi fuerit corpus regis, episcopi, ducis, comitis, vel baronis, sed quando ad ecclesiam deportatur corpus : tunc ad portam introitus cimiterii aqua benedicta aspergatur ; et postea incensetur*. Si vero corpus canonici cujuscunque fuerit, eodem modo fit servitium, quo in anniversariis episcoporum ejusdem loci vel ejusdem ecclesiæ.*

Feria ii. primæ hebdomadæ Adventus Domini.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Regem venturum. Dominum : Venite adoremus.

Ps. Venite.

Hoc Invitatorium dicitur quotidie in feriis, usque ad Vigiliam Nativitatis Domini, nisi in iv. et vi. feriis et Sabbato Quatuor temporum

Hymnus. Verbum supernum p. xviii.

Super Nocturnum Antiphona Dominus defensor.

Ps. Dominus illuminatio (p. 69). *et ceteræ Antiphonæ et Psalmi sicut in Psalterio per ordinem notantur.*

Sciendum est quod omni die Dominica per annum, quando de Dominica agitur, et in qualibet feria, sive de feria agitur, sive de festo iii lectionum sine Ps. Te Deum. *ad Matutinas semper dicitur Nocturnus excepto Paschali tempore et excepta octava die S. Andreæ Apostoli; et exceptis singulis Commemorationibus B. Mariæ, et festi loci per totum annum; et excepta die Dominica infra Natale Domini.*

V. Ex Syon species decoris ejus.

R. Deus noster manifeste veniet.

Legenda ii. quæ si hac die non legatur, legatur quandocunque proximo dicatur de feria vel de dominica, et sic deinceps per ordinem sine saltu.

Lectio i. (*Isai. i.* 16—20.)

Lavamini mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perverse. Discite benefacere : quaerite judicium, subvenite oppresso. Judicate pupillo, defendite viduam. Et venite et arguite Me, dicit Dominus : si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur ; et si fuerint rubra quasi vermiculus : velut lana alba erunt. Si volueritis et audieritis me bona terræ comedetis. Quod si nolueritis et Me ad iracundiam provocaveritis : gladius devorabit vos quia os Domini locutum est. Hæc dicit [Dominus Deus, Convertimini ad Me : et salvi eritis.]

R. Aspiciebam. *ii.* (p. xxii.).

Lectio ii. (*Isai. i.* 21—26.)

Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidae : argentum tuum versum est in scoriam : vinum tuum mixtum est aqua. Principes tui infideles socii furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant : et causa viduæ non in-

* Excerptum ex tractatu S. Osmundi *de Officiis Ecclesiasticis* Sarum, cap. cv.

greditur ad eos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel : heu consolabor super hostibus meis et vindicabor de inimicis meis. Et convertam manum meam a te et excoquam ad purum scoriam tuam et auferam omne stannum tuum. Et restituam judices tuos ut fuerunt prius : et consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis civitas Justiciæ, urbs fidelis. Hæc dicit.

R. Missus est. *iii.* (p. xxiii.).

Lectio iii. [*Isai. i.* 27—31.]

Sion in judicio redimetur, et reducent eam in justitia. Et conteret sceleratos et peccatores simul : et qui dereliquerunt Dominum consumentur. Confundentur enim ab idolis quibus sacrificaverunt; et erubescetis super hortis quos elegeratis. Cum fueritis quasi quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua. Et erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ; et opus vestrum quasi scintilla. Et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat. Hæc dicit Dominus. [p. xxiv.

Responsorium. Ave Maria. *iiii.*

Si vero in secunda feria, vel in iii., festum ix lectionum contigerit, et forte in tertia feria vel quarta servitium sit agendum, semper Responsoria primi Nocturni primo loco cantentur, deinde secundi et tertii, nisi specialiter distinguantur : quod etiam generaliter observetur per totum annum.

Ante Laudes Versus. Emitte agnum Domine (p. xxx.).

et dicitur iste Versus ante Laudes quotidie usque ad vigiliam Nativitatis quando de Temporali agitur.

IN LAUDIBUS.

Ant. Miserere mei Deus.

Ps. Miserere. *ut in Psalterio suo loco notantur* (p. 85).

Capitulum. [*Hieremiæ xxiii.* 5.]

Ecce dies veniunt, dicit Dominus et suscitabo David germen justum; et regnabit rex; et sapiens erit; et faciet judicium et justitiam in terra.

Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

V. Vox clamantis [in deserto.

R. Parate viam Domini : rectas facite semitas Dei nostri.]

Ant. Angelus Domini nuntiavit Mariæ : et concepit de Spiritu Sancto. Alleluya.

Ps. Benedictus (p. 35).

Finita Antiphona post Psalmum Benedictus. *statim dicuntur* PRECES *cum prostratione hoc modo :*

Kyrie eleyson. *ter.* Christe eleyson *ter.* Kyrie eleyson *ter.*

Pater noster.

Et dicantur sub eodem tono quo ad Completorium : similiter et cetera quæ sequuntur usque ad Dominus vobiscum *ante Orationem hoc modo.*

Pater noster. Et ne nos. Sed libera.

Ego dixi, Domine miserere mei.

Sana animam meam, quia peccavi tibi.

Convertere Domine usquequo.

Et deprecabilis esto super servos tuos.

Fiat misercordia tua Domine super nos.

Quemadmodum speravimus in te.

Sacerdotes tui induantur justitiam.

Et sancti tui exultent.

Domine, salvum fac regem.

Et exaudi nos in die quo invocaverimus te.

Salvos fac servos tuos et ancillas tuas.

Deus meus, sperantes in te.

Salvum fac populum tuum, Domine : et benedic hereditati tuæ.

Et rege eos et extolle illos usque in æternum.

Domine fiat pax in virtute tua.

Et abundantia in turribus tuis.

Oremus pro fidelibus defunctis.

Requiem æternam dona eis Domine : et lux perpetua luceat eis.

Exaudi Domine vocem meam qua clamavi ad te.

Miserere mei et exaudi me.

Ps. Miserere mei Deus.

Totus Psalmus dicatur sine nota cum Gloria Patri *et* Sicut erat.

Finito Psalmo solus Sacerdos se erigat, et ad gradum chori accedat, ad Matutinas et ad Vesperas tantum, sic dicendo Versum,

Exurge Domine, adjuva nos.
Et libera nos propter nomen tuum.
Domine Deus virtutum, converte nos.
Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.
Oremus. Excita quæsumus (p. vii.).

Hæ Preces prædictæ dicantur supradicto modo ad Matutinas et ad III. VI. *et* IX. *et ad Vesperas in omnibus feriis per Adventum, et a* Domine ne in ira, *usque ad Cenam Domini, et a* Deus omnium, *usque ad Adventum Domini, quando de feria agitur; nisi ad Matutinas in iiii. et vi. feria et sabbato iiii. temporum Adventus Domini nisi ad primum* O. *et sic deinceps ad Vesperas ad omnem* O. *ita tamen quod ad omnes horas scilicet ad* I. III. VI. *et* IX. *dicantur et finiantur per omnia sub eodem tono quo ad Completorium supradictum est.*

Oratio. Excita quæsumus (p. vii.).

Ad Primam vero dicitur Versus Exurge Domine, adjuva. *et ceteri Versus sequentes ut supra ad Completorium, usque ad Orationem* Excita quæsumus. *Sacerdote vero sic dicente,* Qui vivis et regnas. *tunc surgant omnes clerici a prostratione osculando formulas.*

Memoria de S. Maria.

Ant. Spiritus Sanctus in te descendit, Maria : ne timeas habens in utero Filium Dei. Alleluya.

V. Egredietur virga (p. viii.).

Oratio. Deus qui de Beatæ.

Memoria de Omnibus Sanctis.

Ant. Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo : et erit in die illa lux magna. Alleluya.

V. Ecce apparebit Dominus (p. x.).

Oratio. Conscientias nostras.

Ad Primam.

Antiphona. Veni et libera nos, Deus noster.

Ps. Deus in nomine (p. 42).
Ps. Beati immaculati.
Ps. Retribue.
Ant. Gloria tibi Trinitas.
Ps. Quicunque (p. 46).

Cetera omnia quæ ad Primam pertinent, ut Dominica præcedente supra dictum est, sunt exequenda, cum Psalmo Miserere. *et Versu sequente ut supra dictum est.*

Ad Tertiam.

Ant. Tuam Domine excita potentiam : et veni ad salvandum nos. *Ps.* Legem pone.

Capitulum. (*Hebræorum x.* 37.) Qui venturus est veniet, et non tardabit : jam non erit timor in finibus nostris, quoniam ipse est salvator noster.

R. et V. ad omnes horas dicuntur sicut in Dominica præcedenti. Oratio ut supra in Dominica.

Ad Sextam. *Ant.* In tuo adventu erue nos Domine.

Ps. Defecit (p. 61).

Capitulum. (*Esaiæ xiv.*) Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur : miserebitur Dominus Jacob, et Israel salvabitur.

Ad Nonam.

Ant. Veni Domine et noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ Israel.

Ps. Mirabilia.

Capitulum. (*Esaiæ ii.* 3.) Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos

vias suas, et ambulabimus in semitis ejus : quia de Syon exibit lex et verbum Domini de Hierusalem.

Istæ Horæ dicantur supradicto modo quotidie usque ad Vigiliam Nativitatis Domini : quando de feria agitur : cum orationibus dominicalibus.

AD VESPERAS.

Ant. Inclinavit (p. 197).

Ps. Dilexi (*cxiv.* p. 196).

Aliæ Antiphonæ ut in Psalterio notantur.

Capitulum. [*Hierem.* xxiii. 6]

In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter : et hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus justus noster. [Deo gratias.]

Hoc Capitulum dicitur quotidie ad Vesperas per Adventum, nisi in sabbatis et in Dominicis et festis et Commemorationibus.

R. Tu exurgens.

Hymnus. Conditor (p. v.).

V. Rorate cæli.

Ant. Hierusalem respice ad orientem : et vide. Alleluya.

Ps. Magnificat.

Preces et Orationes ut supra ad Matutinas.

Memoria BEATÆ MARIÆ.

Ant. Ne timeas Maria : invenisti gratiam apud Dominum : ecce concipies et paries filium. Alleluya.

V. Egredietur virga.

Oratio. Deus qui de (p. viii.).

Memoria OMNIUM SANCTORUM.

Ant. Ecce Dominus veniet (p. x.).

V. Ecce apparebit.

Oratio. Conscientias.

Hic ordo Memoriarum, scilicet de S. Maria et de omnibus Sanctis observetur quotidie ad Vesperas et ad Matutinas usque ad Vigiliam Natalis Domini, quando de feria agitur; et etiam in Octavis S. Andreæ, nisi quando Antiphona Ave Maria *dicitur ad primum* O : *et tunc nulla fit memoria de omnibus Sanctis.*

Supradictus ordo Capitulorum, Hymnorum, Responsoriorum et Versiculorum ad Vesperas et ad Matutinas et ad alias Horas hujus feriæ servetur quotidie usque ad Vigiliam Natalis Domini, quando de feria agitur.

Feria iii.

Super nocturnum Ant. Ut non delinquam (p. 98).

Ps. Dixi custodiam.

Ceteræ Antiphonæ ut in Psalterio notantur.

[*V.* Egredietur virga de radice Jesse.

R. Et flos de radice ejus ascendet.]

Lectio i. [*Esai. ii.* 1—4.]

Verbum quod vidit Esayas filius Amos super Judam et Hierusalem. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium; et elevabitur super illos. Et fluent ad eum omnes gentes; et ibunt ad eum populi multi, et dicent : Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. Quia de Syon exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem. Et judicabit gentes, et arguet populos multos. Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium : nec exercebuntur ultra ad prælium. Hæc dicit Dominus Deus; Convertimini ad me : et salvi eritis. [p. xxv.

Responsorium. Suscipe verbum. *v.*

Lectio ii. [*Isai. ii.* 5—9.]

Domus Jacob venite, et ambulemus in lumine Dei nostri. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob; quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philistiim, et pueris alienis adhæserunt. Repleta est terra argento et auro; et non est finis thesaurorum ejus. Et repleta est terra ejus equis, et innumerabiles

quadrigæ ejus. Et repleta est terra ejus idolis : opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum : et incurvavit se homo, et humiliatus est vir : ne ergo dimittas eis. Hæc dicit.

R. Salvatorem. *vi.* (p. xxvi.).

Lectio iii. [*Isa. ii.* 10—16.]

Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini : et a gloria majestatis ejus. Oculi sublimis hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem Dominus solus in die illa; quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur, et super omnes cedros Libani sublimes et erectas; et super omnes quercus Basam, et super omnes montes excelsos, et super omnes colles elevatos, et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitum, et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est. Hæc dicit Dominus.

R. Audite. *vii.* (p. xxviii.)

IN LAUDIBUS. (Cf. p. xxx.)

Ant. Secundum magnam misericordiam tuam (p. 109).

Ps. Miserere.

et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis ut in Psalterio notantur.

Capitulum. Ecce dies.

Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

V. Vox clamantis.

Ant. Leva Hierusalem oculos, et vide potentiam regis : ecce Salvator venit solvere te a vinculo.

Ps. Benedictus.

AD VESPERAS.

Ant. In domum Domini.

Ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis sicut in Psalterio notantur (p. 199).

Capitulum. In diebus illis.

R. Tu exurgens.

Hymnus. Conditor (p. v.).

V. Rorate cæli desuper.

Ant. Quærite Dominum dum inveniri potest : invocate eum dum prope est. Alleluya.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio ut supra.

Feria iiii.

Ant. Avertet (p. 114).

Ps. Dixit insipiens.

Et ceteræ Antiphonæ ut in Psalterio notantur.

V. Egredietur Dominus de loco Sancto suo.

Lectio i. [*Isai. ii.* 17—22.]

Et incurvabitur sublimitas hominum : et humiliabitur altitudo virorum. Et elevabitur Dominus solus in die illa : et idola penitus conterentur. Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ; a facie formidinis Domini, et gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. In die illa proiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui quæ fecerat sibi : ut adoraret talpas et vespertiliones. Et ingredietur petrarum fissuras. Et in cavernas saxorum, a facie formidinis Domini et a gloria majestatis ejus : cum surrexerit percutere terram. Quiescite ergo ab homine, cujus Spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse. Hæc [dicit].

R. [1.] Ecce virgo. *ut supra, viii.*

Lectio ii. [*Esai. iii.* 1—5.]

Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem et a Juda validum et fortem, omne robur panis et omne robur aquæ; fortem, et virum bellatorem, judicem, et prophetam, et ariolum, et senem; principem super quinquaginta, et honorabilem vultu, et consiliarium, et sapientem de architectis, et pru-

dentem eloquii mystici. Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis. Et corruet populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum : tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem. Hæc dicit Dominus.

R. 2. Obsecro mitte Dominum quem missurus es : vide afflictionem populi tui. Sicut locutus es, veni et libera nos.

V. A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. Sicut.

Lectio iii. [*Isa. iii.* 6—12.]

Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui: et dicet, Vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua. Respondebit in die illa, dicens : Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum : nolite constituere me principem populi. Ruit enim Hierusalem et Juda concidit : quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus. Agnitio vultus eorum respondebit eis : et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum : quoniam reddita sunt eis mala. Dicite justo quoniam bene : quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. Populum meum exactores sui spoliaverunt : et mulieres dominatæ sunt eis. Hæc [dicit.]

R. 3. Alieni non transibunt per Hierusalem amplius. Nam in illa die stillabunt montes dulcedinem. Et colles fluent lac et mel : dicit Dominus.

V. Ego veniam, dicit Dominus, et sanabo contritiones populi mei, dicit Dominus. Nam [in illa die stillabunt montes dulcedinem. Et colles fluent lac et mel : dicit Dominus.] Gloria [Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.] Et colles [fluent lac et mel : dicit Dominus.]

Et si aliquod festum Sanctorum in aliqua prædictarum feriarum contigerit unde fieri debeat servitium, seu aliqua Commemoratio facta fuerit in eisdem, deinceps non servetur ordo feriarum in lectionibus legendis et in Versibus et responsoriis cantandis in feriis subsequentibus ; sed servetur ordo Versuum et responsoriorum et lectionum, ita tamen quod Responsoria ferialia non omittantur : et semper si tot feriæ vacaverint per ebdomadam quod Responsoria de iii. Noct. historiæ Dominicalis per ebdomadam cantentur, tunc ibi dicantur Responsoria ferialia. Si vero tres feriæ per unam ebdomadam non vacaverint, tunc in ii. Nocturno quando de feria agitur, vel in i. Nocturno cum ibi nisi una sola feria per ebdomadam ad hoc vacaverit, dicantur, Responsoria ferialia : quod per totum annum observetur, quando Responsoria de hystoria Dominicali per ebdomadam cantantur tantum. Tamen per Æstatem non dicitur nisi unum solum Responsorium feriale per ebdomadam quando historia duratura fuerit : si vero duratura non fuerit, omnia Responsoria ferialia, si necesse fuerit, in una feria ad Matutinas dicantur.*

Et notandum est quod Responsoria ferialia non dicuntur donec omnia Responsoria hystoriæ dominicalis dicantur : quod per totum annum observetur.

In Laudibus. (Cf. p. xxx.)

Ant. Amplius lava me (p. 126).
Ps. Miserere.
et ceteræ Antiphonæ ut in Psalterio notantur.

Capitulum. Ecce dies.
Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

* 'memoria' *Ordinale Sarum* apud *Defensorium Directorii* (1488, 1495) in Cap. 'Quod Lectiones de Temporali debent legi secundùm ordinem, et non secundùm titulationem feriarum.'

V. Vox clamantis.

Ant. De Syon exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem. Alleluya.

Ps. Benedictus.

AD VESPERAS.

Antiphona. Beatus vir.

Ps. Nisi Dominus ædificaverit.

ut in Psalterio notantur (p. 202).

Capitulum. In diebus illis.

R. Tu exurgens.

Hymnus. Conditor (p. v.).

V. Rorate.

Ant. Veniet fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus. [Alleluia.]

Ps. Magnificat.

Feria v.

Super Nocturnum Antiphona. Domine Deus.

Ps. Salvum me fac (p. 128).

Et ceteræ Antiphonæ ut in Psalterio notantur.

Versus et Responsoria quæ in ij. feria per ordinem dicuntur, ut supra dictum est.

Lectio i. [*Esa. iii.* 12—17.]

Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Stat ad judicandum Dominus; et stat ad judicandos populos. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus. Vos enim depasti estis vineam meam: et rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis, et confunditis dicit Dominus Deus exercituum? Et dixit Dominus, Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Syon, et ambulaverunt extento collo et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, et ambulabant, et pedibus suis composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Syon; et crinem earum nudabit. Hæc dicit Dominus [Deus; Convertimini ad me : et salvi eritis].

Lectio ij. [*Isai. iii.* 18—26.]

In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, et periscelides, et murenulas, et olfactoriola, et inaures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus, et specula, et sindones, et vittas, et *th*eristra. Et erit pro suavi odore fœtor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio. Et mœrebunt atque lugebunt portæ ejus, et desolata in terra sedebit. Hæc dicit.

Lectio iij. [*Esaiæ iv.* 1—3.]

Apprehendent septem mulieres virum unum in illa die, dicentes : Panem nostrum comedemus et vestimentis nostris operiemur : tantummodo invocetur nomen tuum super nos; aufer opprobrium nostrum. In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria : et fructus terræ sublimis, et exultatio his qui salvati fuerint de Israël. Et erit, Omnis qui relictus fuerit in Syon et residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem. Hæc dicit Dominus.

IN LAUDIBUS.

Ant. Tibi soli peccavi (p. 145).

Ps. Miserere.

Et ceteræ Antiphonæ ut in Psalterio notantur.

Capitulum Hymnus Versus ut supra in ii. feria.

Ant. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Alleluia.

Ps. Benedictus (p. 35).

Ad Vesperas.

Ant. Et omnis mansuetudinis.

Ps. Memento (cxxxi. p. 204).

et aliæ Antiphonæ ut in Psalterio notantur.

Capitulum R. Hymnus, et V. ut supra in ii. feria.

Ant. Expectabo Dominum Salvatorem meum, et præstolabor eum dum prope est. Alleluya.

Ps. Magnificat.

Feria vi.

Super Nocturnum *Ant.* Exultate Deo.

Ps. *Ipsum* (lxxx. p. 149).

et ceteræ Antiphonæ ut in Psalterio notantur.

Versus ut Responsoria per ordinem dicantur, ut supra dictum est.

Lectio i. [*Esai. iv.* 4—6.]

Si abluerit Dominus sordem filiarum Syon, et sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii et spiritu ardoris. Et creabit Dominus super omnem locum montis Syon et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte : super omnem enim gloriam protectio, et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu; et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia. Hæc dicit [Dominus Deus : Convertimini ad me, et salvi eritis].

Lectio ii. [*Isai.* v. 1—6.]

Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa : et plantavit vineam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular extruxit in ea. Et expectavit ut faceret uvas : et fecit labruscas. Nunc ergo habitatores Hierusalem et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, et erit in direptionem. Diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem; et ponam eam desertam. Non putabitur, neque fodietur. Et ascendent super eam vepres et spinæ : et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Hæc dicit.

Lectio iii. [*Isai. v.* 7—10.]

Vinea enim Domini exercituum Domus Israël est et viri Juda germen ejus delectabile. Et expectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas; et justitiam, et ecce clamor. Væ qui conjungitis domum ad domum: et agrum agro copulatis, usque ad terminum loci. Nunquid habitabitis soli vos in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum : nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes, pulchræ, et absque habitatore. Decem enim jugera vinearum facient laguneulam unam, et triginta modii sementis facient modios tres. Hæc dicit.

In Laudibus.

Ant. Spiritu principali (p. 165).

Ps. Miserere.

Et aliæ Antiphonæ ut in Psalterio notantur.

Capitulum, Hymnus et Versus ut supra.

Ant. Ecce veniet Deus et Homo de domo David : sedere in throno. Alleluya. *Ps.* Benedictus.

Ad Vesperas quando non fit Plenum servitium de S. Maria nec de aliquo Sancto, ut in Vigiliis et iiii temporibus, et etiam per totam xl., *super Psalmos Antiphona.* In conspectu (p. 210).

Ps. Confitebor. *Et ceteræ Antiphonæ ut in Psalterio notantur.*

Capitulum. R. Hymnus et V. ut decet [*ut supra feria ii.*].

Ad Vesperas quæ erunt de S. Maria, vel festo ix lectionum, fiat Memoria de Adventu cum hac Antiphona. Ex Ægypto vocavi Filium meum : veniet ut salvet populum suum. *Ps.* Magnificat. *Oratio ut supra.*

Sabbato, *quando non fit plenum servitium de S. Maria nec de aliquo festo ix lectionum, ut in vigiliis et in iiii temporibus, et etiam per totam* XL., *super Nocturnum Ant.* Quia mirabilia. *Ps.* Cantate. *ii.*

Et aliæ Antiphonæ ut in Psalterio notantur.

In Laudibus.

Ant. Benigne fac (p. 186).

Ps. Miserere.

Et ceteræ Antiphonæ quæ sequuntur ut in Psalterio.

Capitulum, Hymnus, V., ut decet.

Ant. Syon noli timere : ecce Deus veniet. Alleluya.

†*Ps.* Benedictus (p. 35).†

V. Vox clamantis (p. xxxi.).

Oratio. Excita quæsumus Domine (p. vii.).

Supradictus ordo Antiphonarum et Psalmorum in Nocturno ad Matutinas et ad Vesperas servetur per totum annum in feriis, sive de feria agitur, sive de festo iii lectionum sine Psalmo Te Deum, *excepto Paschali tempore et excepta octava die S. Andreæ, et singulis Commemorationibus beatæ Mariæ et Sancti loci. Servetur et prædictus ordo in Laudibus tantum in omnibus feriis per annum quando de feria agitur in Laudibus, nisi in tertia ebdomada Adventus Domini, et in prima ebdomada ante Pascha, et nisi in Vigilia Nativitatis Domini, et in tempore Paschali.*

Sciendum est quod per totum annum solet fieri Plenum servitium in Choro de festo loci semel in qualibet ebdomada, ubi convenientius possit celebrari, ut in collegiis prœbendatis, et in ecclesiis parrochialibus, ubicunque etiam sit ecclesia dedicata in honore alicujus alterius Sancti quam de S. Maria. Quod minus plene continetur in Ordinalibus Sarum, cum ecclesia cathedralis Sarum in honore B. Mariæ sit dedicata.

Impeditur autem ista prædicta Commemoratio illis de causis quibus commemoratio B. Mariæ impeditur (ut inferius patebit) cum sit ejusdem dignitatis, scilicet cum regimine chori; et fiat prædictum servitium de propria hystoria si habeatur : sin autem de Communi ut sic.

Ad Vesperas, super Psalmos feriales illa sola Antiphona quæ intitulatur in festo ejusdem super Psalmos ad i. Vesperas. Ita tamen quod si festum v habeat Antiphonas in propria hystoria super Psalmos ad primas Vesperas tunc habeat hic i. Antiphonam super Psalmos feriales. Et cetera sicut in festo ejusdem præter R. quod non dicetur.

Tamen si illud festum habeat Vigiliam, non dicitur Oratio de Vigilia, sed Oratio de die dicitur. Excepto quod ubi fit Commemoratio de S. Johanne Bapt. dicitur Oratio de vigilia, quia Oratio de die non convenit commemorationi : et sic de consimilibus.

Ubi etiam fit Commemoratio de Apostolis Petro et Paulo, Oratio quæ est in Octava die eorundem dicatur; et quando fit Commemoratio omnium Sanctorum, tunc ad i. Vesperas super Psalmos feriales dicitur ista Antiphona Sancti Dei omnes*. *et cetera omnia ut supra, cum ista Oratione,* Concede, quæsumus, omnipotens Deus.

Nulla fit memoria nisi quando in aliquo festo iii lectionum vel infra octavas sine regimine chori celebretur : tunc fiet Memoria de festo sive de

* Hoc est, *Antiphona de primis Vesperis festi Omnium Sanctorum. Vel* p. 94.

octava. Tamen infra Adventum fiat memoria de Adventu et de S. Maria. [r](*Similiter a Circuncisione Domini fiat Memoria de S. Maria usque ad Purificationem B. Mariæ, nisi in die Epyphaniæ. Et ab Octavis Paschæ usque ad Ascensionem Domini fiat Memoria de Resurrectione, de quocunque fit servitium, nisi in Inventione sanctæ crucis, ut inferius patebit.*)

Ad Matutinas omnia fiant sicut in festo ejusdem cum ix Antiphonis et ix Psalmis et primo Versu cum primis iii lectionibus et iii primis Responsoriis, et Versu de die ante Laudes.

In Laudibus una sola Antiphona super omnes Psalmos, etc.

Ita tamen quod in toto tempore Paschali dicatur sola prima Antiphona cum tribus primis Psalmis, et tribus primis lectionibus et tribus primis Responsoriis, quæ terminentur cum Alleluya.

Ante Laudes vero Versus sicut in prima die. In Laudibus ea sola Antiphona, quæ dicitur primo in Laudibus in festo ejusdem, dicitur hic super omnes Psalmos.

Cetera omnia ad Matutinas et ad omnes Horas, sicut in festo ejusdem annotatum est expleantur cum hac Antiphona semper extra Octavas S. Trinitatis. Te jure *super Ps.* Quicunque.

Si vero festum habeat Octavam, omnia fiant sicut infra Octavas annotatum est, cum prædicta Antiphona super Psalmos feriales ad Vesperas, et cum prædicta Antiphona super Ps. Quicunque.

Sciendum est etiam quod in singulis ebdomadis per Adventum, nisi in tertia ebdomada, fiat Plenum servitium de B. Maria semel in Conventu. In quarta etiam ebdomada si dies natalis Domini iii. feriam excesserit; tunc in aliqua feria præcedenti ipsius ebdomadæ fiat prædictum servitium: similiter ab Octavis Epyphaniæ usque ad quinquagesimam, et ab Octavis Paschæ usque ad Ascensionem Domini; et a festo S. Trinitatis usque ad Adventum Domini. Et hoc in Sabbato, nisi tale festum intercurrat vel impedierit unde ix lectiones, vel iii lectiones cum regimine chori, fieri debeant, vel unde Responsoria propria vel propriæ Laudes habeantur, vel jejunium iiii temporum, vel Vigiliæ Sanctorum sive de temporali impedierint. Vel si festa sanctorum Johannis et Pauli, Ypoliti sociorumque ejus, vel Bricii in sabbato contigerit, servitium de eis dicatur. Cum autem in ipsis sabbatis propter hæc prædicta impedimenta servitium de S. Maria fieri non poterit, tunc in aliqua feria ipsius ebdomadæ ubi convenientius possit celebrari celebretur semper sine aliqua memoria, nisi cum fuerit festum vel octava alicujus sancti iii lectionum sine regimine chori, quod in ipsa die contigerit, tunc enim fiat Memoria de octava vel de festo tantum. Nulla enim fiat memoria de cruce neque de sancto loci, nec de omnibus sanctis: tamen per Adventum fiat Memoria de Adventu, sed non de omnibus sanctis. Et etiam in tempore Paschali fiat Memoria de Resurrectione, sed non de cruce nec de omnibus sanctis. Fiat autem prædictum servitium in iii. feria in Quinquagesima si a festo vacaverit. Sin autem, fiat tunc in ii. feria præcedenti. Fiat autem prædictum servitium de S. Maria in iii. feria in Rogationibus, et in vi. feria, scilicet in crastino Octavæ Ascensionis Domini, nisi aliquod festum cum regimine chori ibidem contigerit. Tamen quandocunque festum iii lectionum in iii. feria in Quinquagesima contigerit, et in ii. feria a festo vacaverit: tunc fiat plenum servitium de S. Maria in ipsa ii. feria. Tamen sciendum est quod si aliquod festum cum regimine chori in aliqua ebdomada celebretur,

et in crastinum plenum servitium de S. Maria fieri debeat, tunc in ipso festo, sive Dominica fuerit sive non, erint Vesperæ de S. Maria, et solennis memoria de festo, vel de Dominica, nisi duplex festum fuerit, vel festum unde suas primas Vesperas habere non poterit; et nisi in Octavis Epiphaniæ, Ascensionis Domini, Corporis Christi et Dedicationis Ecclesiæ; tunc enim fiat tantum Memoria solennis de S. Maria cum hac Antiphona : Sub tuam protectionem confugimus, ubi infirmi acceperunt virtutem : et propter hoc tibi psallimus, Dei genitrix Virgo. †*Ps.* Magnificat (p. 221).†

Per Adventum vero cum hoc Versu, Egredietur virga.

Oratio. Deus qui de Beatæ (p. viii.).

Ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem, cum hoc Versu, Sancta Dei genitrix.

Oratio. Deus qui salutis.

In alio vero tempore anni cum hoc Versu Sancta Dei genitrix.

Oratio. Concede nos [famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis salute gaudere; et gloriosa B. Mariæ semper virginis intercessione a præsenti liberari tristitia et æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum.]

Quotienscunque enim fit memoria de S. Maria cum hac Antiphona, scilicet Sub tuam. *non dicantur Vesperæ de ea in choro licet duplex festum non fuerit. Aliæ vero Vesperæ non erunt de commemoratione B. Mariæ.*

Nulla enim Commemoratio totius anni suas habeat secundas Vesperas, nec etiam Memoriam loco secundarum Vesperarum.

In Festis vero B. Mariæ Virginis nulla fit Memoria de Commemoratione ejusdem quando fit in crastino.

Quando vero fit plenum servitium de S. Maria, per totum Adventum, ad Vesperas super Psalmos hæc sola Antiphona, Prophetæ prædicaverunt. *Psalmi feriales. Capitulum,* Ecce virgo (p. ix.).

Servitium Plenum beatæ Mariæ.

Non dicitur Responsorium in Commemoratione B. Mariæ.

Hymnus. Ave maris stella (p. ix.).

V. Egredietur virga [de radice Jesse.

R. Et flos de radice ejus ascendet.]

Ant. Ne timeas.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus qui de beatæ (p. viii.).

Require Antiphonam, et Capitulum, et Orationem, ut supra in Dominica i. Adventus Domini ad Vesperas de S. Maria.

Memoria de aliquo Sancto fiat si habeatur, et postea de Adventu.

Completorium de Adventu non mutatur, nisi quod in fine Hymni dicitur:

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine;
Cum Patre et sancto Spiritu.
In sempiterna secula. Amen.

Ad Matutinas.

Invitatorium. In honore beatissimæ Mariæ virginis : Jubilemus Domino.

Ps. Venite.

Hymnus. Quem terra, pontus (p. 286).

Ant. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Ps. Domine Dominus noster.

Ant. Sicut mirra electa odorem dedisti suavitatis, sancta Dei genitrix.

Ps. Cæli enarrant (xviii. p. 23).

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix.

Ps. Domini est terra.

Ant. Specie tua et pulchritudine tua : intende, prospere procede et regna.

Ps. Eructavit (xliv. p. 101).

Ant. Adjuvabit eam Deus vultu suo : Deus in medio ejus; non commovebitur.

Ps. Deus noster refugium.

Ant. Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix.

Ps. Fundamenta (lxxxvi. p. 154).

Ant. Gaude Maria virgo : cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

Ps. Cantate. *i* (xcv. p. 164).

Ant. Dignare me laudare te. Virgo sacrata : da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ps. Dominus regnavit; exultet.

Ant. Rorate.

Ps. Cantate. *ii* (xcvii. p. 169).

Versus. Egredietur virga de radice Jesse.

Lectio prima. *Beda super Lucam libro* I. *capite* 3. [= Op. Tom. 5, col. 221.]

Missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria. Ad Mariam ergo virginem Gabriel mittitur; qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat qui ad debellandas aerias potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur : Dominus fortis et potens : Dominus potens in prælio. Et rursus : Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ. Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat qui, virtutum Dominus, fortis et potens in prælio contra aerias potestates ad bella veniebat. Multas ob causas non de simplici virgine, sed de desponsata Dominus voluit nasci. Primo videlicet, ut per generationem Joseph, cujus cognata Maria erat, Mariæ quoque nosceretur origo. Neque enim mos est Sacræ Scripturæ genealogiam feminarum texere. Nam et de utroque intelligi potest quod dicitur : de domo David. Deinde ne velut adultera lapidaretur a Judæis, malens aliquos de ortu suo quam de pudore dubitare parentis; simul et virginibus impudicis occasionem tollens, ne matrem quoque Salvatoris dicerent falsis suspicionibus infamatam. Tertio, ut in Ægyptum iens et inde rediens haberet viri solatium, qui integerrimæ virginitatis custos pariter ac testis existeret. Quarto, ne partus ejus diabolo pateret, et ne quasi eum de virgine natum cognosceret, et forsitan quasi ceteris hominibus eminentiorem morti tradere timeret. Maria autem hebraice Stella maris; Syriace, vero, Domina vocatur, et merito, quia totius mundi Dominum, et lucem seculis meruit generare perennem. Et ingressus angelus ad eam dixit : Ave gratia plena, Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus. Bene gratia plena vocatur, quæ nimirum gratiam quam nulla alia meruerat assequitur, ut ipsum videlicet gratiæ concipiat et generet auctorem. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Disce virginem moribus, disce virginem verecundia, disce virginem oraculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, [omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus angelus reperit, sola sine comite, sola sine teste, ne quo degeneri depravaretur affectu, ab angelo salutatur.] Disce, verborum virgo vitare lasciviam. Et Maria etiam salutationem angeli verebatur. Erat tamen cogitans, inquit, qualis esset hæc salutatio. Et ideo cum verecundia illud faciebat, quia pavebat : cum prudentia, quia benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nunquam ante comperta.

R. Missus est. *iii. de Dominica prima Adventus* (p. xxiii.).

Lectio Secunda. [Beda, ut sup. col. 224.]

Ne timeas Maria. Quia saluta-

tione insolita, utpote quæ ei servabatur, viderat turbatam, quasi familiarius notam vocans ex nomine, ne timere debeat jubet. Et quia gratia plenam vocaverat, eandem gratiam et astruit plenius, et uberius explicat, dicens : Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Jesus Salvator, interpretatur sive Salutaris. Cujus sacramentum nominis alloquens Joseph Angelus exposuit. Ipse enim (inquiens), salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Non ait, populum Israel, sed populum suum, hoc est, in unitatem fidei ex præputio et circumcisione vocatum, quibus ex diversa parte congregatis fieret unum ovile et unus pastor. Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Non autem ideo futuri temporis verbis Jesus magnus extiturus Filius Altissimi vocandus, sceptrum David accepturus, et in domo Jacob regnaturus asseritur (quia juxta quod hæretici sapiunt atque a veritate desipiunt), Christus ante Mariam non fuerit, sed quia homo assumptus in Domino, clarificatus est ea claritate quam verbum Dei habuit prius quam mundus esset apud Patrem, hoc est, ut idem filii nomen eandem Christi personam, homo cum Deo plenus gratia et veritate sortiretur. Quod eundem ipsum patrem habere David, quem filium Altissimi vocari pronuntiat, in duabus utique naturis unam Christi personam demonstrat. Accepit autem sedem David, ut nimirum gentem, cui David quondam et filii ejus temporalis gubernacula regni præbuerunt, ipse perpetuum vocaret ad regnum, quod eis paratum est ab origine mundi. Domum autem Jacob totam Ecclesiam dicit, quæ vel de bona radice nata, vel cum oleaster esset, merito tamen fidei in bonam inserta est olivam. Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Propositum suæ mentis reverenter exponit, vitam videlicet virginalem se ducere decrevisse. Quæ quia prima feminarum tantæ se virtuti mancipare curavit, jure singulari præ ceteris feminis beatitudine meruit excellere.

R. Ave Maria. *iiii.* (p. xxiv.).

Lectio tertia. [Beda, col. 225.]

Quomodo, inquit, fiet istud; quoniam virum non cognosco? Non ait, unde hoc sciam? sed, quomodo fiet, inquit, [quoniam virum non cognosco?] Ordinem videlicet obsequii cui subdatur inquirens, non autem signum cui credat flagitans. Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Non virili, inquit, a Domino cognosceris semine, sed Spiritus Sancti, quo impleberis, opere concipies. Erit in te quidem conceptio. Libido non erit. Concupiscentiæ non erit æstus, [ubi] umbram faciet Spiritus sanctus. Verum in eo quod ait, Et virtus Altissimi obumbrabit tibi, potest etiam incarnati Salvatoris utraque natura designari. Umbra quippe a lumine solet a corpore formari. Beata itaque virgo*, quia quasi purus homo omnem plenitudinem divinitatis capere corporaliter nequibat, virtus ei Altissimi obumbrabat, id est incorporea lux divinitatis corpus in ea suscepit humanitatis. Ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. Ad distinctionem nostræ sanctitatis, singulariter sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe et si sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur. Et ecce Elizabeth cognata tua et ipsa concepit filium in

* Beatæ itaque virgini. Beda, col. 225.

senectute sua. Et hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis, quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Ne se parere virgo [posse] diffidat, accipit exemplum sterilis anus pariture, ut discat Deo omnia possibilia, etiam quæ ordine naturæ videntur esse contraria. Si quem vero scire juvat quomodo B. Mariæ cognatam dicant Elizabeth, cum hæc de domo David, illa filiabus Aaron originem duxerit, animadvertat proavorum liberis invicem nuptui traditis utramque tribum potuisse contingere. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Quanta cum devotione humilitas, quæ et angeli promissum optat impleri, et se ipsam quæ mater eligitur nuncupat ancillam; apertissime insinuans quam nil sibi meriti vendicet [in eo quod Domini jussis obsecundet.] Fiat (inquit) sine viri semine conceptio in virgine, nascatur de Spiritu Sancto integra carne sanctum, quod nascetur de homine matre sine homine patre, vocetur Filius Dei. Tu autem Domine miserere.

R. Suscipe verbum. *v.* (p. xxv.).

Non repetatur tertium Responsorium in Commemoratione Beatæ Mariæ, nec de festo loci; quod per totum Annum et a Septuagesima usque ad Pascha observetur.

V. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

[*R.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi.]

Iste Versus dicitur ante Laudes, quando fit plenum servitium de S. Maria per totum annum.

In Laudibus.

Hæc sola Antiphona Prophetæ prædicaverunt (p. 288).

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 164).

Capitulum. Ecce virgo.

Hymnus. O gloriosa*.

V. Elegit.

Ant. Spiritus sanctus (p. xxxi.).

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus qui de B. Mariæ.

Memoria fiat sicut supradictum est ad Vesperas.

Ad Primam.

Ant. Prophetæ prædicaverunt (p. xxxvi.).

Ps. Deus in nomine (p. 42).

Ps. Beati immaculati.

Ps. Retribue.

Ant. Te jure [laudant, Te adorant, Te glorificant omnes creaturæ tuæ, O beata Trinitas.]

Ps. Quicunque.

Capitulum. Regi seculorum.

R. Jesu Christe (p. 50).

et dicitur cum cantu dominicali.

V. Qui de virgine.

Ad Tertiam.

Ant. Missus est (p. 290).

Ps. Legem pone mihi (p. 57).

[*et ceteri.*]

Capitulum. Ecce virgo concipiet.

R. Diffusa.

V. Specie tua.

Oratio. Deus qui de Beatæ Mariæ.

Ad Sextam.

Ant. Angelus Domini (p. xxxviii.).

Ps. Defecit (p. 61).

[*et ceteri.*]

Capitulum. Egredietur virga (p. 289).

R. Specie tua.

V. Adjuvabit.

[*Oratio ut supra.*]

Ad Nonam.

Ant. Ave Maria (p. xxxviii.).

Ps. Mirabilia (p. 65).

[*et ceteri.*]

* 'O gloriosa femina' *hymnus est in Laudibus in festo* Annunciationis *B. Mariae.*

Capitulum. Non secundum visionem (p. xxxviii.).
R. Adjuvabit eam.
V. Elegit.
Oratio ut supra.

Require omnia hæc ad Matutinas. Ceteræ Antiphonæ et Capitulum ad Commemorationem beatæ Mariæ in prima Dominica Adventus Domini.

Pica de dominica secunda Adventus.

A. Littera dominicalis A. Tota cantetur hystoria. Secundæ vesperæ erunt de commemoratione et memoria de dominica et de S. Maria cum hac antiphona *Ave Maria* (p. viii.).

Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.

Feria v. de feria, Responsoria de primo nocturno, et missa de iv. feria.

Feria vi. dicuntur responsoria de [ii.] nocturno cum responsorio feriali; et epistola et evangelium ejusdem feriæ.

B. Littera dominicalis B. Tota cantetur hystoria et memoria de octava et de S. Maria. Festum S. Osmundi differatur in crastinum. Vesperæ in dominica erunt de festo.

Feria ii. de S. Osmundo : omnia de Communi unius Confessoris et Pontificis.

Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus et missa de octava [S. Andreæ] dicitur in capitulo. Responsorium feriale prætermittatur.

C. Littera dominicalis C. Tota cantetur hystoria. Ad primas vesperas, quæ erunt de dominica, fiat memoria de S. Osmundo, de octava, et de S. Maria. Ad secundas vesperas, quæ erunt de S. Nicolao, memoria de dominica, de octava, et de S. Maria cum antiphona *Ave Maria.*

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus et responsorium feriale prætermittatur.

D. Littera dominicalis D. Totum de dominica, et festum S. Nicolai differatur in crastinum nisi fuerit festum loci.

Feria ii. de S. Nicolao, et memoria de octava [S. Andreæ] et de S. Maria cum missa de octava in capitulo.

Feria v., vi. et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. dicitur responsorium feriale cum missa ejusdem feriæ.

Ubi festum Apostoli [Andreæ] est festum loci, differatur festum S. Nicolai ad iv. feriam.

E. Littera dominicalis E. De servitio dominicali. Ad primas vesperas, quæ erunt de dominica, fit solennis memoria de S. Nicolao, de octava, et de S. Maria, et missa de octava dicitur in capitulo. Secundæ vesperæ erunt de Conceptione B. Mariæ, et solennis memoria de dominica tantum.

Feria ii. de Conceptione. Ad secundas vesperas memoria de Commemoratione et de Adventu Domini solenniter.

Feria iii., iv., et v. de commemorationibus.

Feria vi. dicitur responsorium feriale. Epistola et evangelium ejusdem feriæ.

F. Littera dominicalis F. Totum de dominica. Festum Conceptionis differatur in crastinum*. Secundæ vesperæ erunt de Conceptione et solennis memoria de dominica tantum.

Feria ii. de Conceptione et Solennis memoria de Adventu tantum. Ad secundas vesperas de Conceptione fiat solennis memoria de commemoratione et de Adventu.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. dicitur responsorium feriale et missa ejusdem feriæ.

G. Littera dominicalis G. De servitio dominicali. Ad primas vesperas, quæ erunt de festo, fiat solennis memoria de dominica tantum. Secundæ vesperæ erunt de dominica et memoria de Commemoratione et de S. Maria cum antiphona. *Ne timeas* (p. lvii.).

Feria ii., iii., et Sabbato de Commemorationibus.

Feria iv. de feria : responsorium de i. nocturno.

Feria vi. de feria cum responsorio feriali. Epistola et evangelium ejusdem feriæ.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS DOMINI.

Ad Vesperas.

Ant. Benedictus [p. 216].

Ps. Ipsum *ut supra in præcedenti sabbato notatum est.*

Capitulum. [*Isa. iv.* 2.]

In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria; et fructus terræ sublimis : et exultatio his qui salvati fuerint de Israel.

R. Docebit nos. *viii.* p. lxxxviii.

Hymnus. Conditor (p. v.).

V. Rorate cæli.

Ant. Orietur sicut sol Salvator mundi : et descendet in uterum virginis sicut imber super gramen. Alleluia. *Ps.* Magnificat (p. 221).

Oratio. Excita, Domine, corda nostra ad præparandas unigeniti tui vias : ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur. Qui tecum.

Memoria beatæ Mariæ ut supra.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Rex noster adveniet Christus : Quem Johannes prædicavit Agnum esse venturum.

Ps. Venite.

Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, et Versus ut in prima Dominica Adventus.

Lectio i. Legenda 7. Lect. legatur per Adventum Esaiæ v. [11—14.]

Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum, in conviviis vestris : et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam : et nobiles ejus interierunt fame : et multitudo ejus siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino : et descendent fortes ejus, et populus ejus, et sublimes gloriosique ejus ad eum. Hæc dicit Dominus.

R. 1. Hierusalem cito veniet salus tua, quare mœrore consumeris ? nun-

* 'Quodcunque festum in ii. Dominica, iii. vel iv. Adventus Domini contigerit, differatur in crastinum. Nisi sit festum Dedicationis vel Festum Loci. Ista duo festa non debent differri nisi quando contingunt in prima Dominica Adventus, vel in Dominica in Passione Domini et Palmarum, et Dominica in Albis, vel in Dominica S. Trinitatis, vel in Dominica Reliquiarum.' *Crede Michi*, 1495.

quid consiliarius non est tibi, quia innovavit te dolor? Salvabo te et liberabo te; noli timere.

V. Israel si me audieris, non erit in te Deus recens : neque adorabis Deum alienum : ego sum Dominus. Salvabo te.

Lectio secunda. [*Isa. v.* 15—17.]

Et incurvabitur homo, et humiliabitur vir : et oculi sublimium deprimentur. Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio : et Deus Sanctus sanctificabitur in justitia. Et pascentur agni juxta ordinem suum; et deserta in ubertatem versa advenæ comedent. Hæc dicit D.

R. 2. Ecce Dominus veniet, et omnes sancti ejus cum eo, et erit in die illa lux magna, et exibunt de Hierusalem sicut aqua munda. Et regnabit Dominus in æternum super omnes gentes.

V. Ecce Dominus in virtute veniet, et regnum in manu ejus, et potestas et imperium. [Et regnabit.]

Lectio iii. [*Isa. v.* 18—20.]

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis : et quasi vinculum plaustri peccatum. Qui dicitis, Festinet et cito veniat opus ejus ut videamus : et appropiet et veniat consilium Sancti Israël : et sciemus illud. Væ qui dicitis bonum malum, et malum bonum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. Hæc dicit Dominus.

R. 3. Civitas Hierusalem, noli flere, quoniam doluit Dominus super te. Et auferet a te omnem tribulationem.

V. Ecce in fortitudine veniet : et brachium ejus dominabitur. Et auferet. Gloria Patri. Et auferet.

In secundo Nocturno fiant mediæ Lectiones de sermone B. Maximi episcopi.

Lectio quarta. [Maximi Homilia secunda de eodem Adventu pp. 193, 194]. (*Amb. Sermone* 29.)

Superiore Dominica capitulum evangelicum disserentes, partem quandam ex illo perstrinximus : superest ut sequentia decurramus. Descripsimus enim quid esset quod ait Dominus. In illa nocte erunt duo in lecto uno : et reliqua. Nunc ergo videamus quod reliquum est. Dicit enim eadem divina sententia : Erunt duæ molentes in pristino, una assumetur et una relinquetur. Primum igitur considerandum est quomodo constat molentis officium. Deinde quæ sunt duæ quæ molere dicuntur. Tertio quid pistrinum sit; quisve molitionis effectus. Nulli dubium est quod molere non aliter constat, nisi duobus lapidibus apparatis et convenientibus sibi, ut alteri ex his magnitudo alterius imponatur : et illum quidem lapidem, qui prior solo sternitur, esse pigrum et tardum, et pene (ut ita dixerim) otiosum, ac nisi superioris participatione lapidis oneraretur, forsitan necessarius non videretur. Ita dum ille operatur, etiam iste utilis invenitur. Ille autem, id est, superior lapis tanta velocitate operis circumfertur, ut fallens oculos in ipsa celeritate stare credatur, et putetur immobilis esse, dum currat. Qui quanto violentius actus fuerit, tanto opus perfectius consummatur. Ita ergo prior lapis stat, jacet, et pene nihil prodest : ille vero alter quæ inferuntur cuncta suscipit, quæ veniunt universa complectitur : et per cavernulas quasdam uterque quod operetur acquirit. Qui molit autem hoc habere videtur officii, ut pervigili cura granorum asperitate confracta, ex intimis eorum occultisque visceribus similaginem medullamque producat : et sordium levitate discussa, in apertum profert omne quod purum est, ex quo mun-

dissimum panem conficiens gratiam Domini consequatur. Tu autem Domine [miserere nostri].

R. 4. Ecce Dominus veniet : protector noster sanctus Israel : Coronam regni habens in capite ejus.

V. Et dominabitur a mari usque ad mare : et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coronam.

Lectio quinta.

Hos igitur duos molares lapides duo esse arbitror testamenta : hoc est, legem Moysi et Evangelium Domini. Quæ ita sunt disposita, vel parata, ut sibi testamentum utrumque conveniat : sicut ait Salvator, Non veni legem solvere, sed adimplere. Et ad vicem molarum aliud prius solo positum, aliud insuper collocatum, hoc est, legem primum hominibus constitutam, deinde ad perfectum Evangelium. Quæ lex velut inferioris molæ saxum ita erat pigra et tarda et penitus otiosa, ut quicquid operando acceperat, id omne perdiderit : dicente de Judæis propheta : Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Ergo nisi Evangelium superpositum fuisset, adhuc lex veluti tarda et gravis jaceret in terra Judaica, et unius provinciæ cooperiretur angustiis. Nisi Evangelium, inquam, datum esset, lex necessaria omnino non esset. Hoc autem lex operabatur sine Evangelio, quod uno saxo fieri potest. Confringere poterat, non prodesse : sicut ait beatus Apostolus : Lex autem iram operatur, gratiam vero non præstat. Tu autem Domine miserere nostri.

R. 5. Sicut mater consolatur filios suos, ita consolabor vos, dicit Dominus, et de Hierusalem civitate quam elegi veniet vobis auxilium. Et videbitis, et gaudebit cor vestrum.

V. Dabo in Sion salutem, et in Hierusalem gloriam meam. Et videbitis.

Lectio sexta. [Maximi Homil. ut supra p. 194.]

Stante ergo lege, Evangelium datum est, quod Veteri superpositum Testamento utrumque condecorat : ac tanta velocitate operis circumfertur, ut volubilitate sui seculum omne circumeat, hoc est, inferna visitet, cælestia penetret, terrena collustret. Quod Evangelium tanquam superior mola cunctos credentes suscipit, omnes advenientes accipit, et veluti per quasdam cavernulas præceptorum ad interiora transmittit : ut ibi hinc inde duorum Testamentorum salutaribus mandatis gentilitatis asperitate molita, producat omne quod purum est. Quam similitudinem Testamentorum Ezechielem prophetam arbitror perstrinxisse, cum dicit rotam in medio rotæ esse connexam. Harum igitur molarum operatione, id est, Novi ac Veteris Testamenti hoc agit sancta Ecclesia cura pervigili, ut peccatorum asperitate discussa, ex occultis cogitationibus medullam mundi cordis eliciat, et cælestibus mandatis mundata ex intimis spiritalia alimenta producat. De quibus alimentis Paulus Apostolus ait : Lac vobis potum dedi, non escam. Et iterum : Perfectorum autem est solida esca, qui propter habitum sensus exercitatos habent : et reliqua. Ac spiritum nostrum omni humanitate purificans velut similaginem Deo offerre contendit, sicut David sanctus ait : Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Tanta autem velocitate circumfertur Evangelium, ut non nisi sapientes cursum ejus intelligant, quem beatus Paulus intelligens ait : Ut sermo Dei currat et clarificetur in nobis. Tu autem Domine.

R. 6. Hierusalem plantabis vineam in montibus tuis et exultabis, quia

dies Domini veniet. Surge Syon, convertere ad Deum tuum : gaude et lætare Jacob. Quia de medio gentium Salvator tuus veniet.

V. Exulta satis filia Syon : jubila filia Hierusalem. Quia de. Gloria Patri et Filio. Salvator.

In tertio Nocturno Evangelium secundum Lucam xxi. 25.

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis. Erunt signa in sole, et luna, et stellis; et in terris pressura gentium; præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et expectatione quæ supervenient universo orbi. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ

Lectio vii. [In Evangelia, Lib. 1. Homil. 1. Greg. *Op.* Tom. I. col. 1436.] § 1.

Dominus ac Redemptor noster paratos nos invenire desiderans senescentem mundum quæ mala sequantur denuntiat, ut nos ab ejus amore compescat. Appropinquante ejus terminum quantæ †percussiones† præveniant innotescit : ut si Deum metuere in tranquillitate nolumus, saltem vicinum ejus judicium vel percussionibus attriti timeamus. Huic etenim lectioni sancti Evangelii, quam modo vestra fraternitas audivit, paulo superius Dominus præmisit, dicens : Exurget gens contra gentem, et regnum adversus regnum; et erunt terræmotus magni per loca, et pestilentiæ, et fames. Et quibusdam interpositis, hoc modo quod audistis adjunxit : Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris et fluctuum. Tu autem.

R. 7. Egredietur Dominus de Samaria ad portam quæ respicit ad orientem : et veniet in Bethleem ambulans super aquas redemptionis Judæ. Tunc salvus erit omnis homo, quia ecce veniet.

V. Et præparabitur in misericordia solium ejus : et sedebit super illud judicans in æquitate. Tunc.

Lectio octava. [Gregor. ubi s. § 1.]

Ex his profecto omnibus alia jam facta cernimus, alia in proximo ventura formidamus. Nam gentem super gentem exurgere, earumque pressuram terris insistere, plus jam in nostris † tribulationibus† cernimus, quam in codicibus legimus. Quod terræmotus urbes innumeras subruat, ex aliis mundi partibus scitis quam frequenter inde audivimus. Pestilentias : sine cessatione patimur. Signa vero in sole, et luna, et stellis, adhuc aperte minime videmus : sed quia et hæc non longe sint, ex ipsa jam aeris immutatione colligimus. Quamvis priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipsumque qui postque ea fusus est humani generis sanguinem coruscantem. Confusio autem maris et fluctuum necdum nova est exorta. Sed cum multa jam prænuntiata completa sint, dubium non est, quin sequantur etiam pauca quæ restant : quia sequentium rerum certitudo est præteritarum exhibitio.

R. 8. Docebit nos Dominus vias suas : et ambulabimus in semitis ejus. Quia de Syon exibit lex : et verbum Domini de Hierusalem.

V. Venite, ascendamus ad montem Domini : et ad domum Dei Jacob. Quia de.

Lectio nona. [Gregor. l. l. ut sup. § 2.]

Hæc nos, fratres [carissimi], idcirco diximus, ut ad cautelæ studium vestræ mentes evigilent : ne securitate torpeant, ne ignorantia languescant, sed semper eas et timor sollicitet, et in bono opere sollicitudo confirmet, pensantes hoc quod Redemptoris nostri voce subjungitur : Arescentibus hominibus præ timore et expecta-

tione, quæ supervenient universo orbi. Nam virtutes cælorum movebuntur. Quid enim Dominus virtutes cælorum, nisi Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, et Potestates appellat? quæ in adventu districti judicis nostris tunc oculis visibiliter apparebunt, ut districte tunc a nobis exigant, hoc quod nos modo invisibilis conditor æquanimiter portat. Ubi et subditur : Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus in potestate magna et majestate. Ac si aperte diceretur : In potestate et majestate visuri sunt, quem in humilitate positum audire noluerunt : ut virtutem ejus tanto tunc districtius sentiant, quanto nunc cervicem cordis ad ejus patientiam non inclinant. Tu autem.

R. 9. Rex noster adveniet Christus. Quem Johannes prædicavit Agnum esse venturum.

V. Ecce agnus Dei : ecce qui tollit peccata mundi. Quem Johannes. Gloria. Quem.

Responsorium Feriale. Leva Hierusalem oculos et vide potentiam Regis, Ecce Salvator venit solvere te a vinculo.

Versus. De Syon exibit lex : et verbum Domini de Hierusalem. Ecce. Gloria. Ecce.

Versus. Emitte Agnum.

In Laudibus.

Ant. Ecce in nubibus cæli Dominus veniet cum potestate magna. Alleluya.

Ps. Dominus regnavit (p. 29).

Ant. Urbs fortitudinis nostræ Syon; Salvator ponetur in ea murus et antemurale, aperite portas; quia nobiscum Deus. Alleluya.

Ps. Jubilate.

Ant. Ecce apparebit Dominus, et non mentietur : si moram fecerit, expecta eum : quia veniet et non tardabit. Alleluya.

Ps. Deus, Deus meus.

Ant. Montes et colles cantabunt coram Deo laudem, et omnia ligna silvarum plaudent manibus; quoniam veniet Dominus dominator in regnum æternum. Alleluya. Alleluya.

Ps. Benedicite (p. 31).

Ant. Ecce Dominus noster cum virtute veniet, ut illuminet oculos servorum suorum. Alleluya.

Ps. Laudate Dominum (p. 32).

Capitulum. [*Rom. xv.* 4.]

Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus.

Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

V. Vox clamantis.

Ant. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum. Alleluia.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio. Excita, Domine.

Memoria de S. Maria ut supra.

Ad Primam.

Ant. Ecce in nubibus.

Ps. Deus, Deus meus, respice (p. 37).

Ad Tertiam.

Ant. Urbs fortitudinis.

Ps. Legem pone (p. 57).

Capitulum. Quæcunque enim scripta. *ut supra.*

Responsoria versus sicut in prima Dominica Adventus Domini ad omnes Horas dicuntur.

Ad Sextam.

Ant. Ecce apparebit.

Ps. Defecit (p. 61).

Capitulum. [*Rom. xv.* 5, 6.]

Deus autem patientiæ et solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum; ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi.

AD NONAM.

Ant. Ecce Dominus.
Ps. Mirabilia (p. 65).

Capitulum. [*Rom. xv.* 13.]

Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo : ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti.

AD VESPERAS.

Ant. Sede a dextris.
Ps. Dixit Dominus (p. 191).
Capitulum. Quæcunque enim scripta. [*ut supra.*]
R. Tu exurgens.
Hymnus. Conditor (p. v.).
V. Rorate.
Ant. Beata es Maria quæ credidisti; quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino. Alleluia.
Ps. Magnificat (p. 221).
Oratio. Excita Domine corda.

Memoria de S. MARIA.

Ant. Ne timeas.

Cum vero fuerint Vesperæ de aliquo sancto vel Commemoratio hac die, tunc ad Memoriam de S. Maria dicatur Antiphona Ave Maria.

Quotidie per hebdomadam, quando de feria hæc agitur, dicantur versus et Responsoria per ordinem Nocturnorum Dominicalis Historiæ, ita tamen quod Responsoria ferialia non omittantur.

Feria ii.

AD MATUTINAS.

Lectio i. Legenda 8. *Isa. v.* [21—23.]

Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo. Hæc dicit.

Lectio ii. [*Isa. v.* 24, 25.]

Propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Domini exercituum : et eloquium Sancti Israël blasphemaverunt. Ideo iratus est furor Domini in populo suo, et extendit manum suam super eum, et percussit eum. Et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. In omnibus his non est aversus furor ejus; sed adhuc manus ejus extenta. Hæc dicit Dominus.

Lectio iii. [*Isa. v.* 26—30.]

Et elevabit Dominus signum in nationibus procul et sibilabit ad eum de finibus terræ : et ecce festinus velociter veniet. Non est deficiens neque laborans in eo : non dormitabit neque dormiet, neque solvetur cingulum renum ejus, nec rumpetur corrigia calceamenti ejus. Sagittæ ejus acutæ et omnes arcus ejus extenti. Ungulæ equorum ejus ut silex, et rotæ ejus quasi impetus tempestatis. Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum : et frendet, et tenebit prædam : et amplexabitur, et non erit qui eruat. Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris : aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine ejus. Hæc dicit.

Ant. De cælo veniet dominator Dominus; et in manu ejus honor et imperium.
Ps. Benedictus (p. 35).

AD VESPERAS.

Ant. Ecce veniet dominator terræ : et ipse auferet jugum captivitatis nostræ.
Ps. Magnificat (p. 221).

Feria iii

Lectio prima. Legenda 9. *Isa. vi.* [1—3.]

In anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum : et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphin stabant super illud : sex alæ uni, et sex alæ alteri : duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. Hæc.

Lectio ii. [*Isa. vi.* 4, 5.]

Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus impleta est fumo. Et dixi : Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Hæc.

Lectio iii. [*Isa. vi.* 6, 7].

Et volavit ad me unus de seraphin, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Hæc.

Ant. Super te, Hierusalem, orietur Dominus : et gloria ejus in te videbitur.

Ps. Benedictus (p. 35).

AD VESPERAS.

Ant. Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini : rectas facite semitas Dei nostri.

Ps. Magnificat (p. 221).

Feria iiii.

Lectio i. Isa. vi. [8, 9.] *Legenda* 10.

Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam ? et quis ibit ex nobis ? Et dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere : et videte visionem, et nolite cognoscere. Hæc dicit.

Lectio ii. [*Isa. vi.* 10—13.]

Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava : et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat et convertatur, et sanem eum. Et dixi : Usquequo Domine ? et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta. Et longe faciet Dominus homines, et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ. Et adhuc in ea decimatio, et convertetur, et erit in ostensionem sicut therebintus, et sicut quercus, quæ expandit ramos suos : semen sanctum erit id, quod steterit in ea.

Lectio iii. [*Isa. vii.* 1, 2.]

Et factum est in diebus Achaz filii Joathan, filii Oziæ regis Juda, ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Israël, in Hierusalem, ad præliandum contra eam : et non potuerunt debellare eam. Et nuntiaverunt domui David, dicentes : Requievit Syria super Effraim, et commotum est cor ejus, et cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum a facie venti. Hæc dicit.

Ant. Ecce mitto angelum meum qui præparabit viam tuam ante faciem tuam.

Ps. Benedictus (p. 35).

AD VESPERAS.

Ant. Syon renovaberis et videbis justum tuum qui venturus est in te.

Ps. Magnificat (p. 221).

Feria quinta.

Lectio prima. Esa. vii. [3—6.] *Legenda* 11.

Et dixit Dominus ad Esaïam : Egredere in occursum Achaz tu, et qui

derelictus est Jasub filius tuus, ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via Agri fullonis. Et dices ad eum : Vide ut sileas : noli timere, et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ : eo quod consilium inierit contra te Syria in malum et Effraïm, et filius Romeliæ, dicentes : Ascendamus ad Judam, et suscitemus eum, et avellamus eum ad nos, et ponamus regem in medio ejus filium Thabeel. Hæc dicit.

Lectio ii. [*Isa. vii.* 7—9.]

Hæc dicit Dominus Deus : Non stabit, et non erit istud : sed caput Syriæ Damascus, et caput Damasci Rasin : et adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Effraim esse populus : et caput Effraim Samaria, et caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis. Hæc dicit Dominus Deus.

Lectio tertia. [*Isa. vii.* 10—16.]

Et adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens : Pete tibi signum Domino, Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit : Audite ergo domus David, Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum. Hæc.

Ant. Tu es qui venturus es Domine, quem expectamus ut salvum facias populum tuum.

Ps. Benedictus (p. 35).

Ad Vesperas.

Ant. Qui post me venit ante me factus est : cujus non sum dignus calceamenta solvere.

Ps. Magnificat (p. 221).

Feria vi.

Lectio prima. *Isa. vii.* [17—19.] *Legenda* 12.

Adducet Dominus super te, et super populum tuum, et super domum patris tui, dies qui non venerunt a diebus separationis Effraim a Juda cum rege Assyriorum. Et erit in die illa sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api quæ est in terra Assur. Et venient, et requiescent omnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum, et in omnibus frutectis, et in universis foraminibus. Hæc dicit.

Lectio secunda. [*Isa. vii.* 20—22.]

In die illa radet Dominus in novacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in rege Assiriorum caput et pilos pedum, et barbam universam. Et erit in die illa nutriet homo vaccam boum, et duas oves, et præ ubertate lactis comedet butyrum : butyrum enim et mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ.

Lectio iii. [*Isa. vii.* 23—25.]

Et erit in die illa; Omnis locus ubi fuerint mille vites, mille argenteis, et in spinas et in vepres erunt. Cum sagittis et arcu ingredientur illuc, vepres enim et spinæ erunt in universa terra. Et omnes montes qui in sarculo sarrientur. Non veniet illuc terror spinarum et veprium : et erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris. Hæc dicit.

Ant. Dicite, pusillanimes confortamini : ecce Dominus Deus vester veniet.

Ps. Benedictus (p. 35).

Ad Vesperas.

Ant. Cantate Domino canticum novum : laus ejus in extremis terræ. *Ps.* Magnificat (p. 221).

Sabbato.

Ant. Levabit Dominus signum in nationibus : et congregabit dispersos Israel. *Ps.* Benedictus (p. 215).

V. Vox clamantis (p. xxxi.).

Oratio ut supra.

[Pica de dominica tertia Adventus.]

A. Littera dominicalis A. De servitio dominicali. Ad primas vesperas. *R. Qui venturus :* super psalmum Magnificat antiphona *O sapientia :* et in hac hebdomada nullæ fiant commemorationes.

Feria ii. et iii. dicuntur responsoria de dominica per ordinem.

Feria iv. nichil de vigilia nisi tantum memoria ad missam de jejunio ;— et in iii. feria dicitur missa *Salus populi.*

B. Littera dominicalis B. Tota cantetur hystoria et in hac hebdomada nullæ fiant commemorationes.

Feria ii. et v. responsoria de hystoria dominicali per ordinem dicuntur; et missa *Salus populi* dicitur in ii. feria : missa dominicalis in v. feria.

C. Littera dominicalis C. Totum servitium de dominica. Secundæ vesperæ erunt de S. Lucia : et solennis memoria de dominica et S. Maria.

Feria iii. et v. dicuntur responsoria de hystoria dominicali et in hac hebdomada nullæ fiant commemorationes. Missa *Salus populi* dicitur in iii. feria. Feria v. ad vesperas *R. Festina :* Antiphona super psalmum Magnificat *O sapientia.*

D. Littera dominicalis D. Totum servitium de dominica et festum S. Luciæ differatur in crastinum. Secundæ vesperæ in dominica erunt de S. Lucia, et solennis memoria de dominica et de S. Maria. In hac hebdomada nullæ fiant commemorationes.

Feria iii. et iv. dicuntur versus et responsoria de hystoria dominicali per ordinem. Missa *Salus populi* dicitur in iii. feria.

Feria iv. dicuntur versus de ii. nocturno et responsoria propria. Ad secundas vesperas *R. Festina :* super psalmum Magnificat, *O sapientia :* — et in v. feria dicitur missa dominicalis.

E. Littera dominicalis E. De servitio dominicali : et in hac hebdomada nullæ fiant commemorationes.

Feria ii. missa dominicalis.

Feria iii. missa *Salus populi.* Feria iii. ad vesperas *R. Festina :* Antiphona super psalmum Magnificat *O sapientia :* et in Sabbato nichil de vigilia [S. Thomæ] nisi memoria ad missam de jejunio [Quattuor Temporum].

F. Littera dominicalis F. De servitio dominicali et in hac hebdomada nullæ fiunt commemorationes.

Feria ii. dicitur missa dominicalis. Ad secundas vesperas *R. Festina :* Antiphona super psalmum Magnificat *O sapientia.* Et in iii. feria dicitur missa *Salus populi.*

In v. feria dicitur missa dominicalis,

Et in vi. feria nichil fiet de vigilia nisi tantum memoria ad missam de jejunio.

Sabbato de S. Thoma. Ad altam missam memoria de S. Maria et de omnibus sanctis. Missa de jejunio dicitur post missam de festo, utraque ad principale altare. Vesperæ in Sabbato erunt de Apostolo, et solennis memoria de S. Maria. Antiphona *Beata es* (p. xliv.).

G. LITTERA DOMINICALIS G. Totum servitium de dominica. Ad secundas vesperas *R. Festina :* Antiphona super psalmum Magnificat *O sapientia :* et memoria de S. Maria : Antiphona *Ave Maria* (p. xxxviii.). In hac hebdomada nullæ fiant commemorationes.

Feria ii. missa dominicalis.

Feria iii. missa *Salus populi.*

Feria iv. propria responsoria. Missa quatuor temporum.

Feria v. de feria. *R. Ex Syon.* Responsoria de iii. nocturno. Missa de vigilia S. Thomæ.

Feria vi. de S. Thoma. Ad matutinas memoria de Adventu. Antiphona *Nolite* (p. clvi.). Oratio *Excita quæsumus.* Post tertiam dicitur Missa de S. Thoma [Oratio dominicalis, scilicet *Aurem tuam.*], et fiat memoria de S. Maria et de omnibus Sanctis. Post sextam dicitur missa de jejunio. Utraque ad summum altare.

Sabbato de feria *V. Egredietur,* cum propriis responsoriis.

DOMINICA TERTIA [ADVENTUS DOMINI].

AD VESPERAS.

Ant. Benedictus. *Ps. Ipsum* (p. 215).

Capitulum. Genes. xlix. [10].

Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit expectatio gentium.

R. Qui venturus. *iii.* p. cii.

Hymnus. Conditor (p. v.).

V. Rorate.

Ant. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit; quia mihi curvabitur omne genu et confitebitur omnis lingua.

Ps. Magnificat (p. 221).

Ante primas vesperas hujus Dominicæ non potest incipi O sapientia.

Oratio. Aurem tuam, quæsumus Domine, precibus nostris accommoda : et mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra. Qui vivis et regnas cum Deo.

Memoria beatæ Mariæ, ut supra.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Ecce jam venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum : factum de virgine, factum sub lege : Venite adoremus.

Ps. Venite.

In omnibus Invitatoriis habentibus istam clausulam Venite adoremus, *ibi semper erit repetitio Invitatorii.*

Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, Versus, per ordinem, sicut in prima Dominica Adventus Domini.

Lectio prima. Esa. viii. [1—4.]

Legenda 13. *Lectiones legantur per ordinem, ut supra feria ii., Dominica* 1. *Adventus.*

Et dixit Dominus ad me : sume tibi librum grandem, et scribe in eo stilo hominis : Velociter spolia detrahe; cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam, filium Barachiæ.

Et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad me : voca nomen ejus : accelera, spolia detrahe; festina prædari; quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ, coram rege Assyriorum. Hæc dicit.

R. 1. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam, et cum eo sanctorum milia : habens in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et dominus dominantium.

V. Apparebit in finem, et non mentietur : si moram fecerit, expecta eum; quia veniens veniet. Rex Regum.

Lectio ii. [*Isa. viii.* 5—10.]

Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens : Pro eo quod abjecit populus iste aquas Syloe, quæ vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ; Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus; et ascendet super omnes rivos ejus, et fluet super universas ripas ejus; et ibit per Judam, inundans, et transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel. Congregamini, populi, et vincimini; et audite, universæ procul terræ : Confortamini, et vincimini; accingite vos, et vincimini. Inite consilium, et dissipabitur. Loquimini verbum, et non fiet, quia nobiscum Deus. Hæc.

R. 2. Bethleem civitas Dei summi, ex te exiet dominator Israel : et egressus ejus sicut a principio dierum æternitatis : et magnificabitur in medio universæ terræ. Et pax erit in terra nostra dum venerit.

V. Loquetur pacem gentibus : et potestas ejus a mari usque ad mare. Et pax erit.

Lectio tertia. [*Isa. viii.* 11—17.]

Hæc enim ait Dominus ad me, Sicut in forti manu erudivit me, ne irem in via populi hujus, dicens : Non dicatis Conjuratio; omnia enim quæ loquitur populus iste, conjuratio est. Et timorem ejus ne timeatis, neque paveatis; Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester; et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel; in laqueum et in ruinam habitantibus Hierusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Et exspectabo Dominum qui abscondit faciem suam a domo Jacob, et præstolabor eum. Hæc.

R. 3. Qui venturus est veniet, et non tardabit; jam non erit timor in finibus nostris. Quoniam ipse est Salvator noster.

V. Deponet omnes iniquitates nostras, et projiciet a nobis omnia peccata nostra. Quoniam. Gloria. Quoniam.

In ii. Nocturno fiant mediæ lectiones de sermone beati Augustini episcopi de Unitate Trinitatis et de Incarnatione Domini.

Lectio iiii. De Sermone B. Augustini 30 *de Tempore :* [*Sermo* 245, *in Appendice Op. Tom.* v. *col.* 2982, *ed. post. Benedict., Paris.*]

Legimus sanctum Moysen populo Dei præcepta dantem, ubi dixit, Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Deus unus est. Non potest esse major : non potest esse minor. Non potest numerari, dicente propheta David, Magnus Dominus, et magna virtus ejus; et sapientiæ ejus non est numerus. Optime nostis ista, fratres carissimi, qui corde fortiter tenetis Catholicam veritatem.

Audite tamen breviter quod adjuvante Domino proposui explanandum. Deus unus est Pater: Deus unus est Filius: Deus unus est Spiritus Sanctus. Non tres Dii, sed unus est Deus. Tres in vocabulis, sed unus in deitate substantiæ. Sed dicit mihi hæreticus, Ergo si unum sunt, omnes sunt incarnati. Non. Ad solum Christum pertinet caro. Nempe aliud est anima, aliud est ratio : et tamen in anima est ratio, et una est anima : sed aliud anima agit, aliud ratio.

Anima vivit, ratio sapit; et ad animam pertinet vita, et ad rationem pertinet sapientia. Et cum unum sint, anima sola suscipit vitam, ratio sola suscipit sapientiam : et tamen nec anima sine ratione, nec ratio sine anima. Sic Pater et Filius licet unum sint, et unus Deus sit, ad Christum solum pertinet caro; sicut ad solam rationem pertinet sapientia, licet non recedat ab anima.

Ecce aliud. In sole calor et splendor in uno radio sunt : sed calor exsiccat, splendor illuminat; aliud suscipit calor, aliud splendor. Et licet calor et splendor ab invicem non queant separari, suscipit splendor illuminationem, non fervorem; suscipit calor fervorem, non illuminationem. Aliud simul, aliud singulariter agunt; et tamen ab invicem non separantur. Sic et Filius suscepit carnem; et non deseruit Patrem, nec se divisit a Patre. Suscepit, inquam, Filius carnem in proprietate : sed tamen et Pater et Spiritussanctus non defuit majestate. In divinitate æqualitas, in carne sola Filii proprietas : non autem Patris ab eo aut Spiritus sancti recessit aliquando divinitas. Cum ergo una sit deitas, una divinitas, implevit quidem carnem Christi Pater et Spiritus Sanctus; sed majestate, non susceptione. Vis scire quia cum eo erat [et Pater? non sum, inquit Dominus Christus, solus; sed Pater mecum est. Audi et de Spiritu Sancto, quia cum eo erat :] Evangelista refert quia Jesus plenus Spiritu Sancto regressus est ab Jordane. Ecce quomodo solus Jesus Christus suscepit carnem; et tamen et Pater et Spiritus Sanctus non defuit majestate. Si cælum et terram implet Pater, implet [et] Spiritus Sanctus : carnem Christi deserere non potuerunt, quando in divinitatis unitate manserunt. Tu autem.

R. 4. Ægypte noli flere, quia dominator tuus veniet tibi : ante cujus conspectum movebuntur abyssi : Liberare populum suum de manu potentiæ.

V. Ecce veniet Dominus Deus exercituum : Deus tuus in potestate magna. Liberare.

Lectio quinta.

[*Augustin.* § 2, 3. *col.* 2983, 2984.]

Adhuc citharam respice. Ut musicum melos tonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur, ars, manus, et chorda : et tamen [unus sonus auditur :] ars dictat, manus tangit, resonat chorda[. Tria pariter operantur : sed sola chorda personat] quod auditur : nec ars, nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater nec Spiritus Sanctus susceperunt carnem; et tamen cum Filio pariter operantur. Sonum sola chorda excutit; carnem solus Christus accepit. Operatio in tribus constat : sed quomodo pertinet ad solam chordam soni redditio, sic ad Christum solum pertinet carnis humanæ susceptio.

E contra Judæus, Contra naturam, (inquit,) parere virgo Maria non potuit : et detestandus Manichæus, Si caro erat, virgo esse non potuit; si virgo peperit, fantasma fuit. [Utrisque respondendus est.] Proferam de historia Veteris Testamenti necessarium

exemplum contra Judæum, quod modo sonuit in auribus vestris [manifestissimam veritatem.] Dominus Moysi Sancto præcepit, de singulis tribubus virgas afferri. Allatæ sunt duodecim virgæ, inter quas etiam una erat quæ Aaron fuerat sacerdotis: et positæ sunt a Sancto Moyse in tabernaculo testimonii. Virga autem Aaron post alterum diem invenitur subito produxisse flores, et frondes, et peperisse nuces. Delectat hoc mysterium cum charitate vestra contra perfidiam Judaicam commiscere, ubi maxime figura intervenit sacramenti. Virga enim protulit quod ante non habuit, non radicata plantatione, non defossa sarculo, non animata succo, non fecundata seminario : et tamen cum illi deessent universa jura naturæ, protulit virga quod nec semine † surgere potuit, nec radice. Virga ergo potuit contra naturam nuces educere : virgo non potuit contra naturæ jura Dei Filium generare? Dicat igitur mihi Judæus incredulus, quemadmodum arida virga floruit et fronduit et nuces protulit; et ego dicam illi quemadmodum virgo conceperit et pepererit. Sed profecto Judæus non conceptum poterit virgæ explicare, nec virginis partum. Veniat ad ecclesiam, exponatur illi; ut cognoscat verum ordinem officii naturalis. Virgo peregit tempora pariendi; virga autem non habuit tempora germinandi. [Virgo habuit tempora pariendi; virga autem alio die quod natura non habuit protulit.] Illa enim decursis novem mensibus peperit; virga autem alio die quod natura non habuit germinavit. Tu autem.

R. 5. Prope est ut veniat tempus ejus; et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur Dominus Jacob, et Israel salvabitur.

V. Qui venturus est veniet et non tardabit : jam non erit timor in finibus nostris. Miserebitur Dominus.

Lectio sexta.

[*Augustin.* § 3, 4, 5 *col.* 2984, 2985.]

Contra naturam (inquit Judæus) virgo parere non potuit. Deus enim qui in Numeris mirabile contra naturam signum ostendit, ut asina loqueretur, ipse mirabilius facere voluit, ut Christus de virgine nasceretur. Audiat et versutus ille Manichæus aliud sacramentum. Solis radius specular penetrat, et soliditatem ejus insensibili subtilitate pertransit : et talis videtur intrinsecus, qualis [extat] extrinsecus. Itaque, fratres, nec cum ingreditur violat, nec cum egreditur dissipat; quia ad ingressum et egressum ejus specular integrum perseverat. Specular ergo non rumpit radius solis : integritatem virginis ingressus aut egressus numquid vitiare poterat deitatis? Sed quid ulterius immoramur? Audiat Christianus quod non vult audire Judæus aut Manichæus; ut iste proficiat in fide redemptus, et ille deficiat induratus. Virga illa, unde agebamus, Aaron virgo Maria, fuit, quæ nobis Christum verum sacerdotem concepit et peperit; de quo David cecinit dicens, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; Superiori namque versu jam dixerat, Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon. Et Esaias propheta apertius Sanctam Mariam designat, dicens : Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus. Quod ergo hæc virga nuces produxit, imago Dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in suo corpore unionem substantiæ, corium, testam et nucleum. In corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima comparatur. In corio nucis carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem vel amaritudinem passionis. In nu-

cleo interiorem declarat dulcedinem deitatis, quæ tribuit pastum, et luminis subministrat officium. In testa, lignum † inserens crucis, quæ non discrevit id quod foris et intus fuit, sed quæ terrena et cælestia fuerant mediatoris ligni interpositione sociavit, dicente Apostolo, Quoniam ipse per sanguinem crucis suæ pacificavit omnia, quæ in cælis sunt et quæ in terris.

R. 6. Descendet Dominus sicut pluvia in vellus. Orietur in diebus ejus justitia, Et abundantia pacis.

V. Et adorabunt eum omnes reges : omnes gentes servient ei. Orietur. Gloria. Et abundantia.

In iii. Nocturno, Secundum Mattheum xi.

In illo tempore, Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homelia beati Gregorii papæ

[*In Evangelia, Lib.* 1. *Hom. vi. Op. Tom.* I. *col.* 1452.] *Sexta.*

Quærendum nobis est, fratres charissimi, Johannes propheta et plus quam propheta, qui venientem ad Jordanis baptisma Dominum ostendit, dicens, Ecce agnus Dei : ecce qui tollit peccata mundi ; qui et humilitatem suam et divinitatis ejus potentiam considerans, dicit Qui est de terra de terra loquitur : qui autem de cælo venit super omnes est : cur in carcere positus mittens discipulos requirit, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Tamquam si ignoret quem ostenderat; et an ipse sit nesciat, quem ipsum esse prophetando, baptizando, ostendendo clamaverat. Sed hæc quæstio citius solvitur, si rei gestæ tempus et ordo pensetur. Tu autem Domine.

R. 7. Veni, Domine, et noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ. Et revoca dispersos in terram suam.

V. Excita Domine potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos. Et revoca.

Lectio octava.

Ad Jordanis enim fluenta positus [Johannes], quia ipse Redemptor mundi esset asseruit : missus vero in carcerem, an ipse veniat requirit. Non quia ipsum esse mundi Redemptorem dubitet : sed quærit ut sciat si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat. Quem enim præcurrens mundo nuntiaverat, hunc moriendo ad inferos præcurrebat. Ait ergo, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Ac si aperte dicat, Si pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus mori digneris insinua : ut qui nativitatis tuæ præcursor extiti, mortis etiam præcursor fiam, et venturum inferno te nuntiem, quem jam venisse mundo enuntiavi. Tu autem. Domine miserere nostri.

R. 8. Erumpant montes jocunditatem : et colles justitiam. Quia lux mundi Dominus cum potentia venit.

V. Leva Hierusalem oculos, et vide potentiam regis. Quia lux.

Lectio nona.

Unde et inquisitus Dominus enumeratis potentiæ suæ miraculis : de mortis suæ protinus humilitate respondit dicens. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur. Surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Visis tot signis tantisque miraculis non scandalizari quisque potuit, sed admirari. Quid est ergo dicere, Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, nisi aperta voce abjectionem mortis suæ humilitatemque signare? Ac si patenter dicat, Mira quidem

facio : sed abjecta perpeti non dedigno. Tu autem Domine miserere.

R. 9. Ecce radix Jesse ascendet in salutem populorum : ipsum gentes deprecabuntur. Et erit nomen ejus gloriosum.

V. Et erit justitia cingulum lumborum ejus : et fides cinctorium renum ejus. Et erit. Gloria. Et erit.

Versus. Emitte agnum.

In Laudibus.

Ant. Veniet Dominus et non tardabit, et illuminabit abscondita tenebrarum : et manifestabit se ad omnes gentes. Alleluia.

Ps. Dominus regnavit (p. 29).

Ant. Hierusalem, gaude gaudio magno, quia veniet tibi Salvator. Alleluia.

Ps. Jubilate Deo.

Ant. Dabo in Syon salutem, et in Hierusalem gloriam meam. Alleluya.

Ps. Deus Deus meus (p. 30).

Ant. Montes et omnes colles humiliabuntur; et erunt prava in directa, et aspera in vias planas : veni Domine, et noli tardare. Alleluya.

Ps. Benedicite omnia.

Ant. Juste et pie vivamus, expectantes beatam spem et adventum Domini.

Ps. Laudate Dominum.

Capitulum. 1 *Cor. iv.* [1, 2.]

Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores ministeriorum Dei : hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.

Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

V. Vox clamantis.

Ant. Johannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi : Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio. Aurem tuam.

Memoria de S. Maria, ut supra.

Ad Primam.

Ant. Veniet Dominus.

Ps. Deus Deus meus respice.

Ad Tertiam.

Ant. Hierusalem.

Ps. Legem pone (p. 57).

Capitulum. Sic nos existimet.

Responsoria et Versus sicut in prima Dominica Adventus Domini ad omnes Horas dicuntur.

Ad Sextam.

Ant. Dabo in Syon.

Ps. Defecit.

Capitulum. 1 *Cor. iv.* [3.]

Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die : sed neque me ipsum judico.

Ad Nonam.

Ant. Juste et pie.

Ps. Mirabilia (p. 65).

Capitulum. [1 *Cor. iv.* 5.]

Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus; qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.

Ad Vesperas.

Ant. Sede a dextris meis.

Ps. Dixit Dominus (p. 191).

Capitulum. Sic nos existimet.

R. Tu exurgens.

Post inceptionem O sapientia *dicitur R.* Festina, ne tardaveris. *quod reperies ante dictam Antiphonam.*

Hymnus. Conditor (p. v).

V. Rorate cæli.

Ant. Ite, dicite Johanni, Cæci vident, surdi audiunt : claudi ambulant, leprosi mundantur.

Ps. Magnificat (p. 221).

Vel Ant. O sapientia. *Ps.* Magnificat.

Oratio. Aurem tuam.

Memoria de S. Maria.

Feria ii. iii. et v. dicantur Versus et Responsoria secundum ordinem nocturnorum Historiæ Dominicalis.

Feria ii.

Lectio prima. Esaiæ viii. (18—22.) *Legenda* 14.

Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel a Domino exercituum qui habitat in monte Syon. Et cum dixerint ad vos : Quærite a phitonibus et a divinis qui stridunt in incantationibus suis: Numquid non populus a Deo suo requiret visionem pro vivis ac mortuis? Ad legem magis et ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Et transibit per eam, corruet, et esuriet. Et cum esurierit, irascetur, et maledicet regi suo, et Deo suo. Et suspiciet sursum, et [ad] terram intuebitur; et ecce tribulatio et tenebræ, et dissolutio et angustia, et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua. Hæc dicit.

Lectio secunda. Esaiæ ix. (1—5.)

Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nepthali : et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentem, et non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu : et vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem, et cibus ignis. Hæc.

Lectio iii. [*Esaiæ ix.* 6, 7.]

Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit : ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum : zelus Domini exercituum faciet hoc. Hæc dicit Dominus.

In Laudibus.

Ant. Ecce veniet Dominus princeps regum terræ : beati qui parati sunt occurrere illi.

Ps. Miserere mei, p. 85.

Ant. Dum venerit filius hominis, putas inveniet fidem super terram.

Ps. Verba mea auribus, p. 86.

Ant. Ecce jam veniet plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terris.

Ps. Deus Deus meus.

Ant. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Ps. Confitebor, *iiii.* p. 87.

Ant. Egredietur Dominus de loco sancto suo : veniet ut salvet populum suum.

Ps. Laudate.

Capitulum. Ecce dies (p. liii.).

Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

V. Vox clamantis (p. xxxi.).

Ant. Egredietur virga de radice Jesse : et replebitur omnis terra gloria Domini : et videbit omnis caro salutare Dei.

Ps. Benedictus, p. 35.

Oratio dominicalis dicitur.

Ad Vesperas.

Ant. Elevare, elevare : consurge Hierusalem : solve vincla colli tui, captiva filia Syon.

Ps. Magnificat (p. 221).

vel Antiphona O.

Oratio dominicalis.

Feria iii.

Lectio prima. Esaiæ ix. (8—11.) *Legenda* 15.

Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel. Et sciet omnis populus Effraïm, et habitantes Samariam, in superbia et magnitudine cordis dicentes, Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum, et inimicos ejus in tumultum vertet. Hæc dicit Dominus.

Lectio ii. [*Isa. ix.* 12, 13.]

Siriam ab oriente, et Philisthiim ab occidente : et devorabunt Israel toto ore. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Et populus non est reversus ad percutientem se, et Dominum exercituum non exquisierunt. Hæc dicit Dominus, convertimini ad Me, et salvi eritis.

Lectio tertia. [*Isa. ix.* 14—17.]

Et disperdet Dominus ab Israel caput : et caudam, incurvantem et refrenantem, die una. Longævus et honorabilis, ipse est caput : et propheta docens mendacium, ipse est cauda. Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes : et qui beatificantur, præcipitati; propter hoc super adolescentulis ejus non lætabitur Dominus : et pupillorum ejus et viduarum non miserebitur : quia omnis ipocrita est et nequam, et universum os locutum est stultitiam. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Hæc dicit Dominus.

In Laudibus.

Ant. Ecce Dominus noster cum virtute veniet : et ipse conteret jugum captivitatis nostræ.

Ps. Miserere, p. 107.

Ant. Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ : de petra deserti ad montem filiæ Syon.

Ps. Judica me Deus, p. 109.

Ant. Ut cognoscamus, Domine, in terra viam tuam, in omnibus gentibus salu are tuum.

Ps. Deus Deus meus, p. 30.

Ant. Da mercedem, Domine, sustinentibus te; ut prophetæ tui fideles inveniantur.

Ps. Ego dixi, p. 110.

Ant. Lex per Moysen data est : gratia et veritas per Jesum Christum facta est.

Ps. Laudate Dominum.

Capitulum. Ecce dies (p. liii.).

Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

V. Vox clamantis (p. xxxi.).

Ant. Tu Bethleem terra Juda non eris minima : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.

Ps. Benedictus [p. 35].

Ad Vesperas.

Ant. Erumpant montes jocunditatem et colles justitiam : quia lux mundi Dominus cum potentia venit.

Ps. Magnificat.

vel Antiphona O. *Ps.* Magnificat.

Feria iv. quatuor temporum.

Invitatorium. Prope est jam Dominus : Venite adoremus.

Ps. Venite [p. 2].

Hoc Invitatorium dicitur hac die, et in vi. feria et in sabbato sequenti.

Hymnus. Verbum supernum prodiens (p. xviii.).

Super Nocturnum Antiphona. Avertet Dominus. *Ps.* Dixit insipiens (p. 112).

Versus dicuntur per ordinem de Dominica.

Deinde procedat Dyaconus cum subdiacono, albis vestiti, spirulam id est palmam de terra sancta factam in manu portans cum thuribulariis et ceroferariis in simili habitu, sine cruce, [et] incenset altare : et sic procedat per medium chori in pulpitum ad pronuntiandum Expositionem Evangelii : et legatur super lectrinum, ubi lectiones leguntur : ceroferariis diacono assistentibus, uno a dextris et alio a sinistris. Habebit autem diaconus amictum album et tenebit palmam prædictam in manu sua dum Lectionem legat. Subdiaconus autem textum teneat retro ipsum dyaconum stans juxta thuribularios. In illa hora non prosternant se clerici in choro, videlicet post versum dum dicatur Pater noster, *propter pronunciationem Evangelii ; nec etiam in Sexta feria, nec in Sabbato.*

Evangelium secundum Lucam i. (26, 27).

In illo tempore, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth: ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbiteri.

[*Homiliæ Hyemales de Sanctis. In Festo Annuntiationis. Op. Tom.* VII. *col.* 335.] 23. *lib.* 2.

Exordium nostræ redemptionis, fratres charissimi, hodierna nobis Sancti Evangelii lectio commendat; quæ angelum de cælis a Deo missum narrat ad virginem, ut novam in carne nativitatem Filii Dei prædicaret; per quam nos abjecta vetustate noxia renovari, atque inter filios Dei computari possimus. Ut ergo ad promissæ salutis mereamur dona pertingere, primordium ejus intenta curemus cordis aure percipere. Missus est, inquit, angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph. Aptum profecto humanæ restaurationis principium fuit, ut angelus a Deo mitteretur ad virginem partu consecrandam divino; quia prima perditionis humanæ fuit causa : cum serpens a dyabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam. Immo ipse in serpente dyabolus veniebat; qui genus humanum deceptis primis parentibus immortalitatis gloria nudaret. Quia ergo mors intravit per feminam, apte redit et vita per feminam. Illa a dyabolo seducta per serpentem viro gustum necis obtulit; hæc edocta a Deo per angelum mundo auctorem salutis edidit. Tu autem. Domine miserere nostri.

R. 1. Clama in fortitudine, qui annuntias pacem in Hierusalem. Dic civitatibus Judæ et habitatoribus Sion, Ecce Deus noster quem expectabamus adveniet.

V. Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Syon : exulta in fortitudine vocem tuam. Dic civitatibus.

Lectio secunda. [*Beda, ut supra, col.* 335.]

Missus est ergo angelus Gabriel a Deo. Raro autem legimus, quia apparentes hominibus angeli designantur ex nomine. Verum quotienscunque fit, ideo utique fit, ut etiam nomine ipso quod ministraturi veniant insinuent. Gabriel namque Fortitudo Dei dicitur. Et merito tali nomine præfulget, qui nascituro in carne Deo testimonium perhibet. De quo propheta in Psalmo, Dominus, inquit, fortis et potens, Dominus potens in prælio. Illo nimirum prælio, quo potestates aereas debellare, et ab earum tyrannide mundum veniebat eripere. Ad virginem desponsatam

viro, cui nomen erat Joseph; de domo David et nomen virginis Maria. Quod dicitur de domo David: non tantum ad Joseph, sed etiam pertinet ad Mariam. Legis namque erat præceptum, ut de sua quisque tribu ac familia duceret uxorem; Apostolo quoque attestante, quia ad Thimotheum scribens ait: Memor esto igitur Jesum Christum resurrexisse a mortuis, ex semine David secundum Evangelium meum. Ideo enim veraciter ex semine David ortus est Dominus, quia incorrupta ejus genitrix veram de stirpe David originem duxit. Tu autem Domine.

R. 2. Orietur stella ex Jacob: et exurget homo de Israel, et confringet omnes duces alienigenarum. *Et erit omnis terra possessio ejus.

V. Et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei. Et erit.

Lectio tertia. [*Beda, ut supra, col.* 335, 336.]

Cur autem ipse Dominus non de simplici virgine, sed de desponsata viro concipi et nasci voluerit, plurimæ a patribus rationabiles causæ proferuntur. E quibus permaxima †prima† est, ne velut stupri rea damnaretur, si virum non habens filium procrearet. Deinde ut in his etiam, quæ domestica cura naturaliter exigebat, puerpera solatio sustentaretur virili. Oportebat ergo beatam Mariam habere virum, qui et testis integritatis ejus certissimus, et nati ex ea Domini ac Salvatoris nostri esset nutricius fidelissimus; quique et pro parvulo secundum legem hostias ad templum deferret, et eum instante persecutionis articulo in Ægyptum cum matre ferret ac referret, aliaque illi perplura, quæ assumptæ humanitatis fragilitas poscebat, necessaria ministraret. Nec multum obfuit, si quis illum ad tempus ejus filium credidit, cum prædicantibus apostolis post ascensionem ejus cunctis palam credentibus quod de virgine natus esset, patuerit. Nec prætereundum quod beata Dei genitrix meritis præcipuis etiam nomine tenus testimonium reddidit. Interpretatur enim Stella maris. Et ipsa quasi sidus eximium inter fluctus seculi labentis gratia privilegii specialis refulsit.

Ingressus autem angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ salutatio quantum humanæ consuetudini inaudita, tantum est beatæ Mariæ dignitati congrua. Vere etenim gratia plena erat, cui divino munere collocatum est, ut prima inter feminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret. Unde [de] jure angelico aspectu simul et affatu meruit perfrui, quæ angelicam studuit vitam imitari. Vere gratia erat plena, cui ipsum, per quem gratia et veritas facta est, Jesum Christum generare donatum est. Tu autem Domine miserere nostri.

R. 3. Egredietur Dominus, et prælíabitur contra gentes. Et stabunt pedes ejus super montes olivarum. Ad orientem.

V. Et elevabitur super omnes colles : et fluent ad eum omnes gentes. Et stabunt. Gloria. Ad orientem.

V. Emitte agnum, p. xxx.

In Laudibus.

Ant. Rorate cæli desuper; et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

Ps. Miserere, p. 85.

Ant. Prophetæ prædicaverunt nasci Salvatorem de virgine Maria.

Ps. Te decet, p. 121.

Ant. Spiritus Domini super me: evangelizare pauperibus misit me.

Ps. Deus Deus, p. 30.

Ant. Ecce veniet Dominus, ut

sedeat cum principibus et solium gloriæ teneat.

Ps. Exultavit, p. 126.

Ant. Annuntiate populis et dicite : Ecce Deus salvator noster veniet.

Ps. Laudate, p. 31.

Capitulum. Ecce dies veniunt.

Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

V. Vox clamantis (p. xxxi.).

Ant. Missus est angelus Gabriel ad Mariam virginem desponsatam Joseph.

Ps. Benedictus [p. 35].

Non dicantur preces ad has Matutinas, nec in Sexta feria, nec in Sabbato: tamen ad omnes alias Horas dicantur preces cum prostratione more solito.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut redemptionis nostræ ventura solennitas et præsentis vitæ nobis subsidia conferat, et æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per eundem Dominum.

Hæc oratio dicitur ad has Matutinas tantum.

Ad omnes alias Horas dicatur oratio Dominicalis.

Memoria de S. Maria.

Ant. Spiritus sanctus (p. xxxvi.).

et de omnibus Sanctis ut in aliis feriis.

Matutinæ de S. Maria dicantur in Conventu, ut supra dictum est.

Ad Vesperas.

Ant. Quomodo fiet istud, angele Dei? quia virum in concipiendo non pertuli : Audi Maria virgo Christi, Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Ps. Magnificat (p. 221).

Vel Antiphona O. *Ps.* Magnificat.

Feria v.

Ad Matutinas Invitatorium. Regem venturum.

Ps. Venite (p. 2).

Hymnus. Verbum supernum, p. xviii.

Antiphonæ et Psalmi de nocturno illius feriæ: versus, lectiones et Responsoria per ordinem dicuntur.

Lectio prima. Esa. ix. [18—21.] *Legenda* 16.

Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem in spinam vorabit. Et succendetur in densitate saltus, et convolvetur in superbia fumi. In ira Domini exercituum conturbata est terra, et erit populus quasi esca ignis. Vir fratri suo non parcet : et declinabit ad dexteram, et esuriet : et comedet ad sinistram, et non saturabitur : unusquisque carnem brachii sui vorabit : Manasses Effraim, et Effraim Manassem ; simul ipsi contra Judam. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Hæc dicit Dominus.

Lectio secunda. [*Isa. x.* 1—4.]

Væ qui condunt leges iniquas : et scribentes injustitiam scripserunt : ut opprimerent in judicio pauperes et vim facerent causæ humilium populi mei : ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium? et ubi derelinquetis gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor ejus : sed adhuc manus ejus extenta. Hæc dicit Dominus. Convertimini ad me, et.

Lectio iii. [*Isai. x.* 5—9.]

Væ Assur. Virga furoris mei et baculus ipse est, in manu †ejus† indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbi-

trabitur, et cor ejus non ita æstimabit: sed ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum. Dicit enim, Numquid non principes mei simul reges sunt? Numquid non ut Carcamis, sic Calanno: et ut Arphat, sic Emath? Numquid non [ut] Damascus, sic Samaria? Hæc dicit Dominus.

In Laudibus.

Ant. De Syon veniet omnipotens Dominus, ut salvum faciat populum suum.

Ps. Miserere, p. 107.

Ant. Convertere, Domine, aliquantulum: et ne tardes venire ad servos tuos.

Ps. Domine refugium, p. 145.

Ant. De Syon veniet qui regnaturus est Dominus: Emmanuel magnum nomen ejus.

Ps. Deus Deus, p. 30.

Ant. Ecce Deus noster, et honorabo eum; Deus patris mei, et exaltabo eum.

Ps. Cantemus, p. 147.

Ant. Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse veniet et salvabit nos.

Ps. Laudate, p. 32.

Capitulum. Ecce dies (p. liii.).

Hymnus. Vox clara, p. xxxi.

V. Vox clamantis (p. xxxi.).

Ant. Vigilate animo: in proximo est Dominus Deus noster.

Ps. Benedictus.

Oratio dominicalis.

Ad Vesperas.

Ant. Lætamini cum Hierusalem, et exultate in ea, omnes qui diligitis eam in æternum.

Ps. Magnificat.

Vel Antiphona O. *Ps.* Magnificat.

Feria vi.

Invit. Prope est jam Dominus: Venite adoremus.

Ps. Venite (p. 2).

Hymnus. Verbum supernum (p. xviii.).

Antiphonæ et Psalmi de Nocturno illius feriæ. Versus per ordinem dicantur.

Evangelium secundum Lucam i. (39, 40).

In illo tempore, Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Helizabeth. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbiteri.

[*Homiliæ æstivales de Sanctis, "In solennitate Deiparæ V. Mariæ, quando salutavit Elizabeth." Op. Tom.* VII. *col.* 101.] 24 *lib.* 2.

Lectio quam audivimus sancti evangelii et redemptionis nostræ nobis semper veneranda primordia prædicat, et salutaria [nobis] semper imitandæ humilitatis remedia commendat. Nam quia peste superbiæ attactum genus humanum perierat, decebat ut medicamentum humilitatis quo sanaretur, prima mox incipientis salutis tempora prætenderent. Et quia per temeritatem seductæ mulieris mors in mundum introierat: congruum fuit ut ad inicium vitæ revertentis mulieres devotæ humilitatis invicem ac pietatis sese prævenirent obsequiis. Prior ergo nobis beata Dei genitrix ad sublimitatem patriæ cælestis iter ostendit humilitatis; non minus religionis quam castitatis exemplo venerabilis. Siquidem gloria virginei et intemerati corporis, qualis sit vita supernæ civitatis ad quam suspiramus insinuat; ubi neque nubent neque nubentur; sed sunt sicut angeli Dei in cælo. Ac virtute mentis eximia, qua ad hanc pertingere debeamus indicat. Tu.

R. 1. Præcursor pro nobis ingreditur agnus sine macula: secundum ordinem Melchisedech, Pontifex fac-

tus est in æternum et in seculum seculi.

V. Ipse est rex justitiæ, cujus generatio non habet finem. Pontifex factus.

Lectio secunda. [*Beda, ut supra, col.* 101].

Nam sicut præcedente sancti Evangelii lectione cognovimus, postquam angelica visitatione et allocutione meruit sublimari, postquam se cælesti onustandam partu didicit, nequaquam se de donis cælestibus quasi a se hæc essent extulit: sed ut magis magisque donis esset apta divinis, in custodia humilitatis gressum mentis fixit, ita evangelizanti sibi Archangelo respondens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ut vero ex hodierna lectione audivimus: eandem quam angelo exhibuerat humilitatem, hominibus quoque curavit exhibere, et quod majoris est virtutis, hoc etiam minoribus. Quis enim nesciat virginem Deo consecratam muliere viro dedita gradum habere potiorem? Quis dubitet matrem regis æterni jure matri militis esse præferendam? Attamen ipsa memor scripturæ præcipientis: Quanto magnus es, humilia te in omnibus: mox ut angelus qui loquebatur ei ad cælestia rediit, surgit, ac montana conscendit, gestansque in utero Deum servorum Dei habitacula petit, ac requirit alloquia. Et apte post visionem angeli in montana subiit, quæ gustata suavitate supernorum civium humilitatis se gressibus ad virtutum alta transtulit.

R. 2. Modo veniet dominator Dominus. Et nomen ejus Emmanuel vocabitur.

V. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis. Et nomen.

Lectio iii. [*Beda, ut supra col.* 101, 102.]

Intrat ergo domum Zachariæ, atque Helizabeth, quam servum ac præcursorem Domini parituram noverat, salutat. Non quasi dubia de oraculo quod acceperat, sed ut congratulatura de dono, quod conservam accepisse didicerat: non ut verbum angeli mulieris attestatione probaret, sed ut mulieri provectæ ætatis virgo juvencula ministerium sedula impenderet. Ut audivit autem salutationem Mariæ Helizabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Helizabeth. Aperiente os ad salutandum beata Maria, repleta est mox Spiritu Sancto Elizabeth, repletus est et Joannes; atque uno eodemque Spiritu ambo edocti, illa salutantem quæ esset agnovit, et ut matrem Domini sui debita cum benedictione venerata est, ille ipsum Dominum † qui † utero virginis portaretur intellexit; et quia lingua necdum valuit, animo exultante salutavit, officiumque suæ præcursionis, quam devote, quam libenter juvenis esset impleturus, et antequam nasceretur, adveniente Domino, quibus valebat indiciis intimavit. Aderat namque tempus quo impleretur angeli sermo quem dixerat, quia Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. Repleta est ergo Spiritu Sancto Helizabeth, et exclamavit voce magna. Recte voce magna, quia magna Dei dona cognovit: recte voce magna, quia illum quem ubique præsentem noverat etiam corporaliter adesse sentiebat. Magna etenim voce: non tam clamosa, quam devota intelligendum est.

R. 3. Videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclitum tuum. Et vocabitur tibi nomen novum quod os Domini nominavit.

V. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et dyadema regni in manu Dei tui. Et vocabitur. Gloria. Et vocabitur.

V. Emitte agnum, p. xxx.

IN LAUDIBUS.

Ant. Constantes estote : videbitis auxilium Domini super vos.

Ps. Miserere, p. 85.

Ant. Ad te, Domine, levavi animam meam : veni et eripe me, Domine : ad te confugi.

Ps. Domine, exaudi. *ii.* p. 165.

Ant. Veni, Domine, et noli tardare : relaxa facinora plebi tuæ Israel.

Ps. Deus Deus meus, p. 30.

Ant. Deus a Libano veniet; et splendor ejus sicut lumen erit.

Ps. Domine, audivi, p. 166.

Ant. Ego autem ad Dominum aspiciam, et expectabo Deum salvatorem meum.

Ps. Laudate Dominum, p. 32.

Capitulum. Ecce dies, p. liii.

Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

V. Vox clamantis (p. xxxi.).

Ant. Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis : exultavit in gaudio infans in utero meo. Alleluya.

Ps. Benedictus, p. 35.

Oratio. Excita, quæsumus, Domine, potentiam tuam et veni; ut hi qui in tua pietate confidunt ab omni citius adversitate liberentur. Qui vivis et regnas.

Hæc oratio dicatur ad has matutinas tantum : ad alias Horas dicatur oratio dominicalis.

AD VESPERAS.

Antiphona O. *Ps.* Magnificat. *Oratio dominicalis. Post has Vesperas hujus feriæ non potest incipi Antiphona* O sapientia.

Sabbato.

Invitatorium. Prope est (p. cxxi.).

Ps. Venite, p. 2.

Hymnus. Verbum supernum, p. xviii.

Antiphonæ Psalmi feriales et Versiculi per ordinem dicantur.

Secundum Lucam iii. (1, 2.)

Anno quintodecimo imperii Tyberii Cæsaris, procurante Poncio Pylato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lisania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caypha; factum est verbum Domini super Johannem Zachariæ filium in deserto. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii Papæ.

[In Evangelia, *Lib. i. Homilia xx. Op. Tom.* I. *col.* 15, 16.] 20. 4.

Redemptoris præcursor quo tempore verbum prædicationis acceperit, memorato Romanæ reipublicæ principe et Judææ regibus designatur, cum dicitur : Anno quintodecimo imperii Tyberii Cæsaris, procurante Poncio Pylato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caypha; factum est verbum Domini super Johannem Zachariæ filium in deserto. Quia enim illum prædicare veniebat, qui et ex Judæa quosdam, et multos ex gentibus redempturus erat, per regem gentium et principes Judæorum prædicationis ejus tempora designantur. Quia autem gentilitas colligenda erat, et Judæa pro culpa perfidiæ dispergenda, ipsa quoque descriptio terreni principatus ostendit; quoniam et in Romana republica unus [princeps] præfuisse describitur, et in Judææ regno per quartam partem plurimi principabantur. Voce etenim Redemptoris nostri dicitur : Omne regnum in seipsum divisum desolabitur. Tu autem.

R. 1. Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ. De petra deserti ad montem filiæ Syon.

V. Rorate cæli desuper: et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem. De petra.

Lectio secunda. [*S. Gregori ut supra col.* 1516, 1517.]

Liquet ergo quod ad finem regni Judæa pervenerat, quæ tot regibus divisa subjacebat. Apte quoque non solum quibus sub regibus, sed etiam quibus sacerdotibus actum sit demonstratur; ut quia illum Johannes Baptista prædicaret, qui simul rex et sacerdos existeret, Lucas Evangelista prædicationis ejus tempora per regnum et sacerdotium designavit. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Cunctis legentibus liquet, quia Johannes baptismum pœnitentiæ non solum prædicavit, verum etiam quibusdam dedit : sed tamen baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio etenim peccatorum in solo nobis Christi baptismate tribuitur. Notandum itaque quod dicitur : Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum : Quoniam baptismum quod peccata solveret, quia dare non poterat, prædicabat; ut sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis, ita baptismum pœnitentiæ, quo peccata solvuntur, præcurreret suo baptismate quo peccata solvi non possunt : Et quia ejus sermo præcurrebat præsentiam Redemptoris, ipsum quoque ejus baptisma præcedendo fieret umbra veritatis. Sequitur : Sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Tu autem.

R. 2. Germinaverunt campi heremi germen odoris Israel. Quia ecce Deus noster cum virtute veniet. Et splendor ejus cum eo.

V. Ex Syon species decoris ejus; Deus noster manifeste veniet. Et splendor.

Lectio iii. [*S. Gregorius ubi supra* § 3. *col.* 1517, 1518.]

Idem vero Johannes Baptista requisitus quis esset, respondit : Ego vox clamantis in deserto. Qui sicut ante per nos dictum est, ideo vox a propheta vocatus est, quia Verbum præibat. Quid autem clamaret, aperitur cum subditur : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Omnis qui fidem rectam et bona opera prædicat, quid aliud quam venienti Domino ad corda audientium viam parat? ut hæc vis gratiæ penetret, ut lumen veritatis illustret, ut rectas Deo semitas faciat, dum mundas in animo cogitationes per sermonem bonæ prædicationis format. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. Quid hoc loco vallium nomine nisi humiles? quid montium et collium nisi superbi homines designantur? In adventu ergo Redemptoris valles impletæ, montes vero et colles humiliati sunt; quia juxta ejus vocem, Omnis qui se exaltat humiliabitur; et omnis qui se humiliat exaltabitur. Vallis etenim impleta crescit, mons autem et collis humiliatus decrescit. Quia nimirum in fide mediatoris Dei et hominum, hominis Christi Jesu, et gentilitas plenitudinem gratiæ accepit, et Judææ per errorem perfidiæ hoc unde tumebat, perdidit. Omnis enim vallis implebitur; quia corda humilium sacræ doctrinæ eloquio virtutum gratia replebuntur, juxta hoc quod scriptum est: Qui emittit fontes in convallibus. Et inde rursum dicitur: Et convalles abundabunt frumento. A montibus namque aquæ dilabitur; quia superbas mentes veritatis doctrina deserit. Sed fontes in convallibus surgunt;

quia mentes humilium verbum prædicationis accipiunt. Jam videmus, jam convalles frumento abundare conspicimus: quia illorum ora pabulo veritatis impleta sunt, qui mites ac simplices huic mundo despicabiles esse videbantur. Tu autem Domine.

R. 3. Radix Jesse qui exurget judicare gentes : in eum gentes sperabunt. Et erit nomen ejus benedictum In secula.

V. Super quem continebunt reges os suum : ipsum gentes deprecabuntur. Et erit. Gloria. In secula.

Versus. Emitte, p. xxx.

In Laudibus.

Ant. Veniet Dominus in potestate magna : et videbit eum omnis caro, et salvabit nos.

Ps. Miserere, p. 107.

Ant. Intuemini quantus sit gloriosus iste, qui ingreditur ad salvandos populos.

Ps. Bonum est confiteri, *p.* 186.

Ant. Veniet iterum angelus tuus, et docebit nos vias tuas, Domine.

Ps. Deus Deus meus, *p.* 30.

Ant. Expectetur sicut pluvia eloquium Domini : et descendet sicut ros super nos Deus noster.

Ps. Audite cæli, *p.* 187.

Ant. Paratus esto Israel in occursum Domini ; quoniam venit.

Ps. Laudate Dominum de cælis, *p.* 32.

Capitulum. Ecce dies (p. liii.).

Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

V. Vox clamantis (p. xxxi.).

Ant. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur ; et videbit omnis caro salutare Dei.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio. Deus, qui conspicis quia ex nostra pravitate affligimur : concede propitius, ut ex tua visitatione consolemur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate.

Hæc oratio dicitur ad has Matutinas tantum. Ad omnes alias Horas dicatur oratio dominicalis.

Sed si aliquod festum ix lectionum in aliqua prædictarum feriarum istius hebdomadæ contigerit, nihilominus ordo feriarum de Laudibus, et Antiphonarum super Benedictus *et* Magnificat *servabitur in sequenti feria : et tunc Antiphonæ super Laudes, et propria Responsoria illius feriæ, scilicet quando festum contigerit, in illo anno non dicuntur. Versus tamen ante lectiones per ordinem dicantur.*

Pica de dominica quarta Adventus.

A. Littera dominicalis A. Totum servitium de dominica usque ad versum tertii nocturni [exclusive] : deinde totum servitium de vigilia. Invitatorium [de Vigilia Nativitatis Domini] *Hodie scietis* (p. clvi.). Ad matutinas memoria de Dominica cum missa dominicali in capitulo, cum Prima et Horis sicut notatum est in Vigilia absque psalmo *Deus, Deus meus respice* [et iv. proximè sequentibus].

Dominica infra octavas, de S. Silvestro ; et mediæ lectiones de Nativitate cum Versibus et responsoriis de secundo nocturno.

Dominica infra octavas Epyphaniae, de servitio octavarum et memoria de martyribus [Luciano et sociis].

B. Littera dominicalis B. Totum servitium de dominica.

Feria ii., v. et vi. de Commemorationibus.

Feria iii. de feria : missa de Vigilia S. Thomæ.

Dominica sequente de Nativitate Christi.

Sabbato de S. Silvestro : mediæ lectiones de Nativitate Christi cum Versibus et Responsoriis de secundo nocturno.

C. Littera dominicalis C. Totum servitium de Dominica. Ad primas Vesperas R. *Non auferetur* (p. cxxxv.).

Feria ii. de feria usque ad missam, quae erit de Vigilia [S. Thomae Apostoli], Responsoria hystoriæ dominicalis.

Feria iii. de [S. Thoma] Apostolo. Ad secundas Vesperas solennis memoria festi loci, de Adventu et de S. Maria cum antiphona *Beata es* (p. xvi.).

Feria iv. et v. de Commemoratione.

Feria vi. totum servitium de Vigilia Nativitatis.

D. Littera dominicalis D. Totum servitium de Dominica: nihil de Vigilia nisi memoria tantum ad altam missam. Secundæ Vesperæ erunt de S. Thoma [apostolo], et solennis memoria de dominica et S. Maria.

Feria iii. et iv. de commemoratione.

Feria v. de Vigilia [Nativitatis Domini].

Dominica infra octavas de S. Johanne.

E. Littera dominicalis E. Totum servitium de dominica; et festum [S. Thomæ] differatur in crastinum, nisi fuerit festum loci : et secundæ Vesperæ erunt de Apostolo, et solennis memoria de dominica et de S. Maria. Ad secundas Vesperas de Apostolo fiat solennis memoria de S. Maria cum antiphona *Sub tuam* (p. lxxi.). Deinde solennis memoria de Adventu.

Feria iii. de S. Maria.

F. Littera dominicalis F. De servitio dominicali. Ad primas Vesperas quæ erunt de Apostolo fiat memoria de Dominica et de S. Maria solenniter cum antiphona *Beata es.* Vesperæ in dominica erunt de Dominica et memoria de S. Maria cum antiphona *Sub tuam* (p. lxxi.).

Feria ii. de S. Maria.

Dominica infra octavas Nativitatis Domini, de S. Thoma [martyre].

Dominica in Vigilia Epyphaniæ totum servitium de Vigilia et mediæ lectiones de S. Thoma. [In Laudibus una Antiphona.]

G. Littera dominicalis G. De servitio dominicali.

Dominica infra octavas Nativitatis Domini, de Nativitate Domini. Vesperæ erunt de S. Silvestro cum memoriis ordine suo.

Feria ii. de S. Silvestro : mediae lectiones de Nativitate. Versus et Responsoria de primo nocturno. [Vesperæ erunt de Circuncisione Domini, sine ulla memoria.]

Dominica prima post Circumcisionem dicitur de Epyphania Domini.

Feria iv. [ad Matutinas] legatur Expositio Evangelii, scilicet de dominica infra octavas.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS DOMINI.

Ad Vesperas.

Ant. Benedictus.

Psalmus. *Ipsum*, p. 215.

Capitulum. *Esa. xxviii.* [16].

Ecce ego mittam in fundamentis Syon [lapidem :] lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum : qui crediderit in eum non confundetur.

R. Non auferetur (p. cxxxv.).

Hymnus. Conditor (p. v.).

V. Rorate (p. vi.).

Ant. O.

Ps. Magnificat.

Oratio. Excita, quæsumus, Domine, potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute succurre; ut per auxilium gratiæ tuæ quod peccata nostra præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Qui vivis.

Memoria de S. Maria.

Ad Matutinas.

Invit. Præstolantes Redemptorem, levate capita vestra : quoniam prope est redemptio vestra.

Ps. Venite, p. 2.

Hymnus, Antiphonæ, Psalmi et Versus per ordinem, ut in i. Dominica Adventus Domini.

Lectio i. Esaiæ x. (10—15). *Legantur hæ lectiones per ordinem, ut supra patet feria* 2. *dominica* 1. *Adventus.*

Quomodo invenit manus mea regna ydoli, sic et simulachra eorum de Hierusalem, et de Samaria. Numquid non sicut feci Samariæ et ydolis ejus, sic faciam Hierusalem, et simulachris ejus? Et erit : Cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Syon et in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus. Dixit enim : In fortitudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi : et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum : et detraxi quasi potens in sublimi residentes. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum. Et sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi : et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et genniret. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? Aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? Quomodo si elevetur virga contra levantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. Hæc dicit.

R. 1. Canite tuba in Syon : vocate gentes : annuntiate populis, et dicite, Ecce Deus Salvator noster adveniet.

V. Annuntiate in finibus terræ et in †omnibus† quæ procul sunt dicite. Ecce.

Lectio secunda. [*Esa. x.* 16—21.]

Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem : et subtus gloria ejus succensa ardebit quasi combustio ignis: et erit lumen Israel in ignem : et Sanctus ejus in flamma. Et succendetur, et devorabitur spina ejus, et vepres in die una: et gloria saltus ejus, et carmeli ejus, ab anima usque ad carnem consumetur. Et erit terrore profugus: et reliquiæ ligni saltus ejus præ paucitate numerabuntur, et puer scribet eos. Et erit In illa die : non adjiciet residuum Israel, et hi qui fugerint de domo Jacob, inniti super eo qui percutit eos : sed innitetur super Dominum sanctum Israel. In veritate reliquiæ convertentur: reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.

R. 2. Octavadecima die decimi mensis jejunabitis, dicit Dominus, et mittam vobis Salvatorem et propugnatorem pro vobis; qui vos præ-

cedat, et introducat In terram quam juravi patribus vestris.

V. Ego enim sum Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Egypti. In terram.

Lectio iii. [*Isa. x.* 22—29.]

Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris: reliquiæ convertentur ex eo. Consummatio abbreviata inundabit justitiam. Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum: Noli timere populus meus habitator Syon, ab Assur. In virga percutiet te, et baculum suum levabit super te in via Ægypti. Adhuc enim paululum modicumque, et consummabitur indignatio mea: et furor meus supra scelus eorum. Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum juxta plagam Madian in petra Oreb, et virgam suam super mare, et levabit eam in via Ægypti. Et erit, In die illa: auferetur onus ejus de humero tuo, et jugum ejus de collo tuo, et computrescet jugum a facie olei. Veniet in Aioth, transibit in Magron: apud Magmas commendabit vasa sua. Transierunt cursim Gabaa: sedes nostra. Hæc dicit Dominus.

R. 3. Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus; donec veniat qui mittendus est. Et ipse erit expectatio gentium.

V. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. Et Ipse. Gloria. Et ipse.

In Secundo Nocturno fiant mediæ lectiones de sermone beati Augustini episcopi. [*Sermo de Symbolo, in Append. Op. Tom.* VIII. *Capp.* XI. XII. *col.* 1558, 1559 *ed. post. Benedict. Paris.* 1837.] IV. *de Tempore, Cap.* II.

Lectio iiii.

Vos, inquam convenio, O Judæi, qui usque in hodiernum diem negastis Filium Dei. Nonne vox vestra illa est, quando eum videbatis miracula facientem, atque tentantes dicebatis, Quousque animas nostras suspendis? Si tu es Christus: dic nobis palam? Ille autem ad considerationem miraculorum vos mittebat dicens, Opera quæ ego facio: ipsa testimonium perhibent de me: ut Christo testimonium dicerent non verba sed facta. Vos autem non agnoscentes Salvatorem, qui operabatur salutem in medio terræ, adjicientes in malo aistis, Tu de teipso testimonium dicis: testimonium tuum non est verum. Sed ad hæc ille quid vobis responderit advertere noluistis. Nonne scriptum est in lege vestra, quod duorum hominum testimonium verum sit? Prævaricatores legis, intendite legem. Testimonium quæritis de Christo. In lege vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum sit. Procedant ex lege non tantum duo, sed etiam plures testes Christi, ut convincant auditores legis nec factores. Dic, Esaya, testimonium de Christo. Ecce, inquit, virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Accedat et alius testis. Dic et tu, Hieremia, testimonium Christo. Hic est, inquit, Deus noster, et non æstimabitur alius absque illo, qui invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto sibi. Post hæc in terris visus est: et cum hominibus conversatus est. Ecce duo testes idonei ex lege vestra, ex quorum testimonio non sunt compuncta corda vestra. Sed alii atque alii ex lege Christi testes introducantur, ut frontes durissimæ inimicorum conterantur. Veniat et ille Daniel sanctus, juvenis quidem ætate, senior vero scientia ac mansuetudine, et convincat omnes falsos testes. Sicut

convicit seniores impudicos, ita suo testimonio Christi conterat inimicos. Dic, sancte Daniel, dic de Christo quod nosti. Cum venerit, inquit, Sanctus sanctorum, cessabit unctio vestra. Quare illo præsente cui insultantes dicebatis, Tu de te testimonium dicis, testimonium tuum non est verum, cessavit unctio vestra, nisi quia ipse est qui venerat Sanctus sanctorum? Sed si (sicut vos dicitis) nondum venit, sed expectatur ut veniat Sanctus sanctorum, demonstrate unctionem : si autem (quod est verum) cessavit unctio vestra, agnoscite venisse Sanctum sanctorum. Ipse est enim et lapis ille abscissus de monte sine manibus concidentium, id est, Christus natus de virgine sine manibus complectentium : qui tantum crevit, ut mons magnus fieret, et impleret universam faciem terræ. De quo monte dicit propheta, Venite, ascendamus in montem Domini. Et de quo David dicit, Mons Dei mons uber : ut quid suspicamini montes incaseatos, montem in quo placuit Deo habitare in ipso? Cum enim ipse Dominus Christus discipulos suos interrogaret, quem eum dicerent esse homines Filium hominis, responderunt : Alii Heliam, alii Hieremiam, [alii Johannem Baptistam,] aut unum ex prophetis. Et ille : Ut quid suspicamini montes incaseatos, montem in quo placuit Deo habitare in eo? Hunc agnovit Petrus dicens, Tu es Christus Filius Dei. Agnovit montem, et ascendit in montem : testimonium dixit Veritati, et dilectus est a Veritate. Supra petram fundatus est Petrus, ut mortem susciperet illum amando : quem ter negaverat timendo. Tu autem.

R. 4. Me oportet minui, illum autem crescere. Qui post me venit, ante me factus est : cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.

V. Hoc est testimonium quod perhibuit Johannes. Qui post me.

Lectio v.

Dic et tu, Moyses legislator, dux populi Israel, testimonium Christo. Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris. Omnis anima quæ non audierit prophetam illum : exterminabitur de populo suo. Prophetam autem dictum esse Christum, ipsum audi in Evangelio. Non est, inquit, propheta sine honore, nisi in patria sua. Accedat autem David sanctus, testis fidelis, ex cujus semine processit ipse, cui lex et prophetæ testimonium dicunt; dicat et ipse de Christo. Adorabunt (inquit) eum omnes reges terræ : omnes gentes servient illi. Cui servient? Dic, cui serviunt? Vis audire cui? Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos : scabellum pedum tuorum. Et expressius atque nominatim : Quare (inquit) tumultuatæ sunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum : adversus Dominum et adversus Christum ejus. Accedat et alius testis. Dic et tu, Abacuch propheta, testimonium Christo. Domine (inquit) audivi auditum tuum, et timui : consideravi opera tua, et expavi. Quæ opera Dei iste miratus expavit? Numquid fabricam mundi iste miratus expavit? Absit : Sed audi ad quid expavit. In medio, (inquit) duum animalium cognosceris. Opera tua Deus Verbum caro factum est. In medio duum animalium cognosceris. Qui, quousque descendisti? Expavescere me fecisti; quia Verbum per quod facta sunt omnia, in præsepio jacuisti. Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. In medio duum animalium cognosceris. Quid est, In medio duum animalium cognosceris; nisi aut in medio duorum Testamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moysi et Heliæ cum eo in monte sermocinantium?

Ambulavit, inquit, verbum, et exivit in campis. Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Hoc et Hieremias ait : Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Ecce quemadmodum conveniunt sibi testes veritatis : ecce quemadmodum convincunt filios falsitatis. Tu autem.

R. 5. Ecce jam venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terris : factum de virgine, factum sub lege. Ut eos qui sub lege erant redimeret.

V. Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus, Filium suum misit in terris, in similitudinem carnis peccati. Ut eos.

Lectio sexta. [*S. Augustin. ut supra* §§ XIII., XIV., XV., XVI. *col.* 1560—1563.]

Sufficiunt vobis ista, O Judæi, an adhuc ad vestram confusionem, ex lege et ex gente vestra, alios introducemus testes: ut illi testimonium perhibeant, cui perdita mente insultantes dicebatis, Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum ? Quod si velim ex lege et ex prophetis omnia quæ de Christo sunt dicta colligere, facilius me tempus quam copia deserit. Verumtamen senem illum ex gente vestra natum, sed in errore vestro non relictum, Symeonem sanctum in medium introducam : qui meruit teneri decrepitus in hac luce quousque videret veram lucem. Quem quidem jam ætas compellebat ire : sed expectabat suscipere, quem sciebat venire. Cum iste senex admonitus esset a Spiritu sancto, quod non ante moreretur quam videret Christum Dei natum : quem cognoscens perrexit ad templum. Ubi eum vero portari matris manibus vidit, et divinam infantiam pia senectus agnovit: tulit infantem in manibus suis. Ille quidem Christum [infantem] ferebat, sed Christus senem regebat. Regebat qui portabatur: ne ille ante promissum a corpore solveretur. Quid tamen dixerit, quem confessus fuerit, advertite inimici, non Christi, sed vestri. Benedicens Deum exclamavit senex ille, et dixit: Nunc dimittis, Domine, servum tuum secundum verbum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Illi etiam parentes Johannis, Zacharias et Helizabeth, juvenes steriles, in senecta fecundi, dicant etiam ipsi testimonium Christo. Dicant de Christo quid sentiant, et testem idoneum Christo nutriant. Aiunt enim suo parvulo nato : Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ipsique matri et virgini Helizabeth ait : Unde mihi hoc, ut veniat mater Domini mei ad me ? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo. Intelligens enim Johannes matrem Domini sui venisse ad matrem suam, inter ipsas angustias uteri adhuc positus, motu salutavit, quem voce non poterat. Quid postea ipse Johannes præcursor et amicus humilis et fidelissimus servus, testis idoneus effectus, tanto major in natis mulierum, quanto æstimabatur esse quod non erat ? Christum enim eum esse Judæi credebant : sed ille non se esse clamabat, dicens : Quem me suspicamini esse, non sum ego. Sed ecce venit post me, [de] cujus pedibus non sum [ego] dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. O fidelis testis, et amice veri Sponsi, quantum te humiliasses si ad corrigiam calceamenti ejus solvendam dignum te esse dixisses ? Sed dum ad hoc non te dignum dicis, Judæis falsis testibus contradicis. Et hæc a te dicta sunt antequam Christum videres. Qui cum ad te ipse venit excelsus et humilis implendæ dispensationis suæ gratia ut a te baptizaretur qui nullum habebat omni-

no peccatum: quid responderis, quem cognoveris, quale testimonium protuleris, audiant inimici qui audire volunt: Ecce (inquit) Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et adjecit: Tu ad me venis baptizari: et ego a te debeo baptizari. Agnovit servus Dominum: agnovit vinculis originalis peccati obligatus ab omni nexu peccati liberum: agnovit præco judicem, agnovit creatura Creatorem, agnovit paranimphus Sponsum. Nam et hæc vox Johannis est: Qui habet sponsam sponsus est. Amicus autem sponsi stat et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi.

Sufficiunt vobis ista, O Judæi; sufficiunt vobis tanti testes, testimonia ex lege vestra, et ex gente vestra? An adhuc †impudentia nimia† audebitis dicere, quod alterius gentis vel nationis homines Christo deberent testimonium perhibere? Sed si hoc dicitis, respondet quidem ille vobis, Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Sed sicut vos in Actibus Apostolorum increpat Paulus, Vobis primum oportuerat annuntiare verbum Dei, sed quia repulistis illud, nec vos dignos vitæ æternæ judicastis, ecce (inquit) convertimur ad gentes. Demonstremus etiam nos, ex gentibus testimonium Christo fuisse prolatum; quoniam veritas non tacuit clamando etiam per linguas inimicorum suorum. Nonne quando poeta ille facundissimus inter sua carmina,

Jam nova progenies cælo demittitur alto,

dicebat, Christo testimonium perhibebat? In dubium hoc veniat, nisi alios ex gentibus idoneos testes pluraque dicentes in medium introducam. Illum regem, qui vestram superbiam captivando perdomuit, Nabuchodonosor, regem scilicet Babilonis non prætermittam. Dic, Nabuchodonosor, quid in fornace, quo tres viros justos injuste miseris, [vidisti] dic, dic quid tibi fuerit revelatum? Nonne tres viros (inquit) misimus in fornacem ligatos? Et aiunt ei: Vere rex. Ecce, inquit, ego video quattuor viros solutos deambulantes in medio ignis, et corruptio nulla est in eis, et aspectus quarti similis est Filio Dei. O alienigena, unde tibi hoc? Quis tibi annuntiavit Filium Dei? quæ lex, quis propheta annuntiavit tibi Filium Dei? Nondum quidem nascitur mundo, et similitudo nascentis a te cognoscitur. Unde tibi hoc? Quis tibi istud annuntiavit, nisi quia sic te divinus ignis intus illuminavit, ut cum illic apud te captivi tenerentur inimici Judæi, sic diceres testimonium Filio Dei? Sed quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, sicut ipse Dominus vestram contumaciam confutans, In lege (inquit) vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum sit: etiam ex gentibus tertius testis introducatur, ut testimonium veritatis ex omni parte roboretur. Quid Sibilla vaticinando etiam de Christo clamaverit, in medium proferamus, ut ex uno lapide utrorumque frontes percutiantur, Judæorum scilicet ac Paganorum, atque suo gladio, sicut Golias, Christi omnes percutiantur inimici: Audite quid dixerit:

[I] Judicii signum: tellus sudore madescet.

[H] E cælo rex adveniet per secla futurus.

[Σ] Scilicet in carne præsens: ut judicet orbem.

[O] Unde Deum cernent, incredulus atque fidelis,

[Y] Celsum cum sanctis ævi jam termino in ipso.

[Σ] Sic animæ cum carne aderunt, quas judicet ipse.

[X] Cum jacet incultus densis in vepribus orbis.

[P] Rejicient simulacra viri, cunctam quoque gasam.

[E] Exuret terram: ignis pontumque, polumque

[I] Inquirens tetri portas effringet Averni.

[Σ] Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni ['etenim' *Chev.*]

[T] Tradetur: sontes æterna*que* flamma cremabit. ['fontes' *Chev.*]

[O] Occultos actus retegens: tunc quisque loquetur

[Σ] Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.

[Θ] Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.

[E] Eripitur solis jubar: et chorus interit astris.

[O] Volvetur cælum: lunaris splendor obibit.

[Y] Dejiciet colles, valles extollet ab imo.

[Y] Non erit in rebus hominum, sublime, vel altum.

[I] Jam æquantur campis montes et cærula ponti.

[O] Omnia cessabunt: tellus confracta peribit.

[Σ] Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni.

[Σ] Sed tuba tunc sonitum tristem demittet ab alto ['Et tubarum' *Chev.*]

[Ω] Orbe gemens facinus miserum variosque labores,

[T] Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens,

[H] Et coram hic Domino reges sistentur ad unum.

[P] Recidet e cælo ignisque et sulphuris amnis. ['Decidet' *Chev.*]

Hæc de Christi nativitate, passione, et resurrectione, atque secundo ejus adventu ita dicta sunt, ut si quis in græco capita horum versuum discernere voluerit, inveniet IESVS · CHRISTVS · YOS · THAV · SOTHER. Quod et in latinum translatis eisdem versibus apparet, præter quod græcarum litterarum proprietas non adeò potuit observari...

Credo jam vos, O inimici Judæi, tantis testibus ita obrutos confutatosque, ut nihil ultra repugnare, nihil quærere debeatis.

R. 6. Virgo Israel, revertere in civitates tuas: usquequo dolens averteris? generabis Dominum Salvatorem oblationem novam in terra. Ambulabunt homines in salvationem.

V. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans. Ambulabunt. Gloria. Ambulabunt. ['In salvationem.' *Chev.*]

In iii. Nocturno.

Secundum Johannem i.

In illo tempore, miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et Levitas ad Johannem, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, et non negavit. Et confessus est quia non sum ego Christus. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii Papæ.

Lectio vii.

Ex hujus nobis lectionis verbis, fratres carissimi, Johannis humilitas commendatur: qui dum tantæ virtutis esset ut Christus credi potuisset: elegit solide subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se. Nam confessus est, et non negavit: et confessus est, quia non sum ego Christus. Sed quia dixit, Non sum, negavit plane quod non erat; sed non negavit quod erat: ut veritatem loquens ejus membrum fieret, cujus sibi nomen fallaciter non usurparet.

Responsorium 7. Juravi, dicit Dominus, ut ultra jam non irascar super terram: montes enim et colles suscipient justitiam meam. Et testamentum pacis erit in Hierusalem.

V. Juxta est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur. Et testamentum.

Lectio Octava.

Dum ergo non vult appetere no-

men Christi, factus est membrum Christi. Quia dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere, illius celsitudinem meruit veraciter obtinere. Sed cum ex lectione alia Redemptoris nostri sententia ad mentem reducitur, ex hujus nobis lectionis verbis quæstio valde implexa generatur. Alio quippe in loco inquisitus a discipulis Dominus de adventu Heliæ, respondit : Helias jam venit, et non cognoverunt eum sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Et si vultis scire, Johannes ipse est Helias.

R. 8. Intuemini quantus sit iste qui ingreditur ad salvandas gentes : ipse est rex justitiæ. Cujus generatio non habet finem.

V. Et dominabitur a mari usque ad mare. Cujus.

Lectio ix.

Requisitus autem Johannes dicit : Non sum Helias. Quid est hoc, fratres carissimi; quia quod veritas affirmat, hoc propheta veritatis negat? Valde namque inter se diversa sunt Ipse est, et Non sum. Quomodo ergo propheta veritatis est, si ejusdem veritatis sermonibus concors non est? Sed si subtiliter veritas ista requiratur, hoc quod inter se contrarium sonuit, quomodo contrarium non sit invenietur. Ad Zachariam namque de Johannis promissione angelus dixit : Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Heliæ. Qui idcirco venturus in spiritu et virtute Heliæ dicitur, quia sicut Helias secundum Domini adventum præveniet, ita Johannes prævenit primum. Sicut ille præcursor venturus est judicis, ita iste præcursor factus est redemptoris.

R. 9. Montes Israel, ramos vestros expandite, et florete, et fructus facite. Prope est ut veniat dies Domini.

V. Rorate cæli desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem. Prope. Gloria. Prope.

V. Emitte agnum (p. xxx.).

IN LAUDIBUS.

Ant. Canite tuba in Syon : quia prope est dies Domini : ecce veniet ad salvandum nos. Alleluia. Alleluia.

Ps. Dominus regnavit, *p.* 29.

Ant. Ecce veniet desideratus cunctis gentibus: et replebitur gloria domus Domini. Alleluya.

Ps. Jubilate, *p.* 29.

Ant. Erunt prava in directa, et aspera in vias planas : veni Domine et noli tardare. Alleluya.

Ps. Deus Deus meus, *p.* 30.

Ant. Dominus veniet, occurrite illi dicentes, Magnum principium, et regni ejus non erit finis : Deus fortis, dominator, princeps pacis. Alleluya. Alleluya.

Ps. Benedicite, *p.* 31.

Ant. Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus veniet. Alleluya.

Ps. Laudate Dominum de cælis.

Capitulum. Philippensis iv. [4, 5.]

Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete : modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dominus prope est.

Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

V. Vox clamantis.

Ant. Ego vox clamantis in deserto : dirigite viam Domini : sicut dixit Esaias propheta.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio. Excita (p. cxxxiii.).

Memoria de S. Maria.

AD PRIMAM.

Ant. Canite tuba.

Ps. Deus Deus meus respice, *p.* 37.

AD TERTIAM.

Ant. Ecce veniet.

Ps. Legem pone, *p.* 57.

Capitulum. Gaudete in Domino.
Responsoria et Versus sicut in prima Dominica Adventus Domini ad omnes Horas dicuntur.

Ad Sextam.

Ant. Erunt prava (p. cxlvi.).
Ps. Defecit, *p.* 61.

Capitulum. [*Philip. iv.* 6.]

Nihil solliciti sitis; sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.

Ad Nonam.

Ant. Omnipotens sermo (p. cxlvi.).
Ps. Mirabilia, *p.* 65.

Capitulum. [*Philippensis iv.* 7.]

Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda et corpora vestra, et intelligentias vestras.

Ad Vesperas.

Ant. Sede a dextris.
Ps. Dixit Dominus, *p.* 191.
Capitulum. Gaudete in Domino.
R. Festina, ne tardaveris. *Quære hoc Responsorium ad* O. (p. cliv.).
Hymnus. Conditor (p. v.).
V. Rorate cæli (p. vi.).
Antiphona. O.
Ps. Magnificat (p. 221).
Oratio. Excita, quæsumus (p. cxxxiii.).

Memoria de S. Maria, *ut supra.*

Quotidie per hebdomadam, usque ad Vigiliam Natalis Domini, dicantur Versus et Responsoria secundum ordinem Nocturnorum Dominicalis historiæ, quando de Feria agitur.

Feria ii.

Lectio prima. (Esai. x.) 29—34.

Obstupuit Rama: Gabaa Saulis fugit. Hinni voce tua filia Gallim: attende Laisa paupercula Anathot. Migravit Medemena: habitatores Gabin confortamini. Adhuc dies est ut in Nobe stetur. Agitabit manum suam super montem filiæ Syon: et collem Hierusalem. Ecce dominator dominus exercituum confringet lagunculam in terrore et excelsi statura succidentur: et sublimes humiliabuntur: et subvertentur condensa saltus ejus ferro: et Libanus cum excelsis cadet. Hæc dicit Dominus [Deus, Convertimini ad me et salvi eritis.]

Lectio ii. [*Isa. xi.* 1—4.]

Et egredietur virga de radice Jesse: et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis: et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in justitia pauperes: et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Hæc dicit Dominus.

Lectio iii. [*Isa. xi.* 4—9.]

Percutiet terram virga oris sui: et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus: et fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno: et pardus cum hædo accubabit. Vitulus et leo et ovis simul morabuntur: et puer parvulus minabit eos: Vitulus et ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum: et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis: et in caverna reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Non nocebunt neque occident in universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini: sicut aquæ maris operientis.

Ant. Dicit Dominus, pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum. Alleluya. *Ps.* Benedictus (p. 35).

AD VESPERAS.

Ant. O. *Ps.* Magnificat (p. 221).

Feria iii.

Lectio prima. Esaiae xi. (10, 11.)

In die illa radix Jesse qui stat in signum populorum: ipsum gentes deprecabuntur: et erit sepulchrum ejus gloriosum. Et erit In die illa, adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui quod relinquetur ab Assyriis et ab Egypto et a Phetros, et ab Ethiopia, et ab Elam, et a Sennaar, et ab Emath, et ab insulis maris. Hæc dicit.

Lectio secunda. [*Isa. xi.* 12—14.]

Et elevabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget, a quattuor plagis terræ. Et auferetur scelus Effraim: et hostes Juda peribunt. Effraim non æmulabitur Judam: et Judas non pugnabit contra Effraim. Et volabunt in humeros Philistiim per mare: simul prædabuntur filios orientis. Idumea et Moab præceptum manus eorum: et filii Amon obedientes erunt. Hæc dicit.

Lectio iii. [*Isa. xi.* 15—*xii.* 6.]

Et desolabit Dominus linguam maris Egypti: et levabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis: ita ut transeant per eum calciati. Et erit via residuo populo meo qui relinquetur ab Assyriis sicut fuit Israeli in die illa qua ascendit de terra Egypti. Et dices in illa die, Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus et consolatus es me. Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam et non timebo. Quia fortitudo mea et laus mea Dominus: et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris: et dicetis in illa die, Confitemini Domino et invocate nomen ejus. Notas facite in populis adinventiones ejus: mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra. Exulta et lauda habitatio Syon: quia magnus in medio tui sanctus Israel.

Ant. Consurge, consurge, induere fortitudinem brachii Domini.

Ps. Benedictus (p. 35).

AD VESPERAS.

Ant. O. *Ps.* Magnificat (p. 221).

Si vigilia Sancti Thomæ apostoli in dominica, vel in iiii. feria, vel in vi. vel in sabbato Quattuor temporum evenerit, nihil fiat de vigilia, nisi tantum memoria ad missam: sed in quacunque alia feria contigerit, fiat Missa de Vigilia.

Si festum Sancti Thomæ apostoli in vi. feria, vel in sabbato Quattuor temporum evenerit, nihil ad Matutinas de jejunio fiat nisi tantum memoria: sed post Tertiam dicitur missa de Apostolo. Post Sextam vero Missa fiat solennis de Jejunio: utraque ad principale altare in choro post Nonam.

Si festum Sancti Thomæ apostoli in Dominica evenerit, differatur in crastinum, ut inferius patebit in loco suo.

Feria iv.

Lectio i. [*Isa. xiii.* 1—8.]

Onus Babylonis quod vidit Esaias filius Amos. Super montem caliginosum levate signum et exaltate vocem: levate manum, et ingrediantur portas duces. Ego mandavi sanctificatis meis: et vocavi fortes meos in ira mea: exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium: vox sonitus regum et gentium congregatarum. Dominus exercituum præcepit militiæ belli venientibus de terra procul. A summitate cæli

Dominus et vasa furoris ejus: ut disperdat omnem terram. Ululate quia prope est dies Domini: quasi vastitas a Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissolventur: et omne cor hominis tabescet et conteretur, torsiones et dolores tenebunt, quasi parturientes dolebunt. Unusquisque ad proximum suum stupebit: facies combustæ vultus eorum. Hæc [dicit Dominus Deus, Convertimini ad me et salvi eritis].

Lectio ii. [*Isa. xiii.* 9—11.]

Ecce dies Domini veniet crudelis et indignationis plenus, et iræ furorisque: ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea: quoniam stellæ cæli et splendor earum non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo: et luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala: et contra impios iniquitatem eorum. Et requiescere faciam superbiam infidelium: et arrogantiam fortium humiliabo. Hæc.

Lectio iii. [*Isa. xiii.* 12—16.]

Pretiosior erit vir auro: et homo mundo obrizo. Super hoc cælum turbabo: et movebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum, et propter diem iræ furoris ejus. Et erit quasi damula fugiens et quasi ovis: et non erit qui congreget. Unusquisque ad proximum suum convertetur: et singuli ad terram suam fugient. Omnis qui inventus fuerit occidetur: et omnis qui supervenerit cadet in gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, et uxores eorum violabuntur. Hæc dicit Dominus Deus.

Ant. Ponent Domino gloriam: et laudem ejus in insulis nuntiabunt: quia ipse veniet, et non tardabit.

Ps. Benedictus (p. 35).

Ad Vesperas.

Ant. O. *Ps.* Magnificat.

Feria quinta et duabus feriis sequentibus versiculi et Responsoria eodem ordine dicantur quo in iii. feria præcedente.

Lectio i. [*Isa. xiii.* 17—19.]

Ecce ego suscitabo super eos Medos qui argentum non quærant nec aurum velint: sed sagittis parvulos interficiant, et lactantibus uteris non misereantur, et super filios non parcat oculus eorum. Et erit Babylon illa civitas gloriosa in regnis inclita in superbia Chaldeorum sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorram. Hæc.

Lectio ii. [*Isa. xiii.* 20—22.]

Non habitabitur usque in finem: et non fundabitur usque ad generationem et generationem. Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi: sed requiescent ibi bestiæ: et replebuntur domus eorum draconibus: et habitabunt ibi strutiones: et pilosi saltabunt ibi. Et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus: et sirenæ in delubris voluptatis.

Lectio tertia. [*Isa. xiv.* 1—4.]

Prope est ut veniat tempus ejus: et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob: et eliget adhuc de Israel: et requiescere eos faciet super humum suam. Adjungetur advena ad eos, et adhærebit domui Jacob: tenebunt eos populi et adducent eos in locum suum. Et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et ancillas. Et erunt capientes eos qui se ceperant: et subjicient exactores suos. Et erit, In die illa cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, et a concussione tua, et a servitute dura qua ante servisti: sumes parabolam istam contra regem Babilonis, et

dices. Quomodo cessavit exactor: quievit tributum? Hæc dicit.

Ant. Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Dominus Deus noster.

Ps. Benedictus.

Ad Vesperas.

Ant. O. *Ps.* Magnificat (p. 221).

Feria vi.

Lectio i. [*Isa. xiv.* 5—8.]

Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium cædentem populos in indignatione plaga insanabili; subjicientem in furore gentes: persequentem crudeliter. Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exultavit: abietes quoque lætatæ sunt super te, et cedri Libani. Hæc.

Lectio ii. [*Isa. xiv.* 8—10.]

Ex quo dormisti non ascendent qui succidat nos. Infernus subter te conturbatus est: in occursum adventus tui suscitavit tibi gygantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis: omnes principes nationum: universi respondebunt, et dicent tibi, Et tu vulneratus es sicut et nos: nostri similis effectus es.

Lectio iii. [*Isa. xiv.* 11—15.]

Detracta est ad inferos superbia tua: concidit cadaver tuum. Subter te sternetur tinea: et operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer: qui mane oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas gentes: qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. Hæc.

Ant. Dies Domini sicut fur veniet in nocte: ita et vos estote parati quia qua hora non putatis filius hominis veniet.

Ps. Benedictus.

Ad Vesperas.

Ant. O. *Ps.* Magnificat.

Notandum est quod ab inceptione antiphonæ O Sapientia *usque ad Vigiliam Natalis Domini in ferialibus diebus, quando de feria agitur, quatuor Antiphonæ super Psalmos hinc inde inter Pueros discurrant: quinta Antiphona ab aliquo Clerico de secunda forma incipiatur.*

Septimo decimo Kalendas Januarii semper incipietur Antiphona O Sapientia, *et hoc sequens Responsorium* Festina, ne tardaveris, *semper dicitur ad Vesperas ab aliquo Clerico de secunda forma ad initium hujus Antiphonæ* O, *nisi forte in Sabbato inchoetur: tunc enim dicatur Responsorium de historia Dominicali, videlicet R.* Qui venturus. *Et postea de aliquo Puero ex parte Chori pro voluntate rectoris dicatur quotidie ad Vesperas quando de Adventu agitur, usque ad Vigiliam Natalis Domini, nisi in sabbato quartæ Dominicæ.*

R. Festina, ne tardaveris, Domine: Et libera populum tuum.

V. Veni, Domine, et noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ.. Et. Gloria. *Iterum a Choro reincipitur Responsorium* Festina.

Hymnus. Conditor (p. v.).

V. Rorate cæli (p. vi.).

Excellentior persona quæ in choro præsens fuerit incipiat Antiphonam.

Ant. 1. O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem, fortiter: suaviter disponensque omnia: veni ad docendum nos viam prudentiæ.

Ps. Magnificat.

Nullæ deinceps fiant preces neque prostrationes ad Vesperas. Sed ad Completorium et ad omnes alias

Horas fiant Preces cum prostrationibus more solito.

Memoria de sancta Maria ad istud primum O, *dicitur Ant.* Ave Maria. *Ad alias vero Vesperas, quando de feria agitur, dicitur ad Memoriam de sancta Maria Ant.* Ne timeas, *usque ad vigiliam Natalis Domini, nisi forte in eadem Dominica primum* O. *incipiatur; tunc enim ad memoriam de sancta Maria dicatur Ant.* Beata es Maria.

Ad istud primum O. *nulla fiat Memoria de Omnibus Sanctis; sed abhinc fiant Memoriæ de Sancta Maria et de Omnibus Sanctis, sicut in aliis feriis, usque ad vigiliam Natalis Domini, tam ad Vesperas quam ad Matutinas.*

Istæ Antiphonæ sequentes pro voluntate Cantoris singulæ in diversis Vesperis incipiantur ab excellentioribus personis post illum qui Antiphonam ad primum O *incepit, gradatim per singulas personas descendendo, usque ad Vigiliam Natalis Domini.*

Ant. 2. O Adonay, et dux domus Israel, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, et in Syna legem dedisti : veni ad redimendum nos in brachio extento.

Ps. Magnificat.

Ant. 3. O radix Jesse qui stas in signum populorum, super quem continebunt reges os suum, quem gentes deprecabuntur : veni ad liberandum nos, jam noli tardare.

Ps. Magnificat.

Ant. 4. O clavis David, et sceptrum domus Israel, qui aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit : veni et educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra mortis.

Ps. Magnificat.

Ant. 5. O oriens splendor lucis æternæ et sol justitiæ : veni et illumina sedentem in tenebris et umbra mortis.

Ps. Magnificat.

Ant. 6. O rex gentium et desideratus earum : lapisque angularis qui facis utraque unum : veni, salva hominem quem de limo formasti.

Ps. Magnificat.

Ant. 7. O Emmanuel, Rex et Legifer noster, expectatio gentium et salvator earum : veni ad salvandum nos, Domine Deus noster.

Ps. Magnificat.

Ant. 8. O virgo virginum, quomodo fiet istud : quia nec primam similem visa : es nec habere sequentem. Filiæ Hierusalem, quid me admiramini ? . divinum est mysterium hoc quod cernitis.

Ps. Magnificat.

Ant. 9. O Thoma Didime, per Christum quem meruisti tangere, te precibus rogamus altisonis : succurre nobis miseris, ne damnemur cum impiis in adventu judicis.

Ps. Magnificat.

Hæc sola Ant. O Thoma Didime *dicitur ad utrasque Vesperas de sancto Thoma apostolo super Ps.* Magnificat.

Memoria de Adventu in die sancti Thomæ apostoli.

AD MATUTINAS.

Ant. Nolite timere : quinta enim die veniet ad nos Dominus Deus noster.

Quando autem festum sancti Thomæ apostoli differtur in secundam feriam, tunc eo anno hæc Ant. Nolite timere *omnino prætermittatur, et Antiphona ferialis, scilicet* Dicit Dominus, *ad Memoriam de Adventu dicatur.*

In Vigilia Natalis Domini.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Hodie scietis, quia veniet Dominus : Et mane videbitis gloriam ejus.

Ps. Venite.

Hoc invitatorium dicatur a solo clerico de secunda forma, nisi Dominica evenerit.

Hymnus. Verbum supernum (p. xviii.).

Super Nocturnum Antiphonæ et Psalmi illius feriæ.

V. Constantes estote.

R. Videbitis auxilium Domini super vos.

Lectio Sancti Evangelii secundum Mattheum i. 18.

In illo tempore. Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Et reliqua.

Omelia Origenis.

Quæ fuit necessitas ut desponsata esset mater Jesu Maria Joseph : nisi propter ea quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur, et ille malignus fraudis commenta adversus desponsatam virginem nulla penitus invenisset ? Vel ideo fuit desponsata Joseph : ut nato infanti vel ipsi Mariæ curam videretur gerere Joseph : sive in Egyptum iens vel inde denuo rediens. Ideo fuit desponsata Joseph : non tamen in concupiscentia juncta. Mater, inquit, ejus. Mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta. Mater ejus. Cujus ejus ? Mater Dei unigeniti domini et regis omnium : plasmatoris et creatoris cunctorum. Illius qui in excelsis est sine matre ; et in terris est sine patre. Ipsius qui in cælis secundum deitatem in sinu est Patris; et in terris secundum corporis susceptionem in sinu est matris. O magnæ admirationis gratia ! O inenarrabilis suavitas ! O ineffabile magnumque sacramentum. Ipsa eademque virgo, ipsa et mater Domini, ipsa genitrix, ipsa ejus ancilla, et plasmatio ejus, ipsa quæ genuit.

R. 1. Sanctificamini hodie, et estote parati, quia die crastina videbitis, Majestatem Dei in vobis.

V. Hodie scietis quia veniet Dominus : et mane videbitis. Majestatem.

Lectio ii.

Quis unquam ista audivit, quis vidit talia ? Quis hoc excogitare potuit, ut virgo mater esset, intacta generaret, quæ et virgo permansit et genuit ? Sicut enim quondam rubus comburi videbatur, et ignis eum non tangebat ; et sicut tres pueri in camino inclusi habebantur, et tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis : vel quemadmodum Danieli intra lacum leonum incluso, claustris non apertis allatum est ei prandium ab Abacuch : ita et hæc sancta virgo genuit Dominum, sed intacta permansit. Mater effecta est; sed virginitatem non amisit. Genuit infantem ; et (ut dictum est) virgo permansit. Virgo ergo genuit : et virgo permansit. Mater filii facta est, et castitatis sigillum non perdidit. Quare ? Quia non homo iste tantum qui videbatur : sed unigenitus erat Deus qui in carnem advenerat. Nec subito carnaliter genitus est, sed perfecta Deitas in corpore venit. Integer ergo et indivisus Deus in humano advenit vel genitus est corpore : quique Deus et Dominus figuram servi suscepit. Non enim pars unigeniti venit in corpore : nec seipsum divisit, ut dimidius esset apud Patrem, et dimidius esset in virgine ; sed totus apud Patrem, et totus in virgine. Totus in sinu Patris, et totus in humano corpore. Non relinquens superna, venit quærere terrena. Quæ in cælis sunt conservans ; et quæ in terris sunt salvans. Ubique omnipotens, inscissus, indivisus, hic sanctus unigenitus Deus.

R. 2. Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos : Judæa et Hierusalem nolite timere. Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum.

V. Vos qui in pulvere estis : expergiscimini et laudate, ecce Dominus veniet cum salute. Cras.

Lectio iii.

Si enim hoc verbum humanum et corporale immissum in auribus plurimorum non dividitur per singulos: ut pars in alio, et pars sit iterum in alio, sed in omnibus integrum et plenum habetur, ut in unoquoque totum sit: quanto magis Verbum Dei unigenitus ubique totus est, et in cælo et in terra, et apud Patrem et in virgine. Et non dividitur (ut dictum est) neque scinditur, neque in partes efficitur: sed totus totum tenet, totum implet, totum illustrat et possidet. Hujus itaque unigeniti Dei dicitur hæc mater virgo Maria: digna digni, immaculata sancti, una unius, unica unici. Nec enim alter unigenitus super terram venit, aut alia virgo unigenitum genuit. In his omnibus quæ dicta sunt, desponsata legitur mater ejus Maria. Et ait: Inventa est in utero habens. Cui inventa, aut a quo inventa est? Primo ab angelis custodientibus eam, protegentibus eam, conservantibus eam: vel ejus beatissimam animam ad honorem illius qui ab ipsa generandus erat. Dehinc inventa non incongrue putabatur ab ipso beato Joseph sancto et justo; qui pene licentia maritali licet eam non contingeret, futuræ tamen ut putabatur uxoris omnia noverat. Joseph autem vir ejus (inquit) cum esset homo justus, et nollet eam traducere. Virum appellavit, contra Judeorum pravitatem, ut adversus virginem non sævirent. Propterea et desponsata fuit ipsi Joseph, ut supra dictum est. Si enim non fuisset desponsata Joseph, omnium bonorum incredibiles et inimici Judei lapidibus eam occidissent. Ideo virum ejus hic eum Evangelista appellavit.

R. 3. De illa occulta habitatione sua egressus est Filius Dei: descendit visitare et consolari omnes. Qui eum de toto corde desiderabant.

V. Ex Syon species ejus: Deus noster manifeste veniet. Visitare. Gloria Patri. Qui eum de.

Non dicitur Te Deum.

Versus. Crastina die delebitur iniquitas terræ.

R. Et regnabit super nos salvator mundi.

In Laudibus.

Antiphona. Judea et Hierusalem, nolite timere, cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum. *Ps.* Miserere, *p.* 85, *et ceteri Psalmi illius feriæ, et si Dominica fuerit, tunc dicatur Ps.* Dominus regnavit, *p.* 29, *sicut in aliis Dominicis præcedentibus.*

Ant. Hodie scietis quia veniet Dominus: et mane videbitis gloriam ejus.

Ant. Crastina die delebitur iniquitas terræ: et regnabit super nos salvator mundi.

Ant. Propter Syon non tacebo: donec egrediatur ut splendor justus ejus.

Si Vigilia Nativitatis Domini in Sabbato contigerit, non dicitur Ant. Propter Syon *super Canticum, sed Ant.* Expectetur *cum Psalmo* Audite cæli, *et in illo anno omnino prætermittatur Ant.* Propter Syon: *sed quacunque alia feria contigerit, Ant.* Propter Syon *super Cantica dicetur.*

Ant. Expectetur sicut pluvia eloquium Domini: et descendet super nos sicut ros Deus noster.

Ps. Audite cæli (*Deuteronomii xxxii.* 1—43, *p.* 187).

Ant. Crastina die erit vobis salus: dicit Dominus Deus exercituum.

Ps. Laudate [cxlviii. *usque ad* cl. *sub uno Gloria Patri*, p. 32].

Capitulum. Esai. lxii. 1.

Propter Syon non tacebo, et propter Hierusalem non quiescam: donec egrediatur ut splendor justus ejus: et salvator ejus ut lampas accendatur.

Hymnus. Vox clara (p. xxxi.).

V. Hodie scietis quia veniet Dominus.

R. Et mane videbitis gloriam ejus.

Ant. Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph : antequam convenirent, inventa est in utero habens, quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est. Alleluya.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio.

Deus, qui nos redemptionis nostræ annua expectatione lætificas : præsta ut unigenitum tuum, quem redemptorem læti suscipimus, venientem quoque judicem securi videamus, Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum ; Qui tecum vivit et regnat.

Dominus vobiscum.

Puer hebdomadarius dicat Benedicamus Domino.

Hæc præcedens Oratio dicatur ad Matutinas et ad alias Horas hujus diei, et etiam ad primas Vesperas.

Non dicantur Preces, nec fiat genuflectio ad has Matutinas, nec ad alias Horas diei.

Non dicantur Matutinæ de sancta Maria hac die in Conventu, nec ab hinc usque ad Octavas sancti Stephani.

Nulla fit Memoria ad has Matutinas, si Dominica fuerit, nisi tantum de Omnibus Sanctis, scilicet Ant. Ecce Dominus veniet. *V.* Ecce apparebit Dominus. *Oratio,* Conscientias (p. 90).

Non dicitur Ps. Ad te levavi *ad has Matutinas, nec ab hinc usque ad inceptionem Hystoriæ* Domine, ne in ira.

Ad Primam.

Ant. Judea et Hierusalem, *p.* clx.

Psalmi. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Beati immaculati (*cxviii.* 1—16, p. 44).
Retribue (*cxviii.* 17—32, p. 45). Gloria.

Ant. Gloria tibi Trinitas, *p.* 49.

Ps. Quicunque, *p.* 46.

Cap. Domine, miserere.

R. Jesu Christe *cum* Alleluya.

V. Qui sedes. *Et dicatur cum* Alleluya *quotidie infra Octavas, usque ad Octavas Epyphaniæ, et in ipsis Octavis : et iste Versus* Qui sedes *hac die tantum dicitur.*

Hoc etiam generaliter fit per totum annum, quod quotienscunque dicuntur Responsoria super Horam cum Alleluya, *R.* Jesu Christe *debet præcedere cum* Alleluya.

Preces, et cetera quæ ad Primam pertinent, absque prostratione compleantur.

Si non fuerit Dominica, dicatur cantus ferialis, et in Vigilia Epyphaniæ, super R. Jesu Christe.

Si hæc Vigilia in Dominica evenerit, hoc modo dicetur Prima.

Super Hymnum Jam lucis *dicetur idem cantus qui in Dominica præcedente.*

Ant. Judea et Hierusalem, *p.* clx.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ant. Te jure, *p.* 49.

Ps. Quicunque, *p.* 46.

Cap. Regi seculorum, *p.* 49.

R. Jesu Christe *cum* Alleluya.

Cetera ut supra.

Ad omnes Horas dicantur cantus feriales super Hymnum, si Dominica non fuerit.

Ad Tertiam.

Antiphona super Psalmum incipiatur ab aliquo clerico de secunda forma ex parte chori, et ita ceteræ Antiphonæ ad ceteras Horas discurrant per ordinem.

Ant. Hodie scietis, *p.* clx.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33—48, p. 57).

Cap. Propter Syon, *p.* clx.

Responsorium dicatur in secunda forma a clerico proximo illi qui Antiphonam incepit : et ad ceteras Horas dicantur Responsoria in eadem forma.

R. Constantes estote. Alleluya. Alleluya.

V. Videbitis auxilium Domini : super vos. Alleluya. Gloria. Constantes.

V. Crastina die erit vobis salus.

R. Dicit Dominus Deus exercituum. *sine* Alleluya.

Sciendum est quod omnia Responsoria versuum sine* Alleluya *dicantur per totum annum extra tempus Paschæ, nisi post Versum* Verbum caro, *et post Versum* Dominus regnavit (p. 34).

Oratio. Deus qui nos redemptionis (p. clxi.).

AD SEXTAM.

Ant. Crastina die, *p.* clx.

Ps. Defecit in salutare (*cxviii.* 81—96, p. 61).

Capitulum. Esai. lxii. 2.

Videbunt gentes justum tuum : et cuncti reges inclitum tuum : et vocabitur tibi nomen novum quod os Domini nominavit.

R. Crastina die erit vobis salus. Alleluya. Alleluya.

V. Dicit Dominus Deus exercituum. Alleluya. Alleluya.

V. Hodie scietis quia veniet Dominus.

R. Et mane videbitis gloriam ejus.

Oratio ut supra.

AD NONAM.

Ant. Crastina, *p.* clx.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129—144, p. 65).

Capitulum. Esai. lxii. 4.

Non vocaberis ultra Derelicta, et terra tua non vocabitur amplius Desolata : sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitabitur.

R. Hodie scietis quia veniet Dominus. Alleluya. Alleluya.

V. Et mane videbitis gloriam ejus. Alleluya.

V. Constantes estote.

R. Videbitis auxilium Domini super vos.

Si hæc Vigilia Nativitatis Domini in Sabbato contigerit, jejunia Quattuor temporum non in ipsa ebdomada sed in præcedenti erunt. Si autem hæc Vigilia in Dominica evenerit, totum Servitium fiat de Dominica usque ad Versum tertii Nocturni, qui erit Constantes, *ante pronunciationem Evangelii, præter Invitatorium quod erit de Vigilia, scilicet* Hodie scietis. *Deinde vero totum de Vigilia dicatur, et post primam Collectam, quæ erit de Vigilia, post Psalmum* Benedictus, *fiat Memoria de Dominica tantum, sed nulla Memoria de sancta Maria, nec etiam Matutinæ de ea dicantur in conventu, neque Memoria de Omnibus Sanctis. Invitatorium tantum erit de Vigilia, scilicet* Hodie scietis.

Ad Primam Ant. Judea et Hierusalem, *p.* clx.

Antiphonæ, Capitula, Versus, Responsoria et Collectæ super omnes Horas de Vigilia erunt, cum Oratione de Vigilia prædicta, ea nihil de Dominica.

Missa vero dominicalis in Capitulo post Primam, ante Tertiam, et ante Processionem dicatur. Et Missa de Vigilia dicatur post Sextam in choro ad autenticum altare, cum Alleluya. *V.* Crastina. *Sequentia* Jubilemus.

In Vigilia Nativitatis Domini.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ant. Rex pacificus magnificatus est : cujus vultum desiderat universa terra.

Ps. Laudate pueri (*cxii.* p. 193).

Hac die Episcopus vel Decanus Antiphonam incipiat, excellentior persona

* '*omnes Responsiones Versiculorum.*' Portif. 1525—6.

alterius partis chori post illum qui exequitur Officium illius diei: secunda ab alio excellentiore incipiatur: et ita discurrent singulæ Antiphonæ personarum dignitate.

Secunda Ant. Magnificatus est rex pacificus super omnes reges universæ terræ.

Ps. Laudate Dominum omnes (*cxvi. p.* 197).

Ant. Scitote quia prope est regnum Dei: amen dico vobis quia non tardabit.

Ps. Lauda anima (*cxlv.* p. 218).

Ant. Levate capita vestra: ecce appropinquabit redemptio vestra.

Ps. Laudate Dominum quoniam bonus (*cxlvi.* p. 218).

Ant. Completi sunt dies Mariæ: ut pareret filium suum primogenitum.

Ps. Lauda Hierusalem (*cxlvii.* p. 219).

Et sciendum est quod quandocunque in duplici festo ad primas Vesperas quinque Antiphonæ dicuntur super Psalmos, dicantur prædicti quinque Psalmi ad easdem Vesperas: nisi in Circuncisione Domini, et Epyphania, et Purificatione, et in festo Corporis Christi.

Episcopus in capa serica dicat Capitulum, loco non mutato. Episcopo absente Decanus, vel aliquis alius locum ejus tenens, loco nec habitu mutato, dicat Capitulum.

Capitulum. Esai. ix. 2.

Populus gentium qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.

Cantor et aliæ duæ personæ pro dispositione illius cantoris cantent ad gradum chori in capis sericis,

R. Judæa et Hierusalem nolite timere. Cras egrediemini. Et Dominus erit vobiscum.

V. Constantes estote: videbitis auxilium Domini super vos. Cras. Gloria. Et.

Duo rectores ex parte chori simul incipiant Hymnum a cantore primo quæsitum.

Hymnus.

Veni redemptor gentium,
Ostende partum virginis,
Miretur omne seculum:
Talis decet partus Deum.

Non ex virili semine
Sed mystico spiramine
Verbum Dei factum caro,
Fructusque ventris floruit.

Alvus tumescit virginis,
Claustra pudoris permanent,
Vexilla virtutum micant,
Versatur in templo Deus.

Procedens e thalamo suo,
Pudoris aula regia,
Geminæ gygas substantiæ:
Alacris ut currat viam.

Egressus ejus a Patre,
Regressus ejus ad Patrem,
Excursus usque ad inferos,
Recursus ad sedem Dei.

Æqualis æterno Patri
Carnis trophæo accingere,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpetim.

Præsepe jam fulget tuum,
Lumenque nox spirat novum:
Quod nulla nox interpollat:
Fideque jugi luceat.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio:
Cum Spiritu paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

Dum Hymnus cantatur, duo pueri qui serviunt de thuribulis, duas capas deferant de serico principali sacerdoti, quarum alteram alteri sacerdoti pro voluntate transmittat ad thurificandum altare.

In fine prædicti Hymni dicatur versus Deo Patri. *Non dicitur in fine hujus Hymni,* Gloria tibi Domine,

nec ad Completorium, sed dicitur versus Deo Patri sit gloria.

Duo pueri in superpelliciis ad gradum chori dicant V. Tanquam sponsus. *R.* Dominus procedens de thalamo suo. *sine* Alleluia.

Antiphonam super Ps. Magnificat *excellentior persona ex parte chori incipiat. Et si Episcopus præsens fuerit, Cantor ipsam antiphonam ei injungat.*

Ant. Dum ortus fuerit sol de cælo, videbitis regem regum procedentem a Patre : tanquam sponsus de thalamo suo.

Ps. Magnificat (*p.* 221).

Tota cantetur antiphona, antequam intonetur Psalmus Magnificat.

Hæc sunt festa majora duplicia in quibus ad primas vesperas tantum Antiphona super Psalmum Magnificat *tota cantabitur ante Psalmi intonationem : et omnia altaria ecclesiæ circa presbiterium incensabuntur dum Ps.* Magnificat *cantatur, et ad singulos Nocturnos ad Matutinas principale altare et chorus semper ad mediam Lectionem Nocturni : et in die semper fiat Processio, quocunque Festo contigerit : scilicet, Primus dies Natalis Domini : Dies Epyphaniæ : Dies Purificationis beatæ Mariæ : Primus dies Paschæ : Dies Ascensionis Domini : Primus dies Penthecostes : Festum sanctæ Trinitatis : Festum Corporis Christi : Festum Reliquiarum : Festum Assumptionis, et Nativitatis beatæ Mariæ : Festum Dedicationis ecclesiæ : Festum Omnium Sanctorum : et Festum loci.*

Post inchoationem Antiphonæ procedat executor Officii cum aliquo Sacerdote post illum excellentiore ad thurificandum altaria duobus thuribulis, de quorum uno ministrabit puer ebdomadarius, de reliquo vero alius puer pro dispositione Sacristarum. Si Episcopus fuerit præsens, Sacerdos secundarius cum Capellano episcopi ipsum Episcopum in sua sede incenset. Deinde procedant ad thurificandum cetera altaria circa presbyterium. Excellentior Sacerdos exeat per ostium presbiterii septentrionale, cum uno Ceroferario et uno thuribulo, Sacrista in manu sua virgam gestante et eos præcedente, primo ad altare sancti Martini, deinde ad altare sanctæ Catherinæ, et post ad altare Apostolorum, ultimo ad altare sanctæ Trinitatis, quod dicitur Salve. Secundarius per ostium presbyterii australe prædicto modo exeat cum ministris suis, primo ad altare sancti Nicolai, deinde ad altare sanctæ Mariæ Magdalenæ, ultimo ad altare sancti Stephani. Quibus thurificatis ambo conveniant ad ostium presbyterii ex parte australi, et ibidem excellentior Sacerdos thus in utroque thuribulo imponat, et sic intrent et thurificent episcopum in sua sede. Deinde thurificent superiorem ante gradum chori : Ebdomadario constituto ad Orationem dicendam solus Episcopus non mutet Orationem, Deus, qui nos redemptionis, *ut supra ad Matutinas, et terminetur ut ibidem : dicatur* Dominus vobiscum : *a duobus Clericis de secunda forma dicitur* Benedicamus Domino, *sine* Alleluya.

Et sciendum est quod in omnibus Vigiliis Sanctorum, sive sint de Temporali, sive de Sanctis, semper ad primas Vesperas dicitur Oratio de Vigilia, nisi Festum differatur, et nisi in Vigilia sancti Thomæ Apostoli, sancti Jacobi, et sancti Bartholomei. Quando vero Festum differtur, tunc in Vigiliis prædictorum Apostolorum Oratio de Die dicatur ad primas Vesperas.

Ad Completorium, *unus de superiori gradu incipiat Antiphonam,* Estote parati similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis.

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 222): *et ceteri Psalmi consueti.*

Cap. Tu in nobis (p. 224).

Hymnus.

Salvator mundi Domine,
Qui nos salvasti hodie,
In hac nocte nos protege:
Et salva omni tempore.

Adesto nunc propicius,
Et parce supplicantibus:
Tu dele nostra crimina,
Tu tenebras illumina.

Dementem somnus opprimat,
Nec hostis nos surripiat,
Nec ullis caro, petimus,
Commaculetur sordibus.

Te reformator sensuum,
Votis precamur cordium,
Ut puri castis mentibus
Surgamus a cubilibus.

Deo Patri sit gloria.

Quæritur utrum dicatur alius cantus in choro Sarum. Super Hymnum Salvator mundi. *quam iste cantus subsequens? Respondetur quod non : nisi in tribus diebus in hebdomada natalis Domini : videlicet, in die sancti Stephani, sancti Johannis, et sanctorum Innocentium, qui sunt extra regulam : in quibus omnis Cantus cujuscunque Hymni potest variari pro voluntate incipientis propter tres solemnitates ibidem celebratas, et ab antiquo permissas; scilicet, levitarum, puerorum, et sacerdotum* [*cf. pp.* clxxvii., ccix.].

Hic Hymnus, scilicet Salvator, *dicitur ad Completorium quotidie, usque ad Octavas Epyphaniæ, et in ipsis Octavis, et in omnibus festis duplicibus ab Octavis Epyphaniæ usque ad primam Dominicam Quadragesimæ : et in omnibus festis duplicibus a Penthecoste usque ad Vigiliam Natalis Domini. Dicetur etiam in vigilia Penthecostes, et per ipsius ebdomadam, scilicet in quinta et sexta feria et sabbato : et quotidie per Octavas, et in Octavis Assumptionis et Nativitatis beatæ Mariæ, et per Octavas Dedicationis Ecclesiæ, sive de Octavis fiat servitium, vel de alio festo novem lectionum; nisi Dedicatio alicujus ecclesiæ in Quadragesima contigerit, vel in Paschali tempore.*

Quidam Puer ex parte chori, loco nec habitu mutato, dicat V. Custodi nos Domine (p. 225).

Unus de excellentioribus personis ex parte chori pro dispositione Rectoris incipiat Antiphonam.

Ant. Vigilate omnes et orate : nescitis enim quando tempus sit. Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniet. Sero : an media nocte : an gallicantu : an mane. Ne cum venerit repente inveniat vos dormientes.

Ps. Nunc dimittis (p. 225).

Preces, et cetera quæ ad Completorium pertinent sunt exequenda.

Notandum quod omnes Clerici de superiori gradu et de secunda forma ad omnes Vesperas principales per annum stare tenentur in choro continue : nisi dum versus Responsorii canitur, quando Responsorium habetur, et dicitur ad gradum chori. Ad Completorium omnes indifferenter Clerici per totam illam Horam stare tenentur, sicut ad Matutinas per totum tempus, nisi dum leguntur Lectiones, et Responsoria cum suis versibus cantantur. Ad Primam et ad ceteras Horas omnes uniformiter stare tenentur.

Hac die tam ad utrasque Vesperas quam ad Matutinas scribantur quattuor Rectores qui erunt de superiori gradu : videlicet in die Nativitatis Domini et in duobus diebus sequentibus; in die Epyphaniæ; et in die Paschæ; et in secunda feria; in Assumptione beatæ Mariæ; et in die Dedicationis. In reliquis diebus erunt Secundarii de secunda forma.

IN DIE NATIVITATIS DOMINI.

In die Nativitatis ad Matutinas omnes Rectores chori simul incipiant Invitatorium, et cantent antequam a Choro repetatur : et hoc generaliter per totum annum observetur ; quod in omni duplici festo primo percantetur Invitatorium ab his qui dicturi sunt Psalmum Venite. *A toto Choro percantetur,*

Invitatorium. Christus natus est nobis. Venite adoremus.

Ps. Venite (p. 2).

Hymnus.

Christe redemptor omnium :
Ex Patre Patris unice,
Solus ante principium
Natus ineffabiliter.

Tu lumen, tu splendor Patris,
Tu spes perennis omnium :
Intende quas fundunt preces
Tui per orbem famuli.

Memento salutis auctor,
Quod nostri quondam corporis
Ex illibata virgine
Nascendo formam sumpseris.

Hic præsens testatur dies
Currens per anni circulum,
Quod solus a sede Patris
Mundi salus adveneris.

Hunc cælum, terra, hunc mare,
Hunc omne quod in eis est :
Auctorem adventus tui
Laudat exultans cantico.

Nos quoque qui sancto tuo
Redempti sumus sanguine :
Ob diem natalis tui
Hymnum novum concinnimus.

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna secula. Amen.

Hic primum dicetur Gloria tibi Domine. *Hic etiam versus dicatur in fine omnium Hymnorum ejusdem metri usque in crastinum Purificationis, præterquam in festo Epyphaniæ et per Octavas, et nisi in Hymno* Deus creator omnium. *Dicetur etiam in fine omnium Hymnorum ejusdem metri, et in omnibus feriis, et per Octavas beatæ Mariæ virginis, et in Commemorationibus beatæ Mariæ virginis, ejusdem metri per totum annum. Et in festo Corporis Christi, et per Octavas, et in Octavis, quando de ipsis Octavis fit servitium, nisi in Hymno* Verbum supernum.

Principalis Rector et suus collateralis in duplici festo simul Hymnum incipiant, et Psalmos intonent. Et Secundarius cum suo collaterali ex sua parte eodem modo se gerant. Antiphonæ super Psalmos eodem modo hinc inde discurrant : sicut ad primas Vesperas.

In primo Nocturno.

Ant. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu : ego hodie genui te.

Ps. Quare fremuerunt (*ii.* p. 7).

Ant. Tanquam sponsus Dominus precedens de thalamo suo.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

Ant. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

Ps. Eructavit (*xliii.* p. 101).

Singuli versus a duobus Pueris ad gradum chori in superpelliciis dicantur.

Versus. Tanquam sponsus.

Responsorium. Dominus procedens de thalamo suo. *sine* Alleluia.

*Sex primæ Lectiones in superpelliciis legantur : ita ut primam et secundam Lectiones duo Canonici de secunda forma legant; tertiam Canonicus de superiori gradu : ita ut per dignitatem personarum Lectiones

gradatim ascendant, ut excellentior persona extremam Lectionem legat.

Simili quoque modo cantores Responsoriorum ordinentur, scilicet ut eorum quoque ita fiat ascensus : ut tres excellentiores qui non legerint ultimum Responsorium cantent. Primum et secundum Responsoria a duobus de secunda forma cantentur. Cetera Responsoria in superiori gradu dicuntur : ita quod sextum Responsorium, et nonum a tribus cantentur. Singula Responsoria in supelliciis ad gradum chori cantentur.

Lectores et cantores ad Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam, postquam legerint et cantaverint, coram Episcopo ad benedictionem se humilient.

Tres primæ Lectiones de Prophetia Esaiæ legantur.

Lectio prima. Esai. ix. (1—8).

Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Neptalim, et novissimo aggravata est via maris, trans Jordanem, Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Habitantibus in regione umbræ mortis : lux orta est eis. Multiplicasti gentem : non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe : sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti : sicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu : et vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem et cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis : et filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium : et pacis non erit finis. Super solium David et super regnum ejus sedebit : ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum : zelus Domini exercituum faciet hoc. Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel. Hæc dicit Dominus Deus, convertimini ad me : et salvi eritis.

Sic dicatur in fine harum trium Lectionum.

Non dicitur Qui hodierna die de virgine nasci dignatus est, *secundum usum Sarum.*

Duo Clerici de secunda forma in superpelliciis pariter stantes simul incipiant hoc R. ad gradum chori Hodie nobis cælorum. *Deinde a gradu statim recedant ad stallum suum.*

R. 1. Hodie nobis cælorum rex de virgine nasci dignatus est : ut hominem perditum ad cælestia regna revocaret : gaudet exercitus angelorum. Quia salus æterna humano generi apparuit.

Iste Versus subsequens cantetur a quinque Pueris in superpelliciis et amictis albis capitibus velatis, cereosque accensos singulis deferentibus in loco eminenti, scilicet ultra magnum altare : ad chorum conversi cantent similiter hunc Versum.

V. Gloria in excelsis Deo : et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quia.

Lectio ii. Esai. xl. 1—11.

Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Hierusalem et advocate eam ; quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini : rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis

caro pariter quod os Domini locutum est. Vox dicentis, Clama. Et dixi, Quid clamabo? Omnis caro fenum: et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fenum, et cecidit flos: verbum autem Domini manet in æternum. Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Syon: exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Hierusalem. Exalta, noli timere. Dic civitatibus Judæ, Ecce Deus vester. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet: et brachium ejus dominabitur. Ecce merces ejus cum eo: et opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fetas ipse portabit. Hæc.

Sciendum est autem quod in singulis Nocturnis, in secunda, quinta et octava lectionibus, incensatur altare ab aliquo Sacerdote in capa serica, ex utraque parte chori vicissim assumpto. Chorus vero ab uno solo Puero incensatur.

R. 2. Hodie nobis de cælo pax vera descendit. Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cæli.

V. Hodie illuxit dies redemptionis novæ reparationis antiquæ: felicitatis æternæ. Hodie.

Lectio iii. Esai. lii. 1—10.

Consurge, consurge, induere fortitudine tua Syon, induere vestimentis gloriæ tuæ Hierusalem civitas sancti: quia non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircuncisus et immundus. Excutere de pulvere, consurge sede Hierusalem, solve vincla colli tui captiva filia Syon. Quia hæc dicit Dominus. Gratis venumdati estis: et sine argento redimemini. Quia hæc dicit Dominus Deus. In Egyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi: et Assur absque ulla causa calumniatus est eum. Et nunc quid mihi est, hæc dicit Dominus? Quoniam ablatus est populus meus gratis. Dominatores ejus inique agunt, dicit Dominus: et jugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar ecce assum. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis salutem: dicentis, Syon, Regnabit Deus tuus. Vox speculatorum tuorum. Levaverunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Syon. Gaudete et laudate simul deserta Hierusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

R. 3. Descendit de cælis missus ab arce Patris, introivit per aurem virginis in regionem nostram indutus stola purpurea. Et exivit per auream portam. Lux et decus universæ fabricæ mundi.

V. Tanquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo. Et exivit. Gloria. Lux et.

Hæc Prosa, scilicet. Felix Maria, *et duæ sequentes non cantentur ad Matutinas, sed ad Processionem hujus diei: ut in eadem processione ordinatum est.*

Et nota quod sunt aliqua festa ubi Prosæ notantur, de quibus altaria habentur in Ecclesia Sarum: ideo Prosæ dicantur ad Processionem ad Vesperas, et non ad Matutinas, suis locis: videlicet; In hebdomada Nativitatis Domini: in die sancti Andreæ ad secundas Vesperas: in festo sancti Nicolai ad primas Vesperas, et ad Matutinas cum novem Responsoriis: in Inventione sanctæ Crucis ad secundas Vesperas. Nunquam enim dicitur Prosa ad Matutinas per totum annum, sed ad Ves-

peras, et ad Processionem, excepto die sancti Stephani, cujus servitium committitur voluntati Diaconorum; et excepto die sancti Johannis, cujus servitium committitur voluntati Sacerdotum; et excepto die sanctorum Innocentium, cujus servitium committitur voluntati Puerorum; et excepto die sancti Nicolai, quando dicitur Prosa Sospitati *ad Matutinas.*

In secundo Nocturno.

Ant. Suscepimus Deus misericordiam tuam : in medio templi tui.

Ps. Magnus Dominus (*xlvii.* p. 104).

Ant. Orietur in diebus Domini abundantia pacis, et dominabitur.

Ps. Deus judicium (*lxxi.* p. 132).

Ant. Veritas de terra orta est : et justitia de cælo prospexit.

Ps. Benedixisti Domine (*lxxxiiii.* p. 152).

Ant. Ipse invocavit me.

R. Pater meus es tu, *sine* Alleluya.

Sermo beati Ysidori episcopi de Nativitate Domini.

Lectio quarta.

Natalis Domini dies ea de causa a patribus votivæ solennitatis institutus est: quia in eo Christus pro redemptione mundi nasci corporaliter voluit, prodiens ex matris utero qui erat in Patris imperio. Cujus susceptæ carnis causa hæc est. Postquam enim invidia diaboli parens ille primus spe seductus inani cecidit, confestim exul et perditus, in omni genere suo radicem malitiæ et peccati traduxit. Crescebatque in malum vehementius omne genus mortalium, diffusis ubique sceleribus, et quod est nequius, omnibus cultibus idolorum. Volens ergo Deus terminare peccatum, consuluit verbo, lege, prophetis, signis, plagis, prodigiis. Sed cum nec sic quidem errores suos admonitus agnosceret mundus, misit Deus Filium suum ut carnem indueret, et hominibus appareret, et peccatores sanaret. Qui ideo in homine venit, quia per seipsum ab hominibus cognosci non potuit. Ut autem videretur, Verbum caro factum est; assumendo carnem, non mutatum in carnem. Assumpsit enim humanitatem, non amisit divinitatem. Ita idem Deus et idem homo in natura Dei æqualis Patri; in natura hominis factus est mortalis in nobis : pro nobis : de nobis : manens quod erat, suscipiens quod non erat, ut liberaret quod fecerat. Hæc est ergo Dominicæ Nativitatis magna solennitas : hæc est diei hujus nova et gloriosa festivitas : adventus Dei factus ad homines. Itaque dies iste, pro eo quod in eo Christus natus est, Natalis dicitur. Quemque ideo observare per revolutum anni circulum festiva solennitate debemus, ut in memoriam revocetur quod natus est Christus : qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Tu autem Domine miserere nostri.

Sic terminetur ista Lectio, et omnes Lectiones sequentes.

R. 4. Quem vidistis pastores dicite : annunciate nobis in terris quis apparuit. Natum vidimus in choro angelorum salvatorem Dominum.

V. Secundum quod dictum est nobis ab angelo de puero isto : invenimus infantem pannis involutum et positum in præsepio in medio duum animalium. Natum.

Per ebdomadam V. Dicite quidnam vidistis : et annunciate Christi nativitatem. Natum.

Et dicatur per ebdomadam, sive de dominica fuerit, sive non.

Lectiones v. et vi. legantur de Sermone beati Leonis papæ de Nativitate Domini. [Serm. II. xxi. *Op.* p. 13.]

Exultemus in Domino, dilectissimi, et spiritali jucunditate lætemur, quia illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Reparatur enim nobis salutis nostræ annua revolutione sacramentum, ab initio promissum, in fine redditum, sine fine mansurum. In quo dignum est nos sursum erectis cordibus divinum adorare mysterium; ut quod magno Dei munere agitur, magnis Ecclesiæ gaudiis celebretur. Deus enim omnipotens et clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia, statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, præparata renovandis mortalibus pietatis suæ remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit : denuntians serpenti futurum Semen mulieris, quod noxii capitis elationem sua virtute contereret : Christum scilicet in carne Deum hominemque significans, qui natus ex virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta nativitate damnaret. Nam quia gloriabatur diabolus, hominem sua fraude deceptum divinis caruisse muneribus, et immortalitatis dote nudatum diramque mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de prævaricatoris consortio invenisse solatium; Deum quoque juste, severitatis exigente ratione, erga hominem quem tanto honore condiderat antiquam mutasse sententiam : opus fuit, dilectissimi, secreta dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus (cujus voluntas non potest sua benignitate privari) primam pietatis suæ dispensationem sacramento occultiore compleret : et homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam : contra Dei propositum non periret. Tu autem Domine miserere nostri.

R. 5. O magnum mysterium et admirabile sacramentum : ut animalia viderent Dominum natum. Jacentem in præsepio. Beata virgo cujus viscera meruerunt portare Dominum Jesum Christum.

V. Domine, audivi auditum tuum et timui : consideravi opera tua et expavi : in medio duum animalium. Jacentem.

Lectio vi.

Ingreditur ergo hujus mundi infima Filius Dei, de cælesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis visibilis est factus in nostris. Incomprehensibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens esse cœpit ex tempore. Universitatis Dominus servilem formam obumbrata majestatis suæ dignitate suscepit. Impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis : et immortalis, mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate generatus : quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit; substantiam ministravit. Assumpta est de matre Domini natura non culpa : creata est forma servi sine conditione servili. Et novus homo sic contemperatus est veteri, ut et veritatem susciperet generis, et vitium excluderet vetustatis. Verax namque misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi elegit viam, qua ad destruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ. Nam superbia hostis antiqui non immerito sibi in omnes homines jus tyrannicum vendicabat, nec indebito dominatu premebat, quos *a mandato Dei spontaneos

* *Sic legimus in Operibus Leonis Magni editis* Parisiis A.D. 1671. *In Breviario tamen scribitur,* "—quos ad mandata Dei spontaneos in obsequium suæ voluntatis illuxerat."

in obsequium suæ voluntatis illexerat. Non itaque juste amitteret originalem humani generis servitutem, nisi de eo quod subjaceret vinceretur. Tu autem.

R. 6. Te laudant angeli, sancta Dei genitrix : quæ virum non cognovisti, et Dominum in tuo utero bajulasti : concepisti per aurem Dominum nostrum. Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

V. Ipsum genuisti et in præsepe posuisti : quem adorat multitudo angelorum. Ut benedicta. Gloria. Ut benedicta.

Iste Versus dicitur in ferialibus diebus per ebdomadam cum cantu feriali; et quandocunque dicitur, nisi ad has Matutinas tantum, Ipsum genuisti *super hunc Versum,* Gloria Patri.

In tertio Nocturno.

Ant. Ipse invocavit me, Alleluya: Pater meus es tu. Alleluya.

Ps. Misericordias (*lxxxviii.* p. 156).

Ant. Lætentur cæli, et exultet terra ante faciem Domini quoniam venit.

Ps. xcv. Cantate *i.* (p. 164).

Ant. Notum fecit Dominus. Alleluya: salutare suum. Alleluya.

Ps. xcvii. Cantate *ii.* (p. 169).

V. Verbum caro factum est.

R. Et habitavit in nobis. Alleluya.

Tres ultimæ Lectiones legantur in capis sericis.

Hæc sunt festa per annum in quibus septima, octava et nona Lectiones in capis sericis leguntur : scilicet, dies Natalis Domini, Epiphania Domini, in festo Purificationis beatæ Mariæ, in festo sanctæ Trinitatis, et festo Corporis Christi, in festo Assumptionis et Nativitatis beatæ Mariæ, in festo Reliquiarum, et in festo Dedicationis ecclesiæ; et tres primæ Lectiones in die Omnium Sanctorum : item omnes Lectiones in die Paschæ, et in die Ascensionis, et in die Penthecostes.

Secundum Lucam, ii. 1—3.

In illo tempore. Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima : facta est a præside Syriæ Ciryno. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ.

[In Evangelia, Lib. I. Homilia VIII. Op. Tom. I. col. 1460, 1461.]

Quia, largiente Domino, Missarum solennia ter hodie celebraturi sumus, loqui diu de Evangelica lectione non possumus. Sed nos aliquid vel breviter dicere Redemptoris nostri nativitas ipsa compellit. Quid est quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur, quia ille veniebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate? Quod contra de reprobis per prophetam dicitur : Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur. Qui bene etiam in Bethleem nascitur; Bethleem quippe Domus panis interpretatur. Ipse namque est qui ait : Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Locus ergo in quo Dominus nascitur Domus panis ante vocatus est : quia futurum profecto erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate ['societate' *Chev.*] reficeret. Qui non in parentum domo, sed in via nascitur : ut profecto ostenderet, quia per humanitatem quam assumserat quasi in alieno nascebatur. Alienum videlicet non secundum potestatem dico, sed secundum naturam. Nam de potestate ejus scriptum est : In propria venit. In natura etenim sua ante tempora natus est, in nostra venit ex tempore. Qui ergo æternus permanens temporalis apparuit, profecto alienum est ubi descendit. Et quia per prophetam dicitur : Omnis caro

fenum; factus homo fenum nostrum vertit in frumentum, qui de semetipso ait : Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Unde et natus in præsepio reclinatur, ut fideles omnes, videlicet et sancta animalia, carnis suæ frumento reficeret, ne ab æterno intelligentiæ pabulo jejuna remanerent. Tu autem.

R. 7. Beata Dei genitrix Maria cujus viscera intacta permanent. Hodie genuit salvatorem seculi.

V. Beata quæ credidit : quoniam perfecta sunt omnia quæ dicta sunt ei a Domino. Hodie.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ii. 15.

In illo tempore. Pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus et ostendit nobis. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. [*In Aurora Natalis Domini, Op. Tom.* VII. *col.* 303.]

Nato in Bethleem Domino Salvatore (sicut sacra Evangelii testatur historia) pastoribus qui in regione eadem erant vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum, angelus Domini magna cum luce apparuit, exortumque mundo solem justitiæ non solum cælestis voce sermonis, verum etiam claritate divinæ lucis astruxit. Nusquam enim in tota veteris Testamenti serie repperimus angelos, qui tam sedulo apparuere patribus, cum luce apparuisse : sed hoc privilegium recte hodierno tempori servatum est, quando Exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors et miserator Dominus. Verum ne parva unius angeli videretur auctoritas, postquam unus sacramentum novæ nativitatis edocuit, statim multitudo cælestium agminum, quæ gloriam Deo caneret pacemque simul hominibus prædicaret, affuit; aperte demonstrans, quia per hanc nativitatem homines ad pacem unius fidei, spei et dilectionis, atque ad gloriam divinæ laudationis essent convertendi. Significant autem mystice pastores isti gregum, doctores quosque ac rectores fidelium animarum. Nox, cujus vigilias custodiebant super gregem suum, pericula tentationum indicat, a quibus se suosque subjectos omnes qui perfecte vigilant custodire non desistunt. Et bene nato Domino pastores super gregem vigilant. Ille etenim natus est qui dicit : Ego sum pastor bonus : bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Sed et tempus imminebat, quo idem pastor summe bonus, missis in mundum pastoribus, oves suas quæ longe lateque dispersæ errabant, ad semper virentia cælestis vitæ pascua revocaret. Quarum summo pastori præcepit : Si diligis (inquit) me pasce oves meas. Quod aperiens ait : Confirma fratres tuos. Tu.

R. 8. Beata viscera Mariæ virginis quæ portaverunt æterni Patris Filium : et beata ubera quæ te lactaverunt Christum Dominum. Quia hodie pro salute mundi de virgine nasci dignatus es.

V. Dies sanctificatus illuxit nobis, venite gentes et adorate Dominum. Quia hodie.

Initium Sancti Evangelii secundum Johannem i. [*Joh. i.* 1—3.]

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. [*Ad summam missam in die Natalis Domini. Op.* Tom. VII. col. 305.]

Quia temporalem mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi nativitatem, quæ hodierna die facta est, sanctorum verbis Evangelista-

rum, Matthæi videlicet et Lucæ, manifestatam cognovimus, libet etiam de Verbi, id est, divinitatis ejus æternitate, in qua Patri manet semper æqualis, beati Johannis Evangelistæ dicta scrutari, qui singulari privilegio meruit castitatis, ut ceteris altius divinitatis ipsius caperet, simulque patefaceret arcanum. Neque enim frustra in cena supra pectus Domini Jesu recubuisse perhibetur, sed per hoc typice docetur quia cælestis haustum sapientiæ ceteris excellentius de sanctissimo ejusdem pectoris fonte potaverit. Unde et merito in figura quattuor animalium aquilæ volanti comparatur. Cunctis quippe avibus aquila celsius volare, cunctis animantibus clarius solis radiis infigere consuevit obtuitus. Et ceteri Evangelistæ quasi in terra ambulant cum Domino, qui temporalem ejus generationem pariter et temporalia facta sufficienter exponentes, pauca de divinitate dixerunt : hic autem quasi ad cælum volat cum Domino, qui perpauca de temporalibus ejus actis edisserens æternam divinitatis ejus potentiam, per quem omnia facta sunt, sublimius mente volando et limpidius etiam speculando cognovit, ac nobis cognoscendam scribendo contradidit. Ergo alii Evangelistæ Christum ex tempore natum describunt, Johannes in principio eundem fuisse testatur, dicens: In principio erat Verbum. Alii inter homines eum subito apparuisse commemorant, ille ipsum apud Deum semper fuisse declarat, dicens: Et Verbum erat apud Deum. Alii eum verum hominem, ille verum confirmat esse Deum, dicens: Et Deus erat Verbum. Alii hominem eum apud homines temporaliter conversatum, ille Deum apud Deum in principio manentem ostendit, dicens: Hoc erat in principio apud Deum. Alii magnalia, quæ in homine gessit, perhibent ; ille, quod omnem creaturam visibilem et invisibilem per ipsum Deus Pater fecerit, docet dicens : Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Tu autem.

R. 9. Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Cujus gloriam vidimus quasi unigeniti a Patre. Plenum gratiæ et veritatis.

V. In principio erat Verbum : et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Cujus. Gloria. Plenum.

Dum istud ultimum Responsorium cum suo Versu et Gloria Patri *canitur, procedat Dyaconus, cum Subdiacono, et Thuribulario, et Ceroferario, et Accolito crucem ferente, omnibus solenni apparatu indutis, ad thurificandum altare : et accepta benedictione ab executore Officii per medium chori ad pulpitum accedat ad cantandum Evangelium sequens.*

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Initium Sancti Evangelii secundum Mattheum, i. 1—16.

Gloria tibi Domine.

Liber generationis Jesu Christi filii David : filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naason. Naason autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obeth ex Ruth. Obeth autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Azam. Aza autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit

Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus, in transmigratione Babilonis. Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ. De qua natus est Jesus qui vocatur Christus.

Finito Evangelio incipiat Sacerdos executor officii in cappa serica in stallo suo, loco non mutato, Ps. Te Deum *alta voce, et postea cum suo sacerdote secundario Thuribulario, in ipsius thuribulum ab ipso principaliore incenso imposito ad gradum chori, altare incenset in prædicto. Cetera tamen altaria non incensentur.*

Sciendum est quod quandocunque præsens fuerit Episcopus, ab eo super thus, a sacerdote vel diacono in thuribulum imponendum, fiat benedictio, loco non mutato.

Notandum est quod per totum annum dicitur ad Matutinas Te Deum *extra Adventum : et a Septuagesima usque ad Pascha, nisi in feriis quando de feria agitur : et nisi in festis trium Lectionum quæ fiunt in Vigiliis et in Quattuor temporibus : et exceptis quibusdam festis trium Lectionum, his scilicet : in Mayo, sanctæ Petronillæ virginis, quando post Octavas Trinitatis et Corporis Christi contigerit : in mense Septembris, sancti Bertini abbatis : eodem mense, sanctæ Teclæ virginis : in mense Octobris, sancti Romani episcopi et confessoris.*

Quo finito, quattuor Rectores chori, scilicet duo de superiori gradu, et duo de secunda forma, incipiant Missam hoc modo.

Officium. Dixit Dominus.

Et post Missam statim principalis Sacerdos dicat ante Laudes hunc Versum coram altari.

V. Verbum caro factum est.

R. Et habitavit in nobis. *cum* Alleluya*.

Item ibidem sacerdos dicat Deus in adjutorium, *antequam recedat ab altari.*

Si vero sacerdos executor officii non celebraverit, tunc dicat omnia prædicta in choro, videlicet in stallo suo.

Si Episcopus fuerit præsens, dicat omnia prædicta in sede sua.

In Laudibus, *Antiphonæ in superiori gradu discurrant per ordinem in ceteris Antiphonis primis inceptis et non completis.*

Ad Laudes.

In Laudibus Ant. Quem vidistis pastores dicite : annuntiate nobis in terris quis apparuit : Natum vidimus in choro angelorum salvatorem Dominum. Alleluya, Alleluya.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. Genuit puerpera regem, cui nomen æternum, et gaudium matris habens cum virginitatis honore : nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Alleluya.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

* 'In Responsionibus...Versiculorum quorumcunque extra tempus Paschae non dicitur *Alleluya*, nisi ad *Verbum caro*, et nisi ad *Dominus regnavit* in Dominicis.' (*Cf.* p. 34) *Crede Michi.*

Ant. Angelus ad pastores ait; Annuntio vobis gaudium magnum: quia natus est vobis hodie Salvator mundi. Alleluya.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Facta est cum angelo multitudo cælestis exercitus laudantium, et dicentium: Gloria in excelsis Deo: et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Alleluya.

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Parvulus filius hodie natus est nobis, et vocabitur Deus fortis. Alleluya. Alleluya.

Ps. Laudate (cxlviii.—cl. p. 33).

Capitulum, et cetera omnia quæ ad Matutinas pertinent, eodem modo expleantur quo ad Vesperas, excepto quod ad Laudes non incensatur nisi principale altare.

Capitulum. Tit. ii. 11, 12.

Apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et secularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc seculo. Deo gratias.

Hymnus.

A solis ortus cardine,
Et usque terræ limitem:
Christum canamus principem
Natum Maria virgine.

Beatus auctor seculi
Servile corpus induit:
Ut carne carnem liberans:
Ne perderet quos condidit.

Castæ parentis viscera,
Cælestis intrat gratia:
Venter puellæ bajulat
Secreta quæ non noverat.

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei:
Intacta nesciens virum
Verbo concepit filium.

Enixa est puerpera
Quem Gabriel prædixerat:
Quem matris alvo gestiens
Clausus Johannes senserat.

Feno jacere pertulit:
Præsepe non abhorruit:
Parvoque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus cælestium,
Et angeli canunt Deo:
Palamque fit pastoribus
Pastor, creator omnium.

Gloria tibi Domine
Qui natus es de virgine [p. clxxi.].

℣. Benedictus qui venit in nomine Domini.

℟. Deus Dominus et illuxit nobis.

Ant. Gloria in excelsis Deo: et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Alleluya. Alleluya.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus: ut nos unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet: quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet.

Quæ sic terminetur, Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum [vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum*].

Duo Clerici de superiori gradu in superpelliciis cantent simul hoc Benedicamus Domino *ad has Matutinas tantum, scilicet.*

Verbum Patris hodie
Processit ex virgine:
Venit nos redimere,
Et cælesti patriæ
Voluit nos reducere:
Virtutes angelicæ
Cum canore jubilo
Grates reddant Domino.

Alii duo Clerici de superiori gradu in consimili habitu ex utraque parte assumpti respondeant:

* 'Falsi libri habent *Per eundem.*' *Crede Michi,* 1495.

Refulgens pastoribus
Nunciavit angelus
Pacem pacis nuncius:
Tu pastor †egregie †'ecclesiæ'
Pacem nobis tribue:
Filios et instrue
Redemptori debitas
Jubilando gratias.

Deinde fiat Memoria DE SANCTA MARIA *ad consummationem totius mysterii Incarnationis.*

Ant. Ecce completa sunt omnia quæ dicta sunt per angelum de virgine Maria.

V. Post partum.

Oratio.

Deus, qui salutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fecunda humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere: Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit.

Dominus vobiscum.

Duo Pueri in superpelliciis dicant Benedicamus Domino. *sine* Alleluya.

Et notandum est quod nunquam per totum annum dicitur Benedicamus Domino *cum* Alleluya *nisi in Paschali tempore**.

His peractis cum summo mane duo Rectores de secunda forma incipiant Missam.

Officium. Lux fulgebit.

AD PRIMAM.

Hymnus. Jam lucis, *p.* 37.

Antiphona super Psalmos in superiori gradu incipiatur.

Ant. Quem vidistis, *p.* lxxxviii.

Psalmi. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Beati immaculati (*cxviii.* 1—16, p. 44).
Retribue (*cxviii.* 17—32, p. 45).

Antiphona super Psalmum Quicunque *a secundo excellentiore incipiatur.*

Ant. Gratias tibi (p. xci.).

Ps. Quicunque (p. 46).

Capitulum. Regi seculorum immortali (p. 49).

Ab aliquo Clerico de secunda forma, pro voluntate secundi Rectoris, loco nec habitu mutato, dicatur.

R. Jesu Christe. *cum* Alleluya.

V. Qui de virgine dignatus es nasci. Miserere nobis. Gloria. Jesu Christe.

V. Exurge Domine.

Hic etiam Versus Qui de virgine *dicitur quotidie usque in crastinum Purificationis beatæ Mariæ: nisi in die Epiphaniæ, et per Octavas ejusdem, et etiam in Octava. Dicetur etiam idem Versus in omnibus festis, et per Octavas beatæ Mariæ, et in Commemorationibus ejusdem per totum annum; et in festo Corporis Christi, et per Octavas, et in Octava, quando de ipsis Octavis fit servitium.*

V. Exurge Domine.

Preces, et cetera quæ ad Primam pertinent, expleantur.

Hæc regula generaliter observetur, quod semper R. Jesu Christe *ab uno solo Puero vel Clerico dicatur, loco nec habitu mutato.*

AD TERTIAM.

Hymnus. Nunc sancte, *p.* 57.

Super Psalmos in superiori gradu incipiatur Antiphona.

* 'In festis Duplicibus, et quando Invitatorium est triplex, tunc unum *Benedicamus* tantum. Et in tribus diebus Nativitatis Domini, qui sunt extra regulam. Et etiam in Die Epiphaniæ, tunc dicitur *Benedicamus* [cum *Alleluia* ad utrasque Vesperas et ad Matutinas (*Graduale*)] cum cantu V. *Balaam*, qui est septimus versus Sequentiæ illius diei.' *Crede Michi*, 1495.

Ant. Genuit, *p.* clxxxviii.
Ps. Legem pone (*cxviii.* 33—48, p. 57).
Cap. Apparuit gratia Dei, *p.* clxxxix.
Responsorium in secunda forma dicitur. Idem ordo in ceteris Horis servetur.
R. Verbum caro factum est. Alleluya. Alleluya.
V. Et habitavit in nobis. Alleluya. Gloria. Verbum.
V. Ipse invocavit me.
Chorus respondeat, Pater meus es tu. *sine* Alleluya.
Quod per totum annum observetur extra tempus Paschæ, nisi prius post Versum istum Verbum caro, *ut supra dictum est.*
Oratio. Concede, quæsumus, *p.* 295.

AD SEXTAM.

Hymnus. Rector potens, *p.* 61.
Ant. Angelus, *p.* xxxviii.
Ps. Defecit (*cxviii.* 81—96, p. 61).
Capitulum. Ad Titum iii. 4, 5.
Apparuit benignitas et humanitas salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos: sed secundum suam magnam misericordiam salvos nos fecit.
R. Ipse invocavit me. Alleluya. Alleluya.
V. Pater meus es tu. Alleluya.
V. Notum fecit Dominus Salutare suum. *sine* Alleluya.
Oratio ut supra.

AD NONAM.

Hymnus. Rerum Deus, *p.* 65.
Ant. Parvulus (p. clxxxix).
Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129—144, p. 65).
Capitulum. Heb. i. 1, 2.
Multiphariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.
R. Notum fecit Dominus. Alleluya. Alleluya.
V. Salutare suum. Alleluya. Alleluya. Gloria. Notum.
V. Benedictus qui venit in nomine Domini.
R. Deus Dominus, et illuxit nobis. *sine* Alleluya.
Oratio ut supra.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ant. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Ant. Redemptionem misit Dominus populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.
Ps. Confitebor (*cx.* p. 192).
Ant. Exortum est in tenebris lumen rectis corde: misericors, et miserator, et justus Dominus.
Ps. Beatus vir (*cxi.* p. 193).
Ant. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.
Ps. De profundis (*cxxix.* p. 203).
Ant. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.
Ps. Memento (*cxxxi.* p. 204).
Hæ prædictæ Antiphonæ cum suis Psalmis dicuntur quotidie ad Vesperas usque ad Octavas Epiphaniæ, et in ipsis Octavis.
Cap. Multiphariam.
R. Verbum caro.
Hymnus. A solis ortus, *p* clxxxix.
V. Benedictus.
Ant. Hodie Christus natus est: hodie Salvator apparuit: hodie in terra canunt angeli, lætantur archangeli, hodie exultant justi, dicentes: Gloria in excelsis Deo; Alleluya.
Ps. Magnificat.
Oratio. Concede quæsumus, *p.* cxc.

Finita hac Oratione cum Benedicamus *a duobus Clericis de secunda forma in suppelliciis, conveniant omnes Diaconi in capis sericis portantes cereos ardentes in manibus : et sic eat Processio per medium chori ad altare sancti Stephani, cantantes Responsorium, quodam Dyacono incipiente.*

R. Sancte Dei preciose, prothomartyr Stephane,
Qui virtute charitatis circumfultus undique :
Dominum pro inimico exorasti populo.
Funde preces pro devoto tibi nunc collegio.

Tres Dyaconi dicant versum,
Ut tuo propiciatus interventu Dominus
Nos purgatos a peccatis jungat cæli civibus.
Funde.

Omnes Diaconi simul cantent Prosam videlicet, Te mundi climata Prothomartir laudant omnia.

Chorus respondeat cantum Prosæ in cantu Versus præcedentis super litteram A, *post unumquemque Versum.*

V. Qui primus ad martirii gloriosa currens bravia.
V. Hodie sacra plenus gratia.
V. Domini sequeris vestigia.
V. Quem videre.
V. Meruisti.
V. Patris in gloria.
V. Ut pelleres lapidantum crimina supplicans de venia. Funde preces. Gloria Patri. Funde.

Non dicetur Gloria *ad hanc Processionem, sed dum Prosa canitur, Sacerdos thurificet altare, deinde imaginem sancti Stephani : et postea Sacerdos dicat modesta voce,* Gloria et honore.

Oratio. Da nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere : quia ejus natalicia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit.

In redeundo dicatur aliquod Responsorium de sancta Maria : scilicet, Solem justiciæ : *vel* Stirps Jesse :* *vel* Ad nutum : *vel aliqua Antiphona de sancta Maria : cum hoc Versu,* Speciosus forma præ filiis hominum. *R.* Diffusa est gratia in labiis tuis. *Non ulterius dicatur.*

Oratio. Deus qui salutis, p. cxci.

Ab hac die usque ad Purificationem semper ad memoriam beatæ Mariæ dicatur ad Mutatinas V. Post partum : *et ad Vesperas V.* Speciosus forma *tantum : nisi quando fit Memoria de commemoratione ejusdem ad Vesperas alicujus Sancti cum hac Ant.* Sub tuam protectionem : *tunc enim dicetur V.* Sancta Dei genitrix : *et semper cum Oratione* Deus qui salutis.

Ubi non fit processio de sancto Stephano, dicetur ad Memoriam ejusdem Ant. Tu principatum tenes in choro martyrum similis angelo qui pro te lapidantibus Deum deprecatus es : beate Stephane, intercede pro nobis ad Dominum.

V. Gloria et honore.

Oratio. Da nobis, quæsumus, *ut supra.*

Et tunc nulla fiat Memoria de sancta Maria ad Matutinas usque in crastinum Circuncisionis; nec etiam ad Vesperas, nisi ubi fit Processio.

Hæ sequentes Antiphonæ dicantur quotidie ad Memoriam de Nativitate Domini ad Vesperas, et ad Matutinas, per ordinem per totas Octavas, cum repetitione earundem.

Ant. Virgo hodie fidelis, etsi Verbum genuit incarnatum, virgo mansit et post partum : quam laudantes omnes dicimus, Benedicta tu in mulieribus.

* *In exemplari in bibliotheca Coll. Exoniensis Oxon. delentur verba* 'Stirps Jesse.'

Ant. Lux orta est super nos : quia hodie natus est Salvator. Alleluya.

Ant. Hodie intacta virgo Deum nobis genuit teneris indutum membris, quem lactare meruit : omnes ipsum adoremus qui venit salvare nos.

Ant. Gaudeamus omnes fideles, Salvator noster natus est in mundum, hodie processit proles magnifici generis : et perseveravit pudor virginitatis.

Ant. Nesciens mater virgo virum peperit sine dolore Salvatorem seculorum, ipsum regem angelorum, sola virgo lactabat ubera de cælo plena.

Ant. Virgo verbo concepit, virgo permansit : virgo peperit Regem omnium regum.

Ant. Beatus venter qui te portavit, Christe : et beata ubera quæ te lactaverunt Dominum et Salvatorem mundi. Alleluya.

Ant. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis In tua se clausit viscera factus homo : vera fides geniti purgavit crimina mundi, Et tibi virginitas inviolata manet.

Ant. Pastores dicite quidnam vidistis, et annunciate Christi nativitatem : Infantem vidimus pannis involutum, et choros angelorum laudantes Salvatorem.

Ad Completorium.

Ant. Natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 222).

Cap. Tu in nobis.

Hymnus. Salvator, *p.* clxviii.

V. Custodi nos Domine.

Ant. Alleluya. Verbum caro factum est. Alleluya : et habitavit in nobis. Alleluya. Alleluya.

Ps. Nunc dimittis.

Preces et Oratio ut supra.

Hoc Completorium non mutatur usque ad Circumcisionem Domini. Antiphona vero super Psalmum Nunc dimittis *dicitur usque ad Vigiliam Epiphaniæ. Et a prima die Nativitatis Domini regendus est chorus in capis sericis usque ad* Veterem hominem : *excepta Vigilia Epiphaniæ, quando extra Dominicam contigerit.*

IN DIE SANCTI STEPHANI.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Christum natum qui beatum hodie coronavit Stephanum. Venite adoremus.

Ps. Venite.

Hymnus. Martyr Dei, *p.* 372.

In primo Nocturno.

Ant. Beatus Stephanus jugi legis Dei meditatione roboratus : tanquam lignum fructiferum secus salutarium aquarum plantatum decursus fructum martyrii in tempore suo dedit primus.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).

Ant. Constitutus a Deo prædicator præceptorum ejus in timore sancto illi servire studuit : officioque fideliter peracto in monte sancto ejus ascendere dignus fuit.

Ps. Quare fremuerunt (*ii.* p. 7).

Ant. In tribulatione lapidum se prementium positus milia populi se circundantis non timuit : quia susceptorem suum Jesum, ut eum salvum faceret, exurgere in cælo vidit.

Ps. Domine quid multiplicati (*iii.* p. 7).

V. Gloria et honore.

Lectio i. [Ex sermone iv. beati Fulgentii episcopi *.]

Heri celebravimus temporalem sempiterni Regis nostri natalem; hodie celebramus triumphalem militis passionem : heri enim Rex noster trabea carnis indutus de aula virginalis uteri egrediens visitare dignatus est mundum; hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migravit ad cælum. Ille, sempiternæ deitatis majestate servata, servile cinctorium carnis assumens in hujus seculi campum pugnaturus intravit : iste, depositis corruptibilibus corporis indumentis, ad cæli palatium perenniter regnaturus ascendit. Ille descendit carne velatus; iste ascendit sanguine laureatus : ascendit iste, lapidantibus Judæis, quia ille descendit lætantibus angelis. Gloria in excelsis Deo, heri exultantes sancti angeli cantaverunt : hodie Stephanum lætantes in suum consortium susceperunt. Heri Dominus exivit de utero virginis : hodie miles egressus est de ergastulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est involutus : hodie Stephanus stola est ab eo immortalitatis indutus. Heri præsepis angustia Christum portavit infantem; hodie immensitas cæli suscepit Stephanum triumphantem.

R. 1. Hesterna die Dominus natus est in terris : ut Stephanus nasceretur in cælis : ingressus est Dominus mundum Ut Stephanus ingrederetur in cælum.

V. Heri enim rex noster trabea carnis indutus de aula uteri virginalis egrediens : visitare dignatus est mundum. Ut Stephanus.

Lectio secunda.

Solus descendit Dominus, ut multos elevaret. Humiliavit se Rex noster, ut suos milites exaltaret. Qui enim corpori suo virginis præparavit uterum, ipse martyri suo aperire dignatus est cælum. Dominus Jesus Christus angustias intrare non dedignatus est uteri : ut animam Stephani latitudo susciperet cæli. Necessarium tamen nobis est, fratres, agnoscere, quibus armis præcinctus Stephanus sæviciam Judæorum potuit superare, ut ita meruisset feliciter triumphare; neque enim parvi pendenda sunt, talis virtus, talisque triumphus. Haud vero vilibus armis potuit præmuniri, qui a multis non potuit superari. Invictæ namque in eo enituit insigne virtutis indicium, quæ nec frementium sæviciam formidavit, nec lapidantium ictibus devicta succubuit : usque adeo enim inter frementes permansit imperterritus, et inter lapidantium erat cruciamenta securus, ut incredulitatem Judæorum fidenter argueret, et benignus pro lapidantibus exoraret. Quod ergo est tam magnum atque insuperabile genus armorum, quo munitus sævientes argueret, lapidantes non repercutien*te*s sed patiens superaret, insuper et occisus aulam cælestis regni vivus et coronatus intraret? proculdubio munimine regio septus nullatenus est ab adversariis superatus : quoniam Rex noster, cum sit altissimus, pro nobis humilis venit, sed inanis venire non potuit.

R. 2. Videbant omnes Stephanum qui erant in consilio. Et intuebantur vultum ejus tanquam vultum angeli stantis inter illos.

V. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine : faciebat prodigia et signa magna in populo. Et intuebantur.

Lectio iii.

Magnum quippe donativum suis militibus attulit, quo eos non solum copiose ditavit, sed etiam ad certandum invictissime confortavit; attulit namque donum charitatis, quo per-

* Fulgentii Sermo *de S. Stephano*, ad calcem Operum *Leonis Magni*, p. 527.

duceret homines ad consortium deitatis. Quod ergo attulit, erogavit, nec sibi aliquid minuit, sed mirabiliter et suorum fidelium pauperiem ditavit, et indeficientibus thesauris plenus ipse permansit. Charitas ergo quæ ad terram de cælo deposuit Christum, ipsa Stephanum de terris elevavit ad cælum. Charitas quæ præcessit in Rege, ipsa subsequenter refulsit in milite. O admiranda ubique potentia Salvatoris. O prædicanda indesinenter gratia Redemptoris. Ostendit in matre virginitatis æternæ miraculum; demonstravit in martyre invictæ charitatis indicium. Integritas quippe intemerata permansit in virgine: dilectionis virtus invicta perseveravit in martyre. Et sicut in matre Domini non potuit virginitas violari, sic in martyris mente non potuit Christi charitas tanto sævientium agmine superari. Stephanus ergo, ut nominis sui Coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat. Per charitatem Dei sævientibus Judæis non cessit: per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat ne punirentur. Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sævientem, et quem habuit in terra persecutorem, in cælo meruit habere consortem. Ipsa sancta et indefessa charitas desiderabat orando acquirere: quos nequivit moriendo convertere.

R. 3. Impetum fecerunt unanimes in eum, et ejecerunt eum extra civitatem, Invocantem et dicentem, Domine accipe spiritum meum.

V. Stephanus Dei gratia plenus erat, in plebe multa signa faciebat: cælos apertos aspiciebat, Jesum stantem videbat a dextris Dei et dicebat. Domine.

V. Gloria Deo Patri summo, ejusque soli sibi regi nato: ac utriusque Spiritui Sancto: sicut erat primo, et nunc, et semper, et in secula. Amen. Domine.

Alius versus in Octava die, si Dominica fuerit tantum.

V. Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus: et lapidabant Stephanum. Invocantem. Gloria. Domine.

In secundo Nocturno.

Ant. Lumine vultus tui, Domine, insignitus prothomartyr Stephanus sacrificium justiciæ seipsum tibi sacrificavit: ideoque in læticia cordis in pace obdormiens requiescit.

Ps. Cum invocarem (*iii.* p. 8).

Ant. Benedictionis tuæ, Domine, munere justificatus, et scuto tuæ protectionis in passione munitus, nominis sui Coronam Stephanus a te percipere meruit.

Ps. Verba (*v.* p. 8).

Ant. O quam admirabile est nomen tuum, Domine Deus noster: pro quo beatus Stephanus passus, gloria et honore a te est coronatus, et super cælos dono tuæ magnificentiæ exaltatus.

Ps. Domine, Dominus noster (*viii.* p. 11).

V. Posuisti, Domine, super caput ejus.

Lectio iiii.

Neque enim, fratres, existimandus est Stephanus tunc inimicos dilexisse cum pro eis oraret, et non tunc multo magis dilexisse cum eorum incredulitatem arguendo corriperet. Absit hoc ab anima martyris ad cæli palatium festinantis: ipsa enim charitas sancta firmam servavit in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in correptione censuram. Et ideo in oratione audiri meruit lenitas, quia

sine charitate non fuit in correptione severitas; ac per hoc, sive orando, sive corripiendo, charitatem beatus Stephanus reservavit, quia utrobique salutem errantium cogitavit. Et indicio sanctæ orationis ostendit, increpationem illam non fuisse odii: sed amoris. Hoc autem faciens et præsentibus charitatem beatus martyr exhibuit : et utile nimis exemplum posteris dereliquit. Demonstravit enim geminam ecclesiasticæ dispensationis industriam, ut ad corrigendum cujuslibet peccantis errorem, et non desit in ore correptio, et ad Deum pro eo supplex effundatur oratio, ut qui malum facit per increpationem de malis operibus confundatur, et per orationem apud Dominum adjuvetur. Ac sic ipsa charitas et in ore justitiam sonet, ut errantem corrigat, et in corde patientiam servet, ut pro errante orationem puro affectu dilectionis effundat: qui enim errantem non corripuerit de negligentia judicatur, qui autem pro eo non oraverit de pernicie condemnatur.

R. 4. Impii super justum jacturam fecerunt, ut eum morti traderent. At ille gaudens suscepit lapides ut mereretur accipere coronam gloriæ.

V. Hebræorum gens perfida, morte Christi sanguinea, in Stephanum malivola perfecerunt consilia, quem occiderunt nequiter lapidando crudeliter. At ille.

Alius versus in Octava die, si Dominica fuerit tantum.

V. Continuerunt aures suas et impetum fecerunt unanimiter in eum. At ille.

Lectio v.

Quocirca, fratres, si quando aliquis pro animæ salute corripitur, non aspernanter accipiat monita charitatis, nec præsentem tristitiam suæ voluntatis attendat; sed consideret quæ lucra utilitatis acquirat. Idcirco enim arguitur, ut a pravis operibus corrigatur; nec cum videt correptionem aliqua verborum austeritate fervere, existimet in corde charitatem frigescere. Sic enim vigilet in ore correptio, ut in corde non dormitet oratio. Ac per hoc in utroque peccanti consulte prospicitur, ut dum homo correptus de peccato confunditur, et a malis operibus separetur, et per orationem Deo miserante salvetur. Nam et sancta Scriptura dicit : Quoniam quem diligit Dominus corripit : flagellat autem omnem filium quem recipit. Christi ergo charitate compulsi et bonos hortamur ut in bono permaneant, et malos compellimus ut a malo discedant. Præsertim quoniam in istis duobus sanctis geminum nobis monstratur salutis indicium : ut si quis bonus est, imitetur perseverentiam charitatis in Stephano; qui autem malus est, sectetur exemplum conversionis in Paulo : et qui bonus est, æquitatem usque in finem teneat; qui autem malus est, quantocius a sua perversitate discedat. Nec bonum hominem præsumptio justitiæ faciat negligentem, nec malum iniquitas faciat desperantem. Sed ille bonum fortiter teneat : iste malum celeriter deserat. Bonus timeat ne cadat : malus conetur ut surgat.

R. 5. Lapidabant Stephanum invocantem et dicentem, Domine Jesu Christe accipe Spiritum meum, et ne statuas illis hoc peccatum.

V. Positis autem genibus beatus Stephanus orabat dicens. Domine Jesu.

Lectio sexta.

Quisquis ergo malus est, cum Paulo prosternatur in malo, ut cum eo erigatur in bono : quoniam et ille cecidit malus, et surrexit bonus : prostratus est iniquus, et erectus est justus : cecidit sævissimus

persecutor, et surrexit veridicus prædicator : cadens lumen corporis impius perdidit, surgens lumen cordis justificatus accepit. Conjunctus est itaque Stephano, factus ovis ex lupo. Et ecce nunc Paulus cum Stephano lætatur, cum Stephano Christi claritate perfruitur, cum Stephano exultat, cum Stephano regnat. Quo enim præcessit Stephanus, trucidatus lapidibus Pauli, illuc secutus est Paulus adjutus orationibus Stephani. Quam vera vita, fratres mei, ubi non Paulus de Stephani occisione confunditur, sed Stephanus de Pauli consortio gratulatur, quoniam charitas in utroque lætatur. Charitas quippe in Stephano superavit sæviciam Judæorum : charitas in Paulo cooperuit multitudinem peccatorum : charitas in utroque regnum pariter meruit possidere cælorum. Charitas est igitur omnium fons et origo bonorum, munimen egregium, via quæ ducit ad cælum. In charitate qui ambulat, nec errare poterit, nec timere. Ipsa dirigit, ipsa protegit, ipsa perducit. Quocirca, fratres, quoniam scalam charitatis constituit Christus, per quam ad cælum omnis possit conscendere Christianus, puram charitatem fortiter retinete, ipsam vobis invicem exhibete, et in ea proficiendo conscendite. Insistite operibus bonis, ut ad præmia æterna pervenire possitis, adjuti gratia Christi Domini Salvatoris.

R. 6. Lapides torrentes illi dulces fuerunt. Ipsum sequuntur omnes animæ justæ.

V. Mortem enim quam Salvator dignatus est pro omnibus pati : hanc ille primus reddidit Salvatori. Ipsum. Gloria Patri. Ipsum.

In tertio Nocturno.

Ant. In Domino Deo suo confisus fortis athleta Stephanus lapidum fortiter sustinuit ictus : et idcirco ad montem virtutum transmigravit victoriosus.

Ps. In Domino confido (*x.* p. 14).

Ant. Sine macula beatus Stephanus ingressus est, Domine, in tabernaculum tuum : et quia operatus est justiciam, requiescet in monte sancto tuo.

Ps. Domine, quis habitabit (*xiiii.* p. 17).

Ant. Domine, virtus et læticia rectorum, quoniam tu prævenisti dilectum tibi Stephanum dono gratuitæ benedictionis : te primum secutus est morte gloriosæ passionis, unde cum corona martyrii dedisti ei vitam in seculum seculi.

Ps. Domine, in virtute (*xx.* p. 26).

V. Justus ut palma florebit. *Non dicitur ulterius.*

R. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum xxiii. 34—39.

In illo tempore. Dicebat Jesus turbis Judeorum et principibus sacerdotum. Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas : et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex illis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri.

Sancti Evangelii lectio narrat superius qualiter Dominus, incredulitatem Judeorum redarguens, ostenderit illos homicidarum esse filios, illorum videlicet qui sanctos prophetas occiderant : ipsos quoque similia et etiam pejora facturos denunciavit, dicens, Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Ac si dixisset, Quod illis defuit, vos implere cupitis : quia illi persecuti sunt membra, vos caput persequimini. Illi occiderunt prophetas, vos autem ipsum Dominum, qui ab

eis prædicatus est interficere cogitatis. Deinde annexuit quæ in præsenti lectione dicuntur : in quibus ostendit unum Deum fuisse Testamenti Veteris et Novi, dum dicit, Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas. Quod tale est ac si diceret, Ego qui quondam misi ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, idem ipse et nunc mitto prophetas, et sapientes, et scribas. Fuerunt enim in veteri testamento prophetæ, et sapientes, et scribæ : fuerunt et in novo. In veteri testamento fuerunt prophetæ, Esaias, Hieremias, et plures alii. In novo autem Agabum, et quatuor filias Philippi legimus prophetasse. Et omnis qui in ecclesia Dei futuras pœnas reproborum, et præmia justorum prædicat, prophetiam nunciat, et Propheta dici potest. Sapientes vero in veteri testamento fuerunt Moyses et Salomon et alii : in novo autem sancti apostoli. Scribæ quoque fuerunt in veteri testamento, sicut Esdras et Neemias, et in novo sancti evangelistæ, qui dicta vel facta Domini nobis scripta reliquerunt.

R. 7. Intuens in cælum beatus Stephanus vidit gloriam Dei, et ait, Ecce video cælos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.

V. Cumque aspiceret beatus Stephanus in cælum : vidit gloriam Dei, et ait, Ecce video.

Lectio viii.

Sed sicut patres infidelium Judeorum priores prophetas ad se missos occiderunt, ut Esaiam quem secuerunt, ut Hieremiam quem lapidaverunt : ita et isti post passionem Domini, perfidiam suorum patrum sequentes, sanctos prædicatores ad suam correptionem destinatos diversis pœnis et mortibus affecerunt. Petrum enim et Andream crucifixerunt, Paulum et Jacobum occiderunt : et beatum prothomartyrem Stephanum, cujus hodie festum diem recolimus, lapidaverunt. Post infusionem autem Spiritus Sancti, cum Domini resurrectionem sancti apostoli prædicarent, et populum docerent, et plures ex eis baptizarent : cognoscentes hæc principes sacerdotum, et indignantes, adduxerunt eos in suum consilium. Et flagellatis eis comminantes denunciaverunt ne loquerentur in nomine Domini Jesu : quando ibant gaudentes a conspectu consilii, quoniam digni habiti erant pro nomine Jesu contumeliam pati. Persecuti quoque eos de civitate in civitatem fuerunt : quando expellentes eos a Judea ad gentium dispersionem transire fecerunt. Requirendum autem ab eis omnem justorum sanguinem dicit Dominus, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ. De Abel quod justus fuerit, tam ex veteri testamento, ubi ejus munera Deo accepta fuisse memorantur, quam ex verbis Domini in hoc loco approbatur : Zacharias autem iste a Joas rege eo quod frequenter ab eo pro lege Domini argueretur, interfectus fuisse inter templum et altare incensi, quod a Salomone in porticu constructum fuerat, in Regum libro legitur : et pro nomine Joiadæ patris ejus Barachias scriptum habetur.

R. 8. Patefactæ sunt januæ cæli Christi martyri beato Stephano. Qui in numero sanctorum inventus est primus : et ideo triumphat in cælo coronatus.

V. Vidit beatus Stephanus cælos apertos : vidit, et introivit. Qui in numero.

Lectio ix.

Omnium ergo beatorum martyrum Dominus mentionem faciens, Abel

et Zachariam tantum commemorare voluit : ut per Abel innocentem a fratre in agro interfectum, simplices et seculares fideles, per Zachariam vero pontificem, propter annunciationem et veritatis testimonium in templo lapidatum, doctores et magistri ecclesiæ designarentur. Quorum sanguis ab eorum generatione requirendus esse perhibetur, ut quia malorum generationi per imitationem se sociaverunt, cum eis in judicio puniantur. Sicut et qui bonorum generationi digne vivendo se participes faciunt, in electorum sorte remunerari merebuntur. Plangit autem Dominus Hierusalem civitatem pietatis affectu : non lapidibus et ædificiis, sed habitatoribus loquens : sicut et alibi, quando videns civitatem flevit super illam. Repetitio autem nominis confirmatio est locutionis. Cum autem omnia quæcunque voluit Dominus fecerit in cælo et terra, quærendum est, quomodo dicat se voluisse congregare filios Hierusalem, et non congregasse. Quod tale est ac si diceret, Ego volui : sed tu noluisti. Ego ad eruditionem tuam prophetas misi : sed tu ex illis alium occidisti, alium lapidasti. Ego ex te incarnatus in te apparui : tu autem maliciosa voluntate contra me sævire non timuisti. Congrue autem se gallinæ comparavit, propter mysterium videlicet suæ passionis, vel nostræ restaurationis. Gallina enim avis est mansuetissima, quæ quando pullos enutrit, totam se hispidam reddit, alas demittit, vocem raucam emittit : et pro amore vel salute pullorum morti se audacter objicit. Quod videlicet Dominus in mysterio nostræ redemptionis implevit : quando pro humani generis salute incarnatus, mitis et mansuetus inter homines apparuit. Alas deposuit : quando ad nostram eruditionem duo testamenta destinavit. Et quasi totum se hispidum reddidit, quando in passione (sicut propheta dicit) non habere speciem vel decorem visus fuit. Vocem raucam emisit, quando in cruce positus, Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti, ad Patrem clamavit. Et morti se pro salute pullorum tradidit, quando ut humanum genus ab æterna morte liberaret, et inventorem mortis diabolum superaret, carnis mortem suscepit.

R. Sancte Dei preciose, *ut supra ad processionem, et dicatur cum sua Prosa, et cum* Gloria Patri *ab omnibus Dyaconis, scilicet in ecclesia Sarum, propter solennitatem dyaconorum. Alibi vero, ut in Ecclesiis Parochialibus, dicatur solummodo in processione ad Vesperas : ubi vero non fuit processio facta ad Vesperas, tunc dicitur hæc Prosa ad Matutinas suo loco in statione puerorum in suppelliciis.*

Similiter fiat de sancto Johanne, et de Innocentibus.

Ante Laudes V. Ora pro nobis.

In Laudibus.

Ant. Lapidaverunt Stephanum, et ipse invocabat Dominum, dicens : Ne statuas illis hoc peccatum.

Ps. Dominus regnavit decorem (*xcii.* p. 29).

Ant. Lapides torrentes illi dulces fuerunt : ipsum sequuntur omnes animæ justæ.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Adhæsit anima mea post te, quia caro mea lapidata est pro te, Deus meus.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Stephanus vidit cælos apertos, vidit et introivit : beatus homo, cui cæli patebunt.

Ps. Benedicite omnia (*Daniel iii. p.* 31).

Ant. Ecce video cælos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei.

Ps. Laudate Dominum. *p.* 32.

Capitulum. Actuum vi. 8.

Stephanus plenus gratia et fortitudine : faciebat prodigia et signa magna in populo. Deo gratias.

Hymnus.

Sancte Dei preciose prothomartyr Stephane,
Qui virtute charitatis circunfultus undique :
Dominum pro inimico exorasti populo.

Funde preces pro devoto tibi nunc collegio :
Ut tuo propiciatus interventu Dominus,
Nos purgatos a peccatis jungat cæli civibus.

Gloria et honor Deo usquequo altissimo,
Una Patri Filioque inclito Paraclito,
Cui laus est et potestas per æterna secula. Amen.

Versus. Justus germinabit.

Ant. Impii super justum jacturam fecerunt, ut eum morti traderent : at ille gaudens suscepit lapides, ut mereretur accipere coronam gloriæ. Alleluya.

Ps. Benedictus, *p.* 35.

Oratio. Da nobis, quæsumus, *p.* cxcv.

Memoria de Nativitate.

Ant. Virgo hodie (p. cxcv.).

V. Benedictus qui venit.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus (p. cxc.).

Ad Primam.

Ant. Lapidaverunt.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ad Tertiam.

Ant. Lapides torrentes.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33—48, p. 57).

Cap. Stephanus plenus gratia.

R. Gloria et honore. *cum* Alleluya. Gloria Patri.

Gloria et honore.

V. Posuisti Domine *sine* Alleluya.

Oratio ut supra.

Et dicuntur Responsoria super Horas cum Alleluya *quotidie, usque ad Octavas Epyphaniæ, et in ipsis Octavis.*

Ad Sextam.

Ant. Adhæsit.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81—96, p. 61).

Capitulum. Actuum vii. 55.

Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait : ecce video cælos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.

R. Posuisti *cum* Alleluya.

V. Coronam.

V. Justus ut palma.

Oratio ut supra.

Ad Nonam.

Ant. Ecce video (p. ccix.).

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129—144, p. 65).

Capitulum. Actuum vii. 59.

Positis autem genibus beatus Stephanus clamabat voce magna, dicens, Domine, ne statuas illis hoc peccatum : et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.

R. Justus ut palma *cum* Alleluya.

V. Sicut cedrus. Alleluya. Gloria.

V. Justus germinabit.

R. Et florebit *sine* Alleluya.

Oratio ut supra.

Omnes Horæ dicantur ante Missam istis tribus diebus.

Ad Vesperas.

Ant. Tecum principium.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Cap. Stephanus plenus.

R. Impetum fecerunt.

Hoc Responsorium a solo Dyacono incipiatur ad gradum chori in capa serica; et suus Versus ab omnibus Dyaconis cantetur in supelliciis ad modum Prosæ in statione puerorum.

V. Gloria Deo.

Hymnus. Sancte Dei preciose, *p.* ccxi.

V. Justus germinabit.

Ant. Patefactæ sunt januæ cæli Christi martyri beato Stephano: qui in numero sanctorum inventus est primus, et ideo triumphat in cælis coronatus. Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Da nobis, quæsumus, *p.* cxcv.

Memoria de NATIVITATE.

Ant. Lux orta est super nos, quia hodie natus est Salvator. Alleluya.

V. Verbum caro.

Oratio. Concede, quæsumus, *p.* cxc.

Tunc conveniant omnes Sacerdotes in capis sericis cum cereis ardentibus, et sic eat processio ad altare Apostolorum per medium chori, cantando Responsorium, Cantore sic incipiente.

R. 9. In medio ecclesiæ aperuit os ejus. Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus.

Tres Sacerdotes dicant.

V. Misit Dominus manum suam, et tetigit os meum. Et implevit.

Et omnes Sacerdotes simul dicant Prosam,

Nascitur ex patre Zebedeo: matre Maria.

Chorus ad unumquemque Versum respondeat A, *cum cantu Versus prædicti.*

V. Et volat ante alios: in Domini theologia.

V. Nomine reque Dei gratia.

V. Asiana vicit gymnasia.

V. Vas pœnale.

V. Jus letale.

V. Pathmos exilia.

V. Vocatur Christi præsentia senex ad convivia. Et implevit.

Non dicatur Gloria Patri *ad hanc Prosam: sed dum Prosa canitur, thurificet Sacerdos altare, deinde imaginem sancti Johannis, et postea dicat sacerdos modesta voce Versum.* Valde honorandus est beatus Johannes.

R. Qui supra pectus Domini in cena recubuit.

Oratio.

Ecclesiam tuam, quæsumus, Domine, benignus illustra: ut beati Johannis Apostoli tui et Evangelistæ illuminata doctrinis ad dona perveniat sempiterna. Per Dominum.

In reditu, de sancta MARIA.

Ubi non fit processio de sancto Johanne, tunc fiet in primis de eo Memoria, ante Memoriam de Nativitate, cum hac Antiphona: Valde honorandus est beatus Johannes qui supra pectus Domini in cena recubuit.

V. In omnem terram. *Oratio.* Ecclesiam tuam. *Ut supra.*

IN DIE S. JOHANNIS APOSTOLI.

AD MATUTINAS.

Invitatorium.

Adoremus regem apostolorum. Qui privilegio amoris Johannem dilexit apostolum.

Ps. Venite.

Hymnus.

Bina cælestis aulæ luminaria,
Jacobe necnon Johannes theologe:
Poscite nobis veniam rogantibus
Quam venit Christus gratis dare miseris.

Annue Christe (p. 364).

Et dicatur in hoc Hymno.

Per horum tibi chara merita (cf. p. 364).

In primo Nocturno.

Ant. Johannes Apostolus et Evangelista virgo est electus a Domino, atque inter ceteros magis dilectus.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

Ant. Supra pectus Domini Jesu recumbens : evangelii fluenta de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit.

Ps. Benedicam Dominum (*xxxiii.* p. 77).

Ant. Quasi unus de paradisi fluminibus Evangelista Johannes verbi Dei gratiam in toto terrarum orbe diffudit.

Ps. Eructavit cor meum (*xliiii.* p. 101).

V. In omnem terram.

Lectio prima.

Johannes Apostolus et Evangelista, filius Zebedei, frater Jacobi, virgo est dilectus a Domino, atque inter ceteros magis dilectus. Qui etiam super pectus magistri recumbens Evangelii sui fluenta de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit : et quasi unus de paradisi fluminibus verbi Dei gratiam in toto terrarum orbe diffudit. Quique in loco Christi Christo jubente successit : dum suscipiens matrem magistri discipulus post Christum alter quodammodo derelictus est filius. Hic dum Evangelium Christi in Asia prædicaret, a Domiciano Cæsare in Pathmos insula metallo relegatur. Ubi etiam positus Apocalypsim scripsit. Interfecto autem a senatu Domiciano, Johannes exilio resolutus recessit Ephesim : ibique ob hæreticorum refutandas versutias, efflagitatus ab Asiæ episcopis, Evangelium novissimus edidit. Hujus autem electi discipuli Domini inter alias virtutes magnitudo signorum hæc fecit. Mutavit in aurum silvestres frondium virgas, litoreaque saxa in gemmas. Item fragmina gemmarum in propriam reformavit naturam. Tu autem Domine miserere nostri.

R. 1. Valde honorandus est beatus Johannes, qui supra pectus Domini in cena recubuit. Cui Christus in cruce matrem virginem virgini commendavit.

V. Virgo est electus a Domino atque inter ceteros magis dilectus. Cui.

Lectio secunda.

Viduam quoque precatu populi suscitavit : et redivivum juvenis corpus remeante anima reparavit. Cum autem omnis civitas Ephesiorum et omnes provinciæ Asiæ Johannem excolerent et prædicarent, cultores idolorum excitantes seditionem, trahebant Johannem ad templum Dyanæ, ut ei fœditatem sacrificiorum

offerret. Tunc beatus Johannes ait, Ducam vos ad ecclesiam Domini nostri Jesu Christi, et invocantes nomen Dyanæ vestræ si feceritis cadere ecclesiam ejus, consentiam vobis. Sin autem, ego invocans nomen Domini mei, faciam cadere templum hoc, et comminui idolum vestrum. Quod cum factum fuerit, justum erit ut relicta superstitione vestra ad Deum meum convertamini. Huic ergo diffinitioni pars maxima consensum præbuit. Beatus itaque Johannes monuit populum ut a templo longe se faceret : deinde coram omnibus dixit, Domine Jesu Christe, obsecro corruat hoc templum cum omnibus idolis quæ coluntur in eo, ita ut nullam in hominibus læsionem faciat : et sciat omnis hæc turba, quia hoc idolum Dyanæ dæmonium est, et non Deus. Ad hanc vocem Apostoli omnia idola cum templo corruerunt, et effecta sunt pulvis. Hoc viso, conversi sunt plurimi ad fidem Christi. Tu autem Domine miserere nostri.

R. 2. Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his et scripsit hæc. Et scimus quia verum est testimonium ejus.

V. Qui contestatus est Verbum Dei, et testimonium Jesu Christi in his quæcunque vidit. Et scimus quia.

Lectio tertia.

Aristodimus autem pontifex idolorum excitavit seditionem in populo. Tunc beatus Johannes ait, Dic, Aristodime, quid faciam ut tollam indignationem ab animo tuo? Cui Aristodimus, Si vis (ait) ut credam Deo tuo, dabo tibi venenum; quod dum biberis, si mortuus non fueris, apparebit verum esse Deum tuum. Cui Apostolus ait, Venenum si michi dederis, Dei mei invocato nomine, non poterit mihi nocere. Ait Aristodimus, Vide prius libentes et statim morientes. Cui beatus Johannes, Paratus (inquit) tantum esto credere in Deum meum, dum me videris post veneni poculum sanum. Perrexit itaque Aristodimus ad proconsulem, et petiit ab eo duos viros qui pro suis sceleribus erant occidendi. Et statuens eos in medio populi fecit eos venenum bibere. Qui mox ut biberunt, spiritum ex*h*alaverunt. Tunc dixit Aristodimus ad Apostolum, Recede, Johannes, ab ista doctrina, qua a deorum cultura revocasti populum : aut bibe, ut ostendas omnipotentem esse Deum tuum. Tunc beatus Johannes intrepidus accepit calicem, et signaculum crucis in eo faciens, dixit, Deus meus et Pater Domini nostri Jesu Christi, cujus verbo cæli firmati sunt, cui omnis creatura deservit, et omnis potestas subjecta est : tu extingue hoc letiferum virus, et da omnibus his cor ut magnitudinem tuam intelligant. Post hæc armavit seipsum signo crucis, et bibit totum quod erat in calice, et dixit, Peto ut propter quos bibi convertantur ad te, Domine: et salutem quæ apud te est illuminante te mereantur. Attendens autem populus Johannem per tres horas nulla signa palloris habentem, clamaverunt dicentes : Unus Deus verus est, quem colit Johannes. Tu.

R. 3. Iste est Johannes qui supra pectus Domini in cena recubuit. Beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cælestia.

Versus.

Johannes is theologus quem debriavit Spiritus:
Aquila volans cælitus palam fecit mortalibus,
Christus Mariæ filius quod sit Verbum Dei Deus.
Beatus Apostolus, cui [revelata sunt secreta cælestia].
Gloria sit altissimo

Genitori ingenito,
Ingenitique genito,
Et Flamini Paraclito.
Beatus.

Alius Versus in Octava die, si Dominica fuerit tantum.

Valde honorandus est beatus Johannes : qui supra pectus Domini in cena recubuit.

Beatus Apostolus. Gloria Patri. Beatus.

In secundo Nocturno.

Ant. In ferventis olei dolium missus Johannes Apostolus : divina se protegente gratia illæsus exivit.

Ps. Omnes gentes (*xlvi.* p. 103).

Ant. Propter insuperabilem evangelizandi constantiam exilio relegatus : divinæ visionis et allocutionis meruit crebra consolatione relevari.

Ps. Exaudi Deus deprecationem (*lx.* p. 119).

Ant. Occurrit beato Johanni ab exilio revertenti omnis populus virorum ac mulierum clamantium et dicentium : Benedictus qui venit in nomine Domini.

Ps. Exaudi Deus orationem meam (*lxiii.* p. 121).

V. Constitues eos principes.

Lectio quarta.

Conversus autem Aristodimus ad Apostolum : dixit, Emundabitur mens mea ab omni dubietate, si istos qui hoc veneno mortui sunt in nomine Dei tui excitaveris. Tollens ergo Johannes tunicam suam dedit eam Aristodimo, et dixit : Vade et mitte hanc tunicam super corpora defunctorum; et dices ita, Apostolus Domini nostri Jesu Christi misit me ad vos, ut in nomine ejus exurgatis : ut cognoscant omnes quia vita et mors famulantur Domino meo Jesu Christo. Quod cum fecisset Aristodimus, et vidisset eos exurgere : adorans Johannem festinus perrexit ad proconsulem. Et cum narrasset ei quæ facta fuerant, venientes ambo prostraverunt se coram Apostolo indulgentiam flagitantes. Quos ille suscipiens cum gratiarum actione obtulit Deo. Unius autem ebdomadæ expleto jejunio, baptizavit eos. Post hæc confringentes omnia simulachra fabricaverunt ecclesiam in nomine Dei et sancti Johannis : in qua idem sanctus Johannes assumptus est, ut sequens sermo declarabit. Cum esset beatus Johannes annorum nonagintanovem, apparuit ei Dominus Jesus Christus cum discipulis suis, et ait ei : Veni dilecte meus ad me, quia tempus est ut epuleris in convivio meo cum fratribus tuis. Tu autem Domine miserere nostri.

R. 4. In illa die suscipiam te servum meum, et ponam te sicut signaculum in conspectu meo. Quoniam ego elegi te, dicit Dominus.

V. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Quoniam ego elegi.

Lectio quinta.

Surgens autem Johannes cepit ire. Dixit autem ei Dominus : Dominica die resurrectionis meæ, quæ post quinque dies futura est, venies ad me. Et cum hoc dixisset, cælo receptus est. Veniente itaque die Dominica convenit ad Johannem universa multitudo in supradictam ecclesiam. A primo autem pullorum cantu agens Apostolus mysteria Dei : allocutus est omnem populum usque ad horam diei tertiam, dicens : Fratres et conservi mei, coheredes et participes regni Dei, cognoscite virtutes Domini nostri Jesu Christi, et quanta prodigia et charismata per doctrinam meam Deus vobis præstitit. Perseverate ergo in ejus

mandatis. Me enim jam Dominus de hoc mundo vocare dignatur. Post hæc jussit beatus Johannes Apostolus juxta altare fossam fieri : in quam descendens expandit manus suas ad Deum, et dixit, Invitatus ad convivium tuum venio gratias agens, quia me dignatus es, Domine Jesu Christe, ad tuas epulas invitare, sciens quod ex toto corde meo desiderabam te. Vidi faciem tuam, et quasi de sepultura suscitatus sum. Odor tuus concupiscentias in me excitavit æternas. Vox tua plena suavitate melliflua, et allocutio tua incomparabilis. Ad te venire semper optavi : sed tu dixisti mihi, expecta ut populum liberes crediturum mihi. Tu autem.

R. 5. Ecce puer meus quem elegi, dicit Dominus, electus meus. Complacuit michi in illo anima mea.

V. Dedi spiritum meum super eum : judicium gentibus proferre. Complacuit.

Lectio sexta.

Et tu custodisti corpus meum ab omni pollutione, et animam meam semper illuminasti: et non dereliquisti me, cum irem in exilium et redirem. Et posuisti in ore meo verbum veritatis tuæ, et scripsi ea quæ oculis meis vidi, et verba quæ ex ore tuo audivi. Et nunc, Domine, commendo tibi filios quos ecclesia tua vera mater tibi per aquam et Spiritum sanctum regeneravit. Dixit quoque beatus Johannes, Suscipe me, Domine, ut cum fratribus meis sim, cum quibus veniens invitasti me. Aperi mihi pulsanti januam vitæ : et principes tenebrarum non occurrant michi. Non veniat michi pes superbiæ : et manus extranea a te non contingat me. Suscipe ergo me secundum verbum tuum, et perduc me ad convivium epularum tuarum, ubi epulantur tecum omnes electi tui. Tu es enim Christus Filius Dei vivi, qui præcepto Patris mundum salvasti : qui Spiritum sanctum nobis dignatus es destinare, ut nos de præceptis tuis commonefaceret. Per eundem Spiritum tibi gratias referimus, per infinita secula seculorum. Et cum omnis populus respondisset, Amen : lux tanta apparuit super Apostolum per unam fere horam, ut nullius sufficeret aspectus. Post hæc inventa est illa fossa plena, nihil aliud in se habens nisi manna: quod gignit usque hodie. Unde accidit ut quidam eum vivere asserant, nec mortuum in sepulchro, sed dormientem jacere contendant : maxime pro eo quod illic terra sensim ab imo scaturiens ad superficiem sepulchri conscendat, et quasi flatu quiescentis deorsum ad superiora pulvis ebulliat. Fiunt autem in eodem loco virtutes orationibus ejus; et ab omnibus infirmitatibus et periculis liberantur omnes fideles, et precum suarum consequuntur effectum.

R. 6. Apparuit charo suo Johanni Dominus cum discipulis suis : et ait illi, Veni dilecte mi ad me. Quia tempus est ut epuleris in convivio meo cum fratribus tuis.

V. Cumque complesset Apostolus cursum vitæ præsentis : apparuit ei Salvator mundi, et ait illi, Veni dilecte. Gloria Patri. Quia tempus.

In tertio Nocturno.

Ant. Apparuit charo suo Johanni Dominus Jesus Christus cum discipulis suis, et ait illi : veni dilecte meus ad me, quia tempus est ut epuleris in convivio meo cum fratribus tuis.

Ps. Confitebimur tibi (*lxxiiii.* p. 136).

Ant. Expandens manus suas ad Deum dixit, Invitatus ad convivium

tuum venio gratias agens : quia me dignatus es, Domine Jesu Christe, ad tuas epulas invitare, sciens quod ex toto corde meo desiderabam te.

Ps. Dominus regnavit, exultet (*xcvi.* p. 164).

Ant. Domine, suscipe me ut cum fratribus meis sim, cum quibus veniens invitasti me : aperi michi januam vitæ, et perduc me ad convivium epularum tuarum; tu es enim Christus Filius Dei vivi, qui præcepto Patris mundum salvasti: tibi gratias referimus per infinita seculorum secula.

Ps. Dominus regnavit, irascantur (*xcviii.* p. 170).

V. Nimis honorati sunt amici tui, Deus.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem, ultimo. [*Joh. xxi.* 19—24].

In illo tempore. Dixit Jesus Petro, Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus sequentem, qui et recubuit in cena super pectus ejus. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri [*vi. lib. i.**].

Commendat nobis beatissimus Evangelista et Apostolus Johannes privilegium amoris præcipui, quo amplius meruit honorari a Domino. Commendat testimonium Evangelicæ descriptionis, quod veritate divina subnixum nullus fidelium dubitare permittitur. Commendat placidam suæ carnis absolutionem, quam specialiter Domino se visitante percepit. Cum enim Dominus post resurrectionem suam septem discipulis, inter quos erant Petrus et Johannes, apparuisset, eisque ad prandium invitatis in prandendo ter amorem confitenti Petro oves suas pascendas commisisset, deinde quia pro earundem ovium cura usque ad martyrium crucis perventurus esset intimavit. Sed ne forte gravis Petro videretur prædicta a Domino passio crucis, hanc confestim lenire suo curavit exemplo, dicens : Sequere me. Ac si diceret, Quia ego prius pro tua redemptione crucis supplicium subire non timui, tu quoque pro mei confessione nominis crucem pati formidare non debes. Tu autem Domine [miserere nostri].

R. 7. Sic eum volo manere donec veniam. Quid ad te tu me sequere.

V. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu : Domine, hic autem quid. Quid.

Lectio viii.

Secutus est autem cum Petro Dominum et ille discipulus quem diligebat Jesus, Johannes videlicet ipse cujus hodie festa celebramus, qui hoc scripsit Evangelium. Diligebat autem eum Jesus : quia specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione eum feceratdignum. Virgo enim electus ab ipso, virgo in ævum permansit. Tradunt namque hystoriæ quod eum volentem nubere de nuptiis vocaverit : et propterea quem a voluptate carnali retraxerat potiore suo amore donavit. Denique moriturus in cruce huic matrem suam commendavit : ut virginem virgo servaret. Quod autem discipulus ille supra pectus magistri recubuit, futuri mysterii signum fuit. Quia enim in pectore Jesu sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, merito supra pectus ejus recubuit, qui ceteris se potius exponendis divinæ naturæ archanis indidit, patenter insinuans quod de pectore Jesu fluenta doctrinæ cælestis, (quæ nobis ructaret), hauserit. Quia vero beatus Petrus audierat se per passionem crucis clarificaturum esse Deum, voluit etiam de condiscipulo cognoscere, qua morte esset perpetuam transiturus ad vitam. Tu autem Domine.

* *Serm. Hyemales de Sanctis. Op. Tom.* VII. *col.* 310, 311.

R. 8. Diligebat autem eum Jesus: quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum. Quia virgo electus ab ipso virgo in ævum permansit.

Versus. In cruce denique moriturus huic matrem virginem virgini commendavit. Quia virgo electus.

Lectio ix.

Non (inquit Dominus) eum volo consummari donec veniam. Et quidem hanc Domini responsionem fratres tunc temporis tractabant, quasi Johannes nunquam esset moriturus. Quod non ita esse intelligendum ipse Johannes admonere curavit, sed ita potius, quod, ceteris Christi discipulis per passionem consummatis, ipse in pace adventum suæ vocationis expectaverit. Sicut enim in patrum litteris invenimus, cum longo confectus senio sciret imminere diem recessus sui, convocatis discipulis suis post monita exhortationum ac missarum celebrationem ultimum eis vale fecit. Deinde descendens in defossum sepulturæ suæ locum, facta oratione, appositus est ad patres suos, tam liber a dolore mortis, quam fuerat alienus a corruptione carnis. Atque ita completa est veridica Salvatoris sententia, quia sic eum voluerit manere donec veniret. Iste est discipulus qui testimonium perhibuit verbum Dei prædicando : perhibuit et scribendo. Siquidem a tempore Dominicæ Ascensionis usque ad ultima tempora Domiciani principis, per annos circiter sexaginta quinque verbum Deo prædicavit. A Domiciano autem, qui secundus post Neronem Christianorum persecutor extitit, exilio missus : post occisionem ejus Ephesum est redire permissus. Tunc compulsus pæne ab omnibus Asyæ episcopis, et multarum ecclesiarum legationibus, de coæterna Patri divinitate Christi altius facere sermonem, se non aliter facturum hoc respondit, nisi indicto jejunio in commune Dominum precarentur, ut illis digna scribere posset. Quo facto, Sancti Spiritus gratia debriatus, divinæ veritatis, quantum alteri mortalium nulli licuit, archana reseravit.

R. 9. In medio ecclesiæ, *ut supra ad processionem ; et dicitur hic cum sua Prosa, et cum* Gloria Patri *ab omnibus Sacerdotibus.*

Ante Laudes Versus. Valde honorandus est beatus Johannes.

In Laudibus.

Ant. Hic est discipulus ille qui testimonium perhibuit : et scimus quia verum est testimonium ejus.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. Hic est discipulus meus : sic eum volo manere donec veniam.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Ecce puer meus electus quem elegi : posui super eum Spiritum meum.

Ps. Deus Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem : donec videant Filium hominis in regno suo.

Ps. Benedicite omnia (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Sic eum volo manere donec veniam : tu me sequere.

Ps. Laudate Dominum (pp. 32, 33).

Capitulum. [*Ecclesiastici xv.* 1, 2.] Qui timet Deum faciet bona, et qui continens est justitiæ apprehendet illam : et obviabit illi quasi mater honorificata.

Hymnus. Exultet cælum (p. 368).

V. Annunciaverunt opera Dei.

Ant. Iste est Johannes qui supra pectus Domini in cena recubuit : beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cælestia.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio. Ecclesiam, *p.* ccxii.

Memoria de NATIVITATE.

Ant. Hodie intacta (p. cxcvi).
V. Benedictus qui venit.
Oratio. Concede quæsumus, *p.* cxc.

Memoria de sancto Stephano ad has Matutinas fiat cum hac Antiphona, sive de eo prius processio facta fuerit, sive non.

Ant. Sepelierunt Stephanum viri timorati : et fecerunt planctum magnum super eum.
V. Justus germinabit.
Oratio. Da nobis, quæsumus.

AD PRIMAM.

Ant. Hic est discipulus ille.
Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

AD TERTIAM.

Ant. Hic est discipulus meus.
Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).
Capitulum. Qui timet.

Responsoria et Versus de Communi unius Apostoli ad omnes Horas dicuntur cum Alleluya. *Et responsiones versiculorum dicuntur sine* Alleluya.

AD SEXTAM.

Ant. Ecce puer.
Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).
Capitulum. Ecclesiastici xv. [4, 5.]

Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum : et firmabitur in illo et non flectetur, et continebit illum, et non confundetur, et exaltabit illum apud proximos suos.

AD NONAM.

Ant. Sic eum.
Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. Ecclesiastici xv. [5.]

In medio ecclesiæ aperuit os ejus et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus: stola gloriæ induit eum.

AD VESPERAS.

Ant. Tecum principium.
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Capitulum. Qui timet Deum.
R. Iste est Johannes.

Hoc Responsorium a solo Sacerdote incipiatur ad gradum chori in cappa serica : et suus Versus ab omnibus Sacerdotibus cantetur in suppelliciis ad modum Prosæ in statione puerorum cum

V. Gloria sit Altissimo.
Hymnus. Exultet cælum (p. 368).
V. Annuntiaverunt opera Dei.
Ant. In medio ecclesiæ aperuit os ejus : et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus : stola gloriæ induit eum. Alleluya. Alleluya. Alleluya.
Ps. Magnificat (p. 221).
Oratio. Ecclesiam tuam, *p.* ccxiv.

Memoria de NATIVITATE.

Ant. Gaudeamus, *p.* cxcvi.
V. Verbum caro.

Oratio. Concede quæsumus, *p.* cxc.
Iste modus servetur ad Memoriam de Nativitate in Versibus dicendis tam ad Vesperas quam ad Matutinas : scilicet quod ad Vesperas dicitur V. Verbum caro, *et ad Matutinas dicitur V.* Benedictus qui venit.

Memoria de sancto STEPHANO *cum hac Antiphona* Tu principatum, *ubi processio facta fuerit prius de eo : ubi vero processio facta non fuerit, dicitur Ant.* Lapidaverunt.
V. Gloria et honore.
Oratio. Da nobis quæsumus.

Similiter fiat de sancto JOHANNE, *et de sancto* THOMA.

Dictis vero propriis Antiphonis de sancto Stephano, fiat de eo Memoria cum Antiphonis de Laudibus suo

ordine: quibus dictis dicantur Antiphonæ de Nocturnis. Similiter suo ordine de sancto Johanne, et de Innocentibus, et de sancto Thoma eodem modo fiat Memoria.

In Octavis vero prædictorum Sanctorum dicitur una de propriis Antiphonis ad Memoriam, quæ ibidem reperitur notata.

Tunc eat processio Puerorum ad altare Innocentium, vel Sanctæ Trinitatis, cum capis sericis et cereis illuminatis in manibus suis, cantando

R. Centum quadraginta quattuor milia qui empti sunt de terra: hii sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim permanserunt. Ideo regnant cum Deo: et Agnus Dei cum illis.

Episcopus Puerorum, si assit, incipiet hoc Responsorium.

Tres pueri dicant V. Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo et Agno: et in ore eorum non est inventum mendacium. Ideo.

Omnes Pueri cantent simul Prosam, ut sequitur, videlicet

Sedentem in supernæ majestatis arce.

Et Chorus respondeat cantum Prosæ post unumquenque Versum sub littera E.

V. Adorant humillime proclamantes ad te.

V. Sancte, Sancte, Sancte, Sabaoth rex.

V. Plena sunt omnia gloriæ tuæ.

V. Cum illis undevigintiquinque.

V. Atque cum innocentissimo grege.

V. Qui sunt sine ulla labe.

V. Dicentes excelsa voce,

V. Laus tibi sit, Domine, rex æternæ gloriæ. Ideo regnant.

Ad hanc processionem non dicatur Gloria Patri: *sed dum Prosa canitur, thurificet Episcopus Puerorum altare, deinde imaginem Sanctæ Trinitatis: et postea dicat Sacerdos modesta voce hunc*

V. Lætamini in Domino.

Oratio.

Deus, cujus hodierna die præconium innocentes martyres non loquendo sed moriendo confessi sunt: omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Qui cum Deo Patre.

In redeundo, de sancta Maria.

R. Felix namque, *cum suo Versu, quo finito dicat Episcopus Puerorum modesta voce.*

V. Speciosus forma.

Oratio. Deus qui salutis. *quæ sic terminetur,* Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Deinde sequatur Benedicamus Domino *a duobus vel tribus, extra regulam* [*cf. p.* cxci.].

Tunc Episcopus Puerorum intret stallum suum, et interim Cruciferarius accipiat baculum episcopi conversus ad episcopum: et incipiat hanc Antiphonam, Princeps ecclesiæ, *quæ non dicitur episcopo absente. Et cum venerit ad istud verbum,* Cum mansuetudine, *convertat se ad populum et cantet totam*

Ant. Princeps ecclesiæ, pastor ovilis: cunctam plebem tuam benedicere digneris. Cum mansuetudine et charitate humiliate vos ad benedictionem.

Chorus respondeat, Deo gratias.

Deinde tradat baculum episcopo: et tunc incipiat Episcopus Puerorum, primo signando se in fronte, hoc modo incipiendo,

Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Chorus respondeat, Qui fecit cælum et terram.

Item episcopus, signando se in pectore, dicat

Sit nomen Domini benedictum.

Chorus respondeat, Ex hoc nunc et usque in seculum.

Deinde Episcopus conversus ad chorum elevet brachium suum, et incipiat hanc benedictionem hoc modo,

Crucis signo vos consigno,

Hic convertat se ad populum, dicens,

Vestra sit tuitio:

Deinde ad altare convertat se, dicens,

Qui vos emit, et redemit.

Postea ad semetipsum reversus, ponendo manum suam super pectus suum, dicat,

Suæ carnis precio.

Chorus. Amen.

His itaque peractis, incipiat Episcopus Puerorum Completorium de die more solito: post Pater noster *et* Ave Maria.

Et post Completorium dicat Episcopus Puerorum, ad chorum conversus, sub tono prædicto,

Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Qui fecit cælum et terram.

Sit nomen Domini benedictum:

Ex hoc nunc et usque in seculum.

Benedicat vos omnipotens Deus: Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

Ubi vero non fit processio de Innocentibus, tunc fiat in primis de eis Memoria ante Memoriam de Nativitate, cum hac

Antiphona. Innocentes pro Christo infantes occisi sunt ab iniquo rege, lactentes interfecti sunt: ipsum sequuntur Agnum sine macula, et dicunt semper, Gloria tibi, Domine.

V. Lætamini.

Oratio. Deus, cujus hodierna.

DIE SANCTORUM INNOCENTIUM.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Venite, adoremus Dominum. Qui in sanctis gloriosus est.

Ps. Venite.

Hymnus. Sanctorum meritis, *p.* 395.

In primo Nocturno.

Ant. Herodes videns quia illusus esset a Magis: misit in Bethleem et occidit omnes pueros qui erant in eo et in omnibus finibus ejus.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).

Ant. Christus infans non despexit suos coætaneos milites, sed provexit: quibus dedit ante triumphare quam loqui.

Ps. Quare fremuerunt (*ii.* p. 7).

Ant. Arridebat parvulus occisori, gladio adjocabatur infantulus: nutricis loco attendebat lactens percussoris horrorem.

Ps. In Domino confido (*x.* p. 14).

V. Lætamini.

Lectio prima. Severianus.

Zelus quo tendat, quo prosiliat livor, invidia quo feratur, Herodiana hodie patefecit immanitas. Quæ dum temporalis regni æmulatur angustias, æterni regis ortum molitur extinguere. Herodes enim videns quia illusus esset a magis, misit in Bethleem, et occidit omnes pueros qui erant in ea et in omnibus finibus ejus. Dolet impietas se esse illusam: dilatans se crudelitas furit. Fremit dolositas se esse deceptam: et in se fraus reversa colliditur. Herodes stridet, cadens ipse in laqueum quem tetendit: hinc iniqui-

tatem quam condiderat evaginat. De fide perfidiæ sumit arma: terreno quærit furore, quem natum cælitus non credit. Ad sinum matrum militum cogit castra. Inter ubera arcem pietatis oppugnat. In teneris uberibus ferrum durat. Lac fudit antequam sanguinem: dat ante mortem sentire quam vitam, tenebras ingerit intrantibus lucem. Sic agit magister mali, minister doli, iræ artifex, inventor sceleris, impietatis auctor, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hostis naturæ, suis pejor, pessimus sibi. Quem Christus non ut evaderet, sed ne videretur, aufugit. Tu autem.

R. 1. Sub altare Dei audivi voces occisorum, dicentium, Quare non defendis sanguinem nostrum? et acceperunt divinum responsum: Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.

V. Vidi sub altare Dei animas sanctorum propter verbum Dei quod habebant, et clara voce dicebant, Quare.

Lectio ii.

Herodes obsidens terrenum regnum, impugnat cæleste. Terrenis inhyans irruit in divina; ipsamque pietatem omni impietate insectatur. Audierat natum regem destinatus ad scelus, ad piaculum promptus, paratus ad crimen. Causas innocentiæ non requirit; jus abnegat, confundit fasque nephasque. Cui nequitia est sodalis, cui odiosa est æquitas, iniquitas est semper amica: qui cædibus vivit, qui se munit sanguine, qui crudelitatibus sævit, cui de timore stat totum, de amore nichil constat, Herodes tunc cæcus sic Christum gladiis quærit, investigat cruore, crudelitate rimatur. Successorem timens, incessit in auctorem. Premit innocentes, volens innocentiam deperire. Innocentis causam facit nocentium crimen. Munus nati, natorum vertit in pœnam. Auctoris ortum, orientium mandat occasum. Negotium salvantis, salvandorum jubet esse discrimen. Quorum enim lingua tacuit, oculi nichil viderunt, nil audierunt aures, manus nil fecerunt: apud Herodem solum quod nati sunt, hoc fuit crimen. Christus futurorum præscius, conscius secretorum, cogitationum judex, mentium perscrutator: quare deseruit quos sciebat propter se quærendos esse, propter se noverat occidendos? Natus rex cælestis, quare neglexit milites innocentiæ suæ? Coætaneum sibi, quare contempsit exercitum? Quare cunabulis suis deputatas excubias sic reliquit? Fratres. Christus non despexit suos milites, sed provexit: quibus ante dedit triumphare quam vivere: quos fecit capere sine concertatione victoriam: quos donavit coronis antequam membris: quos voluit virtutibus vitia præterire; ante cælum possidere quam terram. Præmisit ergo Christus suos milites, non amisit. Recepit suas acies, non reliquit. Beati, quos natos martyrio videmus esse, non seculo.

R. 2. Sub throno Dei omnes sancti clamant Vindica sanguinem nostrum, Deus noster.

V. Sub altare Dei audivi voces occisorum, clamantium et dicentium, Vindica.

Lectio tertia.

Beati, qui labores in requiem, in refrigerium dolores, mærores in gaudium commutarunt. Vivunt, vivunt. Quare vivunt? Quia pro Christo merentur occidi. Beati ventres, qui portaverunt tales. Beata ubera, quæ se talibus infuderunt. Beatæ lachrimæ, quæ pro talibus fusæ: fletibus gratiam baptismatis contulerunt. Ar-

ridebat igitur parvulus occisori: gladio adjocabatur infantulus: nutricis loco attendebat lactens percussoris horrorem. Matres tulerunt quicquid et languoris extitit et doloris. Nam gladius filiorum pertransiens membra ad matrum corda devenit: et necesse est ut sint præmii consortes, quæ fuerunt sociæ passionis. Non enim carebunt martyris gaudio, martyrii lachrimas quæ fuderunt. Hoc loco attendat auditor, et intelligat martyrium non constare per meritum, sed venire per gratiam. In parvulis, quæ voluntas, quod arbitrium, ubi captiva fuit et ipsa natura? De martyrio ergo demus totum Deo, nichil nobis. Vincere dyabolum, corpus tradere, contemnere viscera, tormenta expendere, lassare tortorem, capere de injuriis gloriam, de morte vitam, non virtutis humanæ, sed muneris est divini.

R. 3. Dignus a dignis laudatur. Et innocens innocentium Testimonio comprobatur.

V. Accipiunt enim a Christo et referunt, consequuntur et reddunt. Et innocens. Gloria. Testimonio.

In Secundo Nocturno.

Ant. Norunt infantes laudare Deum, qui loqui non noverant: fiunt periti laude qui fuerant imperiti sermone.

Ps. Domine quis habitabit (*xiv.* p. 17).

Ant. Exigitur itaque infantium ætas in laudem: quæ delictorum non noverat crimen.

Ps. Conserva me (*xv.* p. 17).

Ant. Dignus a dignis laudatur: et innocens innocentium testimonio comprobatur.

Ps. Domini est terra (*xxiii.* p. 40).

V. Exultent justi.

Lectio iiii.

Sermo beati Johannis episcopi [*Crisostomi. Serm.* 31].

Dedicatur novus ab infantibus sermo: in gloriam Domini primam vocem aperiunt innocentes. Fiunt diserti laude, qui fuerunt imperiti sermone. Offerunt Domino primitias linguæ: novos oris immolant fructus, verborum principia libant. Infantia enim, quæ per ætatem loqui non poterat, gratias Dei cum gaudio resonabat. Norunt laudare Christum, qui loqui non noverant. Fiunt periti laude, qui fuerant imperiti sermone. Ostendunt laudibus Dominum, suffragiis prædicant Christum. Fiunt interea pueri sine magistro diserti, docti sine doctore, periti sine eruditore. Agnoscunt infantes Christum, prædicant Dominum, non quem persuasio humana docuerat, sed quem divinitas innocentibus inspirabat. Cessant enim humana cum divina tractantur: quia humana ipsa prodesse non poterunt, nisi divinorum solatio subleventur. Necesse est enim terrena succumbere, cum cælestia prædicantur; naturalia silere, cum virtutes loquuntur. Exigitur itaque infantium ætas in laudem, quæ delictorum non noverat crimen. Dignus a dignis laudatur: et innocens innocentium testimonio prædicatur. Accipiunt enim a Christo et reddunt, consequuntur et referunt. Uno enim tempore et qui dederat recipit, et qui acceperat reddit. Uno, inquam, tempore sua Christo redduntur; dum ejus laudes illi ab infantibus referuntur.

R. 4. Effuderunt sanguinem sanctorum velut aquam In circuitu Hierusalem: et non erat qui sepeliret.

V. Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est. In circuitu.

Lectio v.

Diximus de laude innocentium. Quid de lactentium laudibus proferemus? Quorum laudem invenire non possumus, nisi eos ipsos qui laudaverunt noverimus. Qui sint, ubi sint, quam nunc laudem intulerint quæro, qui loqui non norant? Neque enim ætas illa poterat posse, quod natura non dederat; aut celebrari a talibus poterat quod institutio denegabat. Dicunt namque Domino laudes trucidati ab Herode lactentes. Loquuntur sanguine, quod lingua non possunt. Passione canunt, quod sermone non norunt. Occisi prædicant, quod vivi non poterant. Nec novum quod dicitur ut innocens sanguis, aut Deo referat laudes, aut suas indicet passiones : cum Abel sanguis clamet ad cælum, et occisorum animæ ab altari vociferentur ad Deum. Contulit infantulis martyrium laudem, quibus negaverat natura sermonem. Licuit sanguine clamare, quibus narrare non licebat voce. Licuit sanguine loqui, quibus lingua non licuit. Miscent cum Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba. Occisis autem innocentibus istis, impleta sunt prophetiæ verba dicentis : Vox in Rama audita est fletus et plorationis, Rachel flentis filios suos : et noluit consolari, quia non sunt.

Responsorium 5. Isti sunt sancti qui passi sunt propter te, Domine, vindica eos. Quia clamant ad te quotidie.

Versus. Sub throno Dei omnes sancti clamant : Vindica sanguinem nostrum. Quia clamant.

Lectio vi.

In Rachele duo diversa conspicio : fletum, et consolationis contemptum. Sed conditio a matre defletur : spe autem gloriæ consolatio humana contemnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur : sed pro occisorum gloria repudium consolationi indicitur. Pugnant enim in matre affectus et fides : humanitas cum devotione decertat. Deflet humanitas : sed devotio consolatur. Licuit enim matri humanitus flere, cui non licuit consolatione humanitus indigere. O beata lactentium gloria, quibus contigit dedicare martyria. Novos exercitus Christus probat : legiones lactentes victoria perpetrata coronat. Fiunt pro Christo victores, qui ætate fuerant coæquales. Fiunt, inquam, infantes sine certamine fortes, sine pugna victores. Norunt vincere, qui non norunt pugnare. Existunt victoriæ compotes, qui fuerant ætate imbelles. Mercantur præmium martyrio, gloriam sanguine comparant : æternam vitam temporali morte commutant. Nec timuit illa ætas mortem, nec horruit. Timere enim non potuit, quæ timere non novit. Transmittit infantes infans Christus ad cælum. Offert nova exennia Patri : primitias fructuum exhibet Genitori. Ostendit futuram fecundissimam segetem, dum in semine tantam exhibet ubertatem. Contulit hostilis immanitas infantibus multis martyrium, dum infantem quærit occidere Christum. Beneficium tribuit cum occidit. Invideret enim eorum gloriæ, si amaret. Sed aliæ sunt terrestres pugnæ, aliæ cælestes victoriæ. In prælio Christi moriendo vivitur, cadendo surgitur : victoria per interitum comparatur. Tu autem Domine miserere nostri.

R. 6. Norunt infantes laudare Dominum qui loqui non noverant. Fiunt periti laude Qui fuerunt imperiti sermone.

V. Licuit sanguine loqui quibus lingua non licuit : miscent cum Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba. Fiunt periti. Gloria Patri et Filio. Qui fuerunt.

In tertio Nocturno.

Ant. Dicunt infantes Domino laudes trucidati ab Herode : occisi prædicant quod vivi non poterant.

Ps. Exultate justi in Domino (*xxxii.* p. 75).

Ant. Licuit sanguine loqui, quibus lingua non licuit ; miscent cum Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba.

Ps. Benedicam (*xxxiii.* p. 77).

Ant. Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est.

Ps. Deus, venerunt gentes (*lxxviii.* p. 143).

V. Justorum animæ in manu Dei sunt.

R. Et non tanget illos tormentum malitiæ.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ii. [13—18].

In illo tempore. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens. Surge, et accipe puerum et matrem ejus et fuge in Egyptum : et esto ibi usque dum dicam tibi. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. [*vii.* I. *libri.*]*

In preciosa martyrum Christi innocentium morte : omnium Christi martyrum preciosa mors est designata. Quod enim parvuli occisi sunt, significat per humilitatis meritum ad martyrii perveniendum gloriam. Quod in Bethleem occisi sunt et in omnibus finibus ejus, ostendit non solum in Judea unde ecclesiæ origo cœpit, sed et in omnibus ejusdem ecclesiæ finibus quacunque per orbem parte diffusa est, persecutionem sævituram perfidorum, et piorum patientiam esse coronandam. Qui a bimatu occisi sunt, doctrina et operatione perfectos indicant. Qui vero infra, simplices vel ydiotas fidei tamen non fictæ constantia fortes æque denunciant. Quod illi quidem occisi sunt, sed Christus qui quærebatur vivens evasit, insinuat corpora quidem ab impiis posse perimi, sed Christum, pro quo persecutio tota sævit, nullatenus eis vel viventibus vel occisis posse auferri : sed eos veraciter contestari quia Sive vivimus Domino vivimus, Sive morimur Domino morimur. Sive enim vivimus sive morimur, Domini sumus. Tu autem Domine miserere nostri.

R. 7. Isti sunt sancti qui non coinquinaverunt vestimenta sua. Ambulabunt mecum in albis quia digni sunt. *V.* Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Ambulabunt.

Lectio octava.

Vaticinium autem Hieremiæ quo dicitur, Vox in Rama, id est in excelsis, audita est ploratus et ululatus, manifeste denunciat luctum sanctæ ecclesiæ, quæ de injusta membrorum suorum nece gemit, non ut hostes garriunt in vacuum cedere, sed usque ad solium ascendere superni judicis ; et sicut prothomartyris Abel, ita etiam sanguinem ceterorum martyrum de terra clamare ad Dominum. Quod Rachel plorasse filios suos dicitur, nec voluisse consolari quia non sunt, significat ecclesiam plorare quidem sanctorum de hoc seculo ablationem, sed non ita velle consolari, ut qui seculum morte vicerunt rursus ad seculi certamine secum tolleranda redeant. Quia nimirum non sunt ultra revocandi in mundum, de cujus ærumnis semel evaserunt coronandi ad Christum. Per hoc quod Dominus ne occideretur ab Herode sublatus est a parentibus in Egyptum, datur exem-

* Bedæ Opera, Tom. VII. *Sermones Hyemales de Sanctis*, col. 314.

plum fidelibus ne dubitent rabiem persequentium ubi opportunum fuerit declinare fugiendo, cum hoc Deum ac Dominum suum fecisse meminerint. Siquidem ipse qui erat suis præcepturus, Cum vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam, prius fecit quod præcepit. fugiendo hominem quasi homo in terra, quem magis paulo ante monstravit stella de cælo.

R. 8. Adoraverunt viventem in secula seculorum. Mittentes coronas suas ante thronum Dei sui. *V.* Et ceciderunt in conspectu throni in facies suas : et benedixerunt viventem in secula. Mittentes.

Lectio nona.

Quod occisis pro Domino pueris Herodes non longe post obiit, et Joseph monente angelo puerum Jesum cum matre ad terram Israel reduxit: significat omnes persecutiones, quæ contra ecclesiam erant movendæ, ipsorum persecutorum morte vindicandas, eisdemque mulctatis persecutoribus pacem ecclesiæ denuo reddendam, et sanctos qui latuerant ad loca sua esse reversuros. Oportet, fratres charissimi, quia primitias martyrum hodierna festivitate veneramur, de æterna quæ in cælis est martyrum festivitate sedule cogitemus : eorumque vestigia in quantum possumus sequendo, et ipsi ejusdem festivitatis supernæ participes existere curemus : (testante apostolo) quia si socii passionum fuerimus, simul et consolationis erimus. Nec tam de morte eorum lugeamus, quam de justa palmæ perceptione lætemur. Nam superna Hierusalem quæ est mater omnium hinc eos expulsos mox in aliam vitam obviis læticiæ ministris excepit, atque in gaudium Domini sui perpetuo coronandos introduxit. Stant modo (ut Johannes dicit) ante thronum Dei coronati, qui quondam ante thronos judicum terrenorum jacebant pœnis attriti. Stant in conspectu Agni, nulla ratione illic a contemplanda ejus gloria separandi, a cujus hic amore nec per supplicia potuerunt separari. Stolis fulgent albis, et palmas in manibus habent : quia præmia in operibus habent, dum corpora, quæ pro Domino omni pœnarum genere passi sunt dissipari, per resurrectionem glorificata recipiunt. Magna voce salutem Deo decantant, quia magna gratiarum actione recolunt non sua virtute, sed ipso auxiliante, se tribulationum impugnantium certamina superasse.

R. 9. Centum quadraginta *ut supra ad Vesperas : et dicitur hic cum sua Prosa, et cum Versu*, Gloria Patri.

V. Justi autem in perpetuum.

In Laudibus.

Ant. [*Ad Laudes.*] Herodes iratus occidit multos pueros : in Bethleem Judæ civitate David.

Ps. Dominus regnavit decorem (*xcii.* p. 29).

Ant. A bimatu et infra occidit multos pueros Herodes propter Dominum.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Vox in Rama audita est ploratus et ululatus, Rachel plorans filios suos.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Sub throno Dei omnes sancti clamant, Vindica sanguinem nostrum, Deus noster.

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Laudes reddant pueri tibi rex sabaoth : quia per tropheum per te factum exultant innocentes.

Ps. Laudate Dominum (pp. 32, 33).

Capitulum. Apoc. xiv. [1].

Vidi supra montem Syon Agnum stantem, et cum eo centum quadra-

ginta quatuor milia, habentes nomen ejus et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.

Hymnus. Rex gloriose martyrum (p. 406).

V. Mirabilis Deus.

Ant. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocunque ierit.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus cujus hodierna, *ut supra* (p. ccxxx.).

Memoria de NATIVITATE.

Ant. Nesciens mater. *V.* Benedictus qui venit.

Oratio. Concede, quæsumus.

Memoria de sancto STEPHANO: *ubi processio prius de eo facta fuerit, cum hac Antiphona,* Lapidaverunt. *i. de Laudibus* (p. ccx.): *ubi processio facta non fuerit, dicitur Ant.* Lapides torrentes. *ii. de Laudibus. V.* Justus germinabit. *Oratio.* Da nobis, quæsumus, *p.* cxcv.

Memoria de sancto JOHANNE : *ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Antiphona,* Valde honorandus est. *V.* Annunciaverunt. *Oratio.* Ecclesiam tuam : *ubi vero processio facta non fuerit, dicitur Ant.* Hic est discipulus. *i. de Laudibus* (p. ccxxvi.). *V.* Valde honorandus. *Oratio.* Ecclesiam tuam, *p.* ccxiv.

Dictis Memoriis : dicat Episcopus Puerorum benedictionem super populum, sicut et post Completorium supra dictum est.

AD PRIMAM.

Ant. Herodes iratus. *i. de Laudibus* (p. ccxlii.).

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

AD TERTIAM.

Ant. A bimatu. *ii. de Laudibus.*

Ps. (*cxviii.* 33). Legem pone (p. 57).

Cap. Vidi supra montem.

Responsoria et versus de Communi Plurimorum Martyrum ad omnes Horas dicuntur cum Alleluya. *Et responsiones versuum sine* Alleluya *dicuntur.*

AD SEXTAM.

Ant. Vox in Rama. *iii. de Laudibus.*

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. Apoc. xiv. 4.

Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.

AD NONAM.

Ant. Sub throno. *iiii. de Laudibus.*

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. Apoc. xiv. 4, 5.

Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo et Agno, et in ore eorum non est inventum mendacium.

AD VESPERAS.

Ant. Tecum principium, *p.* cxciii.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Cap. Vidi supra montem.

R. [9.] Centum quadraginta (p. ccxxix.).

Hoc responsorium ab uno solo Puero incipiatur ad gradum chori in capa serica, et suus versus ab omnibus Pueris in superpelliciis cantetur in statione puerorum cum Prosa si placet, et etiam cum Gloria Patri.

Hymnus. Rex gloriose martirum (p. 406).

V. Mirabilis Deus.

Ant. Ecce vidi Agnum stantem supra montem Syon : et cum eo sanctorum milia, et habebant nomen ejus et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio. Deus, cujus hodierna, *p.* ccxxx.

Memoria de NATIVITATE: *Ant.* Virgo verbo, *ut supra* (p. cxcvii.). *V.* Verbum caro. *Oratio.* Concede quæsumus, *p.* cxc.

Memoria de sancto STEPHANO : *ubi processio prius de eo facta fuerit, cum hac Ant.* Lapides. *ii. de Laudibus* (p. ccx.): *ubi vero processio facta non fuerit, dicitur Ant.* Adhæsit anima. *iii. de Laudibus. V.* Gloria et honore. *Oratio.* Da nobis quæsumus, *p.* cxcv.

Memoria de sancto JOHANNE : *ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Ant.* Hic est discipulus ille. *i. de Laudibus : ubi vero processio facta non fuerit, dicitur Ant.* Hic est discipulus meus. *ii. de Laudibus* (p. ccxxvi.).

V. Valde honorandus.

Oratio. Ecclesiam tuam, *p.* ccxiv.

Postea accipiat Cruciferarius baculum episcopi, et cantet

Ant. Princeps ecclesiæ. *sicut ad primas Vesperas.*

Similiter et Episcopus Puerorum benedicat populum supradicto modo. Et sic compleatur Officium Puerorum hujus diei.

Tunc eat Processio ad altare SANCTI THOMÆ MARTYRIS, *habitu non mutato, absque cereis in manibus, cantando Responsorium, Cantore incipiente.*

R. Jacet granum oppressum palea,
justus cæsus pravorum framea.
Cælum domo commutans lutea.

V. Cadit custos vitis in vinea :
dux in castris, cultor in area.
Cælum.

Deinde dicatur Prosa ab omnibus qui volunt in superpelliciis coram altare.

Prosa. Clangat pastor in tuba cornea.

Chorus respondeat cantum Prosæ post unumquemque Versum super litteram A.

V. Ut libera sit Christi vinea.
V. Quam assumptæ sub carnis trabea.
V. Liberavit cruce purpurea.
V. Adversatrix ovis erronea.
V. Fit pastoris cæde sanguinea.
V. Pavimenta Christi marmorea
V. Sacro madent cruore rubea.
V. Martir vitæ donatus laurea.
V. Velut granum purgatum palea.
V. In divina transfertur horrea.
Cælum.

Ad hanc processionem non dicatur Gloria : *sed dum Prosa canitur, thurificet Sacerdos altare, deinde imaginem beatæ Thomæ martyris; et postea dicat modesta voce Versum,* Ora pro nobis beate Thoma.

Oratio. Deus, pro cujus ecclesia gloriosus pontifex Thomas gladiis impiorum occubuit : præsta, quæsumus, ut omnes qui ejus implorant auxilium petitionis suæ salutare consequantur effectum. Per.

In redeundo dicitur Responsorium vel Antiphona de sancta Maria.

Ubi vero non fit processio de sancto Thoma, tunc fiat in primis de eo Memoria, ante Memoriam de Nativitate, cum hac Antiphona :

Pastor cæsus in gregis medio
pacem emit cruoris precio ;
O lætus dolor in tristi gaudio,
grex respirat pastore mortuo,
plangens plaudit mater in filio,
quia vivit victor sub gladio.

V. Ora pro nobis beate Thoma.

Oratio. Deus, pro cujus ecclesia.

Hæ sequentes Antiphonæ dicantur ad Memoriam de Innocentibus per Octavas; quibus dictis dicantur Antiphonæ de Laudibus, et postea de Nocturnis.

Ant. Laverunt stolas suas : et

candidas eas fecerunt in sanguine Agni.

Ant. Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt : et non delebo nomina eorum de libro vitæ.

Ant. Cantabunt sancti canticum novum ante sedem Dei et Agni : et resonabat terra in voces eorum.

IN DIE SANCTI THOMÆ MARTYRIS.

Ad Matutinas.

Invitatorium.

Assunt Thomæ martyris solennia :
Virgo mater jubilet Ecclesia.

Ps. Venite.

Hymnus. Martyr Dei (p. 372).

In primo Nocturno.

Ant. Summo sacerdotio Thomas sublimatus :
Est in virum alium subito mutatus.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).

Ant. Monachus sub clerico clam ciliciatus
Carnis carne fortior edomat conatus.

Ps. Quare fremuerunt (*ii.* p. 7).

Ant. Cultor agri Domini tribulos avellit :
Et vulpes a vineis arcet et expellit.

Ps. Domine, quid multiplicati (*iii.* p. 7).

V. Gloria et honore.

Passio sancti Thomæ martyris, edita a Johanne sanctæ Recordationis, Carnotensi episcopo, prius cancellario Sarum ecclesiæ.

Lectio i.

Gloriosi martyris Thomæ, fratres carissimi, natalem celebrantes, quia totius vitæ et conversationis ejus insignia recolere non sufficimus, passionis ejus modum causamque succinctus sermo percurrat. Beatus igitur Thomas sicut in cancellariæ vel archidyaconatus officio in rebus gerendis incomparabiliter extiterat strenuus : ita et post susceptum pastoris officium supra humanam æstimationem factus est Deo devotus. Consecratus enim repente mutatus est in virum alium. Cilicium clam induit, femoralibus etiam usus est ad poplites cilicinis : et sub vestis clericalis honestate habitum celans monachalem carnem prorsus coegit servire spiritui, Deo studens omnium virtutum exercitio sine intermissione placere. Sciensque se cultorem positum in agro Dominico, in vinea custodem, pastorem in caulis : ministerium sibi creditum studiose complevit. Jura et dignitates ecclesiæ, quas publica sibi potestas usurpaverat, resarcire et in statum debitum revocare conatus est. Unde gravi quæstione super jure ecclesiastico et regni consuetudinibus inter ipsum et regem Anglorum exorta, coadunato consilio propositæ sunt consuetudines illæ quas idem rex tam archiepiscopi quam suffraganeorum suorum scripto roborari pertinaciter exegit. Negavit constanter archiepiscopus : manifestam in eis asserens libertatis ecclesiasticæ subversionem. Affectus est igitur contumeliis immensis, damnis gravioribus attritus, et innumeris lacessitus injuriis. Tandem sibi morte intentata, quia causa ecclesiæ nondum plene innotuerat, et personalis videbatur persecutio : cedendum censuit esse maliciæ. Actus ergo in exilium, a domino papa Alexandro Senonis honorifice susceptus est : et

in monasterio Pontiniacensi studiose commendatus.

R. 1. Studens livor Thomæ supplicio :
Thomæ genus damnat exilio.
Tota simul exit cognatio.

Versus. Ordo, sexus, ætas, conditio :
Nullo gaudet hic privilegio.
Tota.

Lectio ii.

Confiscantur interim in Anglia omnes archiepiscopi redditus, vastantur prædia, possessiones diripiuntur : et excogitato novo supplicii genere, tota simul proscribitur Thomæ cognatio. Omnes etiam amici ejus, vel familiares, vel quicunque eum quocumque titulo contingebant, sine delectu conditionis aut fortunæ, dignitatis aut ordinis, ætatis aut sexus, pariter relegantur. Nam et senes et decrepiti, vagientes in cunis, et mulieres in puerperio decubantes, in exilium acti sunt. Quotquot autem discretionis annos attigerant, tactis sacrosanctis jurare compulsi sunt, quod mari transito statim Cantuariensi archiepiscopo se præsentarent, ut vel compassionis gladio totiens confossus conceptum animi rigorem ad regis voluntatem inflecteret. Sed vir Dei manum suam mittens ad fortia, exilium, damna, contumelias, et opprobria, parentum et amicorum proscriptionem pro Christi nomine constanter sustinuit, nulla prorsus fractus aut immutatus injuria. Tanta namque fuit confessoris Christi constantia, ut omnes coexules suos docere videretur, quod omne solum forti patria est.

R. 2. Thomas manum mittit ad fortia,
Spernit damna, spernit opprobria.
Nulla Thomam frangit injuria.

Versus. Clamat cunctis Thomas constantia :
Omne solum est forti patria.
Nulla.

Lectio iii.

Audiens ergo rex immobilem ejus constantiam : directis per abbates quosdam Cisterciensis ordinis ad capitulum generale litteris comminatoriis, eum a Pontiniaco perturbare curavit. Timens autem beatus Thomas occasione sui viris sanctis imminere dispendium, sponte recessit. Sed antequam inde progrederetur, divina revelatione confortatus est : ostenso sibi cælitus indicio quod ad ecclesiam suam rediturus esset cum gloria, et per palmam martyrii migraturum ad Dominum. Perturbatum a Pontiniaco excepit summo cum honore christianissimus Francorum rex Ludovicus, et eum humanissime donec pax reformaretur exhibuit. Sæpius tamen et licet ipse incassum pulsatus est, ne regis Anglorum proditori aliquod humanitatis beneficium impenderet. Processit ulterius furor immanis, et piis auribus horrenda crudelitas. Cum enim catholica et pro hæreticis, et scismaticis, et perfidis Judeis orat Ecclesia : prohibitum est ne quis eum orationum suffragiis juvaret. Sex igitur annis exulans, continuis variis et innumeris afflictus injuriis, et quasi lapis vivus in structuram cælestis edificii multimodis tunsionibus atque pressuris conquadratus : quo magis impulsus est ut caderet, eo firmius et immobilius stare probatus est. Neque enim aurum tam examinatum exuri potuit : vel domus super firmam petram fundata convelli. Tu autem Domine.

R. 3. Jacet granum *ut supra ad Vesperas. Et dicitur hic sine Prosa:*

sive processio de sancto Thoma facta fuerit sive non.

In secundo Nocturno.

Ant. Nec in agnos sustinet lupos desævire :

Nec in *h*ortum olerum vineam transire.

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 8).

Ant. Exulat vir optimus sacer et insignis :

Ne cedat Ecclesiæ dignitas indignis.

Ps. Verba (*v.* p. 8).

Ant. Exulantis prædia præda sunt malignis :

Sed in igne positum non exurit ignis.

Ps. Domine, Dominus noster (*viii.* p. 11).

V. Posuisti.

Lectio iiii.

Denique tum summo pontifice, tum rege Francorum procurante, reformandæ paci constituti sunt dies plurimi. Quam quia Dei servus non nisi salvo honore Dei, et salva honestate Ecclesiæ suscipere voluit, discordes adinvicem recesserunt. Miseratus tandem summus pontifex Anglicanæ desolationem Ecclesiæ, propositis comminatoriis, vix tandem extorsit ut pax Ecclesiæ redderetur. Gavisa sunt ergo regna, quod rex archiepiscopum recepisset in gratiam : aliis credentibus negotium agi veraciter, aliis aliud conjicientibus. Igitur exilii sui anno septimo rediit pastor nobilis in Angliam : ut vel oves Christi a morsibus luporum liberaret, vel pro grege sibi credito seipsum impenderet. Suscipitur itaque a clero et populo cum gaudio inæstimabili illachrimantibus omnibus et dicentibus, Benedictus qui venit in nomine Domini. Sed post dies paucos iterum damnis et injuriis supra modum et numerum affectus est : et edicto publico ecclesiæ suæ septa exire prohibitus. Quisquis ei vel alicui suorum faciem hylarem prætendebat, publicus hostis censebatur. In omnibus his non est effractus animus ejus : sed adhuc ad Ecclesiæ liberationem manus ejus extenta. Hanc jugiter suspirabat, ob hanc vigiliis, jejuniis et orationibus insistebat : pro hac obtinenda, seipsum impendere summopere desiderabat.

R. 4. Ex summa rerum læticia
summus fit planctus in Ecclesia
de tanti patroni absentia.
Sed cum redeunt miracula :
redit populo læticia.

Versus. Concurrit turba languidorum :
et consequitur gratiam beneficiorum.
Sed cum.

Lectio v.

Quinto vero Dominicæ nativitatis die : veniunt Cantuariam aulici quatuor, viri quidem præclari genere, sed male factis famosi. Et ingressi pontificem verbis contumeliosis aggrediuntur : lacescunt conviciis, tandemque ei graves minas intentant. Respondit vir Dei modeste juxta quod ratio exigebat ad singula : adjiciens sibi multas et Ecclesiæ Dei post pacis reformationem irrogatas esse injurias. Non esse qui errata corrigeret, dissimulare se de cetero nec posse nec velle, quin curæ pastoralis officium exerceret. Turbati sunt igitur insipientes corde : et iniquitatem in excelso locuti exierunt continuo. Quibus egressis, processit pontifex in ecclesiam, ut laudes Christo vespertinas exolveret. Sequuntur a tergo gladiis extractis Sathanæ satellites loricati : armatorum manu multa sequente. Aditum ecclesiæ monachis præcludentibus, accurrens Dei sacerdos, et hostia Christi mox futurus, hostibus ostium reseravit : Non est (inquiens)

ecclesia ut castra obseranda. Irrumpentibus illis, et aliis, Ubi sit proditor, aliis, Ubi sit archiepiscopus, furibunda voce quærentibus : processit eis obviam Christi confessor intrepidus. Intentantibus ei mortem, Et ego (inquit) pro Dei Ecclesia libenter mortem suscipiam : sed ex Dei parte præcipio ne meorum cuiquam noceatis. Christum videlicet imitatus in passione dicentem, Si me quæritis, sinite hos abire. Irruentes igitur in pastorem pium lupi rapaces, in patrem proprium degeneres filii, in hostiam Christi crudelissimi lictores, consecratam capitis coronam funestis gladiis amputaverunt, et christum Domini solotenus præcipitantes, cerebrum cum sanguine (quod dictu quoque horrendum est) per pavimentum crudelissime sparserunt. Sic itaque granum frumenti oppressit palea, sic vineæ custos in vinea, dux in castris, in caulis pastor, cultor in area cæsus est : sic justus ab injustis occisus domum luteam cælesti palatio commutavit.

R. 5. Mundi florem a mundo conteri,
Rachel plorans jam cessa conqueri.
Thomas cæsus dum datur funeri :
novus Abel succedit veteri.
Versus. Vox cruoris vox sparsi cerebri :
cælum replet clamore celebri.
Thomas cæsus.

Lectio vi.

Ultima vero martyris verba, quæ præ confusione clamoris discerni vix poterant, juxta propius astantium assertionem hæc fuerunt. Deo, et beatæ Mariæ, et sancto Dyonisio, et sanctis hujus ecclesiæ patronis meipsum commendo et Ecclesiæ causam. In omnibus autem cruciatibus quos invictissimus Dei athleta pertulit, non clamorem emisit, non edidit gemitum, non brachium aut vestem opposuit ferienti : sed caput quod inclinatum gladiis exposuerat donec consummaretur tenens immobile, et quasi ad orationem prostratus obdormivit in Domino. Regressi vero viri scelerati in sancti pontificis palatium, ut passionem servi passioni Domini plenius assimilarent, diviserunt sibi vestimenta sua, aurum et argentum et vasa preciosa, et equos electos, et quicquid preciosum potuerunt invenire, statuentes quis quid tolleret. Et milites quidem hæc fecerunt. Cetera sine fletu quis referat? Tantus erat mæror omnium, tanta lamenta singulorum : ut iterum putares impletum illud propheticum, Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus. Fecit tamen repente cum tentatione proventum divina clementia, et per visiones quasdam, futuris quasi præludens miraculis, martyrem in proximo signis glorificandum, reddituram post luctum læticiam, et turbidam languidorum beneficiorum gratiam innuit esse consecuturum.

R. 6. Christe Jesu per Thomæ vulnera :
quæ nos ligant relaxa scelera.
Ne captivos ferant ad infera
hostis mundus vel carnis opera.
Versus. Per te Thoma post tua munera :
amplexetur nos Dei dextera.
Ne captivos. Gloria Patri. Ne captivos.

In tertio Nocturno.

Ant. Sathanæ satellites irrumpentes templum :
inauditum perpetrant sceleris exemplum.
Ps. In Domino confido (*x*. p. 14).

Ant. Strictis Thomas ensibus obviam procedit;
non minis, non gladiis, sed nec morti cedit.

Ps. Domine, quis habitabit (*xiiii.* p. 17).

Ant. Felix locus, felix ecclesia:
in qua Thomæ viget memoria:
felix terra quæ dedit præsulem:
felix illa quæ fovit exulem:
felix pater, succurre miseris:
ut felices jungamur superis.

Ps. Domine, in virtute (*xx.* p. 26).

V. Justus ut palma.

Lectio vii.

Secundum Johannem x. [11—16].

In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. [Homilia xiv.]*

Audistis, fratres charissimi, ex lectione evangelica eruditionem vestram: audistis et periculum nostrum. Ecce enim is qui non ex accidenti dono sed essentialiter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus. Atque ejusdem bonitatis formam quam nos imitemur adjungit, dicens: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Fecit quod monuit: ostendit quod jussit. Bonus pastor pro ovibus suis animam suam posuit: ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves quas redemerat carnis suæ alimento satiaret.

R. 7. Thomæ cedunt et parent omnia:
pestis, morbi, mors, et dæmonia.
Ignis, aer, tellus, et maria.

Versus. Thomas mundum replevit gloria:
Thomæ mundus præstat obsequia.
Ignis.

Octava et nona Lectiones de passione sancti Thomæ legantur: et non de expositione Evangelii.

Lectio viii.

Revera beatus Thomas athleta Dei preciosus digne glorificandus erat. Si enim causa, immo quia causa martyrem facit: cui unquam sanctorum martyrum titulus extitit gloriosior? Pro Ecclesia certans, in ecclesia etiam passus est, in loco sacro, sacro Dominicæ Nativitatis tempore, inter consacerdotes et manus religiosorum: quatenus in agone pontificis sic omnes circumstantiæ concurrerent, ut patientis titulum illustrarent, et persequentium revelarent impietatem, et nomen eorum sempiterno macularent opprobrio. Adeo vero in martyris persecutores ultio divina desævit, ut in brevi sublati de medio non comparerent. Et alii quidem sine confessione et viatico subito rapti, alii digitos vel linguas proprias dentibus frustatim discerpentes, alii sanie defluentes et toto corpore tabefacti, et torsionibus inauditis ante mortem cruciati, alii paralysi dissoluti, alii amentes effecti, alii cum insania expirantes, manifesta reliquerunt indicia, quod injustæ persecutionis et excogitati parricidii pœnas exolverint. Gaudeat igitur mater Ecclesia novum martyrem de hostibus reportasse triumphum: gaudeat novum pro sui liberatione Zachariam immolatum in templo: gaudeat novi Abel sanguinem pro se contra viros sanguinum clamare ad Dominum. Vox enim sanguinis effusi, vox cerebri funestorum satellitum gladiis dis-

* Gregorii Opera, Tom. I. col. 1484. (In Missali vero, Evangelium de die est *secundum Lucam* XIX. 12—28, *de Communi.*)

persi, et mundum simul et cælum celebri clamore complevit.

R. 8. Novis fulget Thomas miraculis,
membris donat castratos masculis.
Ornat visu privatos oculis.
Versus. Mundat lepræ conspersos maculis
solvit mortis ligatos vinculis.
Ornat.

Lectio ix.

Acclamore namque sanguinis hujus commota est et contremuit terra, sed et virtutes cælorum motæ sunt, adeo ut quasi in ultionem sanguinis innocentis surgeret gens contra gentem, et regnum adversus regnum, immo ut regnum in seipsum fieret divisum: terroresque de cælo et signa magna fierent. Primo tamen martyrii sui tempore, inusitatis cœpit martyr choruscare miraculis: cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, loquelam mutis restituens. Deinde leprosos mundans, consolidans paralyticos, ydropysim et omnium morborum incurabilium genera curans, resuscitans mortuos. Dæmoniis etiam, et elementis omnibus mirabiliter imperans, ad inusitata quoque et inaudita signa potentiæ suæ manum extendit. Nam et oculis et membris genitalibus privati, meritis ipsius nova membra meruerunt suscipere. Quidam autem qui Sancti miracula depravare præsumpserunt, repente percussi coacti sunt ea prædicare vel inviti. Denique adversus omnes æmulos suos usque adeo martyr prævaluit, quod singulis fere diebus iteratum videres in servo quod de Unigenito legitur; Venient ad te qui detrahebant tibi, et adorabunt vestigia pedum tuorum. Passus est autem egregius Dei athleta Thomas anno ab incarnatione Domini (secundum Dyonisium) millesimo centesimo septuagesimo primo: quarto kalendas Januarii, feria tertia, hora quasi undecima, ut Domini natalis ad laborem, ejus fieret natalis ad requiem. Ad quam nos perducere dignetur idem Deus et Dominus noster Jesus Christus: qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Tu autem.

R. 9. Jesu bone, per Thomæ merita,
nostra nobis dimitte debita,
domum portam, sepulchrum visita.
Et a trina nos morte suscita.
Versus. Actu mente vel usu perdita:
pietate restaura solita.
Et a trina. Gloria. Et.

V. Ora pro nobis [beate Thoma.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. (1525-6)].

In Laudibus.

Ant. Granum cadit, copiam geminat frumenti:
alabastrum frangitur, fragrat vis unguenti.
Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).
Ant. Totus orbis martyris certat in amorem:
cujus signa singulos agunt in stuporem.
Ps. Jubilate Deo (*xcix.* p. 29).
Ant. Aqua Thomæ quinquies varians colorem:
in lac semel transiit, quater in cruorem.
Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).
Ant. Ad Thomæ memoriam quater lux descendit:
et in Sancti gloriam cereos accendit.
Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).
Ant. Tu per Thomæ sanguinem quem pro te impendit:

fac nos, Christe, scandere
quo Thomas ascendit.

Ps. Laudate Dominum (p. 32).

Cap. Omnis pontifex (p. 386).

Hymnus. Deus tuorum militum, *p.* 384.

V. Justus germinabit.

Ant. Opem nobis, O Thoma, porrige,
rege stantes, jacentes erige,
mores, actus, et vitam corrige :
et in pacis nos viam dirige.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio. Deus, pro cujus ecclesia, *p.* ccxlvi.

Memoria de Nativitate.

Ant. Beatus venter.

V. Benedictus qui venit.

Oratio. Concede, quæsumus, *p.* cxc.

Memoria de sancto Stephano.

Ubi processio prius de eo facta fuerit, cum hac Ant. Adhæsit anima. *iii. de Laudibus : ubi vero processio facta non fuerit, dicatur Ant.* Stephanus. *iiii. de Laudibus.*

V. Posuisti, Domine.

Oratio. Da nobis, quæsumus, *p.* cxcv.

Memoria de sancto Johanne.

Ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Ant. Hic est discipulus meus. *ii. de Laudibus : ubi processio facta non fuerit, dicatur Ant.* Ecce puer. *iii. de Laudibus.*

V. Valde honorandus.

Oratio. Ecclesiam tuam, *p.* ccxiv.

Memoria de Innocentibus.

Ubi processio puerorum facta fuerit, cum hac Ant. Innocentes pro Christo, *ut supra : ubi vero processio facta non fuerit, dicatur Ant.* Laverunt stolas, *ut supra* (p. 407).

V. Mirabilis Deus.

Oratio. Deus, cujus hodierna die, *p.* ccxxx.

Ad Primam.

Ant. Granum cadit. *i. de Laudibus* (p. cclviii.).

Ps. liii. Deus in nomine (p. 42).

Ad Tertiam.

Ant. Totus orbis. *ii. de Laudibus.*

Ps. cxviii. 33. Legem pone (p. 57).

Cap. Omnis pontifex (p. 386).

Capitula, Responsoria et Versus de Communi unius Martyris et Pontificis (p. 386), *ita quod Responsoria dicantur cum* Alleluya.

Ad Sextam.

Ant. Aqua Thomæ. *iii. de Laudibus.*

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Ad Nonam.

Ant. Tu per Thomæ. *v. de Laudibus, p.* cclviii.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Ad Vesperas.

Ant. Tecum principium. *i. de Laudibus** (*p.* cxciv.).

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Cap. Omnis pontifex (p. 386).

R. Jesu bone : *et dicatur a tribus de superiori gradu, sicut in ceteris festis duplicibus per annum.*

Hymnus. Deus tuorum, *p.* 384.

V. Justus germinabit.

Ant. Salve, Thoma, virga justiciæ :
mundi jubar, robur Ecclesiæ,
plebis amor, cleri deliciæ :
salve, gregis tutor egregie,
salva tuæ gaudentes gloriæ.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio. Deus, pro cujus, *p.* ccxlvi.

Memoria de Nativitate.

Ant. Virgo Dei *ut supra.*

V. Verbum caro.

Oratio. Concede, quæsumus, *p.* cxc.

Memoria de sancto Stephano.

Ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Ant. Stephanus. *iiii. de Laudibus : ubi vero processio*

* *Legendum erat potius,* 'prima de secundis Vesperis Nativitatis Domini.'

non fuerit facta, tunc dicatur Ant. Ecce video. *v. de Laudibus.*

V. Gloria et honore.

Oratio. Da nobis, quæsumus, *p.* cxcv.

Memoria de sancto JOHANNE.

Ubi processio de eo facta fuerit, cum hac Ant. Ecce puer. *iii. de Laudibus : ubi vero non fuerit processio facta, dicatur Ant.* Sunt de hic stantibus. *iiii. de Laudibus.*

V. Valde honorandus.

Oratio. Ecclesiam tuam, *p.* ccxiv.

Memoria de INNOCENTIBUS.

Ubi processio puerorum facta fuerit, cum hac Ant. Laverunt : *ubi vero non, dicatur Ant.* Ambulabunt mecum in albis quoniam digni sunt: et non delebo nomina eorum de libro vitæ.

V. Lætamini *ut supra.*

Oratio. Deus, cujus hodierna die, *p.* ccxxx.

Sexta die a Nativitate Domini.*

AD MATUTINAS.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ et Psalmi, sicut in die Nativitatis Domini dicuntur (p. clxxi.).

V. Tanquam sponsus.

Tres Lectiones cum regimine chori.

Lectio i. Secundum Lucam ii. [33—40].

In illo tempore. Erant pater et mater Jesu mirantes super his quæ dicebantur de eo. Et reliqua.

Sermo ex commentario venerabilis Bedæ presbyteri. [*Super Lucam, Lib.* I. 7, *versus finem* †.]

Patrem Salvatoris appellat Joseph, non quod vere juxta Fotinianos pater fuerit ejus, sed quod ad famam Mariæ conservandam pater sit ab omnibus æstimatus. Neque enim oblitus Evangelista, quod eam de Spiritu Sancto concepisse et virginem peperisse narraverit, sed opinionem vulgi exprimens (quæ vera hystoriæ lex est) patrem Joseph nuncupat Christi. Quamvis et eo modo pater illius valeat dici, quo et vir Mariæ recte intelligitur sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugii, multo videlicet conjunctius quam si esset aliunde adoptatus. Neque enim propterea non erat appellandus Joseph pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat, quandoquidem recte pater esset etiam ejus, quem non ex sua conjuge procreatum aliunde adoptasset. Tu autem Domine miserere nostri.

R. Hodie nobis cælorum. *i.* (*p.* clxxiv.)

Lectio ii.

Et benedixit illis Symeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Bene in resurrectionem, quia lumen est et gloria plebis Israel, quia dicit : Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet; et omnis qui vivit et credit in me non morietur in æternum. Quomodo autem in ruinam, nisi quia et lapis offensionis [est] et petra scandali; id est ruinæ his qui offendunt verbo, nec credunt. De quibus ipse dicit : Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui non in seipso tantum, sed in suis quoque prædicatoribus, in ruinam positus est resurrectionemque multorum, testante Apostolo qui ait : Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt. Qui enim prædicante Apostolo verbum

* '*Sexta die*,' sic legitur. In titulis vero paginarum, '*Feria vi.*,' minus recte.

† Beda *in Lucam*, Cap. II. Lib. I. *Op.* Tom. V. col. 244.

quod audit amando sequitur, bono odore resurgit et salvatur : qui odiendo insequitur, eodem ipso odore corruit et moritur.

R. Hodie nobis de cælo. *ii.* (*p.* clxxv.)

Lectio iii.

Signum autem cui contradicitur, fidem Dominicæ crucis accipe. De qua Apostolo Paulo dicunt Judei : Nam de secta hac notum est nobis quod ubique ei contradicitur. Et Apostolus ipse : Nos enim, inquit, prædicamus Christum crucifixum, Judeis quidem scandalum, gentibus autem stulticiam. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Nulla docet hystoria beatam Mariam ex hac vita gladii occisione migrasse : præsertim cum non anima sed corpus ferro soleat interfici. Unde restat intelligi gladium illum de quo dicitur : Et gladius est in labiis eorum ; hoc est, dolorem Dominicæ passionis ejus animam pertransisse. Quæ etsi Christum ut pote Dei Filium sponte propria mori, mortemque ipsam non dubitaret esse devicturum, ex sua tamen carne procreatum non sine doloris affectu potuit videre crucifigi. Nam et ferrum quod animam Joseph pertransisse canitur, nullum melius quam dira tribulatio mentis intelligitur.

R. Descendit de cælis. *iii.* (p. clxxvi.)

Ps. Te Deum (p. 27). *Et dicitur quotidie usque ad Octavas Epyphaniæ et in ipsis Octavis, nisi in Vigilia Epyphaniæ cum extra Dominicam contigerit.*

V. Verbum caro.

In Laudibus *hæc sola Ant.* Quem vidistis.

Ps. Dominus regnavit, *et ceteri Psalmi consueti dicantur. Ita tamen quod tres primi Psalmi sub una voce dicantur, et quartus Psalmus semper exaltetur si necesse fuerit. Quod per totum annum observetur ad Laudes et ad Vesperas quando una sola Antiphona dicitur super Psalmos ; sive de Temporali, sive de Festis sanctorum fit servitium. Simili modo fiat ad Vesperas quando una sola Antiphona super Psalmos habetur.*

Capitulum. Galat. iv. 1. Quanto tempore heres parvulus est, nichil differt a servo cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre.

Hoc Capitulum dicitur ad has Matutinas tantum.

Hymnus. A solis ortus, *p.* clxxxix.

V. Benedictus qui venit.

Ant. Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu iter perageret : omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit. Alleluya.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo : ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare. Qui tecum.

Hæc oratio dicatur ad has Matutinas tantum, et ad Primam suo loco tantum. Ad alias Horas dicatur Oratio sicut in die Natalis Domini.

Memoria de Nativitate.

Ant. Pastores. *V.* Ipse invocavit me. *Oratio.* Concede quæsumus, *p.* cxc.

Memoria de sancto Stephano.

Ubi processio prius de eo facta fuerit, cum hac Ant. Ecce video. *v. de Laudibus : ubi vero processio facta non fuerit, dicitur*

Ant. Beatus Stephanus. *i. de i. Nocturno. V.* Justus germinabit. *Oratio.* Da nobis quæsumus, *p.* cxcv.

Memoria de sancto Johanne.

Ubi processio prius de eo facta fuerit, cum hac Ant. Sunt de hic.

iiii. de Laudibus : ubi vero processio non fuerit facta, tunc dicatur Ant. Sic eum volo manere. *v. de Laudibus* (p. ccxxiv.). *V.* Valde honorandus. *Oratio.* Ecclesiam, *p.* ccxiv.

Memoria de INNOCENTIBUS.

Ubi processio puerorum facta fuerit, cum hac Antiphona Ambulabunt, *ut supra : ubi vero processio facta non fuerit, dicitur Ant.* Cantabant. *V.* Mirabilis Deus. *Oratio.* Deus, cujus hodierna, *p.* ccxxx.

Memoria de sancto THOMA.

Ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Antiphona Pastor cæsus, *ut supra : ubi vero processio facta non fuerit, dicitur Antiphona,* Granum cadit. *i. de Laudibus* [S. Thomæ]. *V.* Ora pro nobis. *Oratio.* Deus, pro cujus ecclesia, *p.* ccxlvi.

AD PRIMAM.

Ant. Quem vidistis. *i. de Laudibus* [*Nativitatis*], *p.* clxxxviii.
Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Ant. Te jure, p. 49.
Ps. Quicunque (p. 46).

AD TERTIAM, SEXTAM, ET NONAM.

Capitula, Responsoria, Versus sicut in die Nativitatis Domini dicuntur, cum hac Oratione, Concede, quæsumus, *p.* cxc.

Si dies Dominica in sexta die a Nativitate Domini contigerit, fiant ix Lectiones, scilicet sex de sermone beati Maximi episcopi de Nativitate Domini, scilicet Lectio i. Hodierni mysterii : *et addantur tres Lectiones de Expositione Evangelii, scilicet* Erant pater et mater, *ut supra,* p. cclxi.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, Versus et Responsoria sicut in die Natalis Domini dicantur.

Lectio i. [*Sermo* B. Maximi*.]

Hodierni mysterii sacramentum, fratres charissimi, sicut credidistis semper et creditis, reparatio est salutis humanæ, virtutum nativitas, ruina viciorum. Hodie namque Christus Jesus Dominus noster, in quo divinitatis est plenitudo, carnis nostræ infirma suscipiens, novus natus est homo. Hodie refulsit secundus ille Adam, non incola sed Dominus paradisi, quem interdictæ arboris pulchritudo non fallat, serpens non decipiat, mulier non seducat. Hodie exortum est in tenebris lumen rectis corde, hodie illud quod cælum et cæli cælorum se habere gaudebant, mundus dum nescit accepit. Neque enim ut temporalis quidam, nec qui ante non fuerit, de femina nobis repentinus emersit; sed qui semper erat cum Patre Deus, semperque regnabat, novo per virginem voluit mortalibus apparere mysterio. Novus quidem homo, sed Dominus sempiternus. Novus Christus, sed rex omnium seculorum. Tu autem.

Lectio ii.

Ipse est in fine temporum natus ex Maria, qui ante omnia secula unigenitus processit e Patre. Hic est prædictus a Patriarchis, a Prophetis prædicatus, annunciatus ab Angelis, ab Apostolis approbatus. De uno eodemque legis : In principio erat Verbum; et Verbum caro factum est. Gaude nunc et exulta tandem ad Deum tuum conversa gentilitas. Percepisti donum quod Abraham in spiritu se vidisse lætatus est : meruisti per Christum quod mereri quondam Hebreorum gens electa non potuit, Timens enim Israel et tremens mirabatur, ut legimus, quod Moyses populi princeps reconditus in nube et in vertice montis altissimi solus cum Domino

* *Homiliæ Hyemales;* In Natali Domini, Hom. quarta. *Op.* p. 197, Paris. 1671.

loqueretur. Tibi vero sic natus est Christus, et tantum nobis dignationem concessit, ut loqueretur hominibus, et ab hominibus videretur.

Lectio iii.

Ad illum tunc montem Syna quicunque accessisset ex populo, præsenti puniebatur interitu. Ad hunc vero* montem qui hodie natus est mundo quicunque non accesserit morietur. Et quidem unus populus tunc erudiebatur ad fidem, nunc vero omnes gentes vocantur ad vitam. Viderunt venerabiles patres nostri innumera magnaque mirabilia. Cælum illis angelicas roravit escas, dulcia pocula lapis durissimus ministravit. Jordanis perpetem meatum suum retorsit in fontem, validissimi hostium muri ad tubarum strepitum corruerunt. Sol quoque commoratus in cælo longiorem triumphanti populo præstitit diem. Hoc vero nullis antea videre seculis datum est, ut Unigenitus Altissimi, quem trementes Archangelorum suscipiunt potestates, hominem se hominibus exhiberet, et carnem quam assumpsit ab homine transformaret in Deum.

Lectio iv.

Amplectere ergo dignationem majestatis æternæ : et ne archanam Dei tui discutias voluntatem; quia omnibus quidem natus est Christus, sed fidelibus dat salutem. Quod si tibi sensuum tuorum fragilitate minus dignum videtur Filium Dei natum de femina credere, virginem cogita peperisse. Si tibi panni in quibus obvolutus est fortasse vilescunt, angelos collaudantes et multitudinem cælestis exercitus admirare. Si præsepe in quo infans jacuit despicis, erige paulisper oculos, et novam e cælo stellam protestantem mundo nativitatem Dominicam contuere. Si non credis vilia, crede mirifica. Si de his quæ humilia sunt disputas, quæ alta sunt et cælestia venerare. Isdem enim referentibus, isdemque auctoribus de Domino salvatore, quæ humilia et quæ gloriosa sunt didicisti. Universa quæ ad salutis tuæ mysterium pertinebant, sacra tibi Evangelia prodiderunt. Habes in his unde Dominum Jesum et natum hominem credas, et Deum esse dubitare non possis, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus : per omnia secula seculorum. Amen. Tu autem Domine miserere nostri.

Lectio v. [*Aug. ser.* 11 *de Tempore*†.]

In adventu Dominico, fratres charissimi, solutus est omnis paternæ prævaricationis metus, quem dyabolicis dudum fraudibus incurrit circumventa mortalitas. Adest enim nobis cæli terræque judex, qui rescisso cyrographo delictorum, reatum nostrum miseratus absolvit. Adest ille Dominus, qui jugum captivitatis antiquæ nostris a cervicibus solvens mærorem mundi æterna libertate lætificet. Adest ille rex mansuetus, qui per spacia totius orbis cælestis justitiæ gressibus incedens superbientem furentis inimici conteret tyrannidem. Tu autem.

Lectio vi.

Hodie namque, Maria parturiente, natus est nobis Dei Filius; ut germanæ carnis conceptione productus creato a se homini et paternam pietatem et fraternum largiretur affectum. Et natus sane ab intacta est

* '*ergo*,' in Brev. 1531: '*vero*' 1525.
† Maximi *Homiliæ Hyemales*, Hom. tertia de eodem, p. 196. Augustin. Appendix, Sermo 122. *Op.* Tom. v. col. 2666.

femina; ut Deum* pariter et hominem testaretur partus humanus, et Deum probaret æterna virginitas. Nam sicut non poterat nisi caro de carne nasci; ita non poterat Dei caro de femineo utero nisi sine generante prodire. Propter quod ait angelus beatissimæ Mariæ : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Spiritus (inquit) Sanctus superveniet in te. Idcirco tibi, frater, virtutem Spiritus Sancti angelicus sermo prætexit, ne conjecturis carnalis disputationis hebetatus cæleste tibi ipse mysterium terrena argumentatione confundas. Aut non putes eum novum puerum in alvo virginis potuisse formare, qui cum primum conderet hominem, nec semen patris, nec viscera materna quæsivit? Tu autem.

Et addantur tres Lectiones de Expositione Evangelii, Erant pater et mater (p. cclxi.).

In Laudibus omnia fiant sicut prænotatum est, sive Dominica fuerit hac die sive non.

Hoc modo dicuntur Horæ.

AD PRIMAM.

Ant. Quem vidistis, *p.* clxxxviii.
Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Ant. Te jure, *p.* 49.
Ps. Quicunque (p. 46).

AD TERTIAM, SEXTAM, ET NONAM.

Capitula, Responsoria et Versus sicut in die Nativitatis Domini dicuntur, cum hac Oratione, Concede quæsumus (p. cxc.).

Si dies Dominicus in die sancti Stephani, vel sancti Johannis, aut sanctorum Innocentium, aut sancti Thomæ, aut sancti Silvestri, aut Circuncisionis evenerit, totum servitium fiat de Festo, et nichil de Dominica.

SANCTI SILVESTRI PAPÆ ET CONFESSORIS.

AD VESPERAS.

Ant. Tecum principium, *ut supra ad secundas Vesperas Nativitatis.*
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Cap. Ecce sacerdos magnus.
R. Miles Christi.
Hymnus. Iste confessor, *p.* 410.
V. Amavit.
Ant. Confessor, *p.* 410.
Oratio.
Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus : ut beati Silvestri confessoris tui atque pontificis veneranda solennitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Memoria de NATIVITATE.

Ant. Virgo hodie. *V.* Verbum caro. *Oratio.* Concede, quæsumus.

Memoria de sancto STEPHANO.

Ubi processio prius de eo facta fuerit, cum hac Ant. Beatus Stephanus, *ut supra in primo Nocturno: ubi vero processio facta non fuerit, dicitur Antiphona* Constitutus, *ut supra in primo Nocturno. V.* Gloria et honore. *Oratio.* Da nobis, quæsumus, *p.* cxcv.

Memoria de sancto JOHANNE.

Ubi processio facta fuerit, cum hac Antiphona Sic eum. *v. de Laudibus: ubi vero non, tunc dicitur Antiphona* Johannes apostolus, *ut supra in primo Nocturno. V.* Valde honorandus. *Oratio.* Ecclesiam tuam, *p.* ccxiv.

Memoria de INNOCENTIBUS.

Ubi processio puerorum facta fuerit, cum hac Antiphona, Cantabant

* 'eum'—Maximi *Op.* p. 197.

sancti canticum novum ante sedem Dei et Agni : et resonabat terra in voces eorum. *Ubi vero non : tunc dicitur Antiphona* Herodes iratus, *i. de Laudibus. V.* Lætamini in Domino. *Oratio.* Deus, cujus hodierna.

Memoria de sancto Thoma.

Ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Antiphona Granum cadit, *i. de Laudibus : ubi vero processio facta non fuerit, dicitur Antiphona* Totus orbis, *ii. de Laudibus. V.* Ora pro nobis. *Oratio.* Deus, pro cujus Ecclesia, *p.* cclxvi.

Ad Matutinas *de* S. Silvestro.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, Versus et Responsoria de Communi unius Confessoris et Pontificis dicantur; novem Lectiones fiant.

Lectio i.

Silvester urbis Romæ episcopus cum esset infantulus a vidua matre Justa nomine traditus est Cyrino presbytero : cujus et vitam imitatus et mores ad summum apicem Christianæ religionis attigit. Factus juvenis hospitalitatem tota animi diligentia exhibebat, quam non divitiæ terrenæ, sed bonæ voluntatis thesauri adimplebant. Tantamque gratiam ei Deus dedit, ut non solum a Christianis, sed etiam ab ethnicis nimio diligeretur affectu. Tricesimo autem ætatis suæ anno a sancto Melchiade urbis Romæ episcopo dyaconus factus: non multo post omnis populus Christianorum in urbe presbyterum eum sibi exposcunt fieri. Sancto igitur Silvestro presbytero ordinato, tantum ei Dominus gratiam contulit, ut nullus esset qui non illum ex affectu diligeret, et verum Dei esse famulum acclamaret. Erat enim aspectu angelicus, sermone nitidus, opere sanctus, corpore integer, ingenio optimus, consilio magnus, fide catholicus, spe patientissimus, charitate diffusus. Tu autem Domine miserere nostri.

Lectio ii.

Sancto itaque Melchiade episcopo migrante ad Dominum, ab omni populo Silvester eligitur : ita ut nullus inveniretur qui non ejus electionem acclamaret. Sanctus vero Silvester ætatis suæ excusationem opponens, quantum se accusabat indignum, tantum ab omnibus dignus clamabatur. Quid multa? His et hujuscemodi assertionibus populorum artatus, auctore Deo levatur urbis Romæ episcopus. Et quia hoc esse meruit, operibus declarabat. Erat enim piissimus, et omni suavitate conspicuus : atque ita inter divites et pauperes medius, ut pauperes illum quasi parem aspicerent, divites vero quasi superiorem sibi divitem æstimarent. Non enim ad personæ potentiam, sed ad morum elegantiam attendebat : et tanto unumquemque eminentius honorabat, quanto sanctius vivere didicisset. Circa egenos vero et advenas ita secundum verbum Dei se sollicitum exhibebat, ut Christum esse in his crederet, et in eis ipsi Christo se conferre necessaria gauderet. Verumtamen quoniam longum est ejus sancta dicta et mirabilia stylo currente describere, paucissima ex multis de divinis mirabilibus, quæ per eum fecit Dominus ad laudem nominis sui, commemorare dignum est. Tu autem.

Lectio iii.

Constantinus Augustus cum monarchiam orbis teneret, et plurimas strages dedisset de Christianis, Elephantiæ a Deo lepra percussus est. Cui cum medicorum multitudo nulla medendi ratione subvenire posset, extiterunt qui dicerent debere piscinam fieri, quæ innocentium puerorum sanguine repleretur ; in quam nudus Augustus descenderet, ut ab omni lepræ vulnere mundari deberet. Missum est igitur, et fere ad tria milia

infantes adducti. Die autem constituto egrediente Imperatore ut sanguis innoxius funderetur, occurrit ei innumerabilis multitudo mulierum, omnesque solutis crinibus et nudatis pectoribus dantes ululatus et gemitus coram eo prostratæ, horrorem nimium illi et cunctis potestatibus incusserunt. Percontante autem Augusto didicit has matres esse filiorum quorum sanguis esset fundendus, in quo ipse medendi causa lavandus esset et sanandus. Tunc Imperator exhorruit facinus, et concionatus ad populum jussit reddi filios matribus suis, donaque amplissima expendi : ut quæ flentes venerant ad patriam alienam, alacres reverterentur ad suam. Sequenti igitur nocte, vidit Augustus per visionem sanctos Apostolos assistentes et dicentes sibi : Nos sumus Petrus et Paulus Apostoli Dei. Quoniam ergo effusionem innoxii sanguinis horruisti, missi sumus a Domino Jesu Christo dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Mitte igitur ad Silvestrum civitatis Romæ episcopum, qui persecutiones tuas fugiens in monte Serapti latitat. Quem cum ad te adduxeris, et unum Deum credideris, ab eo in piscina Deitatis ab omni lepræ contagione mundaberis. Tu autem Domine miserere nostri.

Mediæ Lectiones de Nativitate Domini fiant cum hoc Versu,

V. Ipse invocavit me.

Sermo beati Fulgentii episcopi.

[*De Sermonibus beati Fulgentii,* Serm. 2. post primum*.]

Lectio iiii.

Bene nunciate (ait propheta) diem de die salutare ejus. Quid est diem de die, nisi Filium de Patre? Est igitur de Patre Filius, de die dies; sed tamen Pater et Filius non duo dies, sed unus est dies. Est de Patre Filius, de Deo Deus : Pater tamen et Filius non duo Dii, sed unus est Deus. Unus igitur dies æternitatis simul Pater et Filius a nobis cognoscitur; in die autem temporis solus Filius invenitur. Dies enim æternus Pater et Filius nostrum corpus et animam fecit : in die vero temporis, solus Filius nostrum corpus animamque suscepit. Christus, dies æternus, unigenitus, in forma Dei manens; Christus in die temporis, unigenitus, formam servi accipiens : Christus, dies æternus, dives permanens ut conderet nos; Christus in die temporis, pauper factus ut redimeret nos. Dies æternus, Christus Deus de Deo Patre : Christus in die temporis, Deus homo de virgine matre. Christus, dies æternus, Verbum eructatum de corde Patris : Christus in die temporis. Verbum caro factum est de utero virginis matris. Christus, dies æternus, Deus verus de Deo vero : Christus in die temporis, sponsus procedens de thalamo suo. Dies æternitatis Christus angelos creans : dies in tempore Christus homines salvans. Dies æternitatis Christus in cælo sanctos angelos pascens : dies temporis Christus homines in terra reficiens. Ut etenim panem angelorum manducaret homo, Creator angelorum factus est homo, utrosque pascens, et integer permanens. Tu autem.

R. Quem vidistis, *iiii.* (p. clxxviii.).

Lectio v.

Quam bonus panis, qui et angelos pascit per speciem, ut de seipso satientur in patria, et nos pascit per fidem, ne deficiamus in via. Ille panis, qui seipsum dat angelis ad gaudium stabilitatis, seipsum dedit hominibus ad remedium sanitatis, et qui est angelorum esca, nobis factus est medicina. Verumtamen hic, dilectissimi fratres, attendite magnitu-

* Fulgentius, *de Duplici Nativitate Christi*, p. 525.

dinem gratiæ, et agnoscite, quid Deus homini dignatus est prærogare. Christus enim Dei Filius, de Deo vero Deus verus, et unus cum Patre naturaliter Deus, semper ex seipso sanctos angelos pascit; sed tamen angelicam naturam Dei Filius non accepit. Ut autem suam charitatem Deus commendaret in nobis, Filius ejus naturam nostram suscepit ex nobis. Et Deus unigenitus, qui panis est angelorum, ut etiam seipsum homini faceret panem, simul hominis et animam suscepit et carnem. Accepit utramque veram, utramque sanctam, utramque mundam: accepit animam nostram sine iniquitate, accepit carnem nostram cum mortalitate, accepit animam justam, per quam nostris animabus justitiam redderet: carnem vero propterea dignatus est habere mortalem, ut secundum ipsam moriens mortem vinceret, secundum etiam ipsam resurgeret, per quam nostra quoque corpora resuscitaret.

R. O magnum mysterium. *v.* (p. clxxx.).

Lectio vi.

Magnum mysterium, dilectissimi fratres: magnum divinæ dilectionis indicium. Homo Deum contemnens a Deo recessit: Deus diligens hominem ad homines venit. Dilexit impium, ut faceret justum: dilexit infirmum, ut faceret sanum: dilexit perversum, ut faceret rectum: dilexit mortuum, ut faceret vivum. Et quid amplius dicam, quandoquidem Deus genitus humanam naturam tantum dilexit, ut eam non solum a potestate mali angeli liberaret, verumetiam in seipso super omnes bonos angelos in Patris dextera collocaret? Natura enim quæ in primo homine a malo angelo captivata fuerat, ipsa nunc in secundo homine super omnes bonos angelos regnat. Natura quæ in primo homine mundum peccato polluit, ipsa in secundo homine mundum a peccato mundavit. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Primum hominem mulier corrupta mente decepit: secundum hominem virgo incorrupta virginitate concepit. In primi hominis conjuge nequitia dyaboli seductam depravavit mentem: in secundi autem hominis matre gratia Dei et mentem integram servavit et carnem: menti contulit firmissimam fidem, carni abstulit omnino libidinem. Quoniam igitur miserabiliter pro peccato damnatus est homo, ideo sine peccato mirabiliter est natus Deus homo. Tu autem.

R. Te laudant. *vi.* (p. clxxxi.). *Nisi quando hoc Festum in die Lunæ contigerit tantum: tunc enim dicitur V.* Tanquam sponsus, *cum his Responsoriis,* Hodie nobis cælorum. *R.* Hodie nobis de cælis. *R.* Descendit de cælis (pp. clxxiv.—clxxvi.).

Sciendum est quod quandocunque fiunt mediæ Lectiones, sive sint de Temporali sive de Festis Sanctorum, semper dicantur Versus et Responsoria secundum ordinem Nocturnorum: et hoc ab una Dominica usque ad aliam Dominicam observetur: ita tamen quod semper in Dominica, quando mediæ Lectiones fiunt, dicuntur Versus et Responsoria de primo Nocturno, nisi propria Responsoria habeantur; et nisi in Exaltatione Sanctæ Crucis, et nisi infra Octavas sine regimine chori. Nam tunc dicuntur Versus et Responsoria secundum ordinem Nocturnorum quotidie infra Octavas, etiam in Dominica, usque ad Octavam diem: et tunc semper reincipiatur Hystoria. Si vero aliquod Festum iii Lectionum unius Confessoris et Pontificis, de quo fieri debeant mediæ Lectiones in Dominica, et Festum iii Lectionum unius Confessoris et Abbatis in aliqua feria ipsius ebdomadæ contigerint: tunc in secundo Festo dicuntur Versus et

Responsoria de primo Nocturno, et non de secundo: et hoc ne omittantur duo Responsoria † non dicta propter unum prius dictum. Similiter etiam fiat quando aliquod ‡ Festum iii Lectionum plurimorum Martyrum, et Festum iii Lectionum plurimorum Confessorum in una ebdomada contigerint. Quandocunque enim in Matutinis ix Lectionum tres mediæ Lectiones fiunt, tunc a Versu medii Nocturni incipiatur hujusmodi servitium donec idem perficiatur Nocturnus, et non ab Antiphona medii Nocturni, ut quidam faciunt §. Ita tamen quod omnes Antiphonæ erunt de Festo ix Lectionum, media tamen Responsoria cum Versibus possunt esse de primo Nocturno, vel secundo, vel tertio, prout tempus exegerit. Et quia Antiphonæ in Nocturnis semper in eadem Hystoria dicuntur, ideo a Versu inchoatur hujusmodi servitium, quando mediæ Lectiones fiant alterius Hystoriæ, et dicitur medius Versus, quia medii Versus locum observat, sive fuerit de primo Nocturno, vel secundo, vel tertio, alterius Hystoriæ: ordo tamen Responsoriorum ita observetur, ut ad medias Lectiones, de quocunque fieri debeant, ab una Dominica in aliam Dominicam, semper fiat inchoatio in Dominica cum Versibus et Responsoriis primi Nocturni, nisi infra Octavas sine regimine chori: tunc enim a primo die usque ad octavam diem hujus ordo observetur.*

In duplicibus festis Sanctorum, qui habent Memorias Sanctorum Festis illorum annexas, sicut in Festis sanctorum Jacobi, Bartholomei, Augustini doctoris, et sancti Mathei apostoli: fiant illæ Memoriæ in audientia, ne omittantur: tamen quando horum Festa in Dominicis celebrantur, tunc memoriæ Sanctorum adjunctorum cum Memoriis de Dominica et de Trinitate sub silentio fiant.

In Festo sancti Augustini doctoris, ad secundas Vesperas, de sancto Johanne et de sancta Sabina solennes Memoriæ fiant. Tamen si Festum sancti Augustini in Dominica contigerit, fiat Memoria de sancto Johanne ut supra dictum est, et memoria de Dominica sub silentio.

Si Festum duplex in Sabbato contigerit, fiant Memoriæ de Dominica et de Trinitate sub silentio, et nulla processio ad crucem.

Ad secundas Vesperas in die Purificationis, et Nativitatis beatæ Mariæ, et Dominicæ in albis, et Sanctæ Trinitatis, et Corporis Christi, nulla omnino fiat Memoria de festo iii Lectionum in crastino contingenti, nisi festum ix Lectionum conjunctum fuerit: tunc de utrisque fiant Memoriæ: non sicut in Festo apostolorum Petri et Pauli fit Memoria de Octavis sancti Johannis Baptistæ: ita nec solet fieri Memoria de Trinitate in Festo Corporis Christi, nisi fuerit cum regimine chori. Memoriæ de duplicibus Festis et Octavis cum regi-

* Recte, secundum Ordinale Sarum, quod testatur *Defensorium Directorii* (1488-97). Similiter *Crede Michi*, quod totam fere rubricam continet.

† *Add.* 'primi Nocturni' *Crede Michi*, 1495-97.

‡ 'Festum unius Martyris et Festum unius Abbatis,... et in omnibus fere libris scribitur quod *in secundo festo dicant Responsoria de ii. nocturno*, quod est expressè contra Ordinale.' (*Defensorium Directorii Sarum.*) Utramque regulam profert tractatus *Crede Michi.*

§ 'Quandocunque enim fiant mediæ lectiones de Temporali, sive de Festis Sanctorum, semper a Versiculo medii Nocturni incipiatur hujusmodi servicium, donec idem perficiatur nocturnus, et hoc ab una Dominica in aliam observetur.'...(et sequentia, totidem fere verbis prout in superiori pagina rubricam ex Breviario excudimus)—*Crede Michi.*

mine chori, et de Commemorationibus, etiam in duplicibus Festis, solennes Memoriæ erunt.

Tres ultimæ Lectiones de Sancto Silvestro dicuntur: ita tamen quod septima Lectio legatur de Expositione Evangelii

Secundum Mattheum xxv. [14—23.]

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos: et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ.*

Lectio sancti Evangelii, fratres charissimi, sollicite considerare nos admonet, ne nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi, gravius inde judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum promptior quisque debet esse ex munere, quanto quisque se obligatiorem conspicit in reddenda ratione. Ecce homo qui peregre proficiscitur, servos suos vocat, eisque ad negocium talenta partitur. Post multum vero temporis positurus rationem revertitur: bene operantes pro apportato lucro remunerat, servum vero a bono opere torpentem damnat. Quis itaque iste homo est qui peregre proficiscitur, nisi Redemptor noster, qui in ea carne quam assumpserat abiit in cælum? Carnis enim locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrinandum ducitur, dum per Redemptorem nostrum in cælo collocatur. Sed homo iste peregre proficiscens servis suis bona sua tradidit, quia fidelibus suis spiritualia dona concessit.

Octava et nona Lectiones de vita sancti Silvestri legantur.

Lectio viii.

Exurgens igitur Constantinus, secundum quod jussum sibi fuerat, ad Silvestrum misit. Qui ubi se a militibus circumventum vidit, ad coronam martyrii se vocari credidit. Faciensque orationem et commendans Deo animam suam, et dans omnibus pacem, ad regem venit. Cui Augustus assurgens alacri eum animo suscepit: deinde ei omnia quæ facta et dicta ei fuerant, diligenter exposuit. Post finem vero narrationis suæ percontabatur Augustus, qui essent isti Dii Petrus et Paulus, qui eum visitassent. Cui sanctus Silvester dixit. Petrus et Paulus non sunt Dii, sed servi Dei: qui illi per fidem placentes primi sunt ab eo apostoli facti. Cumque hoc gratanter audiret Augustus, dixit: Peto, si eos aliqua imago habeat expressos, ut mihi ostendantur. Tunc sanctus Silvester jussit dyacono suo, ut Apostolorum exhiberet imagines. Quas cum intueretur, cum ingenti clamore cœpit Augustus dicere: Nihil verius quam horum has esse imagines, quorum visionem aspexi. Hi mihi dixerunt ut ad te mitterem, ut per te piscinam Deitatis cognoscerem: in qua cum lotus fuissem, omnium vulnerum meorum consequerer sanitatem.

Lectio ix.

Cui sanctus Silvester respondit, Audi rex. Salutis tuæ piscina est, ut unum Deum cæli et terræ creatorem cognoscas, et Filium Dei pro salute hominum de cælo in terram credas venisse. Cui Augustus respondit: Ego nisi credidissem, ad te penitus non misissem. Indixit ergo sanctus Silvester Augusto unius eb-

* Gregorii Magni *in Evangelia*, Lib. I. Homil. ix. *Opera* Tom. I. col. 1462-64.

domadæ jejunium: et benedicens fecit eum cathecuminum. Vespere autem sabbati, processit Augustus ad lavacrum baptismi. Quem sanctus Silvester sancto crismate Christi perfundens, interrogat si ex toto corde credat in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Qui cum se credere clara voce diceret, mersit eum in fontem, dicens: Deus qui mundasti in Jordane lepram Naaman Syri, et Paulo apostolo per baptismum oculos quos amiserat reddidisti, et fecisti nobis ex persecutore doctorem: tu emunda hunc servum tuum omnium terrenorum principem Constantinum: ut sancta tua ecclesia glorietur eum se habere ex persequente credentem et defendentem. Cumque omnes respondissent, Amen: subito quasi fulgor lux intolerabilis oculis per mediam fere horam emicuit. Post hæc exurgens mundus a fonte Constantinus Christum se vidisse confessus est. Indutusque vestibus candidis legem hanc dedit, Christum Deum verum esse, qui se mundasset a lepræ periculo: et jubebat hunc debere coli ab omni urbe Romana. Et si quis Christum blasphemasse fuisset comprobatus, punietur.

Nonum Responsorium a duobus cantetur in suppelliciis ad gradum chori.

V. Ora pro nobis, beate Silvester.

[*R.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi.]

In Laudibus, omnia fiant ut unius Confessoris et Pontificis, cum prœdicta Oratione.

Memoria de NATIVITATE.

Ant. Hodie intacta. *V.* Benedictus qui venit. *Oratio.* Concede quæsumus (p. cxc.).

Memoria de sancto STEPHANO.

Ubi processio de eo facta fuerit, cum hac Antiphona Constitutus, *ii. de primo Nocturno. Ubi vero non: tunc dicitur Antiphona* In tribulatione, *iii. de primo Nocturno. V.* Posuisti Domine. *Oratio.* Da nobis, quæsumus (p. cxcv.).

Memoria de sancto JOHANNE.

Ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Antiphona Johannes apostolus, *i. de primo Nocturno. Ubi vero non: tunc dicitur Antiphona* Supra pectus, *ii. de primo Nocturno. V.* Valde honorandus. *Oratio.* Ecclesiam tuam (p. ccxiv.).

Memoria de INNOCENTIBUS.

Ubi processio puerorum facta fuerit, cum hac Antiphona Herodes iratus, *i. de Laudibus. Ubi vero non: tunc dicitur Antiphona* A bimatu, *ii. de Laudibus.*

V. Mirabilis Deus.

Oratio. Deus, cujus hodierna die (p. ccxxx.).

Memoria de sancto THOMA.

Ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Antiphona Totus orbis, *ii. de Laudibus. Ubi vero processio facta non fuerit, tunc dicitur Antiphona* Aqua Thomæ, *iii. de Laudibus. V.* Ora pro nobis. *Oratio.* Deus, pro cujus ecclesia (p. ccxlvi.).

AD PRIMAM.

Ant. Ecce sacerdos, *p.* 419.
Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Ant. Te jure, *p.* 49.
Ps. Quicunque (p. 46).

AD TERTIAM.

Ant. Non est inventus, *p.* 419.
Cap. Benedictionem.

Responsoria et Versus de Communi unius Confessoris et Pontificis dicuntur, cum Alleluya.

AD SEXTAM.

Ant. Fidelis, *p.* 420.
Cap. Cognovit, *p.* 421.

AD NONAM.

Ant. Serve, *p.* 420.
Cap. Magnificavit, *p.* 421.

IN VIGILIA CIRCUNCISIONIS DOMINI.

Ad Vesperas.

Ant. Tecum principium, *ad secundas Vesperas Nativitatis, p.* cxciv.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Cap. Apparuit gratia.

R. Verbum caro. *Et dicitur hic sine Prosa.*

Hymnus. A solis ortus, *p.* clxxxix.

V. Tanquam sponsus.

Ant. Qui de terra est de terra loquitur : qui de cælo venit super omnes est. Et quod vidit et audivit hoc testatur, et testimonium ejus nemo accipit. Qui autem acceperit ejus testimonium signavit quia Deus verax est.

Ps. Magnificat, *p.* 221.

Oratio.

Deus, qui nobis nati Salvatoris diem celebrare concedis octavum : fac nos, quæsumus, ejus perpetua divinitate muniri, cujus sumus carnali commercio reparati. Qui tecum vivit et regnat.

Nulla fiat Memoria ad has Vesperas, nec ad Matutinas in crastino.

Ad Completorium.

Ant. Nato Domino angelorum chori canebant dicentes, Salus Deo nostro sedenti super thronum et Agno.

Ps. Cum invocarem (*iv.* p. 222).

Cap. Tu in nobis.

Hymnus. Salvator mundi, *p.* 226.

V. Custodi nos, Domine.

Ant. Alleluya. Verbum caro factum.

Ps. Nunc dimittis.

Preces et cetera quæ ad Completorium pertinent expleantur.

Hoc Completorium non mutatur usque ad Vigiliam Epyphaniæ.

[IN DIE CIRCUNCISIONIS DOMINI.]

Ad Matutinas.

Invitatorium. Christus natus est nobis. Venite, adoremus.

Ps. Venite.

Hymnus. Christe, Redemptor omnium, *p.* clxxi.

In primo Nocturno.

Ant. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu : ego hodie genui te.

Ps. Quare fremuerunt (*ii.* p. 7).

Ant. In sole posuit tabernaculum suum et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

Ant. Elevamini portæ æternales : et introibit rex gloriæ.

Ps. Domini est terra (*xxiii.* p. 40).

V. Tanquam sponsus.

Lectio i. [Beda *super Lucam*, Lib. I. Cap. 7 *.]

Ritus et religio circuncisionis, fratres charissimi, a beato Abraham patriarcha sumpsit exordium. Qui cum positus adhuc in præputio perfecte Deo credidisset, reputatumque ei esset ad justitiam, signum accepit circuncisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio. Erat enim circuncisionis typus ac figura multiformis. Nam et signaculum (ut dictum est) justitiæ fidei Abrahæ et seminis ejus erat indicium, castigando eos qui ad hoc semen hancque fidem pertinerent, ab omni inquinamento carnis et spiritus : et prophetia nascituri de hoc semine Salvatoris, qui nos et in præsenti per baptismum ab omni mortiferæ actionis pollutione mundaret, et in futuro per resurrec-

* Beda *in Lucam*, Cap. II. *Opera* Tom. v. 238.

tionem ab universa mortis ipsius corruptione liberaret.

R. 1. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nichil.

V. Quod factum est in ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Omnia.

Lectio ii.

Et præcipue donum remissionis, quod solveret a peccato prævaricationis Adæ, per hanc circuncisionem id temporis ministrari eidem gratiæ legisque latori complacuit. Qui enim nunc dicit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, ipse tunc dicebat, Masculus cujus præputii caro circuncisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Non pactum utique circuncisionis, quod non infans qui discernere necdum valuit, sed majores qui id servare noverant irritum fecerunt : verum pactum quod cum primo homine Deus iniit, quod omnis qui vel unius diei vitam gessit in terra prævaricasse convincitur, atque ideo remedio salutis aliquo opus habere non ignoratur. Nam qui vel ante tempora circuncisionis, vel etiam post datam circuncisionem, de exteris gentibus extitere fideles, ut exemplar patientiæ Job, et amici liberique illius, sive victimis hostiarum se suosque ab originali peccato, seu certe sola fide salvabant; quia justus ex fide vivit, et sine fide impossibile est placere Deo.

R. 2. Benedictus qui venit in nomine Domini Deus Dominus. Et illuxit nobis. Alleluia. Alleluia.

V. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et illuxit.

Lectio iii.

Verum his atque hujusmodi remediis egent, qui de peccati traduce propagati in iniquitatibus concepti et in delictis sunt nati. Redemptor autem noster, qui ut peccatum mundi tolleret sine peccato venit in mundum, sicut suo baptismate nobis remedia procuravit, id est, nostris abluendis sceleribus aquarum quæ subiit lavacra consecravit : ita etiam circuncisione quam suscepit non sua (quæ nulla erant) admissa purgavit, sed nostræ in se naturæ vetustatem docuit innovandam, et nunc videlicet eam per se a viciorum labe purgandam, et in novissima die significans ab ipsa multipharia mortalitatis ac mortis peste penitus esse restaurandam. Unde congrue Jesus octava die circuncisus asseritur, quod non facile in Veteri Testamento de quoquam legimus, quamvis de omnibus sæpissime jussum, absque solo dumtaxat Isaac, qui quasi filius promissionis primus octava die circuncisionem accepisse perhibetur. Tu autem.

R. 3. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi : ecce de quo dicebam vobis, Qui post me venit ante me factus est. Cujus non sum dignus corrigiam calciamenti solvere.

V. Hoc est testimonium quod perhibuit Johannes. Qui post. Gloria Patri. Cujus.

In secundo Nocturno.

Ant. Speciosus forma præ filiis hominum : diffusa est gratia in labiis tuis.

Ps. Eructavit (*xliiii.* p. 101).

Ant. Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.

Ps. Magnus Dominus (*xlvii.* p. 104).

Ant. Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

Ps. Fundamenta (*lxxxvi.* p. 154).

V. Ipse invocavit me.

Lectio iiii.

Bene, inquam, Jesus octava die circunciditur : quia videlicet utraque hæc nostra quam prædiximus, hoc est, et moderna et futura, et spiritus et carnis innovatio, et in ejus resurrectione figurata, et in nostra quandoque est perficienda. Siquidem de prima nostra resurrectione, quæ interim vitæ et fidei emendatione celebratur, apostolus ait : Quicunque enim baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus : ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. De secunda autem quæ in fine speratur, ita dicit : Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo. Octavum autem numerum resurrectionis gloriæ convenire pene omnibus claret. Nam et Dominus octava die, hoc est, post septimam sabbati, resurrexit : et ipsi post sex seculi hujus ætates et septimam sabbati animarum, quæ nunc interim in alia vita geritur, quasi octavo tempore resurgemus : tunc verissime circuncisi, hoc est, ab omnibus carnalis concupiscentiæ vitiis et corruptionibus, in quibus maxime luxuria regnat, expoliati, verissime præputium incisi. Quia sicut Dominus ait : Filii seculi hujus nubunt, et traduntur ad nuptias : illi autem qui digni habentur, seculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque ultra mori poterunt. Æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum filii sint resurrectionis.

R. 4. Nesciens mater virgo virum peperit sine dolore Salvatorem seculorum. Ipsum regem angelorum sola virgo lactabat ubera de cælo plena.

V. Beata viscera Mariæ virginis quæ portaverunt æterni Patris Filium. Ipsum.

Lectio v.

Verum quia de circuncisione sermo est, libet inquirere quare Moyses ipse, qui legem circuncisionis et patribus a Deo datam, et sibi totiens inculcatam refert, toto ducatus sui tempore neminem circuncidi voluerit, præter unum solummodo filium suum, quem mater arreptum petra acutissima, ne a Domino feriretur, circuncidit : sed omnes qui in heremo nati sunt a Josue circuncidendos reliquerit ; morem videlicet divinitus imperatum, quadringentis et sex annis observatum, et avita sibi successione contraditum, annis quadraginta continuis intermittens. De quo, salvo majorum intellectu, dicam breviter ipse quod sentio. Moyses circuncisionem prædicat, sed Josue perficit : quia lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est. Nichilque prodest littera jubens, nisi affuerit gratia juvans.

R. 5. Continet in gremio cælum terramque regentem
Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis
Per quem mundus ovans celso sub principe pollet.

Versus. Castæ parentis viscera
cælestis intrat gratia,
venter puellæ bajulat
secreta quæ non noverat.
Per quem.

Lectio vi.

Moyse prædicante præputium crescit, quia sicut Apostolus ait : Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Et alibi : Usque ad legem enim peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputatur, cum lex non esset. Et iterum : Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum

operatum est in me omnem concupiscentiam. Sed Josue populo in terram promissionis inducto præputium quod Moyse vivente accreverat, cultris petrinis incidit : quia ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia. Nam quare petrinis ad circuncidendum Josue cultris utitur, intelligat qui legit : quia petra erat Christus. Et super hanc (inquit) petram ædificabo ecclesiam meam. Quod enim impossibile erat legi in qua infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum. Tu autem Domine.

R. 6. Confirmatum est cor virginis in quo divina mysteria angelo narrante concepit quem forma præ filiis hominum castis concepit visceribus. Et benedicta in æternum Deum nobis protulit et hominem.

Versus. Domus pudici pectoris
templum repente fit Dei,
intacta nesciens virum
verbo concepit Filium.
Et benedicta. Gloria. Et.

In tertio Nocturno.

Ant. Exultabunt omnia ligna silvarum ante faciem Domini quoniam venit.

Ps. Cantate *i.* (*xcv.* p. 164).

Ant. In principio et ante secula Deus erat Verbum : ipse natus est nobis Salvator mundi.

Ps. Dominus regnavit, exultet (*xcvi.* p. 164).

Ant. Ante luciferum genitus et ante secula Dominus Salvator noster hodie nasci dignatus est.

Ps. Cantate *ii.* (*xcvii.* p. 169).

V. Notum fecit Dominus.

Secundum Lucam ii. [21.]

In illo tempore. Postquam consummati sunt dies octo ut circuncideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri.*

Sanctam venerandamque præsentis diei memoriam paucis quidem verbis Evangelista comprehendit, sed non pauca cælestis mysterii virtute gravidam reliquit. Exposita namque nativitate Dominica, cujus gaudia mox angeli dignis laudibus extulerunt, pastores devota visitatione celebrarunt, omnes qui tunc audiere mirati sunt, nos quoque pro modulo nostro, prout potuimus proxime (Domino largiente) congruis missarum hymnorumque solenniis exegimus : subjunxit atque ait : Et postquam consummati sunt dies octo ut circuncideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus : quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur. Hæc sunt festivitatis hodiernæ gaudia veneranda, hæc sacræ solennitas diei, hæc illa supernæ pietatis munera sacrosancta, quæ fidelium cordibus commendans apostolus ait : Quia ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret : ut adoptionem filiorum reciperemus.

R. 7. O regem cæli cui talia famulantur obsequia stabulo ponitur qui continet mundum. Jacet in præsepio et in nubibus tonat.

V. Qui cælum terramque regit
per secula solus. Jacet.

Lectio viii.

Magna namque dispensatione pietatis ad redemptionem generis humani Deus Pater non angelum, non archangelum, sed Filium suum unigenitum mittere dignatus est. Quem quia in divinitatis suæ specie videre

* Bedæ *Op.* vii. col. 315. Homiliæ Hyemales de Sanctis : In circumcisione Domini.

nequivimus, magna rursum dilectionis arte providit, ut hunc factum ex muliere, hoc est, ex maternæ carnis substantia, sine virili admixtione conceptum, ad humanos verum hominem proferret aspectus : qui in divina virtute ac substantia manens, per omnia quod erat, veram naturæ mortalis infirmitatem, quam non[1] habebat, indueret. Et ut nobis necessariam obediendi virtutem præcipuo commendaret exemplo, factum sub lege Filium suum Deus misit in mundum. Non quia ipse legi quicquam debeat, qui unus est magister noster, unus est legislator et judex ; sed ut eos, qui sub lege positi legis onera portare nequiverant, sua compassione juvaret, ac de servili conditione, quæ sub lege erat, ereptos: in adoptionem filiorum, quæ per gratiam est, sua largitate reduceret.

R. 8. Congratulamini michi omnes qui diligitis Dominum : quia cum essem parvula placui altissimo. Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

V. Beatam me dicent omnes generationes : quia ancillam humilem respexit Deus. Et de meis.

Lectio ix.

Suscepit ergo circuncisionem lege decretam in carne, qui absque omni prorsus labe corruptionis apparuit in carne. Et qui in similitudine carnis peccati, non autem in carne peccati advenit, remedium quo caro peccati consueverat mundari non respuit : sicut etiam unda baptismatis, qua novæ gratiæ populos a peccatorum sorde lavari voluerit, ipse non necessitatis, sed exempli causa subiit. Scire etenim debet vestra fraternitas, quia idem salutiferæ curationis auxilium circuncisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus agere revelatæ gratiæ tempore consuevit : excepto quod regni cælestis januam necdum intrare poterant, donec adveniens benedictionem daret, qui legem dedit, ut videri posset Deus deorum in Syon. Tantum in sinu Abrahæ post mortem beata requie consolati supernæ pacis ingressum spe felici expectabant. Qui enim nunc per Evangelium suum terribiliter ac salubriter clamat : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei ; ipse dudum per legem suam clamabat: Masculus, cujus præputii caro circuncisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit, id est, quia pactum vitæ in paradiso hominibus mandatum Adam prævaricante transgressus est, in quo omnes peccaverunt, peribit de cœtu sanctorum, si non ei fuerit lavacro salutari subventum.

R. 9. Verbum caro *ut supra in die Nativitatis Domini, ix.* (p. clxxxvi.). *Et dicatur hic sine Prosa, sive Dominica fuerit sive non. Ps.* Te Deum (p. 27).

V. Verbum caro, *ut supra in die Nativitatis.*

In Laudibus.

Ant. O admirabile commercium, creator generis humani animatum corpus sumens de virgine nasci dignatus est : et procedens homo sine semine largitus est nobis suam Deitatem.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. Quando natus es ineffabiliter ex virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ : sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum, te laudamus Deus noster.

[1] nunc, *in Breviario.* non, *in Beda.*

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Rubum quem viderat Moyses incombustum conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem : Dei genitrix intercede pro nobis.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Germinavit radix Jesse : orta est stella ex Jacob, virgo peperit Salvatorem, te laudamus Deus noster.

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem : quem Johannes videns exclamavit, dicens, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alleluya.

Ps. Laudate (*cxlviii—cl.* p. 32).

Cap. Apparuit gratia.

Hymnus. A solis ortus, *p.* clxxxix.

V. Benedictus qui venit.

Ant. Mirabile mysterium declaratur hodie, innovantur naturæ, Deus homo factus est, id quod fuit permansit : et quod non erat assumpsit : non commixtionem passus neque divisionem.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio. Deus qui nobis, *p.* cclxxxiii.

Ad Primam.

Ant. O admirabile. *i. de Laudibus.*

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ant. Gratias tibi.

Ps. Quicunque (p. 46).

Ad Tertiam.

Ant. Quando natus es. *ii. de Laudibus.*

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitula, Responsoria et Versus sicut in die Nativitatis Domini ad omnes Horas dicantur cum Oratione hujus diei.

Ad Sextam.

Ant. Rubum quem viderat. *iii. de Laudibus.*

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Ad Nonam.

Ant. Germinavit radix [*iiii. de Laudibus.*]

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Ad Vesperas.

Ant. Tecum principium, *ad secundas Vesperas Nativitatis.* p. cxciv.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Cap. Apparuit gratia.

R. Confirmatum est. *vi.*

Hymnus. A solis ortus, *p.* clxxxix.

V. Benedictus qui venit.

Ant. Magnum hereditatis mysterium : templum Dei factus est uterus nescientis virum, non est pollutus ex ea carnem assumens, omnes gentes venient dicentes : gloria tibi Domine.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio. Deus, qui nobis, *p.* cclxxxiii.

Memoria de S. Stephano *tantum.*

Ant. Tu principatum.

V. Gloria et honore.

Oratio. Da nobis, quæsumus, *p.* cxcv.

IN OCTAVA SANCTI STEPHANI.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymni, Antiphonæ et Psalmi sicut in prima die dicuntur.

V. Gloria et honore coronasti eum Domine.

Beati Maximi episcopi.

*Lectio i.**

Considerate attentius, dilectissimi fratres, cum beatus martyr Stephanus Dominum nostrum Jesum Christum ad dexteram Dei Patris stare vidisset, cur se filium hominis videre testatus est, et non potius Filium Dei : cum utique plus honoris Domino delaturus videretur, si se Dei potius quam hominis Filium videre dixisset. Sed certa ratio postulabat, ut hoc ita et ostenderetur in cælo, et prædicaretur in mundo.

Si Dominica fuerit, dividantur istæ tres Lectiones in sex : hoc modo. Si Dominica fuerit : Lectio ii.

Omne enim Judeorum scandalum in hoc erat : cur Dominus noster Jesus Christus, qui secundum carnem est filius hominis, esse etiam Filius Dei diceretur. Ideo ergo pulchre Scriptura divina filium hominis ad dexteram Dei Patris stare memoravit : ut ad confundendam Judeorum incredulitatem ille ostenderetur martyri in cælo, qui a perfidis Judeis negabatur in mundo. Et illi testimonium cælestis veritas daret, cui fidem terrena impietas derogaret.

R. 1. Stephanus servus Dei quem lapidabant Judei vidit cælos apertos : vidit et introivit. Beatus homo cui cæli patebunt.

V. Stephanus vidit cælos apertos : vidit et introivit. Beatus.

Lectio ii. [sive iii.]

Si quid autem distare inter martyres potest, præcipuus videtur esse qui primus est. Nam cum sanctus Stephanus ab apostolis dyaconus ordinatus sit, apostolos ipsos beata ac triumphali morte præcessit; ac sic qui erat inferior ordine, primus factus est passione. Mortem enim quam Salvator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori. Videte enim, dilectissimi fratres, affectum beati viri : videte magnam et admirabilem charitatem.

Si Dominica fuerit. Lectio quarta.

In persecutione positus erat : et pro persecutoribus supplicabat : atque in illa lapidum ruina, quando alius oblivisci poterat etiam charissimos suos, ille Domino commendabat inimicos. Quid enim dicebat cum lapidaretur? Domine (inquit) ne statuas illis hoc peccatum. Plus itaque tunc dolebat illorum peccata, quam sua vulnera : plus illorum impietatem, quam suam mortem. Et recte plus. In illorum quippe iniquitate erant multa quæ poterant plangi, in illius autem morte non erat quod debuisset doleri.

R. Lapidabant. *v.* (p. cciv.)

Lectio iii. [sive v.]

Imitemur ergo in aliquo, dilectissimi fratres, tanti magistri fidem, tam præclari martyris charitatem. Diligamus nos hoc in ecclesia fratres nostros animo, quo ille tunc dilexit

* B. Maximi, Homiliæ de Sanctis : In Natali Stephani. *Op.* p. 224, Paris, 1671.

inimicos suos. Sed quod pejus est, aliquotiens non solum inimicos non diligimus, sed nec amicis quidem fidem integram custodimus. Sed dicit aliquis : Non possum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hostem crudelem patior. O quicunque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, et non consideras quid tu feceris Deo.

Si Dominica fuerit : Lectio sexta.

Cum enim tu multum graviora in Deum peccata commiseris, quare non dimittis homini parvum, ut tibi Deus dignetur dimittere multum? Recole quid tibi in Evangelio Veritas ipsa promiserit, et quam tibi quodammodo cautionem fecerit, vel quale tecum pactum inierit. Si enim (inquit) dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cælestis peccata vestra. Videtis, fratres, quia cum Dei gratia in potestate nostra positum est : qualiter a Domino judicemur. Si (inquit) dimiseritis : dimittetur vobis. Moneo ergo vos, fratres, ut in malis hominibus medicorum vicem agere studeatis : et non ipsos homines, sed ipsorum maliciam odio habeatis. Pro bonis orate ut semper ad meliora conscendant : pro malis, ut cito ad emendationem vitæ per pœnitentiæ lamenta confugiant. Tu.

R. Lapides torrentes. *vi.* p. ccv.

Si vero Dominica fuerit, erit secundum R. 2. Videbant omnes (p. cc.) *et tertium R.* 3. Impetum fecerunt.

Ps. Te Deum (p. 27).

V. Posuisti Domine.

IN LAUDIBUS.

Hæc sola Ant. Lapidaverunt, *p.* ccx.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphona super Ps. Benedictus, *cum Oratione, sicut in prima die.*

Memoria de sancto JOHANNE.

Ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Antiphona Supra pectus. *Ubi vero non : tunc dicitur Antiphona* Quasi unus.

V. Valde honorandus. *Oratio.* Ecclesiam tuam, *p.* ccxiv.

Memoria de INNOCENTIBUS.

Ubi Processio Puerorum facta fuerit, cum hac Antiphona A bimatu (p. ccxlii). *Ubi vero non : tunc dicitur Antiphona* Vox in Rama. *V.* Mirabilis Deus. *Oratio.* Deus qui hodierna, *p.* ccxxx.

Memoria de sancto THOMA.

Ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Antiphona, Aqua Thomæ (p. cclviii). *Ubi vero non ; tunc dicitur Antiphona* Ad Thomæ.

V. Ora pro nobis.

Oratio. Deus pro cujus, *p.* ccxlvi.

Memoria de sancta MARIA.

Cum hac Antiphona, Ecce Maria.

V. Post partum. [*p.* 91.

Oratio. Deus, qui salutis, *p.* cxci.

Ab hac die usque ad Purificationem quotidie fiant MEMORIÆ DE SANCTA MARIA, *de quocunque fiat servitium, tam ad Vesperas quam ad Matutinas, nisi in Vigilia Epyphaniæ, et in die ejusdem.*

In Festis novem Lectionum, et in Octavis, et infra Octavas, quando chorus regitur, et in Dominicis, ad utrasque Vesperas, cum hac Antiphona, Quando natus. *V.* Speciosus forma. *Oratio.* Deus qui salutis. *Ad Matutinas vero, cum hac Antiphona,* Ecce Maria. *V.* Post partum.

In feriis vero et in Festis trium Lectionum sine regimine chori, ad Vesperas, Ant. Rubum quem viderat. *V.* Speciosus forma. *Oratio.* Deus qui salutis. *Ad Matutinas,*

†*Ant.* Post partum. *V.* Germinavit.† *Oratio ut supra.*

Quod si Octava sancti Stephani in Dominica evenerit, fiant ix Lectiones de sancto Stephano, videlicet sex de tribus Lectionibus supra notatis de Octava, et tres ultimæ Lectiones de expositione Evangelii, sicut in prima die. Responsoria vero propria, quæ habentur de Octava, primo loco, id est in primo Nocturno cantentur : dehinc hystoria diei suo ordine dicatur. Ad Laudes vero omnes Antiphonæ dicantur, et cetera sicut in die.

Similiter fiat de sancto Johanne, et de Innocentibus.

Sciendum est autem quod quando Octava sancti Johannis in Dominica evenerit, Vesperæ in Sabbato præcedenti de sancto Stephano erunt, et Memoria de sancto Johanne cum hac Antiphona Valde honorandus. *V.* In omnem terram. *Oratio.* Ecclesiam tuam.

Similiter quando Octava Sanctorum Innocentium in Dominica evenerit, Vesperæ in sabbato præcedenti erunt de sancto Johanne, et Memoria de Innocentibus cum hac Antiphona Innocentes pro Christo. *V.* Lætamini in Domino. *Oratio.* Deus, cujus hodierna die.

Hic primum fiant MATUTINÆ *de sancta Maria in Conventu ; ut plene notatur post Commune Sanctorum ; et ibi require omnia* DE SANCTA MARIA (*p.* 292).

AD PRIMAM *de sancto Stephano, sive Dominica fuerit sive non.*

Ant. Lapidaverunt, *p.* ccx.
Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Ant. Te jure, *p.* 49.
Ps. Quicunque vult (*p.* 46).

AD TERTIAM, ET AD ALIAS HORAS, *Antiphonæ, Psalmi, Capitula, Responsoria et Versus, sicut in die sancti Stephani dicantur, sive Dominica fuerit sive non, cum Oratione de prima die.*

AD VESPERAS.

Ant. Tecum principium, *p.* cxciii.
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Capitulum et cetera sicut in prima die dicantur, præter Responsorium quod non dicetur.

Memoria de sancto JOHANNE.

Ant. Valde honorandus, *p.* ccxiii.
V. In omnem terram.
Oratio. Ecclesiam tuam, *p.* ccxiv.

Memoria de INNOCENTIBUS.

Ubi Processio Puerorum facta fuerit, cum hac Antiphona, Vox in Rama. *Ubi vero non : tunc dicatur Antiphona,* Sub throno. *V.* Lætamini. *Oratio.* Deus, cujus hodierna die, *p.* ccxxx.

Memoria de sancto THOMA.

Ubi processio prius de eo facta fuerit, cum hac Antiphona, Ad Thomæ. *Ubi vero processio facta non fuerit, dicitur Antiphona,* Tu per Thomæ. *V.* Ora pro nobis. *Oratio.* Deus, pro cujus Ecclesia, *p.* ccxlvi.

Memoria de sancta MARIA.

Sive Dominica fuerit sive non, cum hac Antiphona, Quando natus es, *p.* 90. *V.* Speciosus forma. *Oratio.* Deus, qui salutis, *p.* cxci.

† Legendum, ut videtur, '*Ant.* Germinavit. (p. ccxciii.), *Versus,* Post partum.' ut in Psalterio, *p.* 91.

IN OCTAVA SANCTI JOHANNIS APOSTOLI.

AD MATUTINAS.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ et Psalmi sicut in prima die dicantur.

V. In omnem terram exivit sonus eorum.

Lectio i.

Cum post Domiciani obitum beatus Johannes de Pathmos insula Ephesum rediret : rogabatur vicinas lustrare provincias, quo vel ecclesias fundaret in quibus non erant locis, vel in quibus erant, sacerdotibus ac ministris instrueret : secundum quod ei de unoquoque Spiritus sanctus indicasset. Cum igitur venisset ad quandam urbem omnibus ecclesiasticis solenniter adimpletis, vidit juvenem quendam validum corpore, sed et animo acrem nimis. Respiciensque ad episcopum qui nuper fuerat ordinatus : hunc (inquit) tibi commendo : sub testimonio Christi et totius Ecclesiæ.

Si Dominica fuerit. Lectio ii.

Tunc ille juvenem suscipiens, omnem se adhibiturum diligentiam pollicetur. Post hæc Apostolus Ephesum rediit. Tunc vero presbiter in domum suam adolescentem suscepit commendatum : et cum omni diligentia enutrit, amplectitur, ad ultimum etiam baptismi gratiam tradit. Tu autem Domine miserere nostri.

R. 1. Hic est beatissimus Evangelista et Apostolus Joannes. Qui privilegio amoris præcipui : ceteris altius a Domino meruit honorari.

V. Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus : qui supra pectus Domini in cena recubuit. Qui privilegio. [Gloria Patri. Qui privilegio.]

Lectio ii. [sive iii.]

Post hæc jam velut confidens presbiter gratiæ qua juvenem commonuerat, paulo indulgentius eum cœpit habere. Sed ille ubi in matura libertate positus est, continuo per æquævos, quibus luxus et desidia cordi est, corruptæ viæ incedere tramitem perdocetur. Post hæc jam ad majora flagitia juvenis pertrahitur, et dedignabatur jam de parvis sceleribus cogitare. Denique ipsos qui prius magistri fuerant discipulos facit, et his cum omni crudelitate grassatur. Tu autem.

Si Dominica fuerit. Lectio quarta.

Cum autem ad eandem urbem iterum venisset Johannes, et cetera quorum gratia venerat ordinasset : age (inquit) O Episcope, depositum repræsenta, quod tibi ego et Christus commendavimus. At ille obstupuit, pecuniam putans a se reposci, quam non acceperat. Quem Johannes errantem videns : juvenem (inquit) illum repeto a te et animam fratris. Tunc graviter suspirans senior in lachrymis resolutus illi ait, Mortuus est. Quomodo (inquit) vel quali morte ? Deo (ait) mortuus est : quia pessimus et flagitiosus evasit. Quibus auditis Apostolus continuo vestem qua indutus erat scindens : bonum te, inquit, custodem fratris animæ dereliqui. Sed jam paretur mihi equus, et dux itineris. Et confestim ab ipsa ecclesia ascendens concitus properabat. Tu autem.

R. 2. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo, dicit Dominus. Et scribam super eum nomen meum, et nomen civitatis novæ Hierusalem.

V. Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei. Et scribam super.

Lectio iii. [*sive v.*]

Cum ergo beatus Johannes pervenisset ad locum : attinetur ab his latronibus qui custodias observabant. Sed ille nusquam effugere nitens, hac voce tantum proclamabat, quia ad hoc ipsum veni : adducite michi principem vestrum. Qui cum veniret armatus, eminus agnito Johanne Apostolo, pudore actus in fugam vertitur. Ille in equo post eum admisso confestim insequitur fugitantem, clamans : Quid fugis, O fili, patrem tuum ? Quid fugis inermem senem ? Noli timere : habes adhuc spem vitæ. Ego Christo rationem reddam pro te. Certe et mortem pro te libenter excipiam, sicut et Christus excepit pro nobis : et pro tua anima dabo animam meam. Sta tantum, et crede michi : quia Christus me misit. At ille audiens restitit, et vultum demisit in terram.

Si Dominica fuerit. Lectio sexta.

Post hæc arma projecit. Tum deinde tremefactus flevit amarissime. Et accedentis ad se senis genibus provolvitur : gemitibus et ululatibus quibus poterat satisfaciens. Apostolus vero se ei a Salvatore impetraturum veniam pollicens, ad ecclesiam revocat. Et indesinenter pro eo orationes profundens indulgentiam a Deo quam ei pollicitus fuerat expetebat. Nec prius abstitit quam eum in omnibus emendatum ecclesiæ præficeret : præbens per hoc magna exempla veræ pœnitentiæ, et documentum ingens novæ regenerationis.

R. Apparuit caro suo, *p.* ccxx.

V. Cumque complesset. *vi.*

Si Dominica fuerit, tunc erit tertium Responsorium Iste est Johannes, *p.* ccxvi.

Et deinceps tota Hystoria dicatur, sicut in prima die, usque ad Laudes.

Ps. Te Deum, *p.* 27.

V. Valde honorandus.

In Laudibus.

Hæc sola Antiphona. Hic est discipulus ille, *p.* ccxxiv.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29) : *sive Dominica fuerit sive non.*

Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona super Psalmum Benedictus, *cum Oratione, sicut in die dicantur.*

Memoria de Innocentibus.

Ubi Processio Puerorum facta fuerit, cum hac Antiphona, Sub throno. *Ubi vero non : tunc dicitur Antiphona,* Laudes reddant, *p.* ccxlii.

V. Mirabilis Deus. *Oratio,* Deus, cujus hodierna, *p.* ccxxx.

Memoria de sancto Thoma.

Ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Antiphona, Tu per Thomæ, *p.* cclviii. *Ubi vero non : tunc dicitur Antiphona* Summo sacerdotio, *p.* ccxlvii. *V.* Ora pro nobis. *Oratio,* Deus, pro cujus Ecclesia, *p.* ccxlv.

Memoria de sancta Maria.

Sive Dominica fuerit sive non : cum hac Antiphona Ecce Maria, p. 91. *V.* Post partum. *Oratio,* Deus, qui salutis, *p.* cxci.

Ad Primam.

Ant. Hic est discipulus ille.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ant. Te jure.

Ps. Quicunque (p. 46).

Ad alias Horas, *Antiphonæ, Psalmi, Capitula, Responsoria et Versus cum Oratione, sicut in prima die dicantur.*

Ad Vesperas.

Ant. Tecum principium, p. cxciii.
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Antiphonæ, Psalmi, Capitulum, et cetera omnia sicut in die sancti Johannis : præter Responsorium quod non dicetur.

Memoria de Innocentibus.

Ant. Innocentes, *p.* ccxxxii. *V.* Lætamini.
Oratio. Deus, cujus hodierna die, *p.* ccxxx.

Memoria de sancto Thoma.

Ubi processio de eo facta fuerit : cum hac Antiphona, Summo sacerdotio. *Ubi vero non : tunc dicitur Antiphona* Monachus sub, *p.* ccxlvii.
V. Ora pro nobis.
Oratio. Deus, pro cujus Ecclesia, *p.* ccxlv.

Memoria de sancta Maria.

Sive Dominica fuerit sive non : cum hac Antiphona Quando natus,
V. Speciosus forma. [*p.* 90.
Oratio. Deus, qui salutis, *p.* cxci.

IN OCTAVA SANCTORUM INNOCENTIUM.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ et Psalmi, sicut in prima die dicantur.
V. Lætamini in Domino.

Lectio prima.*

Hodie, fratres charissimi, natalem illorum infantium colimus, quos ab Herode crudelissimo rege interfectos esse, Evangelii textus eloquitur. Et ideo cum summa exultatione gaudeat terra nostra, cælestium militum et tantarum parens fecunda virtutum. Ecce prophanus hostis nunquam beatis parvulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio. Nam sicut sacratissima præsentis diei festa manifestant, quanta contra beatos parvulos iniquitas abundavit, tanta in eis gratia benedictionis effulsit.

Si Dominica fuerit, Lectio secunda.

Beata es, O Bethleem, terra Juda, quæ Herodis regis immanitatem in puerorum extinctione perpessa es, quæ sub uno tempore candidatam plebem imbellis infantiæ Deo offerre meruisti. Digne tamen natale illorum colimus, quos beatius æternæ vitæ munus edidit, quam quos maternorum viscerum partus effudit. Siquidem ante vitæ perpetuæ adepti sunt dignitatem, quam usum præsentis acciperent.

R. 1. Cantabant sancti canticum novum ante sedem Dei et Agni. Et resonabat terra in voces illorum.
V. Sub throno Dei omnes sancti clamant, Vindica sanguinem nostrum, Deus noster. Et resonabat.

Lectio secunda. [*sive iii.*]

Aliorum quidem preciosa mors martyrum laudem in confessione promeruit : horum in consummatione complacuit; quia incipientis vitæ primordiis ipse eis occasus initium gloriæ dedit, qui præsentis terminum imposuit : quos Herodis impietas lactentes matrum uberibus abstraxit. Qui jure dicuntur martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas quædam persecutionis

* Augustin. de Sanctis 10, ed. Benedict. Appendix. Sermo 220, Tom. v. col. 2914. Paris.

pruina decoxit. Et ideo dignum est interfectis pro Christo infantibus honoris impendere ceremonias non doloris : et sacramentis dare vota non lachrimis : quia ipse illis fuit causa pœnæ, qui exstitit et coronæ ; ipse odii causa, qui præmii.

Sive Dominica fuerit, sive non, secundum R. Sub throno. *ii.*

Lectio iii. [sive iv.]

Parante autem Herodo parvulis necem, Joseph per angelum monetur, ut Christum Dominum in Ægyptum transferat: Ægyptus idolis erat plena. Nam post idolorum persecutionem et ad occidendum Christum prophanæ plebis assensum, Christus ad gentes idolis deditas transire dignatur ; et Judæam relinquens ignoranti seculo colendus infertur. Et quia in Scripturis divinis, fratres charissimi, bonos et justos viros persecutionem malorum semper sustinuisse cognoscimus ; si diligenter consideramus, invenimus illos majora supplicia sustinere qui faciunt, quam qui sustinere videntur.

Si Dominica non fuerit, sit tertium R. Centum quadraginta, p. ccxxix.

Si vero Dominica fuerit, tunc erit tertium R. Dignus a dignis, *p.* ccxxxv. *Et fiant quatuor Lectiones de istis tribus præcedentibus, et pro quinta et sexta dicantur duæ Lectiones sequentes.*

Lectio quinta.*

Omnis homo qui alium in corpore persequitur, prius ipse in corde persecutionem sustinere cognoscitur. Nam si etiam illi quem persequitur aliquid de substantia sua tulerit, majus sibi ipse dispendium facit : quia nemo habet injustum lucrum sine justo damno. Ubi lucrum, ibi et damnum : lucrum in archa, damnum in conscientia. Tollit vestem, et perdit fidem; acquirit pecuniam, et perdit justitiam. Sed hoc homines ideo faciunt, quia diem novissimam attendere nolunt. Si enim diem mortis suæ cogitare jugiter vellent, animos suos ab omni cupiditate et malicia cohiberent. Sed quod modo nolunt salubriter cogitare, necesse habent postea sine ullo remedio sustinere.

Lectio sexta.

Veniet enim, fratres, dies novissimus, dies veniet judicii, quando eis nec pœnitentiam licebit agere, nec bonis operibus se ab æterna morte poterunt redimere. Qui percutitur etiam hac animadversione percutitur, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei. Veniet dies judicii, quando movebuntur fundamenta montium, et ardebit terra usque ad inferos deorsum : quando cæli ardentes solventur, quando sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, quando stellæ cadent de cælo : quando peccatores et impii mittentur in stagnum ignis. Et fumus tormentorum illorum ascendet in secula seculorum, ubi erit fletus et stridor dentium.

Tres ultimæ Lectiones, si Dominica fuerit, erunt sicut in prima die.

Deinde dicatur tota Hystoria usque ad Laudes, sicut in prima die : dicatur Ps. Te Deum; *V.* Justi in perpetuum.

IN LAUDIBUS, *hæc sola Antiphona* Herodes iratus. *Ps.* Dominus regnavit (*xcii.* p. 29) *sive Dominica fuerit, sive non. Capitulum, et cetera omnia sicut in prima die.*

Memoria de sancto THOMA, *ubi processio de eo prius facta fuerit, cum hac Antiphona,* Monachus : *ubi vero non, tunc dicatur Ant.* Cultor agri. *V.* Ora pro nobis. *Oratio.* Deus pro cujus ecclesia, *p.* ccxlv.

Memoria de sancta MARIA, *sive Dominica fuerit, sive non, cum hac Ant.* Ecce Maria, *p.* 91. *V.* Post partum. *Oratio,* Deus qui salutis, *p.* cxci.

* Augustin. v. col. 2915.

Ad Primam.

Ant. Herodes iratus, *p.* ccxlii.
Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Ant. Te jure, *p.* 49.
Ps. Quicunque, *p.* 46.

Ad Tertiam, et ad alias Horas, *Antiphonæ, Psalmi, Capitula, Responsoria et Versus, cum Oratione, sicut in prima die.*

Ad Vesperas.

Ant. Tecum principium.
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Capitulum, et cetera sicut in prima die sanctorum Innocentium dicuntur, præter Responsorium, quod non dicetur.

Memoria de sancto Thoma.

Ant. Pastor cæsus.
V. Ora pro nobis.
Oratio. Deus pro cujus ecclesia, *p.* ccxlv.

Deinde fiat Memoria de sancto Edwardo *rege et confessore.*

Ant. Confessor Domini, *p.* 410.
V. Amavit eum Dominus et ornavit eum.
Oratio.

Deus qui unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum gloriosissimo regi Edwardo in forma visibili demonstrasti : tribue, quæsumus, ut ejus meritis et precibus ad æternam ipsius Domini nostri Jesu Christi visionem pertingere mereamur. Qui tecum.

Memoria de sancta Maria.

Ant. Quando natus, *p.* 90.
V. Speciosus forma.
Oratio. Deus qui salutis, *p.* cxci.

IN VIGILIA EPYPHANIÆ.

Quidam solus de secunda forma, loco nec habitu mutato, dicat Invitatorium cum cantu feriali.

Invitatorium. Christus natus est nobis. Venite adoremus.
Ps. Venite.
Hymnus. Christe redemptor, *p.* lxxi.
Ant. Dixit Dominus.
Ps. Quare fremuerunt (*ii.* p. 7), *et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis, sicut in die Circumcisionis Domini, præter nonam Antiphonam, quæ erit* Virgo verbo concepit : *quære post Vesperas Innocentium**.
Ps. Cantate *ii.* (*xcvii.* p. 169).
V. Notum fecit Dominus.

Secundum Mattheum ii. [19—23.]

In illo tempore. Defuncto Herode, ecce apparuit angelus Domini in somnis Joseph in Ægypto, dicens, Surge et accipe puerum et matrem ejus : et vade in terram Israel. Et reliqua.

Omelia excerpta ex diversis tractatibus. [*Ex Haymone*† *et aliis.*]

Obitus Herodis terminum contentionis maliciosæ, qua nunc contra ecclesiam Judea sævit, insinuat. In somnis autem hoc significat, quia mortuis mundo angeli sunt præsentes. Quod igitur defuncto Herode redit ad terram Israel Jesus, finem seculi denunciat, quando Enoch et Helya prædicantibus, Judæi sopita modernæ invidiæ flamma, fidem veritatis accipient. Et bene cum Judæam deserit, fugere, et hoc in nocte, dicitur; cum vero revertitur, nulla non solum fugæ,

* *Post Secundas Vesperas Nativitatis Domini*, p. cxcvii.
† *Cf.* Haymonis Halberstat. episcopi *Homil. de Tempore xii., de SS. Innocentibus.* Migne, *Patrol.* cxviii. pp. 81, 82.

sed nec noctis fit mentio : quia nimirum quos ob peccatorum tenebras olim persecutores reliquit, ipsos ad lucem fidei tandem se quærentes revisit.

R. O regem cælorum, *ut in die Circumcisionis, vii.* p. ccxc.

Lectio ii.

Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Ex hoc loco intelligimus non solum Herodem, sed et sacerdotes et scribas eo tempore necem Domini fuisse meditatos. Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel. Non dixit, accepit filium suum et uxorem suam; sed puerum et matrem ejus, quasi nutricius, non maritus. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire. Archelaus, Agnoscens leo, interpretatur : Herodes, Pelliceus, sive Pellis gratia. Herodes ille, qui cum Pylato postea amicitiam fecit, hujus Herodis filius est, frater Archelai, quem et ipsum Tyberius Cesar Lugdunum (quæ Galliarum est civitas) relegavit; fratremque ejus Herodem successorem regni fecit.

R. Congratulamini. *viii.* p. ccxci.

Lectio iii.

Quod damnato Herode Joseph timore Archelai in Judeam ire formidans, angelo monente, in Nazareth Galilcæ secessit, ultima præsentis ecclesiæ tempora designat : quando pro ea quæ nunc est universali gentis illius cæcitate, qua Christianos inquantum valet persequi non desistit, acrior in quibusdam antichristi persecutio consurget. Pars igitur Judeæ in qua regnabat Archelaus, qui interpretatur Agnoscens leo, de quo Apostolus ait, Adversarius vester dyabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret : perfidos antichristi sequaces ostendit. Tu autem.

R. Confirmatum est. *vi.* p. cclxxxix.

Non dicatur Te Deum, *nisi Dominica fuerit tantum.*

V. Verbum caro factum est.

In Laudibus.

Hæc sola Ant. O admirabile commercium (p. ccxcii.). *Sive dominica fuerit sive non Ps.* Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Cap. Apparuit benignitas.

Hymnus. A solis ortus, *p.* clxxxix.

V. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio.

Corda nostra, quæsumus, Domine, venturæ solemnitatis splendor illustret : quo mundi hujus tenebris carere valeamus, et perveniamus ad patriam claritatis æternæ. Per Dominum.

Memoria de sancto Thoma.

Ant. Opem nobis, *p.* cclix. *V.* Ora pro nobis. *Oratio,* Deus, pro cujus ecclesia, *p.* ccxlv.

Memoria de sancto Edwardo.

Ant. Euge serve, *p.* 420. *V.* Justus germinabit. *Oratio,* Deus, qui unigenitum, *p.* cccx.

Memoria de Omnibus Sanctis.

Ant. Exultabunt sancti. *V.* Mirabilis Deus.

Oratio. Infirmitatem nostram, p. 93.

Nulla fiat Memoria de sancta Maria : nec etiam Matutinæ dicantur de ea in conventu.

Ad Primam.

Ant. O admirabile, *p.* ccxcii.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ant. Gloria tibi Trinitas.

Ps. Quicunque (p. 46).

Cap. Domine miserere.

R. Jesu Christe. *Cum cantu, sicut in Vigilia Nativitatis Domini cum extra Dominicam contigerit, di-*

catur, ut supra dictum est, scilicet in prima Dominica Adventus Domini; et cetera quæ ad Primam pertinent.

Ad Tertiam, et ad alias Horas: *dicatur cantus festivalis, sicut in diebus Dominicis, licet Dominica non fuerit, super Hymnum. Antiphonæ, Psalmi, Capitula, Responsoria, Versus, sicut in die Circumcisionis dicantur : cum hac Oratione,* Corda nostra.

Hac die, nisi Dominica fuerit, non dicitur Te Deum, *nec* Gloria in excelsis, *nec* Ite missa est, *quia quasi vigilia habetur.*

Si hæc Vigilia in Dominica *evenerit, hoc modo fiat servitium :*

Ad Matutinas.

Invitatorium a duobus Rectoribus chori incipiatur ad gradum chori cum eodem cantu quo in die Nativitatis Domini, et percantetur a Choro.

Invit. Christus natus est.

Ps. Venite.

Hymnus, Antiphonæ et Psalmi sicut in die Circumcisionis Domini dicantur, præter nonam Antiphonam, quæ erit Virgo verbo : *quære post Vesperas Innocentium* (p. cxcvii.).

Ps. Cantate *ii.* (*xcvii.* p. 169).

V. Tanquam sponsus.

Et fiant ix. Lectiones.

Tres primæ Lectiones de sermone beati Maximi episcopi.*

Lectio i.

Justissime, fratres, festivitate præsentis diei in omne se gaudium totus ubique suscitat mundus, quia promissus a seculis universo orbi judex natus est et redemptor. Et necesse est ut in commune nos omnes, qui futuri examinis resurrectionisque promissæ salutarem suscepimus fidem, habeamus metum quidem de judice, sed de redemptore læticiam. Omnis namque fidelis anima timore corrigitur, correctione lætatur. Et in hoc, charissimi, quanta erga humanum genus omnipotentis Patris dispensatio est, quantave benignitas: ut quem judicem præparabat incredulis, hunc credituris præmitteret redemptorem, quatenus præcurrens misericordia, severitatem adventantis judicis præveniret. Natus est itaque Christus : sed in nativitate ejus nostra omnium habet vita natalem ; quia qui privilegia primæ nativitatis amisimus, visitante nos Christo sanctiore partu redimus ad vitam. Peperit virgo Maria, sed ipsa suum parturivit auctorem. Edidit mundo hominem quem non suscepit ab homine. Tu autem, Domine.

R. In principio. *i.* p. cclxxxv.

Lectio ii.

Quid est hoc miraculi, fratres? Nascitur caro de carne, non tamen generata per carnem. Et secreto quodam incomprehensoque conceptu procedit de mortali femina divina progenies. Nec mirum sane si extitit divina nativitas ubi non erat humana conceptio, aut si illam matrem non violavit partus, quam coitus non fœdavit. Ait ille quoddam futurorum conscius Esaias populis et gentibus signum novæ salutis aperiens : Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanunel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Atque ut advertamus novi ac veteris testamenti unum esse consensum, unumque consilium, ait etiam beatissimus Lucas evangelista, Dominicæ generationis relator egregius, dicens : Missus est Gabriel angelus a Deo ad Mariam virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph. Et ait ad illam : Ecce concipies in utero et paries filium : et vocabis nomen ejus Jesum. Jesus autem, charissimi, La-

* B. Maximi, Homiliæ Hyemales. In Natali Domini. Hom. ii. p. 195.

tino sermone Salvator dicitur. Tu autem Domine miserere nostri.

R. Benedictus qui venit. *ii.* p. cclxxxv.

Lectio iii.

Ecce qualiter seinvicem concordantibus sententiis testimonia divina confirmantur. Et cum prædicantium diversa sint tempora, non tamen diversa narratio. Nam partum virginis, quem ille prædixerat, iste testatur. Quis igitur de nativitate Christi, quis de redemptione cunctetur, quem et Esaias profitetur Deum, et Gabriel annunciat salvatorem? Quis intactæ puerperæ alvum dubitet floruisse, quod uno pæne ore atque eodem spiritu proloquuntur evangelista, angelus et propheta? Ubi tanti atque tales sunt testes, non erubescit veritas, sed auditor incredulus confutatur. Sed jam videamus quas pro nobis notus perferat Christus injurias, quibusve rursus injuriæ illæ virtutibus decorentur. Et ante omnia femineo se sexu concipi patitur, qui in exordio mundi omnipotenti manu de masculo operatus est feminam. Sed hanc humilitatem nascendi virginalis matris sublimat integritas. Et quamvis Christus femineo ut infans lacte pascatur, tamen ut rerum potens virgineis nutritur uberibus, atque ut primum illum in has seculi procellas et fluctuantis sentinam mundi uterus maternus effudit, vilissimis circumdatur pannis. Pannis induitur ille pro nobis, qui cum crearet omnia terras luce perfudit, cælum syderibus adornavit, et ignea solem claritate vestivit. Obvolvitur quidem pannis, sed hi panni nova stella radiante munerantur a Magis, et exultantibus angelis honorantur.

R. Ecce Agnus Dei. *iii.* p. cclxxxvi.

Tres mediæ Lectiones cum Versibus et Responsoriis de primo Nocturno primæ diei dicantur.

Lectio iiii.

Cum beati Thomæ corpus sepulturæ tradendum esset, et de more pontificum indueretur : quod admodum pauci familiares noverant : inventum est cilicio referto involutum, ipsaque femoralia ejusque interiora usque ad poplites cilicina (quod antea apud nostrates fuerat inauditum) reperta sunt. Quis quod sequitur sine lachrimis referre poterit vel audire? Ecclesia quidem quæ sacro cruore violata fuerat, vel potius consecrata, quamvis cum multa hæsitatione et deliberatione non modica, propter metum tamen impiorum ad protestandam injuriam Dei, seipsam suspendere ausa est a divinis. Sed tantus terror ex signis patentibus provinciales invasit, ut nullus omnino aut rarus fuerit qui auderet a divinis cessare pro exhibitione justitiæ, aut defunctis debitum officium denegare. Hoc etiam agebant impii, ut nomen ejus perpetuo deleretur Tu autem Domine miserere nostri.

Lectio v.

In omnibus his persecutorum non quievit furor, dicentium corpus proditoris inter sanctos pontifices non esse humandum, sed projiciendum in paludem viliorem, vel suspendendum esse patibulo. Unde sancti viri qui aderant, vim sibi timentes subinferri, eum in cripta, antequam satellites Sathanæ qui ad sacrilegia perpetranda vocati fuerant convenirent, ante altare sancti Johannis baptistæ et sancti Augustini Anglorum episcopi in sarcophago marmoreo sepelierunt. Ne si honorificentius in loco altiori ipsum tumulassent, invidia impensi honoris maleficos ad furorem incitaret; et qui in sacrum corpus manus sacrilegas audebant extendere, in sepulturæ honestatem destruendam non formidarent desævire.

Lectio vi.

In loco autem in quo vir sanctus sepultus est, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei per eum multa et magna fiunt miracula: catervatim confluentibus populis ut in aliis videant, et in se sentiant potentiam et clementiam ejus qui semper est in sanctis suis mirabilis et gloriosus. Nam et in loco passionis ejus, et ubi ante majus altare prænotabatur humandus, et in quo tandem sepultus est, paralitici curantur, cæci vident, surdi audiunt, loquuntur muti, claudi ambulant, evadunt febricitantes, arrepti a dæmonio liberantur, et a variis morbis sanantur ægroti, blasphemi a dæmonio confunduntur. Et quod a diebus patrum nostrorum non est auditum, mortui resurgunt. Illo hæc et plura quæ referre perlongum est operante, qui solus est super omnia benedictus in secula. Amen. Tu autem.

Et tres ultimæ Lectiones de expositione Evangelii Defuncto Herode, *ut supra* (*p.* cccix.), *cum hoc V.* Notum fecit Dominus, *et cum his tribus Responsoriis, videlicet,* 7. O regem. *R.* 8. Congratulamini. *R.* 9. Verbum caro.

Ps. Te Deum (p. 27).

V. Verbum caro factum est.

In Laudibus.

Hæc sola Ant. O admirabile, *p.* ccxcii.

Ps. Dominus regnavit. *xcii.* *Et ceteri Psalmi* (p. 29).

Cap. Apparuit benignitas*.

Hymnus. A solis ortus, *p.* clxxxix.

V. Benedictus qui venit.

Ant. Beatus venter, *p.* cxcvi.

Ps. Benedictus.

Oratio. Corda nostra, *p.* cccxii.

Memoria de sancto Thoma.

Ant. Opem nobis. *V.* Ora pro nobis. *Oratio.* Deus, pro cujus ecclesia, *p.* ccxlv.

Memoria de sancto Edwardo.

Ant. Euge serve. *V.* Justus germinabit. *Oratio.* Deus, qui unigenitum, *p.* cccx.

Nulla fiat hic Memoria de Omnibus Sanctis, nec de sancta Maria, neque Matutinæ de ea in choro dicantur.

Ad Primam.

Ant. O admirabile, *p.* ccxcii.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ant. Te jure (p. 49).

Ps. Quicunque (p. 46).

Cap. Regi seculorum.

R. Jesu Christe, *cum cantu quo in die Nativitatis Domini, et precibus, etc.*

Ad Tertiam, et ad alias Horas, *omnia fiant ut supra dictum est,* p. cccxiii.

Ad Vesperas.

Ant. Tecum principium, p. cxciii.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Capitulum. Esai. lx. 1.

Surge, illuminare, Hierusalem: quia venit lumen tuum; et gloria Domini super te orta est.

R. Reges Tharsis et insulæ munera offerent. Reges Arabum et Saba dona Domino Deo adducent.

V. Et adorabunt eum omnes reges: omnes gentes servient ei. Reges. Gloria. Domino.

* '*In Vigilia Epiphaniae in Laudibus semper dicitur capitulum* Apparuit benignitas, *secundum Ecclesiam Sarum.*' Defensorium Directorii 1488, 1495, sed omittit ed. 1497.

Cf. Crede Michi 1495. '*De Capitulo in Laudibus in Vigilia Epiphaniae. In Vigilia Epiphaniae in Laudibus multi libri habent Cap.* Apparuit gratia Dei. *Et sic scribitur in quodam Ordinali. Alii affirmant quod in illa Vigilia, Cap.* Apparuit benignitas *dicitur in Laudibus tantum; et hoc videtur mirabile, quia Capitulum quod habetur in Laudibus solet dici ad Terciam.* Responsio:—Apparuit benignitas *dicitur in Laudibus in Vigilia Epiphaniae secundum Ordinale Sarum.*'

Hymnus.

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cælestia.

Ibant magi quam viderant
Stellam sequentes præviam:
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.

Lavachra puri gurgitis
Cælestis Agnus attigit,
Peccata quæ non detulit,
Nos abluendo sustulit.

Novum genus potentiæ,
Aquæ rubescunt idriæ:
Vinumque jussa fundere
Mutavit unda originem.

Gloria tibi, Domine,
Qui apparuisti hodie,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna secula. Amen.

Hic versus dicitur in fine omnium Hymnorum ejusdem metri per totas Octavas et in Octava.

V. Omnes de Saba venient.

R. Aurum et thus deferentes : et laudem Domino annunciantes.

Ant. Magi videntes stellam dixerunt adinvicem : hoc signum magni regis est : eamus et inquiramus eum, et offeramus ei munera : aurum, et thus, et mirram.

Ps. Magnificat, *p.* 221.

Oratio. Corda nostra, *ut supra ad Matutinas* (p. cccxii.).

AD COMPLETORIUM.

Ant. Lux de luce apparuisti, Christe : cui magi munera offerunt. Alleluya. Alleluya. Alleluya.

Ps. Cum invocarem (*iv.* p. 222).

Cap. Tu in nobis.

Hymnus. Salvator mundi, *p.* 226.

V. Custodi nos Domine.

Ant. Alleluya. Omnes de Saba venient, alleluya : aurum et thus deferentes, alleluya, alleluya.

Ps. Nunc dimittis (p. 225).

Preces et cetera ut supra.

Hoc Completorium non mutatur per totas Octavas.

IN DIE EPYPHANIÆ.

AD MATUTINAS *non dicitur Invitatorium, nec Hymnus : sed statim post* Domine labia, *et* Deus in adjutorium, *incipiatur Antiphona.*

In primo Nocturno.

Ant. Afferte Domino, filii Dei, adorate Dominum in aula sancta ejus.

Ps. *Ipsum** (*Ps. xxviii.* p. 71).

Ant. Psallite Deo nostro, psallite : psallite regi nostro, psallite sapienter.

Ps. Omnes gentes (*xlvi.* p. 103).

Ant. Omnis terra adoret te Deus et psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Ps. Jubilate Deo omnis terra (*lxv.* p. 122).

V. Omnes de Saba.

Tres primæ Lectiones legantur de prophetia Esaiæ lv. [1—5.]

Lectio i.

Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite. Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, et venite ad me : audite, et vivet anima vestra. Et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fidelis. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gen-

* 'Psalmus, Ipsum.' (ita sæpe legitur), *hoc est, Psalmus ille cujus primus versus idem est cum Antiphona mox ante citata.*

tem quam nesciebas vocabis : et gentes quæ te non noverunt ad te current, propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificavit te. Hæc dicit Dominus Deus : convertimini ad me et salvi eritis.

Non dicitur Qui hodierna die a Johanne *etc.*

1 *R.* Illuminare, illuminare, Hierusalem, quia venit lux tua. Et gloria Domini super te orta est.

V. Et ambulabunt gentes in lumine tuo : et reges in splendore ortus tui. Et.

Lectio ii. [*Esai. lv.* 6—12.]

Quærite Dominum dum inveniri potest : invocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas : et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ viæ vestræ, dicit Dominus. Sicut enim exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. Et quomodo descendit ymber et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti et panem comedenti : sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Non revertetur ad me vacuum : sed faciet quæcunque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud. Hæc dicit Dominus.

2 *R.* Omnes de Saba venient : aurum et thus deferentes, et laudem Domino annunciantes. Alleluya. Alleluya. Alleluya.

V. Reges Tharsis et insulæ munera offerent : reges Arabum et Saba dona adducent. Alleluya.

Lectio iii. [*Esai. lx.* 1—7.]

Surge, illuminare, Hierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos. Super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filii tui de longe venient et filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum : quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Effa. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annunciantes. Hæc dicit.

3 *R.* Reges Tharsis, *ut supra ad Vesperas.*

In secundo Nocturno.

Ant. Reges Tharsis, et insulæ munera offerent regi Domino.

Ps. Deus judicium (*lxxi.* p. 132).

Ant. Omnes gentes quascunque fecisti : venient et adorabunt coram te, Domine.

Ps. Inclina Domine (*lxxxv.* p. 153).

Ant. Venite adoremus Dominum : quia ipse est Dominus Deus noster.

Ps. *Ipsum* (*Ps. xciiii.* p. 163).

V. Reges Tharsis et insulæ munera offerent.

R. Reges Arabum.

Mediæ Lectiones de sermone beati Leonis papæ.*

Lectio iiii.

Celebrato proximæ festivitatis die quo intemerata virginitas humani generis salvatorem edidit, Epyphaniæ nobis, dilectissimi, veneranda festivitas dat perseverantiam gaudiorum, ut inter cognatarum solemnitatum vicina sacramenta exultationis vigor et fervor fidei non tepescat. Ad omnium enim hominum spectat

* B. Leonis in Epiph. Serm. I. *Op.* p. 25.

salutem, quod infantia mediatoris Dei et hominum jam universo declarabatur mundo, cum adhuc exiguo detineretur opidulo. Quamvis enim Israeliticam gentem, et ipsius gentis unam familiam delegisset, de qua naturam universæ humanitatis assumeret, noluit tamen intra maternæ habitationis angustias ortus sui latere primordia, sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est pro omnibus nasci. Tu autem Domine.

4 *R.* Magi veniunt ab oriente Hierosolimam quærentes et dicentes. Ubi est qui natus est cujus stellam vidimus, et venimus adorare Dominum.

V. Cum natus esset Jesus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis : ecce magi ab oriente venerunt Hierosolymam dicentes, Ubi.

Lectio v.

Tribus igitur Magis in regione orientis stella novæ claritatis apparuit: quæ illustrior ceteris pulchriorque syderibus facile in se intuentium oculos animosque converteret; ut confestim adverteretur non esse ociosum, quod tam insolitum videbatur. Dedit ergo aspicientibus intellectum qui præstitit signum, et quod fecit intelligi fecit inquiri; et se inveniendum obtulit requisitus. Sequuntur tres viri superni luminis ductum; et prævii fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes ad agnitionem veritatis gratiæ splendore ducuntur qui humano sensu significatum sibi veri regis ortum æstimant in civitate regia esse quærendum. Sed qui servi suscepit formam, et non judicare venerat, sed judicari, Bethleem præelegit nativitati, Hierosolimam passioni. Herodes vero audiens Judeorum principem natum, successorem suspicatus expavit, et molitus necem salutis auctori, falsum spondet obsequium. Quam felix foret si magorum imitaretur fidem, et converteret ad religionem quod disponebat ad fraudem. Tu autem.

5 *R.* Interrogabat magos Herodes, Quod signum vidistis super natum regem? Stellam magnam fulgentem, cujus splendor illuminat mundum. Et nos cognovimus et venimus adorare Dominum.

V. Vidimus stellam ejus in oriente. Et nos.

Lectio vi.

O cæca stultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putas divinum tuo furore consilium. Dominus mundi temporale non quærit regnum, qui præstat æternum. Quid incommutabilem dispositarum rerum ordinem vertere, et aliorum facinus præoccupare conaris? Mors Christi non est temporis tui. Ante condendum est Evangelium : ante prædicandum est regnum Dei : ante sanitates donandæ : ante sunt facienda miracula. Cur quod alieni futurum est operis, tui esse vis criminis; et non habiturus effectum sceleris in solum te reatum præcipitas voluntatis? Nihil hac molitione perficis, nihil peragis. Qui voluntate natus est, arbitrii sui potestate morietur. Consummant ergo magi desiderium suum, et ad puerum Dominum nostrum Jesum Christum eadem stella præeunte perveniunt. Adorant in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, et in hominis veritate Dominum majestatis. Tu autem Domine miserere.

6 *R.* Tria sunt munera preciosa, quæ obtulerunt magi Domino in die ista
et habent in se divina mysteria.
In auro ut ostendatur regis potentia :
in thure sacerdotem magnum considera.
Et in mirra Dominicam sepulturam.

V. Salutis nostræ auctorem magi venerati sunt in cunabulis : et de

thesauris suis mysticas ei munerum species obtulerunt. In auro. Gloria Patri. Et in mirra.

In tertio Nocturno.

Ant. Fluminis impetus lætificat Alleluya civitatem Dei Alleluya.

Ps. Deus noster refugium (*xlv.* p. 103).

Ant. Adorate Dominum Alleluya in aula sancta ejus Alleluya.

Ps. Cantate Domino *i.* (*xcv.* p. 164).

Ant. Adorate Dominum Alleluya : omnes angeli ejus Alleluya.

Ps. Dominus regnavit, exultet (*xcvi.* p. 164).

V. Omnes gentes quascunque fecisti.

R. Venient et adorabunt coram te, Domine.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum ii. [1—12].

Cum natus esset Jesus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis : ecce magi ab oriente venerunt Hierosolimam, dicentes, Ubi est qui natus est rex Judæorum? Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ.*

Sicut ex lectione Evangelica, fratres, audistis, cæli rege nato rex terræ turbatus est : quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum cælestis celsitudo aperitur. Sed quærendum nobis est quidnam sit quod redemptore nato pastoribus in Judæa angelus apparuit : atque ad adorandum hunc ab oriente magos non angelus sed stella perduxit. Quia videlicet Judæis tanquam ratione utentibus rationale animal, id est angelus, prædicare debuit : gentiles vero, quia uti ratione nesciebant ad cognoscendum Deum non per vocem, sed per signa perducuntur. Quia et illis prophetiæ tanquam fidelibus, non infidelibus; et istis signa tanquam infidelibus, non fidelibus, data sunt.

7 *R.* Hodie in Jordane baptizato Domino aperti sunt cæli : et sicut columba super eum Spiritus mansit, et vox Patris intonuit, Hic est Filius meus dilectus in quo michi complacui.

V. Cæli aperti sunt super eum : et vox Patris audita est, Hic est Filius.

Lectio viii.

Et notandum quod redemptorem nostrum cum jam perfectæ esset ætatis eisdem gentibus Apostoli prædicant eumque parvulum et necdum per humani corporis officium loquentem stella gentibus denunciat. Quia nimirum rationis ordo poscebat ut loquentem jam Dominum loquentes nobis prædicatores innotescerent, et necdum loquentem elementa muta prædicarent. Sed in omnibus signis quæ vel nascente Domino vel moriente monstrata sunt, considerandum nobis est quanta fuerit in quorundam Judæorum corde duricia, quæ hunc nec per prophetiæ donum nec per miracula agnovit. Omnia quippe elementa auctorem suum venisse testata sunt. Ut enim quiddam de eis usu humano loquar : Deum hunc esse cæli cognoverunt, quia protinus stellam miserunt. Mare cognovit, quia sub plantis ejus se calcabile præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis suæ radios abscondit. Saxa et parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus scissa sunt. Infernus cognovit, quia hos quos tenebat mortuos reddidit. Tu autem Domine.

8 *R.* Dies sanctificatus illuxit nobis, venite gentes et adorate Dominum; quia hodie apparuit. Lux magna in terris.

V. Pater enim auditur in voce : Filius manifestatur in homine : Spi-

* Gregorii M. in Evangelia, Lib. I. Hom. x. *Op.* Tom. I. 1468.

ritus sanctus dinoscitur in columbæ specie. Lux magna in terris.

Lectio ix.

Hunc quem Deum omnia insensibilia elementa senserunt, adhuc infidelium Judæorum corda Deum esse minime cognoscunt. Et duriora saxis scindi ad pœnitentiam nolunt, eumque confiteri abnegant, quem elementa (ut diximus) aut signis aut scissionibus Deum clamant. Qui etiam ad damnationis suæ cumulum eum quem natum despiciunt, nasciturum longe ante præsciverunt. Et non solum quia nasceretur noverant, sed etiam ubi nasceretur. Nam ab Herode requisiti locum nativitatis ejus exprimunt, quem scripturæ auctoritate didicerunt; et testimonium proferunt quo Bethleem honorari nativitate novi ducis ostenditur, ut ipsa eorum gemina scientia et illis fieret ad testimonium damnationis, et nobis ad adjutorium credulitatis. Quos profecto bene Isaac cum Jacob filium suum benediceret designavit: qui et caligans oculis sed prophetans, in præsenti filium non vidit, cui tamen multa in posterum prædixit: quia nimirum Judaicus populus prophetiæ spiritu plenus, et cæcus eum de quo in futurum multa prædixit, in præsenti positum non agnovit.

9 *R.* In columbæ specie Spiritus sanctus visus est: Paterna vox audita est, Hic est Filius meus dilectus in quo michi bene complacui. Ipsum audite.

V. Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Paterna. Gloria. Ipsum.

Dum istud ultimum Responsorium cum suo Versu, et cum suo Gloria *canitur, præcedat Dyaconus cum Subdyacono, et Thuribulario et Ceroferario et Acolito crucem ferenti, omnibus in solenni apparatu indutis, ad thurificandum altare; et accepta benedictione ab executore officii ad cantandum Evangelium: hoc modo incipiatur.*

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam iii. (21—*iv.* 1).

Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est cælum. Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. Et vox de cælo facta est: Tu es Filius meus dilectus: in te complacuit michi. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta: ut putabatur, filius Joseph. Qui fuit Hely. Qui fuit Mathat. Qui fuit Levi. Qui fuit Melchi. Qui fuit Janne. Qui fuit Joseph. Qui fuit Matathiæ. Qui fuit Amos. Qui fuit Naum. Qui fuit Hely. Qui fuit Nagge. Qui fuit Maath. Qui fuit Mathathiæ. Qui fuit Semei. Qui fuit Joseph. Qui fuit Juda. Qui fuit Johanna. Qui fuit Resa. Qui fuit Zorobabel. Qui fuit Salathiel. Qui fuit Neri. Qui fuit Melchi. Qui fuit Addi. Qui fuit Chosaz. Qui fuit Elmadan. Qui fuit Her. Qui fuit Jesu. Qui fuit Elieser. Qui fuit Jorym. Qui fuit Matath. Qui fuit Levi. Qui fuit Symeon. Qui fuit Juda. Qui fuit Joseph. Qui fuit Jona. Qui fuit Eliachiz. Qui fuit Melcha. Qui fuit Menna. Qui fuit Matatha. Qui fuit Nathan. Qui fuit David. Qui fuit Jesse. Qui fuit Obeth. Qui fuit Booz. Qui fuit Salmon. Qui fuit Naason. Qui fuit Aminadab. Qui fuit Aram. Qui fuit Esrom. Qui fuit Phares. Qui fuit Judæ. Qui fuit Jacob. Qui fuit Isaac. Qui fuit Abrahæ. Qui fuit Thare. Qui fuit Nachor. Qui fuit Seruch. Qui fuit Ragau. Qui fuit Phalech. Qui fuit Heber. Qui fuit Sale. Qui fuit Chainam. Qui fuit Arphaxat. Qui fuit Sem. Qui fuit Noe. Qui fuit Lamech.

Qui fuit Mathusale. Qui fuit Enoch. Qui fuit Jareth. Qui fuit Melalehel. Qui fuit Chaynam. Qui fuit Enos. Qui fuit Seth. Qui fuit Adam. Qui fuit Dei. Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane.

Finito Evangelio, statim incipiat Sacerdos in stallo suo, in capa serica, alta voce Psalmum Te Deum (p. 27).

Dum canitur Psalmus, Sacerdos thurificet altare.

V. Omnes de Saba.

In Laudibus.

Ant. Ante luciferum genitus et ante secula Dominus salvator noster hodie mundo apparuit.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. Venit lumen tuum Hierusalem : et gloria Domini super te orta est : et ambulabunt gentes in lumine tuo. Alleluya.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Apertis thesauris suis obtulerunt magi Domino aurum thus et mirram. Alleluya.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Maria et flumina benedicite Domino : hymnum dicite fontes Domino. Alleluya.

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Tria sunt munera quæ obtulerunt magi Domino : aurum thus et myrram Filio Dei regi magno. Alleluya.

Ps. Laudate (*cxlviii.—cl.* p. 32).

Cap. Surge, illuminare, Hierusalem.

Hymnus.

A Patre Unigenitus
Ad nos venit per virginem,
Baptisma cruce consecrans :
Cunctos fideles generans.
E cælo celsus prodiit:
Suscepit formam hominis :
Facturam morte redimens,
Gaudia vitæ largiens.
Hoc te, redemptor, quæsumus.
Illabere propitius :
Clarumque nostris sensibus
Lumen præbe fidelibus.
Mane nobiscum, Domine,
Noctem obscuram remove,
Omne delictum ablue,
Piam medelam tribue.
Quem jam venisse novimus
Redire iterum credimus.
Tu sceptrum tuum inclitum,
Tuo defende clipeo.
Gloria tibi, Domine,
Qui apparuisti hodie, *p.* cccxix.

V. Vox Domini super aquas.

R. Deus majestatis intonuit Dominus super aquas multas.

Ant. Hodie cælesti sponso juncta est ecclesia quoniam in Jordane lavit Christus ejus crimina : currunt cum muneribus magi ad regales nuptias : et ex aqua facto vino lætantur convivæ. Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus qui hodierna die unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti : concede propitius ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eundem.

Ad Primam.

Ant. Ante luciferum.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ant. Gratias, *p.* 49.

Ps. Quicunque.

R. Jesu Christe *cum* alleluya.

V. Qui hodie mundo apparuisti.

Hic etiam versus dicitur quotidie per Octavas, et in Octava.

Ad Tertiam.

Ant. Venit.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33. p. 57).

Cap. Surge, illuminare.

R. Omnes de Saba venient. Alleluya. Alleluya.

V. Aurum et thus deferentes, et laudem Domino annunciantes. Alleluya. Alleluya.

V. Reges Tharsis.

R. *sine* Alleluya.

Oratio. Deus qui hodierna.

AD SEXTAM.

Ant. Apertis thesauris.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81. p. 61).

Capitulum. Esai lx. 2.

Super te autem, Hierusalem, orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur, et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.

R. Reges Tharsis et insulæ munera offerent. Alleluya. Alleluya.

V. Reges Arabum et Saba dona adducent. Alleluya.

V. Adorate Dominum.

R. In aula sancta ejus. *sine* Alleluya.

Oratio ut supra (p. cccxxx.).

AD NONAM.

Ant. Tria sunt, *p.* cccxxix.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129. p. 65).

Capitulum. Esai. lx. [6].

Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annunciantes.

R. Adorate Dominum. Alleluya. Alleluya.

V. In aula sancta ejus. Alleluya. Alleluya.

V. Adorate Deum.

R. Omnes angeli ejus. *sine* Alleluya.

Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

Ant. Tecum principium, *p.* cxciii.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Cap. Surge, illuminare, *p.* cccxviii.

R. Tria sunt.

Hymnus. Hostis Herodes, *p.* cccxviii.

V. Omnes de Saba.

Ant. Ab oriente venerunt magi in Bethleem adorare Dominum : et apertis thesauris preciosa munera obtulerunt : aurum sicut regi magno : thus sicut Deo vero : mirram sepulturæ ejus. Alleluya.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio. Deus qui hodierna.

QUOTIDIE PER OCTAVAS.
AD MATUTINAS.

Invitatorium. Christus apparuit nobis, Venite adoremus. *Ps.* Venite.

Hymnus. Hostis Herodes, *p.* cccxviii.

Ant. Afferte. *Ps. Ipsum* (*Ps. xxviii.* p. 71), *et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis sicut in prima die dicuntur, præter sextam, quæ erit* Homo natus (p. cclxxxvi.). *Ps.* Fundamenta (*lxxxvi.* p. 154).

DIE II.

V. Omnes de Saba.

Lectiones de sermone beati Leonis papæ.*

Lectio i.

Gaudete in Domino dilectissimi; iterum dico, gaudete : quoniam brevi intervallo temporis post solennitatem nativitatis Christi festivitas declarationis ejus illuxit. Et quem in illo die virgo peperit, in hoc mundus agnovit. Verbum enim caro factum ita susceptionis nostræ temperavit exordia, ut Jesus natus et credentibus manifestus, et persequentibus esset occultus. Jam tunc ergo cæli enarraverunt gloriam Dei, et in omnem terram sonus veritatis exivit : quando et pastoribus exercitus angelorum salvatoris editi annunciator apparuit, et magos ad eum adorandum prævia stella perduxit, ut a solis ortu usque ad occasum veri regis generatio choruscaret, cum rerum fidem et regna orientis per magos discerent, et Romanum imperium non lateret. Tu autem.

R. Illuminare, *p.* cccxxi.

Lectio ii.

Sævitia namque Herodis volens primordia suspecti sibi regis extinguere, huic dispensationi nesciens

* B. Leonis in Epiph. Serm. II. *Op.* p. 26.

serviebat; ut dum atroci intentus facinori ignotum sibi puerum indiscreta cæde infantium persequeretur, annunciatum cælitus dominatoris ortum insignior ubique fama loqueretur quam promptiorem ad narrandum diligentioremque faciebat et supernæ significationis novitas, et cruentissimi persecutoris impietas. Tunc autem etiam in Egypto salvator illatus est, ut gens antiquis erroribus dedita jam ad vicinam salutem per occultam gratiam vocaretur; et quæ nondum ab animo reicerat superstitionem, jam hospitio reciperet veritatem. Merito igitur, dilectissimi, dies iste apparitione Domini consecratus specialem in toto mundo obtinuit dignitatem. Quæ in nostris cordibus digno debet splendore clarescere, ut rerum gestarum ordinem non solum credendo, sed etiam intelligendo veneremur. Quantum enim gratiarum actionem debeamus Deo pro illuminatione gentium, probat excæcatio Judeorum. Tu autem Domine.

R. Omnes de Saba. *ii.* (p. cccxxi).

Lectio iii.

Quid enim tam cæcum, quid tam lucis alienum, quam illi sacerdotes et scribæ Israelitarum fuerunt: qui percunctantibus Magis, et Herode quærente, ubi Christus secundum scripturarum testimonia nasceretur, hoc responderunt de prophetico eloquio quod indicabat stella de cælo? Quæ utique poterat magos Hierosolymis prætermissis usque ad cunabula pueri (sicut postmodum fecit) sua significatione perducere, nisi ad confutandam Judeorum duriciam pertinuisset, ut non solum ductu syderis, sed etiam ipsorum professione innotesceret nativitas salvatoris. Jam ergo ad eruditionem gentium propheticus sermo transibat, et prænunciatum antiquis oraculis Christum alienigenarum corda discebant, cum Judeorum infidelitas veritatem ore proferret, et mendacium corde retineret. Noluerunt enim agnoscere oculis quem de sacris indicabant libris; ut quem non adorabant in infantiæ infirmitate humilem, postea crucifigerent in virtutum sublimitate fulgentem. Tu autem Domine miserere.

R. Reges Tharsis. *iii.* (p. cccxviii.)

Quotidie per Octavas, et in Octava dicitur Psalmus Te Deum (p. 27).

Et semper ante Laudes dicitur V. Omnes de Saba, *nisi quando dicitur ante Lectiones; tunc enim dicitur V.* Reges Tharsis, *p.* cccxxii.

IN LAUDIBUS.

Hæc sola Antiphona Ante luciferum, *p.* cccxxix.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Capitulum, Hymnus et Versus, sicut in prima die.

Hæ sequentes Antiphonæ dicuntur per Octavas super Ps. Benedictus *et* Magnificat, *et non aliæ: cum frequenti repetitione, nisi in Dominica.*

Ant. Stella ista sicut flamma choruscat, et regem regum Deum demonstrat: magi eam viderunt, et Christo regi munera obtulerunt.

Ant. Videntes stellam magi gavisi sunt gaudio magno: et intrantes domum obtulerunt Domino aurum thus et mirram.

Ant. Vox de cælis sonuit et vox Patris audita est: Hic est Filius meus dilectus, in quo michi complacuit: ipsum audite.

Ant. Admoniti magi in somnis ab angelo per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Et semper dicatur hæc Oratio, Deus qui hodierna (p. cccxxx.).

Nunquam enim per totum annum prætermittatur hæc dictio hodierna die *de Orationibus per totas Octavas. Tamen quandocunque dicuntur tales Orationes extra Octavas, prætermittatur omnino.*

In Dominica infra Octavas, et in

ipsis Octavis, dicantur Antiphonæ super Ps. Magnificat *et* Benedictus *sicut in prima die, et semper cum hac Oratione,* Deus, qui hodierna.

Nulla fit Memoria de Omnibus Sanctis ad Vesperas, nec ad Matutinas de die per Octavas, quia chorus regitur.

Memoria de sancta Maria *fiat quotidie per Octavas, ad Vesperas cum hac Antiphona* Quando natus, *et ad Matutinas cum hac Antiphona* Ecce Maria, *cum Versu et Oratione, ut supra dictum est.*

Si Festum alicujus Sancti iii Lectionum infra Octavas evenerit, nihil fiat de Festo nisi tantum Memoria ad Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam.

Ad Primam.

Ant. Ante luciferum.
Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Ant. Te jure (p. 49).
Ps. Quicunque (*p.* 46).

Ad Tertiam, et ad alias Horas, *Antiphonæ, Capitula, Responsoria, Versus sicut in prima die dicuntur, cum Oratione* Deus, qui hodierna.

Ad Vesperas.

Ant. Tecum principium, *p.* cxciii.
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Cap. Surge, illuminare.
Hymnus. Hostis Herodes, *p.* cccxviii.
V. Omnes de Saba.
Super Ps. Magnificat *dicatur una de supradictis Antiphonis per ordidem.*
Oratio. Deus, qui hodierna, *p.* cccxxx.

Ad has Vesperas fiat Memoria de Martyribus Luciano *sociisque eius.*

Ant. Gaudent in cælis, *p.* 396.
V. Lætamini.
Oratio de Communi plurimorum Martyrum non pontificum (p. 397).
Deinde fiat Memoria de sancta Maria.

Die iii.

V. Reges Tharsis.

Lectiones de sermone beati Maximi episcopi.*

Lectio i.

Audistis, fratres charissimi, lectionem Evangelii salutaria præsentis diei sacramenta recitantem : audistis qualiter Christus Dominus, qui in hunc mundum latenter advenit, paulatim dignatus est suam mortalibus aperire majestatem; quamquam, charissimi, latere inter obscura seculi lumen cæleste non poterat. Denique cum visitationem suam necdum terra cognosceret, cælum sua gaudia ac totius mundi læticiam Caldeis stupentibus tacito in sydere loquebatur. Et cum quis quantusve esset necdum infidelis posset videre Judea, jam tunc gloriam ejus indiciis excitata cælestibus gentilitas sentiebat. Nova enim stella novum adventasse hominem revelabat. Et ita revera novum, ut dum Dei esset Filius indueret carnem sine generatione carnali; et haberet secundum hominem tempus nascendi, qui secundum Deum nativitatis initium non habebat. Novum nimirum erat, ut unigenito Altissimi quem non capit cælum parvissimi tugurii minimum præsepe sufficeret. Novum erat, ut qui in cælestibus cum Deo Patre regnabat, terrena matre contentus vagitus infantiæ daret in pannis. Tu autem Domine miserere nostri.

R. Magi veniunt, *iiii.* (p. cccxxiii.)

Lectio ii.

Lætemur itaque, fratres, totisque gaudiis exultemus : quia nobis natus est Christus ex femina, nobis jacuit in præsepi, nobis vagiebat in cunis, nobis arridebat in stella. Totum enim nobis proficiebat, quicquid salvator hominis agebat in homine. Ait ita-

* B. Maximi Homiliae Hyemales. De Epiph. Homil. ii. *Op.* p. 200.

que Evangelicus sermo : Ecce enim magi ab oriente advenerunt Hierosolymam, dicentes ; Ubi est qui natus est rex Judeorum ; Vidimus stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum. Quousque, Judee durissime, obtusa aure, clausis oculis, et infido corde persistis? Ecce jam post illa patriarcharum præconia, post vaticinia prophetarum, Christus a gentibus prædicatur. Si patribus tuis credere detrectas, qui ab initio seculi æterni regis adventum innumeris sacratisque vocibus cecinerunt : crede vel his tandem qui eum non adhuc post tempora nasciturum, sed jam apud te et tibi natum esse testantur. Quæ tanta est in pectore tuo mortiferæ obstinationis aversio, ut solus non audias quod omnes loquuntur, solus refugias quod universitas credit, solus certe videre contemnas quod splendet e cælo? Apud te virgo concepit : et virginis tuæ partum alienus agnoscit. Tibi salutem tuam angelicæ voces persuadere non possunt : et ad Christum tuum una Caldeos stella perduxit. Tu autem Domine.

R. Interrogabat *v.* (p. cccxxiv.)

Lectio iii.

Ubi est (inquiunt magi) qui natus est rex Judeorum? Vidimus stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum. In his impletum est illud quod prophetico sermone prædictum est : Quibus nunciatum non est de eo videbunt : et qui non audierunt intelligent. Ecce enim Caldeus, cui neque nunciatum de Christo fuerat, neque audierat, vidit stellam Christi, et adesse eum intellexit in stella. Adorant itaque magi Dominum, et offerunt ei munera : ut impleretur illud quod ait ille prophetarum præcipuus David : Afferte Domino, patriæ gentium : afferte Domino gloriam et honorem. Domino et Domino quod ait, Dominum illum esse secundum Deum, et Dominum secundum hominem, mystico sermone declarat. Quod enim Deus est, creator est mundi : quod autem homo est, redemptor est mundi. Quomodo ergo non privilegio utriusque substantiæ Dominus est omnium Christus, qui sibi universa aut creatione aut redemptione subegit? Afferte (inquit) Domino gloriam et honorem. Honoris ergo est, charissimi, quod offerunt gentiles munera : gloriæ, quod adorant. Tu autem.

3. *R.* Stella quam viderant magi ab oriente : antecedebat eos donec venirent ad locum ubi puer erat. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno.

V. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus : et procidentes adoraverunt eum. Videntes. Gloria. Gavisi.

Et cetera ut supradictum est.

Memoria de [Luciano *&c.*] *Martyribus.*

Ant. Justorum (p. 406). *V.* Mirabilis (p. 407). *Oratio de Communi* (p. 397).

Die iv.

V. Omnes gentes quascunque fecisti.

*Lectiones de sermone beati Maximi episcopi**.

Lectio i.

Ait prophetarum præcipuus Esaias, sicut audistis, charissimi : Illuminare, illuminare, Hierusalem; adest enim lumen tuum, et majestas Domini in te orta est. Hierusalem vero manifestum est esse fidelium civitatem. Unde nos, fratres, qui portas cælestis Hierusalem cœpimus introire; illuminati salutaribus sacramentis, in conspectu Dei nostri novo gaudio necesse est ut exultemus : quia nova hodie stella novum mundo hominem revelavit. Hoc profecto die Christus Jesus a Patre veniens, Deus et homo natus e fe-

* B. Maximi Homiliae Hyemales. In Epiph. Homil. iv. *Op.* p. 201.

mina, sub specie adorantium Caldeorum fidem gentium dedicavit. Qui quamvis divinitatem suam nostri corporis obumbratione velaret, Deum tamen esse illum cælum prodidit et terra cognovit. Humilis quidem, sed mirabilis venit : ut pariter in eo et assumptæ carnis veritas, et ineffabilis deitatis natura fulgeret. Tu autem Domine miserere nostri.

R. Hodie in Jordane. *vii.* (p. cccxxvi.)

Lectio ii.

Quanquam nascentem illum cunabula terrena susceperint, non tamen esse terrenum cæleste signaculum testabatur. In cunis namque jacebat, sed radiabat e cælo. Vagiebat apud Judeos, et apud gentiles regnabat. In Bethleem lactabatur a matre, et in Chaldea adorabatur a magis. Ait beatissimus Evangelista Matheus : Ecce magi ab oriente advenerunt, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judeorum ? Quam bene ab oriente properare dicuntur, qui adoraturi veniunt sempiternum Orientem, de quo dictum est : Et visitavit nos Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent. Deinde, subjungunt Chaldei : Vidimus stellam ejus, et venimus adorare eum. Ecce inquiunt, stellam ejus vidimus. Bene, Ejus, quia quamvis omnes ab eodem creatæ stellæ ipsius sint, hæc tamen proprie Christi erat quæ specialiter ejus nunciabat adventum. Et ceteræ quidem stellæ factæ sunt, ut mundi istius tempora cursusque distinguerent : hæc vero prodire jussa est, ut ipsum mundi Dominum et regni cælestis adesse tempus ostenderet.

R. Dies sanctificatus. *viij.*

Lectio iii.

Aiunt itaque magi : Vidimus stellam ejus, et venimus adorare eum. Ecce Christum qui non habent habere volunt, et invenire contendunt. Judeus Deum suum refugit, paganus inquirit. Quod proximus non agnoscit, alienus intelligit. Gentilis stellam Christi videt, et venit : Judeus videt et invidet. Sicut lectum est : In sua venit, et sui eum non receperunt. Vere Judea durissima suaque infidelitate cæcata non videbat quod stella radiabat, nec audire poterat quod angeli conclamabant. Igitur inquirentibus Magis ac dicentibus, Ubi est qui natus est rex Judeorum, conturbatus est Herodes, et omnis Hierosolima cum illo. Turbatur rex regno suo metuens, credo, nesciens quia Christus non veniebat regnum ejus invadere sed salvare, et quod nulli inferret mortem qui esset vita cunctorum. Et cum ambularent magi, Stella (sicut lectum est) quam viderant in oriente antecedebat eos, donec venit et stetit supra ubi erat puer. Venit (inquit) et stetit supra ubi erat puer. Nunquid non dicere et clamare videbatur, Hic est puer quem natum testabar e cælo; hic est rex ille magnus, qui venit cælesti imperio regnum sociare terrarum ?

3. *R.* Videntes stellam magi gavisi sunt gaudio magno : et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis, Obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrram.

V. Stella quam viderant in oriente antecedebat eos : usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Et apertis. Gloria. Obtulerunt.

Die quinta, sexta et septima idem ordo servetur de Versibus et Responsoriis, qui in præcedentibus diebus.

Die v.

Lectiones de sermone beati Maximi episcopi.*

Lectio i.

Salutare nobis est, fratres, atque

* B. Maximi in Epiph. Hom. v. *Op.* p. 202.

conveniens, ut concurrentes ad festa Dominica et mysteria salvatoris nostri, de cujus nativitate gavisi sumus, de ejus etiam manifestatione lætemur : quia sicut nascendo gloriosus est Dei Filius, ita apparendo mirabilis. Mirum namque quod Christus processit ex virgine, nec minus magnificum quod ostensus est e cælo. Mirum valde quod novum hominem terra suscepit : stupendum nihilominus quod novum hunc hominem nova de cælo stella prodiderit. Apud Judeam Christus in præsepe pastoribus vagiebat : et in Chaldea magorum oculis inter sydera choruscabat. Apud Judeos sordebat in pannis : apud gentiles fulgebat in gloria. Et quidem necesse erat ut cælorúm Dominum testimonium cæleste præcederet, et auctorem lucis signum luminis revelaret. Magnum hoc, fratres, tremendumque mysterium, cum unus idemque annunciatur de Patre Deus, et homo de matre; unus idemque filius feminæ et Filius majestatis, unus idemque hominum particeps et Dominus angelorum.

Lectio ii.

Quis enim valeat æstimare quanti sacramenti, quantæque sit gloriæ, quod ille sugit ubera qui pascit omnia, et qui universis animantibus vivendi substantiam præstat e cælo, ob salutem terrestrium terreno lacte nutritur? Nullus ergo ambigat, nemo contetur, quod Christus in terra degens fulgebat in cælo : quia sic venit ad terras ut non relinqueret cælum. Et inde est quod virginalem hunc puerum laudant angeli, mirantur pastores, cælum attestatur, venerantur et magi : quia mystica ejus nativitas sempiterno gaudio et terram lætificavit et cælum. Hunc ergo regem cælestium hominumque rectorem sub carnis mysterio venientem invidus tremit Herodes, Judea infidelis abjurat. Tremit Herodes infantem regiæ dignitatis, quia bonitatem nascentis ignorat. Abjurat Christum Judea quem prædicat, quia impietatibus suis metuens, justi judicis refugit æquitatem ; et scelerum suorum obcæcata tenebris sola videre non potest quod omnibus splendet e cælo. Et cum omnium patriarcharum doctrina ac prophetica sanctorumque virorum eloquia ad agnitionem Filii Dei Judaica corda non flexerint, unius stellæ radius fidem gentium suscitavit. Tu autem.

Lectio iii.

Quæ tanta permutatio, fratres, quæve ista conversio est? Apud Judeos propheta loquitur, nec auditur: apud gentiles stella tacet, et suadet. Vere sicut scriptum est: Quibus non est nunciatum de eo videbunt, et qui non audierunt intelligent. Ecce enim Chaldei, quibus nunquam fuerat hujusmodi mysterium prædicatum, intellexerunt nativitatem Christi, ipsumque Christum sollicite perquirunt, cælo monstrante. Nec sane a quibuscunque vilibus obscuris abjectisque hominibus hæc sunt vel intellecta vel visa, sed a Chaldeis, id est apud quos superstitionum regnabat error. In his ingressus mundum Christus primitias fidei salutaris invenit : et factum est inter Judeos et gentiles quoddam perfidiæ fideique certamen. Nato enim Christo exultabat Chaldea : et tota cum suis principibus Hierosolima torquebatur. Insectabatur Judeus : magus adorabat. Herodes acuebat gladium : Chaldeus munera præparabat. Tu autem Domine.

DIE VI.

Lectiones de Sermone beati Maximi, [*Episcopi.—Augustini sermone* 37 *de Tempore.*]*

* Maximi in Epiph. Hom. vii. *Op.* p. 204. Augustin. Append. Serm. 134. *Op.* Tom. v. col. 2697, ed. Paris 1838.

Lectio i.

Licet, fratres charissimi, de solennitate hujus diei veterum sit diversa traditio, una tamen sanctæ devotionis est fides. Et quamquam nonnulli hodie Dominum nostrum Jesum Christum stella duce venientibus ab oriente Magis æstiment adoratum; alii autem asserant eum aquas in vina mutasse; quidam vero baptizatum illum ab Johanne confirment: in omnibus ille Dei Filius creditur, in omnibus est festivitas nostra. Nam quod Magis, utique gentilibus, et adorare Dominum et munera offerre conceditur, gentium est præfigurata vocatio. Quod aquæ transformantur in vinum, religionis nostræ designatur archanum. Quod vero fluentis aquis Jordanis baptizatur Jesus, aquæ nostro baptismati consecrantur. Oportet itaque, fratres, ut aliqua nunc de ipso baptismate sanctitati vestræ prout Dominus donaverit proferamus: ut simul et humilitatem salvatoris nostri, et misteriorum gloriam cognoscatis. Prædicabat in deserto Johannes baptismum pœnitentiæ populo peccatori: non quo crimina commissa deleret, sed quo emendaret errantes. Nam remissio peccatorum Christi gratiæ servabatur.

Lectio ii.

Confluebat igitur ad Jordanem desiderio lavacri diversorum copiosa multitudo, quorum essent tam scelerati actus, vita tam perdita, ut eos venerabilis baptista vipereo semini compararet. Inter hujusmodi homines ille virtutum cælestium Dominus, ille qui respicit terram et facit eam tremere, Christus Jesus, non dedignatur humilis et quietus ad servuli sui baptismum properare. Sed quid mirum de mansuetudine salvatoris si se prophetæ sui manibus inclinavit, qui se ab inimicis suis passus est crucifigi? Quo properante ad fluvium, talem Johannes circunstantibus turbis erupit in vocem: Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Hoc est dicere: Cessate jam, cessate a baptismo meo quo pœnitentia suscipitur: ecce baptista per quem crimina dimittuntur. Desinite ulterius a conservo vestro baptizari velle: præsens est Dominus omnium nostrum qui baptizat ad vitam. Illum sequimini, illi credite, ab illo lavachrum salutis tota mente supplices postulate, a quo et ego ipse baptista vester cupio baptizari.

Lectio iii.

Non renuit quidem Jesus testimonium vocis hujus: sed qui per ordinem vellet universa compleri, nihilominus baptizari se expetit ab Johanne. Tunc baptista devotus baptizandi sui potentia tremefactus ait: Ego debeo a te baptizari: et tu venis ad me? Id est, Quoniam ego creatura sum, tu creator: ego servus, tu Dominus: ego figura, tu veritas. At Jesus ait: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam. Id est, Quid nunc ista commemoras? Propositum susceptæ humanitatis implendum est. Tunc ille, qui præsumere formidabat, velociter paruit præcipientis imperio. Baptizatur ergo Jesus, non sibi sed nobis. Baptizatur, non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet. Baptizatur novus homo, ut novi baptismatis constituat sacramentum. Aperti sunt, inquit, ei cæli. Æstimo, ut in cælestibus esset miraculum de his quæ gerebantur in terris, sicut ait scriptura: In quæ concupiscunt angeli prospicere. Quomodo enim non mirari poterant virtutes cælorum, et dominationes, cherubin et seraphin, cum viderent Dominum sabaoth in fluvio ab homine baptizari?

Si DIES DOMINICA *infra Octavas evenerit, fiant ix Lectiones de Epyphania, et cantentur Versus et Responsoria de Nocturnis suo ordine sicut in die Epyphaniæ, cum Invitatorio* Christus apparuit (p. cccxxxii.).

Hymnus, Hostis Herodes (p. cccxviii.). *Antiphonæ et Psalmi sicut infra Octavas dicuntur.*

Ad utrasque Vesperas omnia fiant sicut in prima die, præter Responsorium quod non dicetur cum Oratione Deus qui hodierna (p. cccxxx.).

AD MATUTINAS.

Lectiones de sermone beati Leonis papæ [39 *hujus festi**].

Lectio i.

Quamvis sciam, dilectissimi, quod sanctitatem vestram hodiernæ festivitatis causa non lateat, eamque secundum consuetudinem Evangelicus nobis sermo revelaverit : tamen ut nichil nostri desit officii, loqui de eadem quod Dominus donaverit audebo, ut in communi gaudio tanto religiosior sit omnium pietas, quanto magis intellecta fuerit solennitas. Providentia misericordiæ Dei dispositum habens pereunti mundo in novissimis temporibus subvenire, salvatorem omnium gentium præfinivit in Christo. Ut quia et cunctas nationes a veri Dei cultu impius error dudum averterat, et ipse peculiaris Dei populus Israel ab institutis legalibus pæne totus exciderat, conclusis omnibus sub peccato omnium miseretur. Deficiente enim ubique justitia, et toto mundo in vana et maligna prolapso, nisi judicium suum potestas divina differret, universitas hominum sententiam damnationis exciperet. Sed in indulgentiam ira translata est. Et ut clarior fieret exercendæ gratiæ magnitudo, tunc placuit abolendis peccatis hominum sacramentum remissionis afferri, quando nemo poterat de suis meritis gloriari. Tu autem Domine miserere nostri.

Lectio ii.

Hujus autem, dilectissimi, ineffabilis misericordiæ manifestatio facta est, Herode apud Judeos tenente jus regium ubi legittima successione cessante, et pontificum potestate destructa, alienigena obtinuerat principatum : ut veri regis ortus illius prophetiæ probaretur voce quæ dixerat : Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est et ipse erit expectatio gentium. De quibus quondam beatissimo patriarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio, non carnis semine, sed fidei fecunditate generanda : et ideo stellarum multitudini comparata : ut ab omnium gentium patre non terrena sed cælestis progenies speraretur. Tu autem Domine miserere nostri.

Lectio iii.

Ad creandam ergo promissam posteritatem heredes in syderibus designati ortu novi syderis excitantur : ut in quo cæli adhibitum fuerat testimoninm, cæli famularetur obsequium. Commovit magos habitatores remotioris orientis stellis ceteris stella fulgentior : et de mirandi luminis claritate viri ad hæc expetenda non inscii magnitudinem significationis intelligunt. Agente hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione divina, ut eos tantæ visionis mysterium non lateret, et quod oculis ostendebatur insolitum animis non esset obscurum. Denique officium suum cum religione disponunt, et his se instruunt donis, ut adoraturi unum tria se credidisse demonstrent : auro honorantes personam regiam, mirra humanam, thure divinam.

Lectio iiii.

Ingrediuntur itaque Judaici regni

* B. Leonis, de Epiph. Serm. III. *Op.* p. 27.

præcipuam civitatem, et in urbe regia ostendi sibi postulant, quem ad regnandum didicerant natum. Conturbatur Herodes, timet saluti suæ, metuit potestati : requirit a sacerdotibus et doctoribus legis quid de ortu Christi scriptura prædixerit. In noticiam venit quod fuerat prophetatum : veritas illuminat magos, infidelitas obcæcat magistros. Carnalis Israel non intelligit quod legit : non videt quod ostendit. Utitur paginis, quarum non credit eloquiis. Ubi est, Judea, gloriatio tua? Ubi de Abraham patre ducta nobilitas? Ecce major servis minori, et alienigenis in sortem tuæ hereditatis intrantibus ejus testamenti, quod in sola littera tenes, recitatione familiaris.

Lectio v.

Intret in patriarcharum familiam gentium plenitudo, et benedictionem in semine Abrahæ (qua se filii carnis abdicant) filii promissionis accipiant. Adorent in tribus Magis omnes populi universitatis auctorem; et non in Judea tantum Deus sed in toto orbe sit notus, et ubique in Israel sit magnum nomen ejus : quoniam hanc elegit generis dignitatem, ut sicut infidelitas in suis posteris convicit esse degenerem, ita fidem omnibus faciat esse communem. Adorato autem Domino magi, et omni devotione completa, secundum admonitionem somnii, non eodem quo venerant itinere revertuntur. Oportebat enim ut jam in Christum credentes non per antiquæ conversationis semitas ambularent, sed novam ingressi viam relictis erroribus abstinerent. Tunc etiam Herodis ut vacuarentur insidiæ, qui in Dominum Jesum Christum impietatem doli per simulationem disponebat officii. Unde quia spes istius erat soluta commenti, in majorem furorem iracundia regis ardescit.

Lectio vi.

Nam recolens tempus quod indicaverant magi in omnes Bethleem pueros rabiem crudelitatis effundit, et cæde generali in beatam civitatis illius desævit infantiam, æstimans fore ut nullo illic parvulo non occiso occideretur et Christus. Sed ille qui sanguinem suum pro redemptione mundi fundendum in aliam differret ætatem, Egypto se parentum ministerio subvectus intulerat, repetens scilicet Hebreæ gentis antiqua cunabula, et principatum veri Joseph majoris providentiæ potestate disponens, ut illam duriorem omni inedia famem, qua Egyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens e cælo panis vitæ et cibus rationis auferret. Nec sine ulla ratione pararetur singularis hostiæ sacramentum, in qua primum occisione agni salutiferum crucis signum, et pascha Domini fuerat præformatum.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem i. (29—34).

In illo tempore : Vidit Johannes Jesum venientem ad se, et ait, Ecce agnus Dei : ecce qui tollit peccata mundi. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. [13 *primi libri.*]*

Johannes baptista et præcursor Domini salvatoris, quem diu venturum populis verbo prædicaverat, ipsum jam venientem ad se, sicut ex lectione sancti Evangelii, fratres, modo cum legeretur audistis, mox digito demonstravit dicens, Ecce agnus Dei : ecce qui tollit peccata mundi. Ecce agnus Dei, ecce innocens, et ab omni peccato immunis, utpote os quidem de ossibus Adam, et caro de carne Adam, sed nullam

* Beda, Hom. Hyemales de Sanctis. In Epiph. *Op.* Tom. VII. col. 320.

de carne peccatrice traxit maculam culpæ. Ecce qui tollit peccata mundi, ecce qui justus inter peccatores, mitis inter impios, hoc est, quasi agnus inter lupos apparens, etiam peccatores et impios justificandi habet potestatem. Quomodo autem peccata mundi tollat, quo ordine justificet impios, apostolus Petrus ostendit, qui ait, Non corruptibili argento vel auro redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Jesu Christi. Et in Apocalipsi Johannes apostolus, cujus est hoc evangelium, Qui dilexit nos (inquit) et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

Lectio viii.

Non solum autem lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum dedit in cruce pro nobis, vel quando unusquisque nostrum mysterio sacrosanctæ passionis illius baptismo aquæ ablutus est: verum etiam quotidie tollit peccata mundi, lavatque nos a peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum ejusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabilis Spiritus sanctificatione transfertur. Sicque corpus et sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur et occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem. Cujus recte figuram agnus in lege paschalis ostendit, qui semel populum de Egyptia servitute liberans, in memoriam ejusdem liberationis per omnes annos, immolatione sua populum eundem sanctificare solebat, donec veniret ipse cui talis hostia testimonium dabat, oblatusque Patri pro nobis in hostiam odoremque suavitatis, mysteriumque suæ passionis oblato agno in creaturam panis vinique transferret, sacerdos factus in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Lectio ix.

Sequitur, Johannes testimonium perhibens de Domino, Hic est (inquit) de quo dixi : Post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat. Post me venit vir : post me natus est in mundo. Post me prædicare incipiet mundo, qui ante me factus est : qui me potentia majestatis tantum quantum sol luciferum licet post apparens antecellit. Quia prior me erat : quia in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum; et Deus erat verbum. Post me venit vir : tempus humanæ nativitatis quo Johanne posterior est intellige. Qui ante me factus est : primatum regiæ potestatis quo etiam angelis præsidet intuere. Quia prior me erat : æternitatem divinæ majestatis qua Patri est æqualis intellige. Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. Post me venit in humanitate, qui ideo me præcellit dignitate, quia prior me erat divinitate.

Ad Laudes, *hæc sola Antiphona.* Ante luciferum (p. cccxxix.).

Ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas, *Antiphona super Psalmum* Benedictus, *et* Magnificat, *sicut in die Epyphaniæ, similiter et Oratio.*

Si dies Dominicus infra Octavas non evenerit, tunc in quarta feria infra Octavas legatur hoc prædictum Evangelium, scilicet Vidit Johannes.

Ad Laudes *una sola Antiphona super omnes Psalmos dicatur. Et super Ps.* Benedictus *dicatur Antiphona, sicut in prima die : similiter et Oratio.*

Ad Primam, et ad omnes alias Horas, *omnia fiant sicut infra Octavas.*

Sequentibus vero diebus tunc post Dominicam infra Octavas, servetur ordo dierum : ita tamen quod in die Lunæ semper reincipiatur Hystoria.

Cum autem aliquod festum simplex ix Lectionum in Octava die contigerit differatur usque ad proximam feriam vacantem ipsius ebdomadæ, ubi convenientius potest celebrari. Eadem regula fiat de Octavis Ascensionis Domini, et Dedicationis Ecclesiæ.

IN OCTAVA EPYPHANIÆ.

Ad Vesperas.

Ant. Tecum principium.

Ps. cix. Dixit Dominus (p. 191). *Et ceteræ Antiphonæ et Psalmi.*

Capitulum. Esaiæ 25 *ut in* 70*.

Domine Deus meus, honorificabo te : laudem tribuam nomini tuo qui facis mirabiles res, consilium tuum antiquum verum fiat.

R. In columbæ.

Hymnus. Hostis Herodes, *p.* cccxviii.

V. Omnes de Saba.

Ant. Baptizat miles regem, servus dominum suum, Johannes Salvatorem, aqua Jordanis obstupuit, columba protestabatur : paterna vox audita est Filius meus dilectus.

Ps. Magnificat, *p.* 221.

Oratio.

Deus, cujus unigenitus in substantia nostræ carnis apparuit, præsta, quæsumus : ut per eum, quem similem nobis foris agnovimus, intus reformari mereamur. Qui tecum vivit.

Memoria de sancto Hylario *episcopo et confessore.*

Ant. Confessor (p. 410).

V. Amavit.

Oratio.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris : et intercessione beati Hylarii confessoris tui atque pontificis, cujus depositionem celebramus, perpetuam nobis misericordiam benignus impende. Per Christum Dominum.

Memoria de sancta Maria.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Christus apparuit.

Hymnus, Antiphonæ et Psalmi, sicut infra Octavas : tamen cantus super Hymnum dicatur sicut in die supradictum est. Versus et Responsoria in primo et tertio Nocturno sicut in prima die dicuntur.

Novem Lectiones fiant.

Lectio i.

Festivitatis nostræ, ut probabiliter celebritatem colamus, rationem noscere debemus. Epiphania quam hodie observamus, Græco nomine appellata, Ostensionem vel Apparitionem nostro sermone significat. Ideo autem ostensionis vel apparitionis hic dies dictus est : quod hac die manifestis signis Christus Deus noster semetipsum ostenderit. Hodie enim vel a Magis stellam illam sequentibus Dominum nostrum Christum adoratum esse confirmant, vel aquas illas in Galilea a Domino in vinum esse conversas. Tu autem.

Lectio ii.

Proxime ergo celebravimus diem qua natus est Dominus : hodiernam vero colimus, qua est manifestatus. Manifestavit itaque se, cum inaudito et mirifico opere aquas vertit in vinum. Sicut enim divini operis est naturam condere, ita est commutare. Itaque ejusdem rei cujus Creator erat, etiam recreator effectus est : quia facile ex alio in aliud transferre opus suum potuit, qui hoc ip-

* Hoc est *juxta Septuaginta Interpretes* (Isai. xxv. 1).

sum poterat ex nichilo proferre. Nam cum ageretur celebritas nuptiarum, et (ut Evangelium loquitur) cum vinum epulantibus defecisset, vasa jussit Dominus aqua impleri : quæ cum impleta essent jussit hauriri.

Lectio iii.

O insigne miraculum : inter manus oculosque ministrorum latenter cælestis virtus operatur. Res agitur : nec tamen quemadmodum agatur agnoscitur. Latet ratio : effectus apparet. Unde istud, nisi quia omnia quæ vult Deus efficit, nisi quia illius totum posse solum velle est? Unde, nisi quia tam magnifica potestas ejus est, ut non immerito de eodem in ordinatione totius creaturæ propheta testetur, ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt? Mirum hoc quidem : sed quid non mirum in omni opere suo Dominus ostendit? Sed ut hæc ipsa altiora mysticus intellectus requirat, quid illæ significabant nuptiæ, quibus Christus intererat, nisi illas utique quibus ipse Christus ecclesiis jungebatur, qui tanquam sponsus procedens de thalamo suo ad desponsatam sibi promissam jure veniebat, ubi utique ex aquis vinum, id est, ex gentibus fideles conversionem divini operis effecit?

Mediæ Lectiones de sancto Hilario episcopo fiant cum Versibus et Responsoriis de primo Nocturno communis hystoriæ unius Confessoris et Pontificis (p. 412).

Lectio iiii.

Beatus Hylarius Pictavorum urbis episcopus, regionis Aquitaniæ fuit oriundus. Qui apud Gallicanas familias pro ceteris generositate præditus, nitore pectoris addito, velut lucifer emicuit divinitus. Denique in laicali adhuc proposito constitutus, ecclesiasticæ regulæ ita disciplinis se cohercebat intentus, ut jam tunc vitæ moribus præsignaret, quod postea irreprehensibilis sacerdos in templo Christi existeret. Nam nunc aliquos ex fide sanctæ Trinitatis instruebat, nunc alios ad piæ religionis opera commonebat : nunc alios ad gaudia promissa regni cælestis invitabat. Itaque dum gratia meritorum beati viri quotidie cresceret : non potuit lucerna ecclesiæ sub modio esse, et si latere voluisset. Tu autem Domine miserere nostri.

Lectio v.

Divina namque providentia ad sacri ministerii dignitatem prædestinatus, concordante favore populi sacerdos et tutor ecclesiæ est electus, et ad pontificatus honorem provectus. Cujus gloria toto post hæc orbi enituit : et pro sanctæ fidei defensione fideliter et constanter dimicavit. Cum igitur Constantii imperatoris tempore, Arriana hæresis de suæ perfidiæ radice venenata pullularet : vir sanctus divinus armis præcinctus quasi signifer belligerator per medias acies sic se inter vesanos fremitus et hostiles gladios hæreticorum ingerebat, eisque victorioso certamine insistebat. Nequibat enim hæreticus ante insuperabilem ejus facundiam aliquas erroris nebulas prætendere : quia sic ejus eloquio premebatur, ut nulla versutia adversus eum posset proficere. Unde factum est ut immanes catholicæ fidei perturbatores, videlicet Valens et Ursacius imperatori persuaderent, quatenus eum exilio condemnaret. Tu autem Domine.

Lectio vi.

Itaque in Frigeam relegatus, ad virtutum augmentum gratias agebat : quia quantum longius pro Christi nomine a proprio solo discedebat, tantum cælo vicinior fiebat. Finito autem quadriennio in eodem exilio, inde Seleuciam cum reliquis orien-

talibus episcopis adversus Arrianos disceptaturus venire compellebatur imperatoris edicto. Qui dum in quoddam castellum ingrederetur, Florentia, puella gentilis, servum Dei advenisse vociferando testabatur. Cum qua Florentius pater ejus et tota ejus familia credidit : et a beato viro baptizari promeruit. Cum vero Seleuciam pervenisset, ibidemque victoriosorum præsulum examinatio hæreticam pravitatem damnasset : mox de prospera Synodo ad imperatorem legatio dirigitur, cum qua inclitus Dei bellator ad eundem proficiscitur, ut non damnata perfidia adhuc vel eo absente contra religionis dogmata erigeretur. Valens vero et Ursacius reatu perterriti conscientiæ, imperatoris animum ad hoc persuaserunt, ut eum ad Gallias perurgeret redire. Ubi sæpius factis Synodis mundum jam pæne totum errore confusum, per eum ad viam veritatis fuisse adductum, confitetur lingua multorum.

Tres ultimæ Lectiones de expositione Evangelii.

Secundum Mattheum iii. [13—17].

In illo tempore : Venit Jesus a Galilea in Jordanem ad Johannem, ut baptizaretur ab eo. Et reliqua.

Sermo ex commentario venerabilis Bedæ presbyteri. [*Omelia* 9 *libri* 1*.]

Lectio sancti Evangelii, quam modo, fratres, audivimus, magnum nobis et in Domino et in servo dat perfectæ humilitatis exemplum. In Domino quidem, quia cum sit Dominus omnium non solum ab homine servo baptizari, sed etiam ipse ad hunc baptizandus venire dignatus est. In servo autem, quia cum sciret præcursorem se ac baptistam sui salvatoris esse destinatum : memor tamen propriæ fragilitatis injunctum sibi humiliter recusavit officium, dicens : Ego a te debeo baptizari : et tu venis ad me? Sed quia omnis qui se humiliat exaltabitur, et Dominus qui in forma hominis propter homines instruendos humilis apparuit, mox a Deo Patre, quantum super homines immo etiam super angelos et super omne quod creatum est emineret, apparuit, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria, Hic est Filius meus dilectus in quo michi complacui. Et fidelissimus atque uhmillimus servus ille Johannes, qui baptizari a Domino, quam baptizare Dominum magis optavit, et ipsum baptizare Dominum et apertis suæ mentis oculis descendentem super eum Spiritum præ ceteris mortalibus videre promeruit.

Lectio viii.

Verum quia breviter ista prælibavimus, latius jam cuncta expondituri ipsum sacræ lectionis videamus exordium. Tunc venit (inquit) Jesus in Jordanem ad Johannem, ut baptizaretur ab eo. Venit Filius Dei baptizari ab homine, non anxia necessitate abluendi alicujus sui peccati, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ; sed pia dispensatione abluendi omnis nostri contagionem peccati qui in multis offendimus omnes, et si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Venit baptizari in aquis ipsarum aquarum conditor, ut nobis qui in iniquitatibus concepti et in delictis sumus generati, secundæ nativitatis quæ per aquam et Spiritum celebratur appetendum insinuaret mysterium. Dignatus est lavari aquis Jordanicis, qui mundus erat a sordibus cunctis, ut ad diluendas nostrorum sordes scelerum omnia fluenta sanctificaret aquarum.

* Bedae, *Homiliae Hyemales de Sanctis*, Opera Tom. VII. col. 323, 324.

Nona benedictio. In unitate [Sancti Spiritus : Benedicat nos Pater et Filius.]

Lectio ix.

Sed quia humillimam Domini dispensationem ex lectione Evangelica cognovimus, etiam servi humillimam obeditionem sollicita intentione videamus. Sequitur, Johannes autem prohibebat eum, dicens : ego a te debeo baptizari : et tu venis ad me? Expavit illum ad se venisse ut baptizaretur aqua, cui nulla inerat quæ baptismo tergeretur culpa, immo qui per sui gratiam Spiritus cunctam credentibus mundi tolleret culpam. Unde recte intelligitur quod hic dicit Johannes, Ego a te debeo baptizari : hoc esse quod apud evangelistam Johannem illo ad se veniente dixisse narratur, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ab illo enim debemus omnes baptizari, qui ad hoc venit in mundum ut peccata tolleret mundi. Ab illo enim debuit ipse Johannes baptizari, id est a peccati originalis contagione mundari : qui quamvis nullus inter natos mulierum major eo, tamen quasi natus ex muliere culpæ nævo non carebat, ideoque cum ceteris mulierum natis ab eo qui natus ex virgine Deus in carne apparuit opus habebat ablui. Tu autem Domine miserere nostri.

V. Omnes de Saba venient.

In Laudibus.

Ant. Veterem hominem renovans Salvator venit ad baptismum. Ut naturam quæ corrupta est per aquam recuperaret : incorruptibili veste circumamictans nos.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. Tu qui in spiritu et igne purificas humana contagia, Deum ac Redemptorem omnes glorificamus.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Baptista contremuit et non audet tangere sanctum Dei verticem : sed clamat cum tremore, Sanctifica me Salvator.

Ps. Deus Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Caput draconis Salvator contrivit in Jordanis flumine, ab ejus potestate omnes eripuit.

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Magnum mysterium declaratur hodie : quia Creator omnium in Jordane expurgat nostra facinora.

Ps. Laudate Dominum (*cxlviii.—cl.* p. 32, 33).

Cap. Domine Deus.

Hymnus. A Patre unigenitus, *p.* cccxxix.

V. Vox Domini super aquas.

Ant. Præcursor Johannes exultat cum Jordane baptizato Domino facta est orbis terrarum exultatio : facta est peccatorum nostrorum remissio sanctificans aquas, ipsi omnes clamemus, miserere nobis.

Ps. Benedictus, *p.* 35.

Oratio. Deus cujus unigenitus.

Memoria de Sancto Hylario.

Ant. Euge serve (p. 420).

V. Justus germinabit.

Oratio. Adesto Domine.

Memoria de S. Maria.

Ad Primam.

Ant. Veterem hominem.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ant. Te jure.

Ps. Quicunque, *p.* 46.

Ad Tertiam.

Ant. Tu qui in spiritu.

Ps.. Legem pone (*cxxiii.* 33. p. 57).

Cap. Domine Deus.

Responsoria et versus sicut in die Epyphaniæ ad omnes Horas *dicuntur, cum hac Oratione* Deus, cujus unigenitus, *p.* cccli.

AD SEXTAM.

Ant. Baptista contremuit.
Ps. Defecit (*cxviii.* 81. p. 61).
Capitulum. Esai. xxviii. [5. LXX] *.
Domine, excelsum est brachium tuum, Deus sabaoth, corona spei quæ ornata est gloria.

AD NONAM.

Ant. Magnum mysterium.
Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129. p. 65).
Capitulum. Esai. xii. [3].
Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris, et dicetis in illa die, Confitemini Domino et invocate nomen ejus.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ant. Tecum principium, p. cxciii.
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Cap. Domine Deus.
Hymnus. A Patre unigenitus, *p.* cccxxix.
V. Vox Domini.
Ant. Fontes aquarum sanctificati sunt Christo apparente in gloria, orbis terrarum haurite aquas de fontibus salvatoris : sanctificavit enim nunc omnem creaturam Christus Deus noster.
Ps. Magnificat (p. 221).
Oratio. Deus cujus unigenitus.

Memoria de sancto FELICE *episcopo et martyre.*

Ant. Hic est vere martyr, p. 373.
V. Gloria et honore.
Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam sancti Felicis martyris tui exempla nos provocent : quatenus cujus solennia agimus, etiam actus imitemur. Per Christum Dominum nostrum.

Memoria de S. MARIA.

Si vero Octavæ Epyphaniæ in Sabbato contigerint, tunc erunt Vesperæ in ipso Sabbato de Octavis, et solennis Memoria de sancto Felice in primis, et postea de Dominica, deinde de sancta Maria. Completorium vero de die Epyphaniæ non mutatur, sive Sabbatum fuerit sive non.

†*Sciendum est quod in Octavis Epyphaniæ, Ascensionis Domini, Corporis Christi, Visitationis, Assumptionis, et Nativitatis beatæ Mariæ, et Dedicationis ecclesiæ, semper ultimæ secundæ Vesperæ erunt de Octavis, licet in crastino nova Hystoria fuerit inchoanda, vel Festum ix Lectionum, vel Commemoratio beatæ Mariæ virginis celebranda fuerit; nisi fuerit tale Festum ix Lectionum quod suas secundas Vesperas habere non poterit.*

DOMINICA I. POST OCTAVAS EPYPHANIÆ *inchoetur Hystoria* Domine ne in ira. *Si vero Octava Epyphaniæ, in Dominica evenerit, et tempus prolixum fuerit, tota septimana fiat de Festis Sanctorum; scilicet de sancto Felice; de sancto Mauro, Marcello, Sulpitio, et de sancta* MARIA *in sexta feria, et in sabbato de sancto Wlstano: et in sequenti Dominica inchoetur Hystoria* Domine ne in ira, *cum sua Memoria tantum, scilicet ad utrasque Vesperas, Matutinas, et Missam; et totum servitium fiat de Festo sanctorum Fabiani et Sebastiani. Tamen si tempus breve fuerit inter Octavas Epyphaniæ et Septuagesimam, tunc differatur Festum sanctorum Fabiani et Sebastiani usque in crastinum sancti Vincentii*‡. *Similiter fiat de*

* Ed. Vulg. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum...
Vers. LXX. Τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἔσται Κύριος σαβαὼθ ὁ στέφανος τῆς ἐλπίδος, ὁ πλακεὶς τῆς δόξης, τῷ...

† 'In Octava die Octavae cum regimine Chori, secundae Vesperae erunt de ipsis Octavis. Sciendum est quod...non poterit.' *Crede Michi*, 1495—97.

‡ 'Inter Octavas Epiphaniae et Septuagesimam dicitur "*tempus breve*" quando sunt una Dominica, vel duae Dominicae, ut nulla Dominica : "*aequale,*" quando sunt tres Dominicae : "*prolixum,*" quando sunt quatuor vel quinque Dominicae.' *Ibid.*

sancto Wlstano, si tempus breve fuerit, quando in Dominica contigerit. Si fuerit prolixum tempus inter Dominicam qua incipienda est Hystoria Domine ne in ira, *et Septuagesimam, et Festum sancti Wlstani fuerit in eadem Dominica : fiat Memoria de Dominica ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam, quæ præcedet Memoriam beatæ Mariæ. Eodem modo fiat de Festo sanctorum Fabiani et Sebastiani, quando in Dominica contigerit.*

Si vero inter Octavas Epyphaniæ et Septuagesimam nulla dies Dominica evenerit, tunc in Dominica infra Octavas, vel in Octava Epyphaniæ si Dominica fuerit, fiat Memoria ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam, de Hystoria Domine ne in ira, *quæ præcedet Memoriam beatæ Mariæ. In mediis autem feriis tunc fiat feriale servitium, et nichil de Hystoria Dominicali. Et in eisdem feriis Officium* In excelso throno, *et* Omnis terra, *et* Adorate *cantetur, scilicet cum propriis Collectis, Epistolis et Evangeliis; tamen Oratio primæ Dominicæ, scilicet* Vota, quæsumus, Domine, *dicitur in illis tribus feriis tam ad Vesperas quam ad Matutinas, et ad omnes alias Horas. In aliis vero Officiis, ut in* Omnis terra, *et* Adorate, *suæ propriæ Collectæ dicantur ad Missam tantum, et nichil fiat tunc de Festis iii Lectionum, quæ in illis tribus feriis prædictis contingere possunt, præter Memoriam, quæ fiet de eis ad Vesperas et ad Matutinas de sancta Maria, quæ præcedet Memoriam de Sancto Spiritu. Si Septuagesima vero in Festo sancti Wlstani forte contigerit, differatur Festum usque in crastinum sancti Vincentii. Eodem modo fiet de Festo sanctorum Fabiani et Sebastiani, et de sancta Agnete, et de sancto Vincentio.*

Cum autem una dies Dominica tantum inter Octavas Epyphaniæ et Septuagesimam contigerit, totum servitium fiat de Dominica, et tantum Memoria de Festis iii Lectionum quæ ibi contingere possunt. Festa autem ix Lectionum differantur usque in crastinum sancti Vincentii. In sequentibus vero feriis tunc nichil fiat de feriali servitio, sed de Sanctis si habeatur. Ita tamen quod duæ Missæ quæ restant cantandæ, videlicet* Omnis terra, *et* Adorate, *in eisdem feriis, vel Festis iii Lectionum si feriæ non vacaverint, cantentur. Ita tamen quod Commemorationes beatæ Mariæ ac Festi loci non omittantur: et tunc fiat totum servitium de Festis iii Lectionum, quæ ibi contingere possunt, usque ad Missam tantum: et ad Missam quæ erit de Dominica fiat Memoria de Festo. Et si ita forte contigerit quod nisi una Missa Dominicalis in prædictis feriis vel in Festis poterit cantari propter Festum ix Lectionum, et propter Commemorationes : tunc Missa Dominicalis* Adorate *in aliquo Festo ix Lectionum in Capitulo cantetur. Si vero Festum sancti Wlstani in proxima Dominica ante Septuagesimam forte contigerit, tunc oportet ex necessitate quod utræque Missæ prædictæ in Capitulo cantentur.*

Si vero in Dominica, in qua incipienda est Hystoria Domine ne in ira, *Festum iii Lectionum de quo propriæ Lectiones et Collectæ habeantur evenerit, et Hystoria duratura fuerit, ita quod una Dominica ad minus ante Septuagesimam a Festo vacaverit : tunc fiat de Festo Memoria et mediæ Lectiones. Si autem nulla Dominica a Festo vacaverit ante Septuagesimam, tunc in prima Dominica tota cantetur Hystoria, et de Festo tantum fiat Memoria.*

Si autem tres fuerint Dominicæ

* 'Sed de Sanctis usque ad Missam tantum.' *Crede Michi.*

inter Octavas Epyphaniæ et Septuagesimam, ita quod tria Officia intrentur, scilicet In excelso throno, *et* Omnis terra, *et* Adorate : *tunc in feriis post tertiam Dominicam, si vacaverint, dicantur Epistolæ et Evangelia de quarta Dominica et quinta in Missis de die.*

Sciendum est quod in inceptione omnium Hystoriarum totius anni, in quarum initio ad Vesperas Sabbato cantatur Responsorium, scilicet quod si Hystoria a sua Dominica usque ad aliam differatur, vel in mediis feriis cantatur, et in Dominica, in qua inchoanda erat, facta fuerit Memoria, deinceps ad ejus inceptionem, ubicunque incipiatur, nullum ad Vesperas cantabitur Responsorium, et ubi non præcesserit ejus Memoria semper cum Responsorio incipitur.

DE SANCTO FELICE *hoc modo fiat servitium.*

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Regem martyrum (p. 373).

Ps. Venite.

Hymnus. Martyr Dei qui unicum, *p.* 372.

Notandum est quod in omnibus Festis iii Lectionum extra tempus Paschæ quæ fiunt de Hystoria communi, nisi in Festis plurimarum Virginum, semper dicantur novem Antiphonæ et novem Psalmi ante Lectiones cum uno Versu et tribus Responsoriis secundum ordinem Nocturnorum, sicut sunt ordinati in Hystoria, et hoc ab una Dominica usque ad aliam observetur, et sic interim reincipiatur hujusmodi servitium. Et si Festum ix Lectionum, in quo tota Hystoria cantanda fuerit, per ebdomadam contigerit, et in eadem ebdomada Festum iii Lectionum, de quo servitium fieri debeat de eadem Hystoria, similiter evenerit : tunc reincipiatur primus Nocturnus Hystoriæ, nisi propria Hystoria habeatur, vel in die Festi alia Responsoria fuerint notata.

Si in una eadem ebdomada, uno die contigerit Festum iii Lectionum unius Martyris, et alio die unius Abbatis ; vel in uno die Festum unius Abbatis, et in alio die Festum unius Confessoris et Pontificis : in utroque Festo dicantur Responsoria de primo Nocturno. Et est ratio : quia ut ordo Responsoriorum servetur, propter repetitionem unius prius dicti non omittuntur duo prius non dicta ejusdem Nocturni. Et sic fiat in consimilibus.

Veruntamen si Festum unius Confessoris, et Festum unius Martyris, et subsequenter unius Abbatis trium Lectionum in una et eadem ebdomada concurrant ; in Festo Abbatis dicantur Responsoria de secundo Nocturno, ne duo antedicta repetantur propter unum Responsorium minime prius dictum. Aut quotiens in Festis alicujus Confessoris fiant mediæ Lectiones de uno Abbate : vel in Festo de uno Abbate, de uno Martyre : tunc semper ne unicum Responsorium repetatur in eisdem Matutinis, dicantur Responsoria de secundo Nocturno Sancti* †. *Similiter fiat quando Festum iii Lec-*

* '*Si Festum...hebdomada contigerit, in festo...mimine dictum.*' *Crede Michi*, 1495—7.

† '*Sancti cujus sunt mediae lectiones. Vera regula Sarum, et patet expresse quando Octavae Epiphaniae in ii. Feria contingunt* [*hoc est*, littera Dominicali E.].' *Ibid.*

tionum plurimorum Martyrum, vel Festum iii Lectionum plurimorum Confessorum in una ebdomada contigerint.

Tres Lectiones fiant.

Lectio i. Temporibus Dyocletiani et Maximiani imperatorum, exiit edictum per omnes provincias, ut libros divinos extorquerent de manibus episcoporum et presbiterorum. Tunc beatus Felix episcopus civitatis Tubizacensis comprehensus missus est Carthaginem ad Auolinum proconsulem. Cui Auolinus dixit, Habes scripturas supervacuas? Felix episcopus dixit, Habeo scripturas sed ut asseris non supervacuas: quas cognosce a me nequaquam tradendas. Auolinus ergo proconsul misit eum Romam ad præfectum prætorii. Præfectus misit eum Nolam post imperatores; durisque nexibus cathenarum colligatus beatus Felix jacuit in subsellio navis sub pedibus equorum quatuor diebus et quatuor noctibus, panem non comedens nec aquam bibens, jejunusque venit Nolam.

Lectio ii. Cognitor ergo memoratæ civitatis beatum Felicem episcopum gravioribus vinculis innodatum sibi præsentari constituit. Cui sic ait. Si in tua propria civitate vel apud Carthaginem scripturas deificas ad comburendum tradidisses. ad me hucusque minime adductus fuisses: Felix episcopus dixit, Igitur sicut diversis inquirentibus jam supra respondi, ita etiam tibi modo certissime manifesto, quia scripturas divinas nullo modo tradam. Cognitor dixit, Si scripturas deificas tradere nolueris, capite plecteris. Felix episcopus dixit, Paratus sum potius plecti capite quam libros Dominicos sacrilegis tradere. Tunc memoratus cognitor dixit, Quoniam Felix episcopus tantum in hac confessione duravit: ideo secundum præceptum principum hunc eundem gladio animadverti constituo.

Lectio iii. Beatus Felix episcopus elevans oculos suos ad cælum dixit, Deus, gratias tibi ago, quia per quinquaginta et sex annos virginitatem meam custodire dignatus es in præsenti seculo. Et nunc, Domine, propter te et propter tuam legem hæc patior, et cervicem meam lætus ad victimam flecto. Peto ergo ut accipias spiritum meum de hoc mortali seculo: quia tu solus es Deus vivens et permanens gloriosus in secula seculorum. Hac oratione completa eductus a militibus nonodecimo kalendas Februarii ibidem est decollatus: positumque est Nolæ corpus ejus; per religiosos autem Dei servos et matris Ecclesiæ filios beati Felicis reliquiæ Carthaginem sunt perlatæ. In quo loco meritis beati Felicis multa miracula fiunt: præstante Domino Deo nostro, cui est honor et gloria per infinita seculorum secula. Amen. Tu autem Domine.

In Laudibus vero semper sola prima Antiphona dicatur in talibus Festis, nisi propriæ Laudes habeantur.

Oratio. Concede, quæsumus (*p.* cccli.), *et cetera de Communi unius martyris et pontificis* (p. 392).

Ab hac die usque ad quartam feriam in Capite Jejunii fiat Memoria de sancta Maria, et de Omnibus Sanctis, ad Vesperas et ad Matutinas in Festis iii Lectionum et in feriis quando fuerint sine regimine chori, sicut in secunda feria post Domine ne in ira *patebit.*

VESPERÆ *fiant* DE SANCTO MAURO ABBATE, *et nichil de sancto Felice. Nulla enim Festa iii Lectionum sine regimine chori suas habeant secundas Vesperas, nec etiam Memoriam loco secundarum Vesperarum.*

Ad Vesperas de sancto Mauro Antiphonæ et Psalmi feriales. Et hoc

observetur per totum annum in Festis iii Lectionum sine regimine chori : nisi infra Octavas Sanctorum quando de Octavis dicitur.

Capitulum, et cetera de Communi unius confessoris et abbatis (p. 428).

Oratio. Deus, qui æternæ gloriæ participem concessisti fleri beatissimum Maurum levitam atque abbatem : concede nobis propitius ipso intercedente aditum regni cælestis, cujus ad bene vivendum informamur exemplis. Per Dominum.

Ad Completorium.

Ant. Miserere.

Ps. Cum invocarem (*iv.* p. 222).

Cap. Tu in nobis.

Hymnus. Te lucis, *p.* 224.

V. Custodi nos, Domine.

Ant. Salva nos, Domine, vigilantes : custodi nos dormientes : ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Ps. Nunc dimittis (p. 225).

Preces, et cetera quæ ad Completorium pertinent expleantur.

Hoc Completorium dicatur a crastino Octavarum Epyphaniæ usque ad Quadragesimam, et a crastino Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum Domini : nisi in Festis duplicibus, et per Octavas Corporis Christi, Nominis Jesu, Visitationis, Assumptionis, et Nativitatis beatæ Mariæ, et Dedicationis Ecclesiæ, et in Commemorationibus beatæ Mariæ.

De sancto Mauro tres Lectiones fiant.

Lectio i. Beatus Maurus, clarissimo senatorum genere exortus, omnipotenti Deo sub regulari institutione nutriendus duodenis sancto Benedicto a parentibus est traditus. Qui cum adhuc junior bonis polleret moribus, sicut etiam ipsi vidimus, magistri cœpit adjutor existere, ac ejus miraculorum cooperator esse. Hunc enim sanctus Benedictus præ omnibus semper carius dilexit et instruxit : atque ita omnipotentis Dei informavit servitio, ut nemini post ipsum in sacrosancta cœnobiali observatione fuerat secundus. Quis enim unquam austerius corpus proprium jejuniis, abstinentia, ac vigiliis, squaloribus quoque et nimiis edomuit frigoribus? Frequenter enim eum vidimus in diebus sanctæ Quadragesimæ, nec tunica, nec cuculla, nisi solummodo sacco uti cilicino : et duabus tantum vicibus in ebdomada parvissimum potius prægustare quam sumere cibum. Iste quippe mos in omni vita sancto fuit Benedicto. Beatus igitur Maurus exemplo magistri sui provocatus, afflictione pervalida carnem macerabat, inquantum illius ejusdem patris sui permittebat licentia. Nam reliquo totius anni tempore, sub monachali tunica a scapulis usque ad renes semper asperrimo induebatur trogulo. In stratu vero super aggestum calcis et sabuli (excepto Quadragesimali tempore) semper utebatur cilicio. Tunc enim non jacendo sed potius stando : vel. cum nimia eum lassitudo compulerat, sedendo somnum capere consueverat. Nemo illum unquam vidit de lectulo cum ceteris surgere fratribus : semper nocturnos prævenire hymnos procurabat attentius. Plerumque quinquagenos, sæpe etiam plures, et nonnunquam totum ex ordine Psalterium ante nocturnale consummabat officium. Supradictis ergo beato viro Mauro succrescente virtutibus, de illo sanctus Benedictus plerumque in conventu fratrum suppresso ejus nomine quasi de alio loquebatur, junioribus et negligentioribus illum proponens sequendum,

Lectio ii. Vidimus (aiebat de sancto Mauro beatus Benedictus) vestra ætate quendam strennuissimæ nobilitatis juvenem, infra annos adolescentiæ ita omnis monasticæ reli-

gionis subito arripuisse perfectionem, ut alicui ex prioribus similis, immo æqualis per omnia dignissime judicetur. Sed licet hæc beatus Deoque dilectus Maurus, ac nonnulli ex fratribus de eo sancti Benedicti ore proferri scirent : numquam tamen ille pro hoc vicio succubuit jactantiæ, ardua semper et sanctiora appetens, et toto conamine de virtute in virtutem proficere studens. Cum ergo beatus Maurus in monasterio patris Benedicti, præpositi ac procuratoris post ipsum fungeretur officio, et eo absente quadam die ab agri opere reverteretur, claudum quendam ac mutum puerulum in itinere invenit. Cujus pater ac mater, beati viri pedibus provoluti, terribile Dei nomen obtestantur, ut filium suum sanum eis redderet. At ille lachrimis perfusus atque in oratione prostratus, deinde super infirmum crucis signum facicens atque ad cælum oculos erigens dixit : In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, adjutus meritis sanctissimi magistri nostri, sta sanus et incolumis. Et continuo sospitati redditus rectissime ante eum cœpit pergere, ac Deum voce exultationis benedicere. Erat eo tempore vir quidam nomine Florus, inter primos proceres regni Francorum primus, in habitu quidem seculari constitutus, sed omnipotenti Deo semper placere cupidus. Qui perfectos in hac religione viros invenire desiderans, in sua possessione monasterium construere, unicumque filium suum Deo offerre, ac sic demum omnibus mundi negotiis exutus Deo in eodem optabat servire. Ex his autem nunciis qui cum beato viro revertebantur erat quidam vir nomine Arcleradus prædicti Flori consobrinus. Qui Flori voluntatem cognoscens, illico ad eum accessit, et causam adventus beati viri per ordinem ei innotuit. Florus ergo gaudio repletus mox ad regem accessit, et ut ei monasterium sicut desiderabat construere liceret petiit. Deinde beatum virum ad se venire fecit, et voluntatem suam de construendo cœnobio ei aperuit.

Lectio iii. Post hæc Florus, oportunum locum ubi construi monasterium deberet, beato viro ostendit, filiumque suum puerulum nomine Bertulphum ejus doctrina et magisterio instruendum tradidit, congregatisque plurimis artificibus opus incipere maturavit. Cumque jam dictum opus juvante Deo altius sublimaretur, quidam clericus qui opificibus præerat de altissimis gradibus retrorsum corruit, et supra acervum lapidum gravi lapsu cecidit. Cumque eum omnes mortuum crederent, vir Dei cum Floro advenit, seque in terram prostravit. Cumque diutissime orasset, surrexit et super collisa membra signum crucis faciens, ait : In Dei nomine surge sanus, et tuum perfice opus. Qui statim velut a somno sanus surrexit. Ex eis autem opificibus quidam beato viro inter se detrahere cœperunt : sed malignus spiritus tres ex illis subito invasit, ac uni eorum statim animam extorsit. Quod ubi vir Dei cognovit, vehementer flere cœpit. Moxque orationi incubuit, et eos qui adhuc vivi erant ab infestatione demoniaca liberavit. Post hæc vir Dei jejunans assiduisque gemitibus Dominum exorans, et sacrificium redemptionis nostræ pro anima defuncti Domino offerens, deinde ad corpus accedens ait ; Domine Jesu Christe, qui quatriduanum Lazarum suscitasti, redde in hoc corpus animam quam de eo hostis humani generis effugavit. Et cum hoc dixisset, continuo corpus totum se commovit, illicoque surrexit. Monasterii autem constructione completa, prædictus Florus semetipsum serviturum Domino devotus obtulit, et in sancta religione duodecim annis postea vixit. In eodem autem monasterio

multi viri undique convenere, ac se omnipotentis Dei servitio tradidere. Cumque fratrum congregatio non modica facta fuisset, et sanctus vir gregi suo triginta annis post fundationem sui monasterii præfuisset, prædictum Berthulphum, quem in sancta religione educaverat, sibi pastorem substituit, et in secretiori cellula remotius vitam ducere delegit. Duobusque annis ac dimidio in contritione spiritus ac maceratione corporis completis, dolor lateris eum invasit. Quo ingravescente, ante altare beati Martini super cilicium decubans, exitum suum vivificorum sacramentorum perceptione munivit: deinde feliciter ad Dominum migravit. In quo loco multa miracula Deus operatur: ad laudem et gloriam nominis sui.

Et cetera de Communi unius Confessoris et Abbatis.

SANCTI MARCELLI PAPÆ ET MARTYRIS.

Sancti Marcelli papæ et martyris.

Capitulum. Omnis pontifex.

Oratio. Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi: ut beati Marcelli martyris tui atque pontificis meritis adjuvemur, cujus passione lætamur. Per.

Tres Lectiones fiant.

Lectio i. Maximianus Augustus Dyocleciani filius præcepit ut Christiani ubicunque inventi fuissent punirentur. Eodem tempore tenuit Ciriacum urbis Romæ dyaconum, et misit in custodiam, et præcepit ut die processionis suæ ad exemplum Christianorum nudus cathenis obligatus ante redam ejus traheretur. In die autem processionis suæ veniens Marcellus urbis Romæ episcopus obtulit se Maximiano Augusto, dicens ei; Pietati tuæ suggero, servos Dei qui orant pro regno tuo et pro republica quare trucidas? Tunc iratus Maximianus Augustus præcepit ut fustibus cæderetur, et expelleretur Marcellus episcopus.

Lectio ii. Post hæc Maximianus Augustus jussit omnes vinctos qui erant in custodia uni cum Ciriaco dyacono capite truncari. Et data sententia, ducti sunt cum Ciriaco dyacono promiscui sexus numero viginti et unus, et decollati sunt via Salaria, intra *th*ermas Salustii foris muros. Quorum corpora collegit noctu Johannes presbiter, et sepelivit. Post dies octo veniens beatus Marcellus episcopus cum Lucina matrona Christianissima condivit corpora sanctorum cum aromatibus et lintheaminibus, et transtulerunt ea in prædium ejus via Hostiensi, miliario ab urbe Roma septimo: ubi requiescunt in sarcophagis lapideis, quos manu sua recondidit beata Lucina in pace, octavo die mensis Augusti. Tu autem, Domine, miserere nostri.

Lectio iii. Eodem tempore beata Lucina fecit donationem de facultate sua Ecclesiæ catholicæ. Hoc audiens Maximianus Augustus indignatus proscriptione eam damnavit. Beata autem Lucina rogavit beatum Marcellum episcopum, ut domum ejus ecclesiam consecraret: quod et cum omni devotione fecit beatus Marcellus episcopus. At ubi frequenter in eadem domo missas celebraret in media via lata: audiens hoc Maximianus Augustus jussit ut in eadem

ecclesia paleæ sternerentur ad animalia stabuli publici, et eundem Marcellum episcopum deputavit ad servitium animalium cum custodia publica. Ubi etiam post multos annos Deo serviendo requievit in pace. Cujus corpus rapuit Johannes presbiter noctu cum beata Lucina, et condivit cum aromatibus, et sepelivit in cymiterio Priscillæ virginis, via Salaria, non longe ab urbe Roma.

Cetera de Communi unius Martyris et Pontificis.

SANCTI SULPICII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Sulpicii confessoris tui atque pontificis depositionem colimus : ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinas, *tres Lectiones fiant.*

Lectio i. Beatus Sulpicius episcopus, dum adhuc in seculari habitu in domo parentum consistere videretur, ita bonis operibus deditus est, ut nihil aliud videretur agere, quam aut ecclesias ædificare, aut monasteria construere, aut in operibus misericordiæ circa pauperes se infatigabiliter exercere. Sed et amore castitatis copulam matrimonii sprevisse visus est. Et cum dominus jam suis votis et bonis propositis satisfacere dignaretur ; decisa capitis sui cæsarie facta corona suscepit onus clericatus, et succedentibus gradibus ecclesiasticæ dignitatis usque ad eum locum pervenit, ut electione populi et clericorum convenientia episcopatus dignitatem ascenderet. In quo officio nichil aliud magis insistebat juxta ecclesiæ regimen, quam ut curam gereret pauperum ; et summo nisu elaboraret illis semper alimenta ministrare, et quibus tegerentur præparare. Quis clericorum ad comparationem beati viri possit sic perpetuis noctibus vigilare, aut ad mensuram illius jejunare? Cum nocte in ecclesiam veniret, antequam librum Psalmorum psallendo finiret, de ecclesia non recedebat. Tu autem.

Lectio ii. Eo tempore faciente cupiditate Dagobertus rex præcepit fautori suo Lulloni, homini feroci moribus, et sine ullo vestigio misericordiæ, ut plebi Bituricæ insuetum censum imponeret, et sub pensione census viverent, et regis imperio deservirent. Qua afflictione universus populus regionis illius congregatus : ad memoratum virum Dei multitudo plangentium convenit : et elevata lamentatione, confusa voce deprecabantur Dei virum ut sibi subvenire deberet. Ille motus pietate, non sustinens eorum ejulatum et lachrimas, cum clericis indicto jejunio per triduum Domini postulavit misericordiam, ut memoratam populi sui relevaret afflictionem. Misit ergo quendam de suis clericis nomine Ebrigiselum, qui memoratum regem pro hoc scelere redarguere deberet, et denunciaret ei celerem interitum, nisi hoc esset celerius emendatum. Quo audito, rex metu deterritus confestim præcepit populum illum de ipso censu relevari, et descriptionem ipsam quæ facta fuerat deleri. Itaque populus ille ab ipsa afflictione relevatus est; hodieque in pristina permanet libertate. Nichilominus tamen ultione

sequente, creditur propter facinus et regem et satellitem suum post breve spacium interisse.

Lectio iii. Cum autem memoratus pontifex tanto onere inter ecclesiarum sollicitudinem, et pauperum curam, vel universæ plebis negocia videret se graviter prægravari : petiit sibi a rege socium ad hujus oneris negotium supportandum. Cui rex præbuit assensum, et dedit quem petierat virum prudentissimum, cui vocabulum est Wlfolendo. Ille vero sub ea humilitate qua prius pauperum curam gerebat, et magis magisque deinceps præsidia pauperum subministrare videbatur. Nonnulli vero ei detrahebant, cur episcopatu relicto alteri tradidisset, et in quorundam animalium multiplicatione delectaretur. Sed ille in cœpto opere persistebat, et laudem humanam fugiens, et jactantiam vanitatis devitans, semper persistebat, ut pauperum indigentiam victu ac vestitu relevaret. Et post hæc consummata jam ætate sui temporis, plenus dierum in pace migravit ad Dominum. Locus ille ubi ipsa basilica, in qua memoratus vir Dei sepultus est, nominatur navis, eo quod ibidem portus navigii esse videtur. Locus amœnissimus duobus fluviis, nemoribus, et vineis copiosus, partim fluminibus interfusa immensa planicie, ut ibidem habitantes similitudinem paradisi videntur possidere. In quo loco gratia Domini ad salutem generis humani perseverare dignetur : ipso præstante, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat unus Deus æternus, et sine fine incommutabilis permanens in secula seculorum. Amen. Tu autem Domine miserere nostri.

Et cetera de Communi unius Confessoris et Pontificis.

SANCTÆ PRISCÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Oratio. Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Priscæ virginis et martyris tuæ natalicia colimus : et annua solennitate lætemur, et tantæ fidei proficiamus exemplo. Per Dominum.

Tres Lectiones fiant de Communi.

Cetera de Communi unius Virginis et Martyris.

Oratio ut supra.

Ab Octavis Epyphaniæ usque ad Quinquagesimam singulis Sabbatis fiat Servitium de sancta Maria : nisi Festum ix Lectionum impedierit : et tunc fiet servitium de ea in aliqua feria ebdomadæ, ut supra in Adventu plenius notatum est.

DE HYSTORIIS INCHOANDIS.

Regula de omnibus Hystoriis inchoandis et de omnibus Responsoriis Ferialibus dicendis, de Memoriis solenniter vel sub silentio celebrandis vel omittendis, de tribus Commemorationibus faciendis, de Missis in Capitulo celebrandis per totum annum, tracta de Ordinali Sarisburiensi per septem litteras Kalendarii : et quælibet littera per se dividitur in quinque partes : et hoc propter festa mobilia et annos bisextiles.

Ideo in primis sciatis quæ sit littera dominicalis in anno jam præsente : deinde numerum per quem luna currit in eodem anno.

Quibus cognitis intrate in regulam sequentem : et quærite eandem litteram dominicalem, quousque inveniatis prædictum numerum lunarem et prædictam litteram dominicalem simul stantes.

Quibus inventis operamini cum eadem littera per totum annum jam præsentem.

Cognita littera dominicali cum numero lunari, statim cognoscitur istius operis introductio in qualibet littera : ut patet per tabulam sequentem.

SEQUITUR TABULA,

A	1 ...	16, 13, 5, 2.
	2 ...	18, 15, 10, 7.
	3 ...	12, 9, 4, 1.
	4 ...	17, 14, 11, 6, 3.
	5 ...	19, 8.
B	1 ...	16, 13, 5, 2.
	2 ...	18, 10, 7, 4, 15.
	3 ...	17, 12, 9, 1.
	4 ...	14, 11, 6, 3.
	5 ...	19, 8.
C	1 ...	16, 13, 10, 5, 2.
	2 ...	18, 15, 7, 4.
	3 ...	17, 12, 9, 1. 6.
	4 ...	19, 14, 11, 3.
	5 ...	8.
D	1 ...	16.
	2 ...	13, 10, 5, 2.
	3 ...	18, 15, 12, 7, 4.
	4 ...	17, 9, 6, 1.
	5 ...	19, 11, 8, 3. 14.
E	1 ...	16, 5.
	2 ...	18, 13, 2, 10.
	3 ...	15, 12, 7, 4, 1.
	4 ...	17, 14, 9, 6.
	5 ...	19, 8, 3, 11.
F	1 ...	16, 5.
	2 ...	18, 13, 2, 10. 7.
	3 ...	15, 12, 4, 1, 7.
	4 ...	14, 9, 6, 3, 17.
	5 ...	19, 11, 8.
G	1 ...	16, 13, 5.
	2 ...	18, 10, 7, 2.
	3 ...	15, 12, 9, 4, 1.
	4 ...	17, 14, 6, 3.
	5 ...	19, 11, 8.

Explicit Tabula.

[ALTERAM TABULAM

IN HOC LOCO SUBJECIMUS

Seculo nostro magis accommodatam

et A.D. 1875—2199 inservientem*.

LITTERA DOMINICALIS.	PICA.	(KALENDAR).	DIES PASCH.	AUREI NUMERI.
A.	1 A.	(v.)	26 Martii;	14. 3. 11†
	2 A.	(xii.)	2 Aprilis;	19. 8. 16. 5
	3 A.	(xix.)	9 Aprilis;	13. 2. 10. 18. 7†
	4 A.	(xxvi.)	16 Aprilis;	15. 4. 12. 1
	5 A.	(xxxiii.)	23 Aprilis;	9. 17. 6
G.	1 G.	(iv.)	25 Martii;	14. 3
	2 G.	(xi.)	1 Aprilis;	11. 19. 8. 16. 5†
	3 G.	(xviii.)	8 Aprilis;	13. 2. 10. 18†
	4 G.	(xxv.)	15 Aprilis;	7. 15. 4. 12. 1†
	5 G.	(xxxii.)	22 Aprilis;	9. 17. 6
F.	1 F.	(iii.)	24 Martii;	14. 3†
	2 F.	(x.)	31 Martii;	11. 19. 8. 16†
	3 F.	(xvii.)	7 Aprilis;	5. 13. 2. 10
	4 F.	(xxiv.)	14 Aprilis;	18. 7. 15. 4. 12†
	5 F.	(xxxi.)	21 Aprilis;	1. 9. 17. 6
E.	1 E.	(ii.)	23 Martii;	14†
	2 E.	(ix.)	30 Martii;	3. 11. 19. 8
	3 E.	(xvi.)	6 Aprilis;	16. 5. 13. 2. 10†
	4 E.	(xxiii.)	13 Aprilis;	18. 7. 15. 4
	5 E.	(xxx.)	20 Aprilis;	12. 1. 9. 17. 6
D.	1 D.	(i)	22 Martii;	*numquam usurpatur inter* A.D. 1818 *et* (*si quis erit*) A.D. 2285.
	2 D.	(viii.)	29 Martii;	14. 3. 11. 19. 8†
	3 D.	(xv.)	5 Aprilis;	16. 5. 13. 2
	4 D.	(xxii.)	12 Aprilis;	10. 18. 7. 15. 4†
	5 D.	(xxix.)	19 Aprilis;	12. 1. 9. 17. 6†

* Excipiendus tamen est annus 1893, cujus pica est 2A.

† In annis bissextilibus quando aureus numerus fuerit ex iis quos obelo notavimus, tunc quod menses Januarium et Februarium adtinet, pro Pica isti numero adsignata, Pica proxime sequens erit usurpanda; quia Pascha notatum est apud litteram parilem sequentem : Ex. gr., Si litteræ dominicales fuerint A G, et aureus numerus fuerit 11, tunc in mensibus Januario et Februario usurpanda est Pica 2 A (et non 1 A) et deinde Pica 2 G; quia Pascha pro aureo numero 11 in Kalendis Aprilibus invenitur apud 2 G.

Nota vero quod in talibus annis in quibus litteræ dominicales fuerint D C, Pica 1 C sequitur 2 D, 2 C sequitur 3 D, &c.

Proinde siquidem cum aureo numero 6 litteræ dominicales fuerint D C, in mensibus Jan. et Feb., Pica 5 D non est usurpanda, sed alia quædam exquirenda in qua Dominica in Septuagesima incidat in Cathedram S. Petri (Feb. xxii.). Quale quidem nunquam eveniet ante A.D. 2200, et in isto anno aureorum numerorum conlocatio erit permutanda. Et ideo insuper, loco hujusce tabulæ, alia erit insuper usurpanda. Primo nempe eventurum est in anno 3784 secundum Kalendarium Gregorianum. [J. R. LUNN.]

C.	1 C.	(vii.)	28 Martii;	14. 3. 11. 19†
	2 C.	(xiv.)	4 Aprilis;	8. 16. 5. 13. 2†
	3 C.	(xxi.)	11 Aprilis;	10. 18. 7. 15†
	4 C.	(xxviii.)	18 Aprilis;	4. 12. 1. 9. 17†
	5 C.	(xxxv.)	25 Aprilis;	6
B.	1 B.	(vi.)	27 Martii;	14. 3. 11
	2 B.	(xiii.)	3 Aprilis;	19. 8. 16. 5. 13†
	3 B.	(xx.)	10 Aprilis;	2. 10. 18. 7
	4 B.	(xxvii.)	17 Aprilis;	15. 4. 12. 1. 9†
	5 B.	(xxxiv.)	24 Aprilis;	17. 6

Nota quod numeri romani uncinis inclusi denotant numeros formularum in *Libro Kalendariorum* Demorganiano excusarum : Ita igitur intellegas lineam Tabulæ (exempli gratia) primam [scilicet, '1 A (v.) 26 Martii; 14. 3. 11'], ut sit, 'Quando luna currit per 14, sive per 3, sive per 11, (hoc est, 'Quando aureus numerus est 14, *vel* 3, *vel* 11) et quando pariter littera dominicalis est A; tunc *in hoc anno* [aut *in decem mensibus posterioribus* hujus anni, si fuerit bissextilis] *pica erit* 1 A, et Kalendarium erit secundum formam Kalendarii Demorganiani 5ti et Pascha erit die Martii 26to.'

A.D.	AUREUS NUMERUS.		
1880	(19)	pica erit	2 D, et 1 C a mense Martio.
1881	(1)	... ...	4 B per annum.
1882	(2)	... ...	3 A ... ...
1883	(3)	... ...	1 G ... ...
1884	(4)	... ...	4 F, et 4 E a mense Martio.
1885	(5)	... ...	3 D per annum.
1886	(6)	... ...	5 C ... ...
1887	(7)	... ..	3 B ... ...
1888	(8)	... ...	2 A, et 2 G a mense Martio.
1889	(9)	... ...	5 F per annum.
1890	(10)	... ...	3 E ... ...
1891	(11)	... ...	2 D ... ...
1892	(12)	... ...	4 C, et 4 C a mense Martio.
1893	(13)	... ...	2 A per annum.
1894	(14)	... ...	1 G ... ...
1895	(15)	... ...	4 F ... ...
1896	(16)	... ...	3 E, et 3 D a mense Martio.
1897	(17)	... ...	4 C per annum.
1898	(18)	... ...	3 B ... ...
1899	(19)	... ...	2 A ... ...
1900	(1)	... ...	4 G (*non bissextil.*) per annum.

Nota quod in unoquoque anno a mense Augusto inito aut mox ineundo usque in octavas Epyphaniæ sequentis anni omne A, omne B...&c., vocitatur 6 A, 6 B...&c. (aut interdum A tantum, B tantum, &c., sine numero) ut unicuique Temporale nostrum pervolventi satis patebit.]

[TABULA HYSTORIARUM.]

Tamen cautus sit lector huius operis quibusdam annis bissextilibus. Nam in quibusdam saltandum est a 1. *A.* usque ad 2. *A.*, et a 1. *C.* usque ad 2. *C.*; et sic de ceteris litteris, de quibus in suis locis patet : ut sic,—

Quando luna currit per 2., et in eodem anno fuerit bissextus : tunc accipietur 2. *A.* pro littera dominicali et non 1. *A.*, et observentur omnia quæ scripta sunt ibidem.

Et ideo in anno bissextili, si vis esse securus, primo quære Pascha, deinde computa retro Dominicas novem quousque ad Septuagesimam perveneris : quæ erit in ipsa Dominica nona, Dominica Paschæ non computata. Et secundum hoc, Hystoriam *Domine ne in ira*, incipe, juxta regulam inceptionis illius hystoriæ. Deinde considerato ebdomadarum numero durationis ejusdem hystoriæ usque ad Septuagesimam prius inventam, accipe Picam juxta litteram dominicalem tunc currentem, et eodem ebdomadarum numero convenientem.

Sabbato in crastino octavarum Epyphaniæ, de S. Maria sine vesperis.

1\. A. Dominica prima post octavas Epyphaniæ xviii kalendarum Februarii tota cantetur hystoria et tantum memoria de Sancto [Mauro] et de S. Maria. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Secundæ vesperæ erunt de commemoratione, et memoria de Sancto [Marcello] et de S. Maria.

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus, et duæ missæ dominicales dicuntur in capitulo in ii. et iii. feria, et in iv. feria dicitur V. *Spiritus et alme* (p. 483).

2\. A. Nota quod quando luna currit per 15, et in eodem anno fuerit bissextus accipietur 3. *A.*

Dominica prima post octavas Epyphaniæ tota cantetur hystoria ut supra ad 1. *A.*

Feria ii., iii. et iv. de commemorationibus, et memoria de Sanctis [Marcello, Sulpicio, Prisca] et de S. Maria.

Dominica Secunda de S. Vincentio. Antiphona super psalmum et responsorium cantetur in superiori gradu. Ad primas vesperas memoria de S. Agnete, de dominica, et de S. Maria ; et ad secundas vesperas memoria de dominica et de S. Maria, et missa dominicalis dicitur in capitulo sine memoria.

Feria ii. de feria, cum responsorio de eadem feria, et missa *Adorate.*

Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

3\. A. Dominica prima post octavas, de dominica; memoria et mediæ lectiones de Sancto [Mauro]. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus.

Dominica Secunda de Sancto [Vincentio], ut supra ad 2. *A.*

Feria ii. de feria cum missa dominicali.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus.
Dominica Tertia tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

A. Nota quod quando luna currit per 11, et in eodem anno fuerit bissextus, tunc accipietur 5. *A* *.
Dominica prima post octavas Epyphaniæ tota cantetur hystoria. Memoria et mediæ lectiones de Sancto [Mauro]. In laudibus omnes antiphonæ.
Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus.
Dominica Secunda de Sancto [Vincentio], ut supra ad 2. *A*.
Feria ii. de feria cum missa dominicali.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus.
Dominica Tertia tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ.
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.
Dominica Quarta de S. Agatha.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus et in iv. Feria de feria cum missa dominicali. Sabbato dicitur V. *Spiritus et alme* (p. 483).

A. Dominica prima post octavas Epyphaniæ incohetur hystoria *Domine ne in ira.* Omnia ut supra ad 4. *A*.
Dominica Secunda patet.
Feria ii. de feria cum missa dominicali.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus.
Dominica Tertia tota cantetur hystoria.
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.
Dominica Quarta de S. Agatha : memoria de dominica ad utrasque vesperas, ad matutinas, et ad missam.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus.
Et in iv. Feria dicitur missa dominicalis.
Dominica Sexta tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.
Feria ii., vi., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria iv. de feria cum epistola et evangelio ejusdem feriæ.
Sabbato dicitur V. *Spiritus et alme.*
Feria vi. et Sabbato post octavas Epyphaniæ de commemoratione.

B. Dominica prima post octavas Epyphaniæ tota cantetur hystoria *Domine ne in ira.* In laudibus omnes antiphonæ dicuntur : et memoria tantum de Sancto Marcello †.
Feria ii. et iii. de commemoratione, et dicitur V. *Spiritus et alme,* et duæ missæ dominicales dicuntur in capitulo in eisdem feriis.

B. Nota quod quando luna currit per 4, et eodem anno fuerit bissextus, tunc accipiatur 3. *B*.
Feria vi. et Sabbato post octavas Epyphaniæ, de commemoratione.
Dominica prima post octavas Epyphaniæ inchoetur hystoria, et memoria et mediæ lectiones de Sancto [Marcello papa]. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur et duæ memoriæ.

* '3 A.' Chevallon, 1531.

† 'et de S. Maria.' 1525-6.

Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus, et dicitur V. *Spiritus et alme* (p. 483).

Et missa *Adorate* dicitur in vi. feria pro missa de die : et memoria de festo [S. Agnetis].

3. B. Nota quod quando luna currit per 17, et in eodem anno fuerit bissextus, tunc accipietur 4. *B.*

Feria vi. et Sabbato post octavas, de commemoratione.

Dominica prima post octavas Epyphaniæ inchoetur hystoria, et memoria et mediæ lectiones de festo [S. Marcelli]. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et iii., de commemoratione.

Dominica Secunda tota cantetur historia.

Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica Tertia de servitio dominicali, memoria et mediæ lectiones de festo [S. Batildæ], vi. R. *Regnum mundi.* In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii., iii., et vi., de commemorationibus ; et dicitur V. *Spiritus et alme.*

4. B. Dominica prima post octavas Epyphaniæ inchoetur hystoria, memoria, et mediæ lectiones de Sancto [Marcello]. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii., et iii., de commemoratione.

Dominica Secunda tota cantetur historia.

Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica Tertia de servitio dominicali ; memoria et mediæ lectiones de festo [S. Batildæ], vi. R. *Regnum mundi.*

Feria ii., iii., et vi., de commemorationibus.

Dominica Quarta, de servitio dominicali, memoria et mediæ lectiones de Sanctis [Vedasto et Amando]. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

Feria iv. et vi., de feria. Et in vi. feria dicitur missa de quinta dominica.

5. B. Dominica prima post octavas Epyphaniæ inchoetur hystoria, memoria et mediæ lectiones de Sancto [Marcello]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii. et iii., de commemoratione.

Dominica Secunda tota cantetur historia.

Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica Tertia, de servitio dominicali : memoria et mediæ lectiones de festo [S. Batildæ], vi. R. *Regnum mundi.*

Feria ii., iii., et vi., de commemorationibus.

Dominica Quarta, de servitio dominicali ; memoria et mediæ lectiones de Sanctis [Vedasto et Amando].

Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.

Feria iv. et vi. de feria, cum responsoriis de eisdem feriis.

Dominica Quinta, de servitio dominicali. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

Feria vi. de feria, cum responsoriis de eadem feria.

1. C. Nota quod quando luna currit per 10, et in eodem anno fuerit bissextus, tunc accipietur 2. *C.*

Feria v. et vi., et Sabbato post octavas Epyphaniæ, de commemorationibus, et memoria de Sanctis.

Dominica prima post octavas Epyphaniæ tota cantetur historia et memoria tantum de Sancto [Sulpitio]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii. et Sabbato, de commemoratione cum V. *Spiritus et alme;* et duæ missæ dominicales, scilicet *Omnis terra.* et *Adorate,* in capitulo dicuntur, scilicet Feria iii. et Feria v.

2. C. Dominica prima post octavas Epyphaniæ inchoetur hystoria et mediæ lectiones de festo [S. Sulpitii]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii. et Sabbato, de commemoratione, et nichil de tertia commemoratione in hac ebdomada.

Dominica Secunda tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Et missa *Adorate.* dicitur in v. Feria pro alta missa, et memoria de festo.

Et in Sabbato dicitur V. *Spiritus et alme* (p. 483).

3. C. Nota quod quando luna currit per 6, et in eodem anno fuerit bissextus, tunc accipiatur 4. *C.*

Dominica prima post octavas Epyphaniæ inchoetur hystoria, memoria, et mediæ lectiones de Sancto [Sulpitio]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii. et Sabbato, de commemoratione, et nichil de tertia commemoratione.

Dominica Secunda post octavas Epyphaniæ tota cantetur hystoria.

Feria iii., vi., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica Tertia, de servitio dominicali. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus cum V. *Spiritus et alme.*

4. C. Nota quod quando luna currit per 19, et in eodem anno fuerit bissextus, tunc accipiatur 5. *C.*

Dominica prima post octavas Epiphaniæ inchoetur hystoria et mediæ lectiones de festo [S. Sulpitii]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii. et Sabbato, de commemoratione.

Dominica Secunda post octavas Epiphaniæ, de servitio dominicali : tota cantetur historia.

Feria iii., vi., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica Tertia, de servitio dominicali.

Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus et memoria de Sanctis.

Dominica Quarta, tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.

Feria v., de feria, cum epistola et evangelio iv. feriæ :

Et in vi. Feria dicitur missa de quinta dominica.

Sabbato dicitur V. *Spiritus et alme.*

5. C. Dominica prima post octavas Epiphaniæ, inchoetur hystoria et mediæ lectiones de Sancto [Sulpitio]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii. et Sabbato, de commemoratione.

Dominica Secunda, tota cantetur hystoria.

Feria iii., vi., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica Tertia, de servitio dominicali.
Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus.
Dominica Quarta, de servitio dominicali.
Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.
Feria v. de feria. Epistola et evangelium quartæ feriæ.
Dominica Quinta, de servitio dominicali et mediæ lectiones de Sancto [Valentino]. In laudibus omnes antiphonæ.
Feria v., vi., et Sabbato, de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*
Feria iii.* missa *Salus populi.*
Feria iv., epistola et evangelium eiusdem feriæ.

1. D. Nota quod quando luna currit per 16, et littera dominicalis *D.* et in eodem anno fuerit bissextus : tunc ab 18 die Januarii usque ad ultimum diem Februarii accipietur 2. *D.* pro littera dominicali : et tunc accipietur 1. *C.* pro littera dominicali.

Littera dominicalis D.

Tertio idus Januarii inchoetur hystoria *Domine ne in ira*, cum memoria tantum.

Sabbato, de S. Maria cum V. *Spiritus et alme*, et memoria de Sancto [Sulpitio].

Feria iv., v., et vi., de feria cum V. et R. de suis propriis feriis, et non de hystoria dominicali. In his tribus feriis dicuntur missæ *In excelso*, *Omnis terra*, et *Adorate*, et nihil fiat de sanctis nisi memoria tantum ad vesperas et matutinas de S. Maria †.

Feria v., vi., et Sabbato post Octavas Epyphaniæ, de commemorationibus, et memoria de Sanctis et de S. Maria.

2. D. Dominica prima post octavas Epiphaniæ tota cantetur hystoria, et memoria tantum de festo [S. Priscæ], et de S. Maria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria vi. et Sabbato, de commemoratione. Et duæ missæ dominicales, scilicet *Omnis terra*, et *Adorate*, in capitulo dicuntur in ii. et iii feria; et in Sabbato dicitur V. *Spiritus et alme* (p. 483).

Feria v., vi., et Sabbato post octavas Epyphaniæ, de commemorationibus, et memoria de Sanctis et de S. Maria.

3. D. [Nota quod quando luna currit per 12, et in eodem anno fuerit bissextus : tunc accipiatur 4. *D.* et 3. *C.* pro littera dominicali.]

Dominica prima post octavas Epyphaniæ, tota cantetur hystoria; et tantum memoria de festo [S. Priscæ], et de S. Maria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria vi. et Sabbato de commemoratione, et nihil de tertia commemoratione.

Dominica Secunda, de Apostolo [Paulo], et memoria de Sancto [Præjecto], et de dominica, et de S. Maria.

Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus cum V. *Spiritus et alme*, et duæ missæ dominicales, scilicet *Omnis terra*, et *Adorate*, dicuntur in iv. et vi. Feria pro alta missa, et memoria de festo.

* '*Feria ii. missa* Salus populi.' Directorium (1495), Portif. 1525-6. *Cf.* p. cccclxxx. *n.*
† '*ad vesperas et matutinas de S. Maria.*] id est, *ad vesperas de S. Maria et ad matutinas de S. Maria*, scilicet in Officio Parvo B. Mariæ, quod, quandocunque non fieret Plenum Servitium de ea, Officio diei addendum erat.' (C. Seager, *Portif.* I. xlvi.)

Feria v., vi., et Sabbato post octavas Epyphaniæ, de commemorationibus, et memoria de Sanctis et de S. Maria.

4. D. Dominica prima post octavas Epyphaniæ, omnia ut supra ad 3. *D.*

Feria vi. et Sabbato de commemoratione, et nichil de tertia commemoratione.

Dominica Secunda, de Apostolo [Paulo] et memoria de Sancto [Præjecto], et de dominica, et de S. Maria.

Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in vi. Feria pro alta missa.

Dominica Tertia, de servitio dominicali, et memoria et mediæ lectiones de festo [S. Brigidæ]. In laudibus omnes antiphonæ. Secundæ vesperæ erunt de Purificatione, et memoria sub silentio de dominica.

Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus, cum ℣. *Spiritus et alme.*

5. D. Nota quod quando luna currit per 8, et in eodem anno fuerit bissextus : tunc in Cathedra S. Petri erit Septuagesima.

Feria iv. in crastino octavarum Epiphaniæ, de S. Felice; in missa dicuntur tres collectæ*.

Feria v., vi., et Sabbato, de commemorationibus, et memoria de Sanctis et de S. Maria.

Dominica prima post octavas Epiphaniæ tota cantetur hystoria et tantum memoria de festo [S. Priscæ], et de S. Maria. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

Dominica Secunda, de Apostolo [Paulo], et memoria de Sancto [Præjecto], de dominica, et de S. Maria.

Feria ii. et v., et Sabbato, de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo, et tunc ad altam missam dicuntur tantum duæ memoriæ.

Dominica Tertia, de dominica et mediæ lectiones de festo [S. Brigidæ]. Secundæ vesperæ erunt de Purificatione, et memoria sub silentio de dominica.

Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus, et memoria de Sanctis.

Dominica Quarta tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus, cum ℣. *Spiritus et alme.*

Feria iv. Epistola et Evangelium eiusdem feriæ.

Feria vi. missa de quinta dominica.

1. E. Nota quod quando luna currit per 5, et in eodem anno fuerit bissextus, tunc accipiatur 2. *E.*

LITTERA DOMINICALIS E.

Pridie idus Januarii totum servitium fiat de octava [Epyphaniæ], et hystoria *Domine ne in ira,* cum memoria inchoetur.

Feria v. et Sabbato de commemoratione. In Sabbato dicitur ℣. *Spiritus et alme,* et nichil de tertia commemoratione.

Feria iii., iv., et vi., de feria cum responsoriis de suis propriis ferialibus et non de hystoria dominicali, et nichil de sanctis ibidem contingentibus, nisi tantum memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria : et in his tribus feriis dicuntur missæ *In excelso, Omnis terra,* [et] *Adorate.*

* '*quinque Collectæ.*' Directorium (1495), Portif. 1525-6.

2\. E. Nota quod quando luna currit per 18, et in eodem anno fuerit bissextus, tunc accipietur 3. *E.*

Feria iii. in crastina octavæ Epiphaniæ, de S. Felice, in missa dicuntur tres collectæ*.

Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus, et memoria de Sanctis.

Dominica prima post octavas Epyphaniæ tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ, et festum S. Wulstani differatur in v. feriam.

Feria vi. de S. Maria, cum V. *Spiritus et alme*, et duæ missæ dominicales dicuntur in capitulo, iv. et vi. Feria.

3\. E. Nota quod quando luna currit per 1, et in eodem anno fuerit bissextus, tunc accipiatur 4. *E.*

Feria iii. post octavas Epiphaniæ de S. Felice : ad missam dicuntur tres collectæ*.

Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica prima post octavas, de S. Wulstano; et hystoria inchoetur cum memoria tantum ad altam missam, et memoria de S. Maria, et de omnibus sanctis tantum; missa dominicalis dicitur in capitulo sine memoria.

Feria v. et vi. de commemoratione, et nihil de tertia commemoratione.

Dominica Secunda tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus et missa *Adorate* in v. Feria dicitur pro missa de die : et memoria de festo [S. Batildæ].

Sabbato V. *Spiritus et alme* (p. 483).

4\. E. Nota quod quando luna currit per 14, et in eodem anno fuerit bissextus, tunc accipietur 5. *E.*

Feria iii. post octavas Epiphaniæ de S. Felice ad missam tres collectæ*.

Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica prima post octavas Epyphaniæ, et per Hebdomadam, ut supra ad 3 *E.*

Dominica Secunda post octavam Epiphaniæ tota cantetur historia. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica Tertia, de Purificatione, et memoria de dominica sub silentio.

Feria iii., vi., et Sabbato, de commemorationibus : missa dominicalis in ii. Feria, et memoria de Sancto [Blasio].

Sabbato dicitur V. *Spiritus et alme* (p. 483).

5\. E. Feria iii., iv., v., vi., et Sabbato post octavas Epiphaniæ, et per ebdomadam, omnia ut supra ad 4 *E.*

Dominica prima post octavas Epiphaniæ, et per ebdomadam, omnia ut supra ad 4. *E.*

Dominica Secunda post octavas Epiphaniæ tota cantetur hystoria.

Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica Tertia post octavas Epiphaniæ, de Purificatione, et memoria sub silentio de dominica.

Feria iii., vi., et Sabbato, de commemorationibus, et missa dominicalis in ii. Feria dicitur.

Dominica Quarta, totum servitium de dominica. In laudibus omnes antiphonæ.

* '*quinque Collectæ.*' Directorium (1495), Portif. 1525-6.

Feria iii. v. et Sabbato, de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.* Et in iv. Feria dicitur missa dominicalis dominicæ quintæ.

1. F. Littera Dominicalis F. Tredecimo die Januarii fiat servitium de octava Epiphaniæ, et mediæ lectiones de Sancto [Hilario], et hystoria *Domine ne in ira* inchoetur cum memoria, Ant. *Peccata mea,* et postea memoria de S. Maria.

Feria iii. et v. de commemoratione, et nichil de tertia commemoratione.

Feria ii., iv., et vi., de feria, et nichil de festis ibidem contingentibus nisi tantum memoria ad vesperas et matutinas de S. Maria, et in tribus diebus non dicitur R. de hystoria, sed R. de suis propriis feriis; lectiones tamen legantur per ordinem, et in his tribus feriis dicuntur tres missæ dominicales *In excelso, Omnis terra* et *Adorate,* et in v. Feria dicitur V. *Spiritus et alme.*

2. F. Nota quod quando luna currit per 7, et in eodem anno fuerit bissextus, tunc accipitur 3. *F.* pro littera dominicali.

Littera dominicalis F. Tredecimo die Januarii fiat servitium de octava Epyphaniæ, et mediæ lectiones de sancto [Hilario].

Feria iii., v., et vi., de commemorationibus, et memoria de Sanctis et de S. Maria. Feria iii. incipiantur Exequiæ Mortuorum.

Dominica prima post octavas Epyphaniæ, tota cantetur historia *Domine ne in ira.* In laudibus omnes antiphonæ : et festum [Fabiani et Sebastiani] differatur in iv. Feriam.

Feria v. et Sabbato, de commemoratione cum V. *Spiritus et alme;* et duæ missæ Dominicales dicantur in capitulo in ii. et iv. Feriis.

3. F. *Littera dominicalis F.* Tredecimo die Januarii, de octavis Epyphaniæ et mediæ lectiones de sancto [Hilario].

Feria iii., v., et vi., de commemorationibus, et memoria de Sanctis, et de S. Maria.

Dominica prima post octavas Epyphaniæ, de martyribus [Fabiano et Sebastiano], et hystoria *Domine ne in ira* inchoetur cum memoria, et missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria iv., v., et Sabbato, de commemorationibus cum V. *Spiritus et alme.*

Dominica Secunda, tota cantetur hystoria, et memoria tantum de Sancto [Juliano]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iii., iv., et v., de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme* (p. 483).

Et missa *Adorate* dicitur in vi. Feria; et memoria de festo [S. Pauli].

Sabbato festum Purificationis, secundæ vesperæ erunt de festo cum hymno *Quod chorus.* Nulla memoria de Sancto [Blasio] : sed de dominica fiat solennis memoria.

4. F. Nota quod quando luna currit per 3, et in eodem anno fuerit bissextus, tunc accipiatur 5. *F.*

Littera dominicalis F. Tertio decimo die Januarii fiat servitium de Octavis Epiphaniæ et mediæ lectiones de sancto [Hilario].

Feria iii., v., et vi., de commemorationibus.

Dominica prima post octavas Epyphaniæ, de martyribus [Fabiano et Sebastiano], et hystoria *Domine ne in ira* inchoetur cum memoria.

Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo.

Dominica Secunda tota cantetur hystoria. In laudibus una antiphona et memoria tantum de sancto [Juliano] et de S. Maria.

Feria iii., iv., et v., de commemorationibus.

Sabbato de Purificatione. Ad secundas vesperas fiat memoria de dominica sub silentio, nulla memoria de sancto.

Dominica Tertia de servitio dominicali, memoria et mediæ lectiones de sancto [Blasio]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria v., vi., et Sabbato, de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

Missa de quarta dominica in ii. Feria dicitur, et missa de quinta dominica prætermittatur.

5. F. *Littera dominicalis F.* Tredecimo die Januarii, de octavis Epyphaniæ, memoria et mediæ lectiones de sancto [Hilario].

Feria iii., v., et vi., de commemorationibus, et memoria de sanctis et de S. Maria.

Dominica prima post octavas Epiphaniæ, de martyribus [Fabiano et Sebastiano], et hystoria *Domine ne in ira* inchoetur cum memoria tantum.

Feria iv., v., et Sabbato, de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo in dominica.

Dominica Secunda, tota cantetur hystoria. In laudibus una sola antiphona et memoria tantum de S. Juliano et de S. Maria.

Feria iii., iv., et v. de commemorationibus. Sabbato festum Purificationis. Ad ii. vesperas memoria de dominica sub silentio et nichil de S. Blasio.

Dominica Tertia, de servitio dominicali, mediæ lectiones de S. Blasio, vesperæ erunt de dominica.

Feria ii. et v., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica Quarta, de dominica. In laudibus omnes antiphonæ: memoria et mediæ lectiones de festo [S. Scholasticæ].

Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme* (p. 483).

Feria iv. epistola et evangelium illius feriæ.

Feria vi. dicitur missa de quinta dominica.

1. G. Nota quod quando luna currit per 13, et in eodem anno fuerit bissextus tunc accipiatur 2 *G.*

LITTERA DOMINICALIS G. Quarto decimo die Januarii tota cantetur historia *Domine ne in ira:* tantum memoria de sancto [Felice] et de S. Maria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iii., iv., et v., de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.* Missa *Omnis terra* dicitur ii. feria et memoria de sancto [Mauro] : et missa *Adorate* dicitur in capitulo feria vi.

2. G. *Littera dominicalis G.* Quarto decimo die Januarii tota cantetur hystoria *Domine ne in ira*, et tantum memoria de sancto [Felice] et de S. Maria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iii., iv., et v., de commemorationibus.

Dominica Secunda de S. Agnete et missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria iii., iv., et Sabbato, de commemorationibus cum V. *Spiritus et alme*, et missa *Adorate* dicitur in vi. feria.

3. G. Nota quod quando luna currit per 9, et in eodem anno fuerit bissextus tunc accipietur 4. *G.*

Littera dominicalis G. Quarto decimo die Januarii tota cantetur hystoria *Domine ne in ira*, et tantum memoria de sancto et de S. Maria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iii., iv., et v., de commemorationibus.

Dominica Secunda, de S. Agnete, et memoria de dominica et de S. Maria.

Feria iii., iv., et Sabbato, de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in vi. feria.

Dominica Tertia, de servitio dominicali. In laudibus omnes antiphonæ, memoria et mediæ lectiones de festo [S. Agnetis, 2do].

Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

4. G. *Littera dominicalis G.* Quarto decimo die Januarii inchoetur hystoria *Domine ne in ira*, memoria et mediæ lectiones de sancto [Felice]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iii., iv., et v., de commemorationibus, et memoria de sanctis et de S. Maria.

Dominica Secunda de S. Agnete.

Feria iii., iv., et Sabbato, de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in vi. feria.

Dominica Tertia de servitio dominicali, et memoria et mediæ lectiones de festo [S. Agnetis 2do].

Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica Quarta tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iv., v., et Sabbato, de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

Feria vi. dicitur missa de quinta dominica.

5. G. *Littera dominicalis G.* Quarto decimo die Januarii inchoetur hystoria *Domine ne in ira*, memoria et mediæ lectiones de sancto [Felice]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iii., iv., et v. de commemorationibus.

Dominica Secunda de S. Agnete.

Feria iii., iv., et Sabbato, de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in vi. feria.

Dominica Tertia de servitio dominicali, et fiant mediæ lectiones de festo [S. Agnetis 2do].

Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus.

Dominica Quarta tota cantetur hystoria. Secundæ vesperæ erunt de festo [S. Agathæ], et memoria de dominica.

Feria iv., v., et Sabbato, de commemorationibus.

Feria vi. de feria. Epistola et evangelium ejusdem feriæ.

Dominica Quinta de servitio dominicali. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus cum V. *Spiritus et alme.*

In v. feria epistola et evangelium iv. feriæ.

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAS EPYPHANIÆ.

Ad primas Vesperas.

Ant. Benedictus. *Psalmus Ipsum*, ut in Psalterio notatum est in locis suis propriis* (p. 215).

Istæ Antiphonæ cum suis Psalmis dicuntur omnibus sabbatis per annum quando de Dominica agitur, præterquam in Paschali tempore. Idem autem ordo servetur in secundis Vesperis in suis Antiphonis dicendis.

Capitulum. (2 *Cor.* i. 3).

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Hoc Capitulum dicatur omnibus sabbatis ad Vesperas usque ad Septuagesimam, et a Deus omnium *usque ad Adventum Domini, quando de Dominica agitur.*

R. Deus qui sedes. *ii.* (p. ccccvii.)

Hymnus.

Deus creator omnium
polique rector, vestiens
diem decoro lumine,
noctem soporis gratia.

Artus solutos ut quies
reddat laboris usui:
mentesque fessas allevet,
luctusque solvat anxios.

Grates peracto jam die
et noctis exortu preces
votis reos ut adjuves:
hymnum canentes solvimus.

Te cordis ima concinant,
te vox canora concrepet,
te diligat castus amor,
te mens adoret sobria,

Ut cum profundo clauserit
diem caligo noctium:
fides tenebras nesciat,
et nox fidei luceat.

Dormire mentem ne sinas,
dormire culpam noveris,
castos fides refrigerans
somni vaporem temperet.

Exuta sensu lubrico
te cordis alta somnient,
ne hostis invidi dolo
pavor quietos suscitet.

Christum rogemus et Patrem
Christi Patrisque Spiritum,
unum potens per omnia
fove precantes Trinitas. Amen.

Sequens Versus, scilicet Gloria tibi, Domine, *dicitur quotidie in fine Hymnorum usque ad Purificationem, nisi in fine Hymni* Deus creator.

V. Vespertina oratio: ascendat ad te, Domine. Et descendat super nos misericordia tua.

Iste Versus dicatur in omnibus Sabbatis ad Vesperas usque ad Quadragesimam, et a Deus omnium *usque ad Adventum Domini, quando de Dominica agitur.*

Ant. Peccata mea, Domine, sicut sagittæ infixa sunt in me: sed antequam vulnera generent in me: sana me, Domine, medicamento pœnitentiæ, Deus. *Ps.* Magnificat.

Hæc Antiphona dicatur in omnibus Sabbatis super Psalmum Magnificat *ad Vesperas usque ad Septuagesimam, vel ad Memoriam de Dominica, cum de aliquo Festo ix. Lectionum fit servitium.*

Oratio. Vota, quæsumus, Domine, supplicantis populi cælesti pietate prosequere: ut et quæ agenda sunt videant, et ad implenda quæ viderint convalescant. Per Dominum.

Memoria de sancta Maria, ut supra, usque ad Purificationem.

Si in hoc Sabbato, vel in alio

* '*Ps.* Ipsum.' Cf. p. ccccvii. *n.*

abhinc usque ad Passionem, vel ab Octavis Paschæ usque ad Ascensionem Domini, vel a Festo Trinitatis usque ad Adventum Domini, aliquod simplex Festum ix Lectionum evenerit, Vesperæ fiant de Dominica et Memoria de Festo, nisi tale fuerit quod in Vigilia præcedenti suas Vesperas habere non poterat : vel nisi Octavæ Epyphaniæ in hoc Sabbato contigerint : et nisi tale Festum in Dominica contigerit de quo totum servitium fieri debeat : tunc enim in Sabbato Vesperæ de ipso Festo erunt, cum toto suo servitio in ipsa Dominica, usque ad Septuagesimam si tempus prolixum fuerit, et Memoria de Dominica, et postea de sancta Maria, scilicet usque ad Purificationem. Tamen si aliquod Festum iii Lectionum in ipsa Dominica contigerit, tunc in primis fiat de eo Memoria, deinde de Dominica, et postea de sancta Maria, ad primas Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam. Quandocunque vero Festum ix Lectionum in secunda feria contigerit, semper in Dominica erunt Vesperæ de Festo et Memoria de Dominica, nisi duplex Festum in sabbato præcedenti celebratum fuerit.

Ad Completorium.

Ant. Miserere.
Ps. Cum invocarem (*iv.* p. 222).
Et cetera ut supra in crastino Octavarum Epyphaniæ, scilicet in Festo sancti Mauri abbatis.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Præoccupemus faciem Domini, Et in Psalmis jubilemus ei. *Ps.* Venite.

Hoc Invitatorium dicatur in omnibus Dominicis usque ad Septuagesimam, quando de Dominica agitur.

Hymnus.

Primo dierum omnium
quo mundus extat conditus,
vel quo resurgens conditor
nos morte victa liberet.

Pulsis procul torporibus
surgamus omnes ocius,
et nocte quæramus pium
sicut prophetam novimus.

Nostras preces ut audiat,
suamque dextram porrigat :
et expiatos sordibus,
reddat polorum sedibus.

Ut quique sacratissimo
hujus diei tempore
horis quietis psallimus :
donis beatis muneret.

Jam nunc paterna claritas
te postulamus affatim,
absit libido sordidans
omnisque actus noxius.

Ne fœda sit vel lubrica
compago nostri corporis :
per quam averni ignibus
ipsi crememur acrius.

Ob hoc, Redemptor, quæsumus
ut probra nostra diluas :
vitæ perennis commoda
nobis benignus conferas.

Quo carnis actu exules
effecti ipsi cælibes :
ut præstolamur cernui,
melos canamus gloriæ.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar unice (p. 6).

In primo Nocturno.

Ant. Servite Domino in timore.
Psalmi. Beatus vir (p. 5).
Quare fremuerunt.
Domine, quid.
Domine, ne in furore *i.*

Et dicantur sub una voce, nullum Psalmum exaltando: et sub uno Gloria Patri *dicantur.*

Ant. Domine Deus meus, in te speravi.

*Psalmus Ipsum**, *usque ad Psalmum* Salvum me fac. *Sub uno* Gloria *dicantur* (pp. 10—15).

Ant. Respice et exaudi me Domine Deus meus.

Ps. Salvum me fac (*xi.* p. 15). *Sub uno* Gloria *dicuntur Psalmi usque ad Psalmum* Conserva (pp. 15—17).

Hæ prædictæ Antiphonæ cum suis Psalmis, et aliæ quæ sequuntur in Nocturnis dicantur omnibus diebus Dominicis usque ad Passionem Domini, quando de Dominica agitur.

V. Memor fui nocte : nominis tui, Domine.

R. Et custodivi legem tuam.

Hac die incipiantur Epistolæ Pauli : et legantur in Dominicis et in Feriis usque ad Septuagesimam, quando de temporali agitur.

Lectiones de Epistola Pauli ad Romanos.

Lectio i. (*Rom. i.* 1.)

Paulus servus Christi Jesu vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri : per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus ; in quibus estis et vos vocati Jesu Christi Domini nostri : omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis, gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo. Tu autem Domine miserere nostri.

R. 1. Domine, ne in ira tua arguas me, neque* in furore tuo corripias me. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.

V. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ, et dixi. Miserere.

Lectio ii. (*Rom. i.* 8).

Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis : quia fides vestra annunciatur in uniuerso mundo. Testis enim michi est Deus cui servio in spiritu meo in evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis : obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, ut aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, id est simul consolari in vobis, per eam quæ invicem est fidem vestram atque meam.

R. 2. Deus qui sedes super thronum et judicas æquitatem : esto refugium pauperum in tribulatione. Quia tu solus laborem et dolorem consideras.

V. Tibi enim derelictus est pauper : pupillo tu eris adjutor. Quia tu solus laborem.

Lectio iii. (*Rom. i.* 13.)

Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc : ut aliquem fructum habeam in vobis sicut et in ceteris gentibus. Grecis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum : ita quod in me promptum est et vobis qui Romæ estis evangelizare. Non enim erubesco evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti : Judeo primum et Greco. Justicia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem : sicut scriptum est, Justus autem ex fide vivit.

* '*Psalmus* Ipsum.'; quasi diceret, is Psalmus cujus initium idem est, et nihil aliud sonat, quam initium Antiphonæ cujusdam jam supradictæ: ut in hoc loco Psalmus vii. (p. 10) *ipsum* est, aut nihil aliud, quoad nomen vel titulum *Domine Deus meus in te speravi* adtinet, quam Antiphona prælibata, viz. *Domine Deus meus* (p. 15).

R. 3. A dextris est michi Dominus ne commovear. Propter hoc dilatatum est cor meum. Et exultavit lingua mea.

V. Conserva me, Domine, quoniam in te speravi, dixi Domino, Deus meus es tu. Propter hoc. Gloria. Et exultavit.

In secundo Nocturno.

Ant. Bonorum meorum non indiges, in te speravi, conserva me, Domine.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

Ant. Inclina, Domine, aurem tuam michi, et exaudi verba mea.

Ps. Exaudi, Domine (*xvi.* p. 19).

Ant. Dominus firmamentum meum et refugium meum.

Ps. Diligam (*xvii.* p. 20).

V. Media nocte surgebam : ad confitendum tibi.

R. Super judicia justificationis tuæ.

Lectio iiii. (*Rom. i.* 18.)

Revelatur enim ira Dei de cælo super impietatem et omnem injusticiam hominum, eorum qui veritatem Dei in injusticia detinent : quia quod notum est Dei manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immundiciam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis : quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in secula. Amen. Tu autem.

R. 4. Notas michi fecisti, Domine, vias vitæ, adimplebis me læticia cum vultu tuo. Delectationes in dextera tua usque in finem.

V. Conserva me, Domine, quoniam in te speravi, dixi Domino, Deus meus es tu. Delectationes.

Lectio v. (*Rom. i.* 26—32.)

Tradidit Deus impios et injustos homines in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi relicto naturali usu feminæ exarserunt in desideriis suis : invicem masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in noticia, tradidit illos Deus in reprobum sensum : ut faciant ea quæ non conveniunt : repletos omni iniquitate, malicia, fornicatione, avaricia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cum justiciam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte. Non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

R. 5. Diligam te, Domine, virtus mea. Dominus firmamentum meum et refugium meum.

V. Laudans invocabo Dominum : et ab inimicis meis salvus ero. Dominus.

Lectio vi. (*Rom. cap. ii.* 1.)

Propter quod inexcusabilis es, O homo : omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis quæ judicas. Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, O homo qui judicas eos qui talia agunt et facis ea, quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duriciam autem tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique juxta opera sua : his quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem quærentibus vitam æternam. His autem qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati : ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam operantis malum, Judei primum, et Greci. Gloria autem, honor, et pax omni operanti bonum : Judeo primum, et Greco.

R. 6. Domini est terra et plenitudo ejus. Orbis terrarum et universi Qui habitant in eo.

V. Ipse super maria fundavit eum : et super flumina præparavit eum. Orbis. Gloria. Qui.

In tertio Nocturno.

Ant. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

Ant. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

Ps. Exaudiat (*xix.* p. 25).

Ant. Domine, in virtute tua lætabitur rex.

Psalmus Ipsum (*xx.* p. 26).

V. Exaltare, Domine, in virtute tua.

R. Cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Secundum Lucam ii. (42—52).

Cum factus esset Jesus annorum duodecim : ascendentibus illis Hierosolimam secundum consuetudinem diei festi : consummatisque diebus ut redirent remansit puer Jesus in Hierusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbiteri (*xi. libri primi. b.*).

Quod Dominus per omnes annos cum parentibus in pascha Hierosolymam venit, humanæ nimirum est humilitatis indicium. Hominis namque est ad offerenda Deo sacrificiorum spiritualium vota concurrere, et auctorem suum orationibus lachrimisque sibi conciliare profusis. Fecit ergo Dominus inter homines homo natus, quod faciendum hominibus per angelos imperaverat Deus. Servavit ipse legem quam dedit, ut nobis qui puri homines sumus servandum per omnia quicquid Deus jubet ostenderet. Sequamur ergo iter humanæ conversationis ejus si Deitatis gloriam delectamur intueri : si optamus videre eum, et habitare in domo æterna in cælis omnibus diebus vitæ nostræ : si juvat videre voluntatem Domini, et protegi a templo sancto ejus. Et ne ulla in æternum malorum aura pulsemur, meminerimus præsentis ecclesiæ domum necessariis precum mundarum frequentare muneribus.

R. 7. Ad te, Domine, levavi animam meam. Deus meus, in te confido, non erubescam.

V. Neque irrideant me inimici mei, etenim universi qui sustinent te confundentur. Deus.

Lectio viii. Quod ipse duodennis in templo sedit in medio doctorum audiens et interrogans illos, humanæ

fragilitatis est indicium, immo etiam eximium discendæ humilitatis exemplum. Dei quippe virtus et Dei sapientia æternaque Divinitas loquitur, Ego sapientia habito in consilio : et eruditis intersum cogitationibus. Meum est consilium et æquitas : mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant : et conditores legum justa decernunt. Beatus autem homo qui audit me : et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Ipsa homine induta ad erudiendos homines advenire dignata est, ut nimirum hominibus quamvis summo ingenio præditis necessariam discendi verbi formam prærogaret : ne si qui discipuli veritatis fieri refugerent, magistri efficerentur erroris.

R. 8. Audi, Domine, vocem laudis tuæ. Ut enarrem universa mirabilia tua.

V. Domine, dilexisti decorem domus tuæ : et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ut enarrem.

Lectio ix. Bene qui juvenis erat doctrinæ subiturus officium, puerulus adhuc seniores audit et interrogat : ut videlicet provida dispensatione eorum compescat audaciam, qui non solum indocti sed etiam impubes ad docendum prorumpere magis quam ad discendum volunt submitti. Sequamur iter ejus humanitatis si nos mansio divinæ delectat visionis : memores semper illius præcepti; Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ : ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. Per auditum quippe disciplinæ paternæ, ac per observantiam maternæ legis, gratia capiti nostro et collo torques additur : quia quanto quis divinis intentus fuerit auscultare præceptis, quanto ea quæ didicerit in unitate matris ecclesiæ diligentius observare studuerit, tanto et nunc dignius ad honorem prædicandi, et in futuro sublimius ascendet ad beatitudinem cum Christo sine fine regnandi.

R. 9. Abscondi tanquam aurum peccata mea : et celavi in sinu meo iniquitatem meam. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

V. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et delictum meum contra me est semper : tibi soli peccavi. Miserere. Gloria. Miserere.

Hoc Responsorium subsequens non dicitur ad Matutinas : sed ad Processionem in ferialibus diebus per Quadragesimam.

R. Afflicti pro peccatis nostris, quotidie cum lachrymis expectemus finem nostrum, dolor cordis nostri ascendat ad te, Domine, Ut eruas nos a malis quæ innovantur in nobis.

V. Domine Deus Israel, exaudi preces nostras : auribus percipe dolorem cordis nostri. Ut.

Versiculus ante Laudes. Excelsus super omnes gentes Dominus.

R. Et super cælos gloria ejus.

Iste Versus et alii prædicti Versus de Nocturnis dicuntur usque ad Quadragesimam, et a Deus omnium *usque ad Adventum, quando de Dominica agitur.*

In Laudibus.

Ant. Regnavit Dominus præcinctus fortitudine cum decore virtutum, cujus sedes est in æternum.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. Sciamus omnes quia Dominus ipse est Deus, cui jubilemus et laudemus nomen ejus in æternum.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Benedicam te, Domine, in vita mea, ut videam virtutem tuam et gloriam tuam.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Omnis creatura cæli et terræ

benedicat Dominum : hymnum dicat et superexaltet eum in secula.

Ps. Benedicite (p. 31).

Ant. Spiritus omnis laudet Dominum, quia ipse dixit, et facta sunt omnia : mandavit, et creata sunt universa.

Ps. Laudate (*cxlviii.—cl.* p. 32).

Istæ prædictæ Antiphonæ super Laudes dicuntur hac die Dominica, et quando ultimo cantetur Hystoria Domine ne in ira *ante Septuagesimam tantum, ceteris autem mediis Dominicis prima istarum Antiphonarum tantum dicitur. Quando vero aliquod Festum ix Lectionum in prima Dominica qua inchoanda est Hystoria prædicta celebratum fuerit, vel Memoria facta fuerit : tunc in proxima Dominica sequenti dicitur hæc sola Antiphona* Regnavit Dominus, *nisi ultima fuerit Dominica ante Septuagesimam, in qua Dominica omnes Antiphonæ dicantur.*

Capitulum. (*Apoc. vii.* 12.)

Benedictio et claritas, et sapientia et gratiarum actio : honor et virtus et fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.

Hymnus.

Æterne rerum conditor,
noctem diemque qui regis :
et temporum das tempora
ut alleves fastidium.

Præco diei jam sonet
noctis profundæ pervigil
nocturna lux viantibus
a nocte noctem segregans.

Hoc excitatus lucifer
solvit polum caligine :
hoc omnis errorum chorus
viam nocendi deserit.

Hoc nauta vires colligit,
pontique mitescunt freta :
hoc ipsa petra ecclesiæ
canente culpam diluit.

Surgamus omnes strennue,
gallus jacentes excitat :
et somnolentos increpat
gallus negantes arguit.

Gallo canente spes redit
ægris salus refunditur :
mucro latronis conditur,
lapsis fides revertitur.

Jesu, labentes respice,
et nos videndo corrige :
si respicis lapsus cadunt
fletuque culpa solvitur.

Tu lux refulge sensibus
mentisque somnum discute :
te nostra vox primum sonet,
et vota solvamus tibi

Deo Patri (p. clxvi.).

V. Dominus regnavit.

R. Decorem induit. Alleluya.

Iste Versus cum prædicto Capitulo dicatur in omnibus Dominicis ante Laudes usque ad Septuagesimam, et a Deus omnium *usque ad Adventum Domini, quando de Dominica agitur.*

Ant. Fili, quid fecisti nobis sic, ego et pater tuus dolentes quærebamus te : quid est quod me quærebatis, nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse.

Ps. Benedictus (p. 31).

Oratio. Vota, quæsumus, Domine (p. ccciv).

Memoria de sancta Maria.

Ad Primam.

Hymnus. Jam lucis, *p.* 37.

Ant. Dominus regit me, et nichil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.

Ps. Deus Deus meus respice (*xxi.* p. 37).

Et ceteri Psalmi consueti dicantur, sicut in prima Dominica Adventus Domini prænotatum est, cum prædicta Antiphona omnibus Dominicis usque ad Septuagesimam, et a Deus

omnium *usque ad Adventum Domini, quando de Dominica agitur tantum.*

Cetera omnia quæ ad Primam pertinent more solito expleantur : ita tamen quod usque ad Purificationem dicatur Responsorium Jesu Christe *cum Versu* Qui de virgine.

AD TERTIAM.

Hymnus. Nunc sancte, *p.* 57.
Ant. Laus et perennis.
Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).
Cap. Gratia Domini.
R. Inclina cor meum.
V. Ego dixi.
Ut in Psalterio notatur : cum Oratione Vota, quæsumus (p. cccciii.).

AD SEXTAM.

Hymnus. Rector potens, *p.* 61.
Ant. Gloria laudis.
Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).
Cap. Tres sunt.
R. In æternum.
V. Dominus regit.
Ut in Psalterio notatum est.
Oratio. Vota, quæsumus.

AD NONAM.

Hymnus. Rerum Deus, *p.* 65.
Ant. Ex quo.
Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).
Cap. Unus Dominus.
R. Clamavi.
V. Ab occultis. *Ut in Psalterio notatum est.*
Oratio. Vota, quæsumus, Domine.

Istæ Horæ supradicto modo dicuntur usque ad Septuagesimam in diebus Dominicis tantum, et a Deus omnium *usque ad Adventum Domini, quando de Dominica agitur.*

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ant. Sede a dextris.
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, sicut in Psalterio notatum est.

Capitulum. (2 *Thess. iii.* 5.)

Dominus autem dirigat corda et corpora nostra in charitate Dei, et patientia Christi. Deo gratias.

Hoc capitulum dicatur in omnibus Dominicis, et in feriis, usque ad Septuagesimam, et a Deus omnium *usque ad Adventum Domini ad Vesperas, quando de Temporali agitur. Dicetur etiam in feriis infra Septuagesimam usque ad Quadragesimam ad Vesperas, quando de feria agitur.*

Hymnus. Lucis creator. *Require in Psalterio* (p. 195).

Hic Hymnus dicatur ad Vesperas omnibus Dominicis usque ad Quadragesimam : dicetur etiam a Deus omnium *usque ad Adventum Domini, tam in feriis quam in Dominicis, quando de Temporali agitur.*

V. Dirigatur, Domine.

Iste Versus dicatur ad Vesperas omnibus Dominicis diebus et in feriis usque ad quadragesimam, et a Deus omnium *usque ad Adventum Domini, quando de Temporali agitur.*

Ant. Puer Jesus proficiebat ætate et sapientia : coram Deo et hominibus.
Ps. Magnificat.
Oratio. Vota, quæsumus, Domine (p. cccciv.).

FERIA II.

Invitatorium. Venite, exultemus Domino.
Ps. Jubilemus Deo (*xciv.* 1. *b.* p. 2).
Hymnus. Somno refectis artubus, p. 69.

Ad Nocturnum.

Ant. Dominus defensor.
Ps. Dominus illuminatio (*xxvi.* p. 69).
Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, sicut in Psalterio notatum est.

V. Domine in cælo misericordia tua.

R. Et veritas tua usque ad nubes.

Lectio i. (*Roma. ii.* [12].)

Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Tu.

R. 1. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine. Quam abscondisti timentibus te.

V. Perfecisti eis qui sperant in te : in conspectu filiorum hominum. Quam abscondisti.

Lectio ii. (*Rom. ii.* [14].)

Cum enim gentes quæ legem non habent naturaliter, ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes: ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die cum judicaverit Deus occulta hominum secundum evangelium meum, per Jesum Christum. Tu autem.

R. 2. Benedicam Dominum in omni tempore. Semper laus ejus in ore meo.

V. In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti et lætentur. Semper.

Lectio iii. (*Rom. ii.* 17.)

Si autem tu Judeus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora instructus per legem : confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ et veritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipsum non doces ? Qui prædicas non furandum, furaris ? Qui dicis non mœchandum, mœcharis ? Qui abominaris ydola, sacrilegium facis ? Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras ? Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes : sicut scriptum est. Circuncisio quidem prodest, si legem observes. Si autem prævaricator legis sis, circuncisio tua præputium facta est.

R. 3. Delectare in Domino. Et dabit tibi petitiones cordis tui.

V. Spera in Domino et fac bonitatem : et inhabita terram et pasceris in divitiis ejus. Et dabit. Gloria. Et.

V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

R. Quemadmodum speravimus in te.

Iste Versus dicitur ante Laudes in omnibus feriis a Domine ne in ira *usque ad Quadragesimam, et a* Deus omnium *usque ad Adventum Domini, quando de feria agitur.*

In Laudibus.

Ant. Miserere.

Ps. *Ipsum* (*l.* p. 85).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio notatum est.

Capitulum. (1 *Corinth. xvi.* [13].)

Vigilate et orate, state in fide, viriliter agite, et confortamini : et omnia vestra in charitate fiant.

Hoc capitulum dicatur in omnibus feriis ad Laudes usque ad Caput Jejunii, et a Deus omnium *usque ad Adventum Domini, quando de feria agitur.*

Hymnus. Splendor paternæ gloriæ. *ut in Psalterio notatur* (p. 88).

V. In matutinis, Domine, meditabor in te.

R. Quia fuisti adjutor meus.

Iste Versus dicatur in omnibus feriis ad Laudes usque ad Quadra-

gesimam, et a Deus omnium *usque ad Adventum Domini, quando de feria agitur.*

Ant. Benedictus Deus Israel.

Ps. *Ipsum* (p. 35).

Kyrieleyson.

Preces ut in Psalterio notatum est post nocturnum Dominus illuminatio mea (p. 89)*.

Oratio. Vota, quæsumus.

Quotidie fiant Memoriæ de sancta Maria, et de Omnibus Sanctis, in feriis et in Festis iii Lectionum, usque ad Caput Jejunii tam ad Vesperas quam ad Matutinas.

De sancta Maria fiat Memoria supradicto modo usque ad Purificationem. Post Purificationem vero usque ad Caput Jejunii, in profestis diebus:

Ad Matutinas.

Memoria de sancta MARIA (pp. 91, 93).

Ant. Beata mater. *V.* Post partum. *Oratio.* Famulorum. *Vel Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, nos famulos. *Non dicitur Oratio* Concede, quæsumus, misericors Deus, fragilitati *ad Memoriam de sancta Maria: nisi ad processionem tantum.*

Memoria de OMNIBUS SANCTIS (p. 93).

Ant. Exultabunt sancti. *V.* Mirabilis Deus. *Oratio.* Infirmitatem. *Alia Oratio.* Omnium sanctorum. *Alia Oratio.* Vide, Domine. *Oratio.* Tribue, quæsumus, Domine.

AD PRIMAM.

Ant. Deus, exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Ps. Deus, in nomine tuo (*liii.* p. 42).

Cetera omnia quæ ad Primam pertinent, ut in secunda feria Adventus Domini supra dictum est, expleantur: ita tamen quod Responsorium Jesu Christe *dicatur usque ad Purificationem, cum Versu* Qui de Virgine [dignatus es nasci, Miserere nobis, &c., *p.* 50].

AD TERTIAM.

Ant. Veniat michi.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Cap. Sana me, Domine.

R. Sana Domine. *V.* Adjutor.

Require omnia ista in Psalterio post Legem pone.

AD SEXTAM.

Ant. Non confundar.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Cap. Omnia probate.

R. Benedicam. *V.* Dominus regit me.

Require omnia ista post Psalmum Defecit *in Psalterio.*

AD NONAM.

Ant. Juxta eloquium.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Cap. Alter alterius.

R. Redime me. *V.* Ab occultis.

Require omnia ista in Psalterio post Psalmum Mirabilia.

Horæ prædictæ dicuntur supradicto modo in omnibus feriis usque ad Quadragesimam, et a Deus omnium *usque ad Adventum Domini, quando de feria agitur.*

AD VESPERAS.

Ant. Inclinavit.

Ps. Dilexi (*cxiiii.* p. 196).

Cap. Dominus autem dirigat.

Hymnus. Immense cæli conditor.

* *hoc est*, post Matutinas (et Laudes) de ii. Feria (pp. 69—89) quæ initium habent cum Ps. xxvi., p. 69.

V. Dirigatur.
Ant. Magnificet.
Ps. Magnificat.
Require omnia ista in Psalterio cum suis Antiphonis, sicut ibidem notatum est.

Preces et Oratio ut supra.

Memoria de SANCTA MARIA *ut supra usque ad Purificationem. Post Purificationem, Ant.* Sancta Maria. *V.* Sancta Dei genitrix.

Vel alia Ant. Sancta Dei genitrix. *V.* Post partum.

Vel alia Ant. In prole mater. *V.* Sancta Dei genitrix.

Oratio. Famulorum. *Vel Oratio.* Omnipotens sempiterne. *ut supra ad Matutinas.*

Memoria de OMNIBUS SANCTIS.

Ant. Sancti Dei omnes. *Vel Ant.* Sanctorum precibus. *Vel Ant.* Omnes electi. *Vel Ant.* O quam.

V. Lætamini.

Oratio. Infirmitatem. *Vel aliæ Orationes, ut supra ad Matutinas : quære in secunda feria post Hystoriam* Deus omnium.

Isti duo Versus, qui dicuntur ad Memoriam de Omnibus Sanctis, videlicet ad Matutinas et ad Vesperas, non variantur : nisi quando Versus Lætamini *ad primas Vesperas de die dicitur : tunc ad Memoriam de Omnibus Sanctis dicetur Versus* Exultent justi. *Similiter ad Matutinas, quando Versus* Mirabilis Deus *in Laudibus dicitur : tunc ad Memoriam de Omnibus Sanctis dicetur Versus* Justorum animæ (p. 95). *Quod per totum annum observetur : nisi in Adventu Domini, et in tempore Paschali, et cetera.*

FERIA III.

Invitatorium. Jubilemus (p. 95).
Ps. Venite (*xciiii.* p. 2).
Hymnus. Consors paterni luminis.
Super Nocturnum, Ant. Ut non delinquam [in lingua mea].
Ps. Dixi custodiam (*xxxviii.* p. 95).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est.

V. Immola Deo sacrificium laudis.
R. Et redde Altissimo vota tua.

Lectio i. (*Roma. ii.* 26.)

Si igitur præputium justitias legis custodiat : nonne præputium illius in circuncisionem reputabitur, et judicabit quod ex natura est præputium, legem consummans, te qui per litteram et circuncisionem prævaricator legis es? Non enim qui in manifesto Judeus est, neque quæ in manifesto in carne est circuncisio : sed qui in abscondito Judeus est, et circuncisio cordis in spiritu non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

R. 1. Auribus percipe, Domine, lachrymas meas, ne sileas a me : remitte michi. Quoniam incola ego sum apud te et peregrinus.

V. Dixi custodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea. Quoniam incola.

Lectio ii. (*Roma. iii.* 1.)

Quid ergo amplius est Judeo, aut quæ utilitas circuncisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim si quidam eorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, Ut justificeris in sermonibus tuis : et vincas cum judicaris.

R. 2. Statuit Dominus supra petram pedes meos : et direxit gressus meos Deus meus. Et immisit in os meum canticum novum.

V. Expectans expectavi Dominum : et respexit me. Et immisit.

Lectio iii. [*Rom. iii.* 5.]

Si autem iniquitas nostra justiciam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus Deus est qui infert iram? Secundum hominem dico. Absit. Alioquin, quomodo judicabit Deus hunc mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc et ego tanquam peccator judicor; et non sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere, Faciamus mala ut veniant bona? Quorum damnatio justa est. Tu autem.

R. 3. Ego dixi, Domine, miserere mei. Sana animam meam quia peccavi tibi.

V. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Sana. Gloria. Sana.

V. Fiat misericordia tua.

In Laudibus.

Ant. Secundum magnam. *Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est* (p. 109).

Cap. Vigilate.

Hymnus. Ales diei nuncius, *p.* 111.

V. In matutinis.

Ant. Erexit Dominus. *Ps.* Benedictus. *Ut in Psalterio ibidem notatum est* (35).

Ad Vesperas.

Ant. In domum.

Ps. Lætatus (*cxxi.* p. 199).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est.

Cap. Dominus autem dirigat.

Hymnus. Telluris ingens conditor, *p.* 201.

V. Dirigatur, Domine.

Ant. Exultavit.

Ps. Magnificat (p. 221).

Ut in Psalterio ibidem notatum est.

Feria iv.

Invitatorium. In manu tua (p. 111).

Ps. Venite.

Hymnus. Rerum Creator optime.

Super Nocturnum, Ant. Avertet Dominus.

Ps. Dixit insipiens (*lii.* p. 112).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est.

V. Deus, vitam meam annunciavi tibi.

R. Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.

Lectio i. (*Roma. iii.* 9.)

Quid igitur? Præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Judeos atque Grecos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est: quia non est justus quisquam; non est intelligens; non est requirens Deum. Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum. Tu autem, Domine.

R. 1. Ne perdideris me, Domine, cum iniquitatibus meis. Neque in finem iratus reserves mala mea.

V. Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Neque in.

Lectio ii. [*Rom. iii.* 19.]

Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, et fiat subditus omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non justifica-

bitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege justicia Dei manifestata est : testificata a lege et prophetis. Tu autem, Domine, miserere nostri.

R. 2. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Cantabo et psalmum dicam Domino.

V. Exurge gloria mea : exurge psalterium et cythara, exurgam diluculo. Cantabo et psalmum.

Lectio iii. [*Rom. iii.* 22.]

Justitia autem Dei est per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei : justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justiciæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore : ut sit ipse justus, et justificans eum qui ex fide est Jesu Christi.

R. 3. Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es. Deus meus misericordia mea.

V. Eripe me de inimicis meis, Deus meus : et ab insurgentibus in me libera me. Deus. Gloria. Deus.

V. Fiat misericordia tua, Domine.

In Laudibus.

Ant. Amplius (p. 126).

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est.

Cap. Vigilate.

Hymnus. Nox et tenebræ, *p.* 127.

V. In matutinis.

Ant. Salutem. *Ut in Psalterio ibidem notatum est.*

Ad Vesperas.

Ant. Beatus vir (p. 202). *Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est.*

Cap. Dominus autem (p. 195).

Hymnus. Cæli Deus, *p.* 204.

V. Dirigatur.

Ant. Respexisti (p. 204).

Ps. Magnificat.

Ut in Psalterio ibidem notatum est.

Feria v.

Invitatorium. Adoremus Dominum [Quoniam ipse fecit nos].

Ps. Venite.

Hymnus. Nox atra, *p.* 128.

Super Nocturnum, Ant. Domine Deus.

Ps. Salvum *secundus* (*lxviii.* p. 128).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est.

V. Gaudebunt labia mea cum cantavero tibi.

R. Et anima mea quam redemisti.

Lectio i. (*Roma. iii.* 27.)

Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem, sine operibus legis. An Judeorum Deus tantum? Nonne et gentium? Immo et gentium. Quoniam quidem unus est Deus qui justificat circuncisionem ex fide : et præputium per fidem.

R. 1. Deus, in te speravi, Domine : non confundar in æternum. In tua justitia libera me et eripe me.

V. Esto michi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias. In tua.

Lectio ii. (*Rom. iii.* 31.)

Legem ergo destruimus per fidem? Absit : sed et legem statuimus. Quid ergo dicemus invenisse Abraham pa-

trem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus legis justificatus est : habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham Deo : et reputatum est ei ad justitiam.

R. 2. Repleatur os meum laude, ut hymnum dicam gloriæ tuæ : tota die magnificentiæ tuæ, noli me projicere in tempore senectutis. Cum defecerit virtus mea, Deus, ne derelinquas me.

V. Gaudebunt labia mea cum cantavero tibi : et anima mea quam redemisti. Cum defecerit virtus.

Lectio iii. (*Rom. iv.* 4.)

Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam : sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secundum propositum gratiæ Dei : sicut et David dicit beatitudinem hominis cui Deus accepto fert justitiam sine operibus, Beati quorum remissæ sunt iniquitates : et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circuncisione tantum manet : an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? In circuncisione an in præputio? Non in circuncisione : sed in præputio. Tu autem, Domine.

R. 3. Gaudebunt labia mea dum cantavero tibi. Et anima mea quam redemisti, Domine.

V. Sed et lingua mea meditabitur justitiam tuam tota die laudem tuam.

Et. Gloria. Et.

V. Fiat misericordia.

In Laudibus.

Ant. Tibi soli (p. 145).

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem [p. 145] *notatum est.*

Cap. Vigilate et orate.

Hymnus. Lux ecce, *p.* 148.

V. In matutinis.

Ant. In sanctitate.

Ps. Benedictus. *Ut in Psalterio ibidem notatum est.*

Ad Vesperas.

Ant. Et omnis (p. 205).

Ps. Memento (*cxxxi.* p. 204).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est.

Cap. Dominus autem dirigat.

Hymnus. Magnæ Deus potentiæ, *p.* 209.

V. Dirigatur.

Ant. Deposuit.

Ps. Magnificat. *Ut in Psalterio ibidem notatum est.*

Feria vi.

Invitatorium. Dominum qui (p. 149).

Ps. Venite.

Hymnus. Tu Trinitatis unitas.

Super Nocturnum, Ant. Exultate.

Ps. *Ipsum* (*lxxx.* p. 149).

Et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est.

V. Intret oratio mea in conspectu tuo (p. 165).

Lectio i. (*Rom. iv.* 11.)

Et signum accepit circuncisionis, signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio : ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justiciam : et sit pater circuncisionis, non his tantum qui sunt ex circuncisione, sed et his qui sectantur vestigia fidei quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.

1 *R.* Confitebor tibi, Domine Deus, in toto corde meo, et honorificabo nomen tuum in æternum. Quia

misericordia tua, Domine, magna est super me.

V. Et eripuisti animam meam ex inferno inferiori.

Quia.

Lectio ii. (*Rom. iv.* 13.)

Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut heres esset mundi : sed per justitiam fidei. Si enim qui ex lege heredes sunt : exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim : iram operatur. Ubi enim non est lex : nec prævaricatio. Tu autem, Domine.

2 *R.* Misericordia tua, Domine, magna est super me. Et liberasti animam meam ex inferno inferiori.

V. Deus, iniqui insurrexerunt in me, et fortes quæsierunt animam meam. Et liberasti.

Lectio iii. (*Rom. iv.* 16.)

Ideo ex fide : ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini. Non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrum : sicut scriptum est, quia patrem multarum gentium posui te ante Deum; cui credidisti, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.

3 *R.* Factus est michi Dominus in refugium. Et Deus meus in auxilium spei meæ.

V. Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. Et Deus. Gloria. Et.

V. Fiat misericordia.

In Laudibus.

Ant. Spiritu principali (p. 165).

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, sicut in Psalterio ibidem notatum est.

Cap. Vigilate et orate.

Hymnus. Æterna cæli gloria, *p.* 168.

Isti prædicti Hymni feriales, et prædicti Hymni dominicales, scilicet Deus Creator omnium, *et* Primo dierum, *et* Æterne rerum *hoc eodem ordine dicuntur in Dominicis et in feriis usque ad Quadragesimam tantum quando de Temporali agitur.*

V. In matutinis (p. 88).

Ant. Per viscera (p. 169).

Ps. Benedictus. *Ut in Psalterio ibidem notatum est.*

Ad Vesperas.

Ant. In conspectu angelorum (p. 210).

Ps. Confitebor *iii.* (*cxxxvii.* p. 209).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est.

Cap. Dominus autem dirigat.

Hymnus. Plasmator hominis, *p.* 214.

V. Dirigatur.

Ant. Suscepit Deus.

Ps. Magnificat.

Ut in Psalterio ibidem notatum est.

Sabbato.

Invitatorium. Dominum Deum (p. 169).

Ps. Venite.

Hymnus. Summæ Deus clementiæ (p. 169).

Super Nocturnum, Ant. Quia mirabilia.

Ps. Cantate *ii.* (*xcvii.* p. 169).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor.

Lectio i. (*Rom. iv.* 18.)

Qui contra spem in spem credidit ut fieret pater multarum gentium : secundum quod dictum est ei, Sic erit semen tuum, sicut stellæ cæli et arena maris. Et non est infirmatus

in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum : et emortuam vulvam Saræ. Tu autem Domine miserere nostri.

1 *R.* Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. Psallam et intelligam in via immaculata quando venies ad me.

V. Perambulabam in innocentia cordis mei : in medio domus meæ. Psallam.

Lectio ii. (*Rom. iv.* 20.)

In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo : plenissime sciens quia quæcunque promisit Deus potens est et facere. Ideo et reputatum est illi ad justitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam : sed et propter nos quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Dominum nostrum Jesum Christum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

2 *R.* Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat. Quia non spernis, Deus, preces pauperum.

V. De profundis clamavi ad te, Domine : Domine, exaudi vocem meam. Quia.

Lectio iii. (*Roma. v.* 1.)

Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum : per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam et in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus : scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. Spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.

3 *R.* Velociter exaudi me, Domine. Quia defecerunt sicut fumus dies mei.

V. Dies mei sicut umbra declinaverunt et ego sicut fenum arui. Quia. Gloria. Quia.

V. Fiat misericordia tua.

In Laudibus.

Ant. Benigne (p. 186).

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio ibidem notatum est.

Cap. Vigilate et orate.

Hymnus. Aurora jam spargit polum, *p.* 191.

V. In matutinis (p. 88).

Ant. In viam.

Ps. Benedictus (p. 35).

Ut in Psalterio ibidem notatum est.

Supradictus ordo feriarum de Invitatoriis incipiendis servetur in omnibus feriis a Domine ne in ira *usque ad Passionem Domini : et a* Deus omnium *usque ad Adventum Domini. De Antiphonis vero cum suis Psalmis ad Vesperas et ad Matutinas in Nocturnis idem ordo servetur per totum annum extra tempus Paschæ. De Versibus etiam ante Lectiones, a* Domine ne in ira *usque ad Quadragesimam, et a* Deus omnium *usque ad Adventum Domini. De Antiphonis in Laudibus, per totum annum extra tempus Paschæ : nisi in tertia ebdomada Adventus Domini, et in proxima ebdomada ante Pascha. De Responsoriis vero ad Matutinas, a* Domine ne in ira *usque ad Septuagesimam tantum. De Antiphonis vero super* Benedictus *et* Magnificat, *usque ad Septuagesimam, et a* Deus omnium *usque ad Adventum Domini*. Et si aliquod Festum in aliqua prædicta-*

* 'quando non agitur de Dominica ferialiter.' *Rubrica Brev. Ebor.*

rum feriarum contigerit: nichilominus ordo feriarum de Invitatoriis, Antiphonis, Psalmis, et Versiculis in Nocturnis, et de Responsoriis, et de Antiphonis cum suis Psalmis in Laudibus, et de Antiphonis super Psalmum Benedictus, *et* Magnificat, *servabitur in sequenti feria.*

DOMINICA II. POST OCTAVAS EPYPHANIÆ.

Ad Vesperas.

Ant. Benedictus.

Ps. Ipsum (cxliii. p. 215).

Capitulum, Hymnus, Versus, et Antiphona super Psalmum Magnificat, *ut supra in Dominica præcedenti.*

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui cælestia simul et terrena moderaris, supplicationes populi tui clementer exaudi : et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Dominum.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, Versus et Responsoria, sicut in præcedenti Dominica : et sic fiat omnibus Dominicis usque ad Septuagesimam, quando de Dominica agitur.

Lectiones de Epistola Pauli ad Chorin. i.

Lectio i. (1 *Corin. i.* 1.)

Paulus vocatus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Sosthenes frater, ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco ipsorum et nostro : gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu : quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia : sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita ut nichil vobis desit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine, in diem adventus Domini nostri Jesu Christi. Fidelis Deus : per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. Tu autem Domine miserere nostri.

Lectio ii. (1 *Cor. i.* 10.)

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes : et non sint in vobis scismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem scientia. Significatum enim est michi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Cloes : quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico : quod unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ : ego autem Christi. Divisus est ergo Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis : aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo meo quod neminem vestrum baptizavi nisi Crispum et Gayum : ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem et Stephanæ domum. Ceterum nescio si quem alium vestrum baptizaverim.

Lectio iii. (1 *Cor. i.* 17.)

Non enim misit me Christus baptizare sed evangelizare, non in sapientia verbi : ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est : his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est enim, Perdam sapientiam sapientum : et prudentiam prudentum reprobabo. Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi conquisitor hujus seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum : placuit Deo per stultitiam prædica-

tionis salvos facere credentes. Quoniam et Judei signa petunt : et Greci sapientiam quærunt.

Lectio iv. (1 *Cor. i.* 23.)

Nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Judeis atque Grecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei sapientius est hominibus : et quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia : et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justicia, et sanctificatio, et redemptio : ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur.

Lectio v. (1 *Cor. ii.* 1.)

Fratres, ego cum venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi scire me aliquid inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, et in timore, et tremore multo fui apud vos. Et sermo meus et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis : ut fides vestra non sit in sapientia hominis, sed in virtute Dei.

Lectio vi. (1 *Cor. ii.* 6.)

Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus seculi neque principum hujus seculi qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus seculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est ? Ita et quæ sunt Dei nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.

Secundum Johannem ii. [1—11.]

In illo tempore. Nuptiæ factæ sunt in Chana Galileæ : et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. [10. *libri primi omeliarum.*]*

Quod Dominus atque Salvator noster ad nuptias vocatus non solum venire sed et miraculum ibidem quo convivas lætificaret facere dignatus est, exceptis sacramentorum cælestium figuris, etiam juxta litteram fidem recte credentium confirmat. Porro Taciani et Marciani ceterorumque qui nuptiis detrahunt perfidia, quam sit damnabilis insinuat. Si enim thoro immaculato et nuptiis debita castitate celebratis culpa inesset, nequaquam Dominus ad has venire, nequaquam suorum signorum initiis consecrare voluisset. Nunc autem quia bona est castitas conjugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis : ad comprobandam omnium electionem gra-

* *Bedæ* Serm. Hyemales de Tempore *Op.* vii. 204.

duum, discernendum tamen meritum singulorum, ex intemerato Mariæ virginis utero nasci dignatus est, a prophetico Annæ viduæ ore mox natus benedicitur, a nuptiarum celebratoribus jam juvenis invitatur, et hos suæ præsentia virtutis honorat, et altiorem cælestium læticiam figurat.

Lectio viii. Miracula namque facturus in terra Dei Filius venit ad nuptias, ut ipsum se esse doceret, de quo sub typo solis psalmista præcinit. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gygas ad currendam viam. A summo cælo egressio ejus : et occursus ejus usque ad summum ejus. Qui et ipse quodam loco de se suisque fidelibus ait. Nunquid possunt filii sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus ? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus : et tunc jejunabunt. Quia nimirum incarnatio nostri Salvatoris, ex quo patribus cœpit promitti, multis sanctorum est lachrimis et luctu semper expectata donec veniret. Similiter ex quo post resurrectionem ascendit ad cælum, omnis sanctorum spes ad ejus pendet reditum. Solo autem quo cum hominibus conversatus est tempore flere ac lugere nequiverunt : quia jam secum etiam corporaliter eum quem spiritualiter dilexerunt habebant.

Lectio ix. Sponsus ergo Christus : sponsa ejus est ecclesia. Filii sponsi vel nuptiarum singuli quique fidelium ejus sunt. Tempus nuptiarum est tempus illud, quando per incarnationis mysterium sanctam sibi ecclesiam sociavit. Non igitur casu, sed certi causa mysterii venit ad nuptias in terra carnali more celebratas, qui ad copulandam sibi spirituali amore ecclesiam de cælo descendit ad terram. Cujus quidem thalamus incorruptæ genitricis uterus fuit, in quo Deus humanæ naturæ conjunctus est, et ex quo ad sociandam sibi ecclesiam tanquam sponsus processit. Primus nuptiarum locus Judea extitit, in qua Dei Filius homo fieri, et ecclesiam sui corporis ac sanguinis participatione consecrare et sui Spiritus pignore in fide confirmare dignatus est. Sed vocatis ad fidem gentibus, usque ad finem orbis terræ earundem nuptiarum votiva gaudia pervenerunt. Tu autem.

In Laudibus.

Hæc sola Antiphona, Regnavit (p. 28) *ut supra dictum est.*

Ant. Nuptiæ factæ sunt in Chana Galileæ, et erat ibi Jesus cum Maria matre ejus.

Ps. Benedictus.

Ad Vesperas.

Ant. Deficiente vino jussit Jesus implere ydrias aqua, quæ in vinum conversa est. Alleluya.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Feria secunda, et quotidie in omnibus feriis, supradictus ordo feriarum servetur usque ad Quadragesimam, nisi de Responsoriis infra Septuagesimam : tunc enim dicuntur Responsoria de Hystoria Dominicali.

Feria ii.

Lectio i. (1 *Corin. ii.* 12.)

Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est : ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus spiritualibus spiritualia comparantes.

Lectio ii. (1 *Cor. ii.* 14.)

Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stulticia enim est illi, et non potest intelligere : quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum ? Nos autem sensum Christi habemus.

Lectio iii. (1 *Cor. iii.* 1.)

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim estis carnales. Cum enim sit inter vos zelus et contentio : nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis.

Feria iii.

Lectio i. (1 *Cor. iii.* 4.)

Cum enim quis dicat, ego quidem sum Pauli : alius autem, ego Apollo, nonne homines estis ? Quid est igitur Apollo ? Quid vero Paulus ? Ministri ejus cui credidistis : et unicuique sicut Deus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit : sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat Deus. Qui plantat autem et qui rigat unum sunt.

Lectio ii. (1 *Cor. iii.* 8.)

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Secundum gratiam Dei quæ data est michi, ut sapiens architectus fundamentum posui : alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est : quod est Christus Jesus.

Lectio iii. (1 *Cor. iii.* 12.)

Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, et argentum, lapides preciosos, ligna, fenum, stipulam : uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur : et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

Feria iv.

Lectio i. (1 *Corin. iii.* 16.)

Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est : quod estis vos. Nemo se seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim, Comprehendam sapientes in Job. v.
astutia eorum. Et iterum, Dominus novit cogitationes sapientium : quoniam vanæ sunt.

Lectio ii. (1 *Cor. iii.* 21.)

Itaque nemo glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt : sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura. Omnia enim vestra sunt : vos autem Christi, Christus autem Dei. (1 *Cor. iv.*)

Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores ministeriorum* Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Michi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die : sed neque meipsum judico. Nichil enim mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare† quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.

* 'mysteriorum' *Vulg.*

† 'indicare' *Chev.*

Lectio iii. (1 *Cor. iv.* 6.)

Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos : ut in nobis discatis ne supra quam scriptum est unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Jam saturati estis : jam divites facti estis. Sine nobis regnatis. Et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus. Puto enim quod Deus apostolos nos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos. Quia spectaculum facti sumus mundo : et angelis et hominibus. Nos stulti propter Christum : vos autem prudentes in Christo. Nos infirmi : vos autem fortes. Vos nobiles : nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus. Et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus. Persecutionem patimur, et sustinemus. Blasphemamur, et obsecramus. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsima usque adhuc. Non ut confundam vos hoc scribo : sed ut filios meos charissimos moneo. Tu autem.

FERIA V.

Lectio i. (1 *Cor. iv.* 15.)

Nam si decem milia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per evangelium ego vos genui. Rogo ergo vos : imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Ideo misi ad vos Tymotheum qui est filius meus charissimus et fidelis in Domino : qui vos commonefaciat vias meas quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni ecclesia doceo.

Lectio ii. (1 *Cor. iv.* 18.)

Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit. Et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei : sed in virtute. Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?

Lectio iii. (1 *Cor. v.* 1.)

Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter gentes : ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis : ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est : in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et meo spiritu cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis : ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

DOMINICA III.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, infirmitatem nostram propicius respice : atque ad protegendum nos dexteram tuæ majestatis extende. Per Dominum.

AD MATUTINAS.

Lectiones de Epistola Pauli ad Chorinth. secunda.

Lectio i. (2 *Cor. i.* 1.)

Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Tymotheus frater, ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia : gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis : qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pres-

sura sunt, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute; sive consolamur pro vestra consolatione: sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute quæ operatur tollerantiam earundem passionum quas et nos patimur : ut spes nostra firma sit pro vobis, scientes quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.

Lectio ii. (2 *Cor. i.* 8.)

Non enim volumus vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus et supra virtutem : ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed et ipsi in nobisipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos : qui de tantis periculis eripuit nos et eruit, in quem speramus quoniam et adhuc eripiet, adjuvantibus vobis in orationibus pro nobis : ut ex multarum personis facierum ejus quæ in nobis est donationis per multos agantur gratiæ pro nobis. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos.

Lectio iii. (2 *Cor. i.* 13.)

Non enim alia scribimus vobis quam quæ legistis et cognovistis. Spero autem quod usque in finem cognoscetis : sicut et cognovistis nos ex parte. Quia gloria vestra sumus sicut et vos nostra, in die Domini nostri Jesu Christi. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis, et per vos transirem in Macedoniam, et iterum a Macedonia venire ad vos, et a vobis deduci in Judeam. Cum ergo hoc voluissem, nunquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me est et non? Fidelis autem Deus : quia sermo noster qui fuit apud vos non est in illo est et non.

Lectio iv. (2 *Cor. i.* 19.)

Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me et Silvanum et Tymotheum, non fuit in illo est et non, sed est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt in illo etiam. Ideo et per ipsum dicimus amen Deo ad gloriam vestram. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo et qui unxit nos Deus : et qui signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Ego autem testem invoco Deum in animam meam, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum. Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri. Nam fide statis. (2 *Corin. ii.*)

Statui autem hoc ipsum apud me : ne iterum in tristicia venirem ad vos. Si enim ego contristo vos, et quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cum venero tristiciam super tristiciam habeam, de quibus oportuerat me gaudere, confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium vestrum est. Tu autem.

Lectio v. (2 *Cor. ii.* 4.)

Fratres, ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis. Si quis autem contristavit me : non me contristavit sed ex parte, ut non onerem omnes vos. Sufficit illi qui hujusmodi est objurgatio hæc quæ fit a pluribus : ita ut econtrario magis donetis et consolemini, ne

forte abundantiori tristicia absorbeatur qui hujusmodi est. Propter quod obsecro vos ut confirmetis in illum charitatem. Ideo enim et scripsi vobis ut cognoscam experimentum vestrum : an in omnibus obedientes sitis. Cui autem aliquid donastis, et ego. Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi : ut non circumveniamur a Sathana. Non enim ignoramus cogitationes ejus.

Lectio vi. (2 *Cor. ii.* 12.)

Cum autem venissem Troadem propter evangelium Christi, et ostium michi apertum esset in Domino : non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Tythum fratrem meum : sed valefaciens eis profectus sum in Macedoniam. Deo autem gratias qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem noticiæ suæ manifestat per nos in omni loco : quia Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem : aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei : sed ex sinceritate sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum, viii. [1—13.]

In illo tempore. Cum descendisset Jesus de monte : secutæ sunt eum turbæ multæ. Et reliqua.

Omelia Origenis. (5 *inter diversos.*)

Docente in monte Domino, discipuli venerunt ad eum, sicut alacres, sicut domestici, sicut proximi, sicut amici vel fratres. Ideo ait Dominus ad eos. Vos estis sal terræ : et vos estis lux mundi. Nunc vero descendente eodem de monte, turbæ secutæ sunt eum quæ in montem ascendere non potuerunt, ut pigri populi, ut negligentes, ut imperfecti. Ita et filii Israel primitus in montem ascendere non valuerunt, ad obviandum Deo pergere non potuerunt, propter suam irreligiositatem et impietatem : sed solus Moyses ascendit, et pauci cum eo seniorum Israel. Ita et cum Domino discipuli soli in montem ascenderunt : et tardiores deorsum steterunt. Sic et modo vigilantes et alacres et fideles animæ Deum timentes, et Dominum diligentes, regna cælestia desiderantes, Dominum semper sequentes, post Dominum in illum cælestem montem ascendunt, audientes apostolum dicentem, Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Quæ sursum sunt sapite; ubi Christus est in dextera Dei sedens.

Lectio viii. Descendente nunc Domino, hoc est inclinante se ad infirmitatem, et humilitatem, et impotentiam ceterorum : misertus est imperfectioni eorum vel infirmitati; secutæ sunt eum turbæ multæ. Aliquanti propter charitatem, aliquanti propter doctrinam, aliquanti propter admirationem et curationem. Et ecce homo leprosus unus ex illis qui curam quærebant, qui levamen desiderabant. Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens. Domine, si vis potes me mundare. Deorsum currens rogas, O homo; et in monte nichil dicis? Quare sic? Quia tempus et tempora omni rei sub cælo. Tempus doctrinæ, et tempus curationis. In monte docuit, illuminavit, monuit : animas curavit, corda sanavit. Propterea ergo illa majora tentare volui, illa summa tardare passus sum.

Lectio ix. Ipsis ergo ab illo completis, deorsum eo de monte ad curandum descendente, sicut de cælo, sicut de cælestibus montibus ad salvandos carnales : venit ad eum homo leprosus adorans eum. Antequam peteret, adorare cœperat. Antequam rogaret, culturam ostendit. Adoravit eum.

Pro hoc ipso Deum et Dominum eum invocans, adorabat eum. Sic et illi beati Magi prius procidentes adoraverunt eum : et ita demum munera ei obtulerunt. Eodem modo et nunc iste cadens adoravit, et sic supplicem obtulit postulationem Domino, dicens. Tu qui digne adoraris, qui merito coleris : te ego ut Dominum adoro. Ideoque te Dominum dico, opera prius contestans, et sic verba loquens. Per te enim omnia facta sunt. Tu ergo, Domine, si vis, potes me mundare. Voluntas tua opus est : ideo si vis potes me mundare.

Ant. Cum autem descendisset Jesus de monte : ecce leprosus veniens adorabat eum dicens : Domine, si vis potes me mundare. et extendens manum tetigit eum dicens. volo mundare.

Ps. Benedictus.

AD VESPERAS.

Ant. Domine, puer meus jacet paraliticus in domo et male torquetur : amen dico tibi ego veniam et curabo eum.

Ps. Magnificat (p. 221).

FERIA II.

Lectio i. (2 *Cor. iii.* 1.)

Incipimus iterum nosmetipsos commendare? Aut nunquid egemus sicut quidam commendaticiis epistolis ad vos aut ex vobis? Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, quæ scitur et legitur ab omnibus hominibus : manifestati quoniam epistola estis Christi ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

Lectio ii. (2 *Cor. iii.* 4.)

Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est : qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus quæ evacuatur : quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis facta est in gloria, multo magis abundat ministerium justiciæ in gloria. Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod evacuatur per gloriam est : multo magis quod manet in gloria est.

Lectio iii. (2 *Cor. iii.* 12.)

Habentes igitur talem spem multa fiducia utimur. Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus quod evacuatur : sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem, idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum, quod in Christo evacuatur. Sed usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. Cum autem conversi fuerint ad Deum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus est. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Spiritu Domini.

FERIA III.

Lectio i. (2 *Cor. iv.* 1.)

Ideo habentes hanc ministrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei : sed in mani-

festatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.

Lectio ii. (2 *Cor. iv.* 3.)

Quod si etiam opertum est evangelium nostrum, in his qui pereunt opertum est, in quibus deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu.

Lectio iii. (2 *Cor. iv.* 7.)

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. Aporiamur, sed non destituimur. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur. Dejicimur, sed non perimus. Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur. Semper enim nos qui vivimus in mortem tradimur propter Jesum; ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus propter quod et loquimur, scientes quoniam qui suscitavit Jesum et nos cum Jesu suscitabit et constituet vobiscum. Omnia enim propter vos : ut gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei. Propter quod non deficimus. Sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis : non contemplantibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt : quæ autem non videntur æterna sunt. Tu autem.

Feria iv.

Lectio i. (2 *Cor. v.* 1.)

Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cælis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cælo est superindui cupientes : si tamen vestiti et non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in tabernaculo isto ingemiscimus, gravati eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri : ut absorbeatur quod mortale est a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. Tu autem.

Lectio ii. (2 *Cor. v.* 6.)

Audientes* igitur semper et scientes, quoniam dum sumus in hoc corpore peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Deum. Et ideo contendimus, sive absentes sive præsentes, placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum. Scientes igitur timorem Domini hominibus suademus : Deo autem ma-

* 'Audentes,' *Vulg.*

nifesti sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse.

Lectio iii. (2 *Cor. v.* 12.)

Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis : ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, et non in corde. Sive enim mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis. Charitas enim Christi urget nos, existimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus : ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si secundum carnem Christum cognovimus : sed nunc jam non novimus.

Feria v.

Lectio i. (2 *Cor. v.* 17.)

Si qua ergo in Christo nova creatura est : vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. Omnia autem ex Deo qui reconciliavit nos sibi per Christum : et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum : et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur : tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum enim qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit : ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. (2 *Corinth. vi.*)

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim, Tempore accepto exaudivi te : et in die salutis adjuvi te.

Lectio ii. [2 *Cor. vi.* 2.]

Ecce nunc tempus acceptabile : ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Per arma justitiæ a dextris et a sinistris. Per gloriam, et ignobilitatem : per infamiam, et bonam famam. Ut seductores, et veraces. Sicut qui ignoti, et cogniti. Quasi morientes, et ecce vivimus. Ut castigati, et non mortificati. Quasi tristes, semper autem gaudentes. Sicut egentes, multos autem locupletantes. Tanquam nichil habentes, et omnia possidentes.

Lectio iii. (2 *Cor. vi.* 11.)

Os nostrum patet ad vos, O Corinthii : cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis : angustiamini autem in visceribus vestris. Eandem autem habentes remunerationem, tanquam filiis dico, dilatamini et vos. Et nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justiciæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidelis cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi : sicut dixit Dominus, quoniam inhabitabo in illis et inambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt michi populus. Propter quod exite de medio eorum et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos : et ero vobis in patrem, et vos eritis michi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens. Tu autem.

DOMINICA QUARTA.

Oratio. Deus, qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere : da nobis salutem mentis et corporis, ut ea quæ pro peccatis nostris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum.

Lectiones de Epistola Pauli ad Galathas.

Lectio i. (*Ad Galathas. i.* 1.)

Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem qui suscitavit eum a mortuis : et qui mecum sunt omnes fratres ecclesiæ Galathiæ. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti seculo nequam secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria in secula seculorum. Amen. Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud evangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant et volunt subvertere evangelium Christi.

Lectio ii. (*Ad Galat. i.* 8.)

Sed licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædixi et nunc iterum dico. Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. Modo enim hominibus suadeo an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Notum enim vobis facio, fratres, evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo, quoniam supra modum persequebar ecclesiam Dei, et expugnabam eam, et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.

Lectio iii. (*Ad Galat. i.* 15.)

Cum autem complacuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus : continuo non acquievi carni et sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos apostolos, sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum : et mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ. Eram autem ignotus facie ecclesiis Judeæ quæ erant in Christo. Tantum autem auditum habebant, quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam aliquando expugnabat, et in me clarificabant Deum.

Lectio iiii. (*Ad Galathas. ii.* 1.)

Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tyto. Ascendi autem secundum revelationem. Et contuli cum illis evangelium quod prædico in gentibus : seorsum autem his qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. Sed neque Tytus qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circuncidi : sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redige-

rent : quibus neque ad horam cessimus subjectioni, ut veritas evangelii permaneat apud vos. Ab his autem qui videbantur aliquid esse, quales aliquando fuerint, nichil mea interest. Tu autem.

Lectio v. (*Ad Galat. ii.* 6.)

Deus personam hominis non accipit. Michi enim qui videbantur esse aliquid nichil contulerunt. Sed econtra cum vidissent quod creditum est michi evangelium præputii, sicut et Petro circuncisionis, qui enim operatus est Petro in apostolatum circuncisionis operatus est et michi inter gentes; et cum cognovissent gratiam quæ data est michi, Jacobus et Cephas et Johannes, qui videbantur columnæ esse, dederunt michi dextras et Barnabæ societatis, ut nos in gentes ipsi autem in circuncisionem tantum * ut pauperum memores essemus : quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.

Lectio vi. (*Ad Galat. ii.* 11.)

Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat. Cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circuncisione erant. Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judei : ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem evangelii, dixi Cephæ coram omnibus. Si tu cum Judeus sis gentiliter et non judaice vivis : quomodo gentes cogis judaizare? Nos natura Judei : et non ex gentibus peccatores. Tu autem.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum viii. [23—27].

In illo tempore. Ascendente Jesu in naviculam : secuti sunt eum discipuli ejus. Et reliqua.

Omelia Origenis. (6 *in diversis.*)

Ingrediente Domino in naviculam secuti sunt eum discipuli ejus : non imbecilles sed firmi et stabiles in fide, mansueti et pii, spernentes mundum, non duplici corde sed simplici. Hi ergo secuti sunt eum : non tantum gressus ejus sequentes, sed magis sanctitatem ejus comitantes, et justitiam ejus consectantes. Et ecce tempestas magna facta est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Facta est tempestas magna et non pusilla : ut magnum opus et non pusillum ostenderetur. Quantoque fluctus naviculæ irruebant, tanto magis discipulos timor conturbabat : ut plus magis desiderarent ad liberandum se mirabilia Salvatoris.

Lectio viii. Dominus vero dormiebat. Dormiebat quidem corpore, sed vigilabat Deitate. Dormiebat corpore, ut apostolos suscitaret, et evigilare faceret; præcipue autem omnes nos, ne unquam animo dormiamus, neve intellectu aut prudentia, sed vigilare in omni tempore et jubilare Domino, et salutem ab eo postulare studeamus. Ad quem accedentes discipuli excitabant eum, dicentes, Domine, salva nos. Perimus. Tunc dixit eis Jesus, Quid turbati estis modicæ fidei? Et surgens imperabat ventis et mari : et facta est tranquillitas magna. Jubet mari : et non contemnit. Dicit ventis et tempestatibus : et mox compescuntur. Jubet omni creaturæ : et non supergreditur jussionem ejus. Sed unum hominum genus, quod secundum similitudinem Dei honorificatum est, cui verbum Dei et prudentia data est : hi soli homines scilicet resistunt.

* 'in circumcisionem : tantum ut,' *Vulg.*

Hi tantum inobedientes sunt : hi soli contemnunt. Ideoque et hi soli in judicio damnabuntur, et a justitia punientur : velut deteriores mutis animalibus, vel iis quæ sine spiritu et anima sunt in isto mundo.

Lectio ix. Dedit per hæc omnia nobis Dominus figuram et doctrinæ imaginem : ut et nos in omni conturbatione et contumelia patientiam teneamus, stabiles simus, fidem non deseramus. Et si iste omnis mundus tanquam mare ebulliat, atque in furorem consurgat, et si omnes venti et vertigines dæmonum undique sæviant; et si omnes, ut diximus, tempestates maris, id est omnes principatus et potestates mundi concitentur et in tumore iracundiæ spument ut furiant super sanctos; et si adhuc usque ad cælum sese extollant tempestates maris, et malignitates, et dolos et fremitus concitent adversus aliquem vestrum : nolite timere, nolite turbari, nolite contremiscere, nolite deficere. Omnes enim quotquot in fidei navicula cum Domino navigatis, omnes quotquot in hac nimirum sanctæ ecclesiæ navicula cum Domino per hunc undosum supernatatis mundum, et si ipse Dominus dormiat pio somno vestram patientiam et tolerantiam expectans, vel impiorum pœnitentiam et conversionem sustinens : alacriter accedite ad eum orationibus instantes, atque cum propheta dicentes, Exurge, quare abdormis, Domine? Exurge, et non repellas nos usque in finem. Et iterum, Exurge, Domine, adjuva nos : et redime nos propter nomen tuum.

Ant. Ascendente Jesu in naviculam ecce motus magnus factus est in mari, et suscitaverunt eum discipuli ejus dicentes, Domine, salva nos, perimus.

Ps. Benedictus.

Ad Vesperas.

Ant. Surgens Jesus imperavit ventis et mari : et facta est tranquillitas magna.

Ps. Magnificat (p. 221).

Feria ii.

Lectio i. (*Ad Galathas. ii.* 16.)

Fratres, scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi : et nos in Christo Jesu credimus ut justificemur ex fide Jesu Christi, et non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores : nunquid Christus peccati minister est? Absit. Si enim quæ destruxi hæc iterum reædifico, prævaricatorem me constituo. Ego enim per legem legi mortuus sum ut Deo vivam. Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego : vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne : in fide vivo Filii Dei qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem est justitia, ergo Christus gratis mortuus est. Tu.

Lectio ii. (*Ad Galathas. iii.* 1.)

O insensati Galathæ, quis vos fascinavit veritati non credere, ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, et in vobis crucifixus? Hoc solum a vobis volo discere, Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, ut cum Spiritu cœperitis nunc carne consummemini. Tanta passi estis sine causa : si tamen sine causa. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis : ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut scriptum est, Credidit Abraham Deo : et reputatum est ei ad jus-

titiam. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, hii sunt filii Abrahæ. Providens autem scriptura quia ex fide justificat Deus gentes, prænunciavit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes.

Lectio iii. (*Ad Galat. iii.* 9.)

Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham. Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim, Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide : sed qui fecerit ea vivet in illis. Tu.

Feria iii.

Lectio i. (*Ad Galathas. iii.* 13.)

Christus autem nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est, maledictus omnis qui pendet in ligno : ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. Fratres, secundum hominem dico. Tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit, et seminibus, quasi in multis : sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus.

Lectio ii. (*Ad Galat. iii.* 17.)

Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo : quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. Nam si ex lege hereditas : jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus. Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est : donec veniret semen cui repromiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, Deus autem unus est.

Lectio iii. (*Ad Galat. iii.* 21.)

Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato : ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christum Jesum, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filii Dei estis per fidem : in Christo Jesu.

Feria iv.

Lectio i. (*Ad Galat. iii.* 27.)

Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judeus, non est Grecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Si autem vos Christi : ergo Abrahæ semen estis, et secundum promissionem heredes. (*Ad Galathas. iv.*)

Dico autem, Quanto tempore heres parvulus est nichil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre. Tu autem.

Lectio ii. (*Ad Galat. iv.* 3.)

Ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda

nostra clamantem, Abba Pater. Itaque jam non est servus sed filius. Quod si filius : et heres per Deum. Sed tunc quidem ignorantes Deum his qui natura non sunt dii serviebatis. Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo : quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis. Dies observatis et menses : et tempora et annos. Timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis. Estote sicut ego : quia et ego sicut vos.

Lectio iii. (*Ad Galat. iv.* 12.)

Fratres, obsecro vos : nichil me læsistis. Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem, et tentationem vestram in carne mea non sprevistis neque respuistis : sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis et dedissetis michi. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? Æmulantur vos non bene : sed excludere vos volunt, ut illos æmulamini. Bonum autem æmulamini in bono semper, et non tantum cum præsens sum apud vos.

FERIA V.

Lectio i. (*Ad Galathas. iv.* 19.)

Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis : vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis. Dicite michi qui sub lege vultis esse, Legem non legistis? Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit : unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla secundum carnem natus est : qui autem de libera, per repromissionem. Quæ sunt per allegoriam dicta.

Lectio ii. (*Ad Galat. iv.* 24.)

Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Syna in servitutem generans : quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei quæ nunc est Hierusalem, et servit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Hierusalem libera est : quæ est mater nostra. Scriptum est enim, Lætare sterilis quæ non paris, erumpe et clama quæ non parturis : quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum.

Lectio iii. (*Ad Galat. iv.* 28.)

Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. Sed quo modo tunc is qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum qui secundum Spiritum : ita et nunc. Sed quid dicit scriptura? Ejice ancillam et filium ejus. Non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ. Qua libertate Christus nos liberavit. State ergo, et nolite iterum jugo servitutis contineri. Tu autem Domine.

DOMINICA QUINTA.

Oratio. Familiam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi : ut quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Dominum.

Lectiones de Epistola Pauli ad Philippenses.

Lectio i. (*Ad Philippen. i.* 1.)

Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, cum episcopis et dyaconibus. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omni-

bus vobis cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in evangelio Christi, a prima die usque nunc: confidens hoc ipsum quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Sicut est michi justum hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis et in defensione et confirmatione evangelii: socios mei omnes gaudii vos esse.

Lectio ii. (*Ad Philip. i.* 8.)

Testis enim michi est Deus: quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu, ut probetis potiora: ut sitis sinceri* et sine offensa in die Christi, repleti fructu justitiæ, per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio et in ceteris omnibus: ut plures e fratribus in Domino confidentes, vinculis meis confortati, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem et propter invidiam et contentionem: quidam autem et propter voluntatem bonam Christum prædicant. Quidam ex charitate: scientes quoniam in defensione evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annunciant: non sincere existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.

Lectio iii. (*Ad Philip. i.* 18.)

Quid enim dum omnimodo sive per occasionem sive per veritatem Christus annuncietur? Et in hoc gaudeo: sed et gaudebo. Scio enim quia hoc michi proveniet ad salutem per vestram orationem, et subministrationem Spiritus Jesu Christi, secundum expectationem et spem meam quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam sive per mortem. Michi enim vivere Christus est: et mori lucrum. Quod si vivere in carne hic michi fructus est operis: et quid eligam ignoro. Coartor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et cum Christo esse, multo magis enim melius: permanere autem in carne magis necessarium est propter vos. Et hoc confidens scio quia manebo et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum et gaudium fidei: ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me per meum adventum iterum ad vos. Tantum digne evangelio Christi conversamini: ut sive cum venero et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes collaborantes fidei evangelii, et in nullo terreamini ab adversariis, quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis. Et hoc a Deo: quia vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis: sed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes quale et vidistis in me, et nunc audistis de me.

Lectio iiii. (*Ad Philip. Cap. ii.* 1.)

Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas Spiritus, si qua viscera pietatis: implete gaudium meum ut idem sapiatis: eandem charitatem habentes unanimes, idipsum sentientes. Nichil per contentionem neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed et ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus

* 'sinceres,' *Chev.*

est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem : mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Lectio v. (*Ad Philip. ii.* 12.)

Itaque charissimi mei, sicut semper obedistis non in præsentia mei tantum : sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore salutem vestram operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus et hæsitationibus, ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in diem Christi : quia non in vacuum cucurri neque in vacuum laboravi. Sed et si immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestræ : gaudeo et congratulor omnibus vobis. Idipsum autem et vos congaudete, et congratulamini michi. Spero autem in Domino Jesu Christo Timotheum cito me mittere ad vos : ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Christi Jesu. Experimentum autem ejus cognoscite : quoniam sicut patri filius mecum servivit in evangelio. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt. Confido autem in Domino, quoniam veniam et ipse ad vos cito. Tu autem Domine miserere nostri.

Lectio vi. (*Ad Philip. ii.* 25.)

Necessarium autem existimavi Epafroditum fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum et ministrum necessitatis meæ mittere ad vos : quoniam quidem omnes vos desiderabat, et mæstus erat propterea quod audieratis illum infirmatum. Nam et infirmatus est usque ad mortem : sed Deus misertus est ejus. Non solum autem ejus, verunetiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinantius ergo misi illum, ut viso illo iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum omni honore habetote, quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium. (*Cap. iii.*)

De cetero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem me vobis scribere, michi quidem non pigrum : vobis autem necessarium.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum xiii. [24—30].

In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Et reliqua.

Omelia beati Hieronymi presbyteri. (*In commenta. Super Matt. xiii.**)

Hæc secunda parabola est cum interpretatione sua non statim posita, sed interjectis aliis parabolis edisserta. Hic enim præponitur, et postea dimissis turbis venitur domum, et accedunt ad eum discipuli

* Hieron. *Op.* Tom. vi. 25.

ejus rogantes, Edissere nobis parabolam zizaniorum agri, et reliqua. Non ergo debemus propere* intelligendi desiderio ante ejus noticiam quærere quam a Domino edisseratur. Proponit eis et aliam parabolam, more divitis qui diversis invitatos reficiens cibis, ut unusquisque secundum naturam stomachi sui varia alimenta suscipiat. Ait enim, Simile est regnum cælorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Regnum cælorum prædicatio evangelii est, et noticia scripturarum quæ ducit ad vitam. De qua dicitur ad Judeos, Auferetur a vobis regnum Dei : et dabitur genti facienti fructus ejus. Tu autem.

Lectio viii. Qui seminavit bonum semen in agro suo. Bonum non seminat nisi bonus : qui semen bonæ voluntatis ad bona opera studet perducere. Docet in hoc loco Dominus bonam voluntatem, et cautelam, et sapientiam, et discretionem, et longanimitatem, et justitiam. Docet cautelam, ubi dicit, Cum autem homines dormirent, id est inertia et incuria torperent, qui aliis ad custodiam sunt deputati, scilicet prælati ecclesiæ : venit inimicus homo, et superseminavit zizania, hoc est hæreticos permiscuit electis. Et zizania sunt, quæ non de semine tritici perveniunt. Paleæ vero hi : qui et si non vita, fide tamen sunt de ecclesia. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania, id est hæreticorum dogmata. Quia cum spiritualis esse cœperit homo, tunc judicat omnia, et tunc ei apparent errores, sed donec maturescat qui herba est. Potest enim movere, quare sub nomine Christi tot sunt hæreses. Unde dicunt, Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Tu autem.

Lectio ix. Ait illis Dominus. Inimicus homo hoc fecit. Ecce patientia. Non enim audito dolo exarsit in iram, nec mox ulcisci voluit : ita nos læsi patienter feramus. Servi autem dixerunt. Vis imus et colligamus ea? Id est : excommunicemus eos. Et ait, Non. Ibi enim patienter tollerandi sunt mali, ubi aliqui inveniuntur boni. Cum ergo spiritualis homo hoc audit esse a dyabolo, qui nichil valet contra voluntatem Dei : potest ei voluntas suboriri ut tales auferat de mundo si facultatem habeat. Sed conclusit justitia Dei an facere debeat : et an Deus velit hoc officium hominum. Sed veritas respondet non nosse hominem in hac vita, qualis futurus sit qui modo errat, vel quid error quidem eis conferat : et ideo non esse tollendos, ne boni interficiantur, quod forte futuri sunt, vel ne bonis obsit quibus prosunt. Tunc vero oportune fieri, cum jam non est tempus commutandæ vitæ, vel proficiendi aliis : et tunc non ab hominibus sed ab angelis dicit fieri. Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis et triticum. Ecce discretio. Sic et tu ne reddas vicem malis ut scandalizes bonos : sed ut eis prosit, patere. Hic datur locus patientiæ, et monemur non cito amputare : quia qui hodie errat, cras forsan defendet veritatem. Si ergo modo avelleretur, triticum quod futurum erat eradicaretur. Vel necesse est ut mali permixti sint bonis per quos exerceantur : vel quorum comparatione nitantur ad melius. Quibus sublatis, altitudo charitatis marcescat, quod est eradicari. Tu autem.

Ant. Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo : unde habet zizania? et ait, hoc fecit inimicus homo.

Ps. Benedictus.

* 'properare,' *ed. Hieron.*

Ad Vesperas.

Ant. Colligite primum zizania et alligate ea in fasciculos ad comburendum : triticum autem congregate in horreum meum.
Ps. Magnificat (p. 221).

Feria ii.

Lectio i. (*Ad Philip. iii.* 2.)

Fratres, videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Nos enim sumus circuncisio qui spiritu Deo servimus, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes : quanquam et ego habeam in carne confidentiam.

Lectio ii. (*Ad Philip. iii.* 4.)

Si quis autem alius videtur confidere in carne, ego magis : circuncisus octava die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebreus ex Hebreis, secundum legem Phariseus, secundum æmulationem persequens ecclesiam Dei, secundum justitiam quæ in lege est, conversatus sine querela. Sed quæ michi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.

Lectio iii. (*Ad Philip. iii.* 8.)

Veruntamen et existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei : propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo non habens meam justitiam quæ est ex lege, sed eam quæ ex fide est Christi Jesu, quæ est ex Deo justitia in fide, ad agnoscendum illum et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum illius : configuratus morti ejus, si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis. Non quod jam acceperim aut jam perfectus sum* sequor autem si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. Tu autem.

Feria iii.

Lectio i. (*Ad Philip. iii.* 13.)

Fratres : ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit. Veruntamen ad quod nos pervenimus, ut idem sapiamus : et in eadem permaneamus regula. Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.

Lectio ii. (*Ad Philip. iii.* 18.)

Multi enim ambulant quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico inimicos crucis Christi : quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cælis est. Unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ : secundum operationem qua etiam possit subjicere sibi omnia.

Lectio iii. (*Ad Philip. Cap. iv.* 1.)

Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea : sic state in Domino, charissimi. Euchodiam rogo, et Sinthicem deprecor, idipsum sapere in Domino. Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in evangelio cum Clemente et ceteris adjutoribus meis: quorum nomina sunt in libro vitæ.

* 'sim,' *Vulg.*

Feria iv.

Lectio i. (*Ad Philip. iv.* 4.)

Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dominus enim prope est. Nichil solliciti sitis : sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.

Lectio ii. (*Ad Philip. iv.* 8.)

De cetero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ : hæc cogitate quæ didicistis et accepistis, et audistis et vidistis in me. Hæc agite : et Deus pacis erit vobiscum. Tu autem.

Lectio iii. (*Ad Philip. iv.* 10.)

Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire : sicut et sentiebatis. Occupati enim eratis. Non quasi propter penuriam dico : ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. Scio et humiliari : scio et abundare. Ubique et in omnibus institutus sum et saturari et esurire, et abundare et penuriam pati. Omnia possum : in eo qui me confortat. Veruntamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ. Tu autem, Domine.

Feria v.

Lectio i. (1 *ad Thess. i.* 1 *.)

Paulus, et Silvanus, et Timotheus : ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre Domino nostro et Jesu Christo. Gratia vobis et pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris, sine intermissione, memores et operis fidei vestræ, et laboris, et charitatis, et sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum.

Lectio ii. (1 *ad Thess. i.* 4.)

Scientes, fratres dilectissimi a Deo, electionem vestram, quia evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis et Domini, excipientes verbum Dei in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti : ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia. A vobis enim diffamatus est sermo Domini non solum in Macedonia et in Achaia, sed et in omni loco fides vestra quæ est ad Deum perfecta est : ita ut non sit nobis necesse quicquam loqui.

Lectio iii. (1 *ad Thess. i.* 9.)

Ipsi enim de vobis annunciant qualem introitum habuerimus ad vos, et quomodo conversi estis ad Deum a simulachris, servire Deo vivo et vero, et expectare Filium ejus de cælis, quem suscitavit ex mortuis Dominum Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

(1 *ad Thess. ii.*†)

Nam et ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos quia non inanis fuit : sed ante passi multa et contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Domino nostro loqui ad vos evangelium Dei in multa solicitudine. Tu autem, Domine, miserere nostri.

* '*Ad the.* 1.' *Chev.*

† '(*Gala.* 2.)' *Chev.*

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

1. A. Dominica in Septuagesima undecimo Kalend. Februarii tota cantetur hystoria et ad primas vesperas memoria de S. Agnete et de S. Maria. Festum S. Vincenti differatur in crastinum.

Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus, et responsoria ferialia prætermittantur.

Feria vi. de S. Juliano cum nocturno. Invitatorium simplex:—et sic de omnibus Festis trium lectionum usque ad Caput Jejunii*. A Capite Jejunii usque ad Pascha nichil fiat de Festis trium lectionum nisi tantum memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria † quæ præcedet memoriam de S. Spiritu.

2. A. Dominica in lxx. tota cantetur hystoria et memoria de S. Maria. Secundæ vesperæ erunt de commemoratione et memoria de Festo [S. Batildis], de dominica, et de S. Maria.

Feria iii. et Sabbato de aliis commemorationibus; et responsoria ferialia prætermittantur.

3. A. Dominica in lxx. tota cantetur hystoria, et Festum S. Agathæ differatur usque ad iii. Feriam. Ad secundas vesperas memoria de Confessoribus [Vedasto et Amando], et de S. Maria.

Feria ii. de Confessoribus [Vedasto et Amando] cum nocturno.

Feria iii. de S. Agatha. Feria iv., v., et Sabbato, de commemorationibus; et responsoria ferialia prætermittantur.

4. A. Dominica in lxx. tota cantetur hystoria.

Feria iii. de Sancto [Valentino] cum nocturno.

Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus; et in vi. Feria dicuntur responsoria ferialia cum epistola et Evangelio ejusdem Feriæ.

5. A. Dominica in lxx. tota cantetur hystoria.

Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus; et in v. feria dicuntur responsoria ferialia.

In anno bissextili fiat servitium de S. Mathia in Sabbato; et in vi. feria de S. Maria. Et tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 5 *G.* pro littera dominicali et inchoetur a dominica Sexagesimæ ‡.

1. B. Dominica in Septuagesima tota cantetur hystoria.

Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus; et responsoria ferialia prætermittantur.

Feria v. de S. Juliano cum nocturno.

2. B. Dominica in lxx. tota cantetur hystoria, et memoria tantum de Festo [S. Batildis], et de S. Maria.

Feria v. de Festo [S. Brigidæ] cum nocturno.

Feria ii., iii., et vi. de commemorationibus, et memoria de Fe[sto Purificationis]; et responsoria ferialia prætermittantur.

* '*De Festis iii. Lectionum infra Septuagesimam contingentibus.* Quodcunque festum iii. Lectionum ab hac Dominica usque ad Caput Jejunii contigerit, totum servicium fiat de Festo cum nocturno, et nulla memoria.' *Crede Michi* (1497).

† Cf. p. cccxci, cccxcii. *n.* †.

‡ '*a do. lx.*' (Chevallon.) hoc est *a Dominica in Sexagesima.* Sententiam loci ita explicavit vir reverendus J. R. Lunn, 'From this Saturday until the beginning of the history *In principio* (in July or August), 5 *G* is to be taken for the Sunday letter (*i.e.* after using 5 *A* from the commencement of the year up to this Saturday, Feb. 25th); and let it (*viz.* the Pie 5 *G*) be begun at Sexagesima Sunday.'

3. B. Dominica in LXX., de servitio dominicali, et memoria tantum de Sanctis [Vedasto et Amando].
Feria v. de Festo [S. Scolasticæ], cum nocturno.
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus; in vi. Feria dicuntur responsoria ferialia; in iv. Feria, et vi., dicuntur epistolæ et evangelia earundem feriarum.

4. B. Dominica in LXX. tota cantetur hystoria.
Feria ii. de Sancto [Valentino], cum nocturno.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus; et in vi. Feria cantentur responsoria ferialia.
Feria iv. de Festo [S. Julianæ V.] cum nocturno.

5. B. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria.
Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria vi. dicuntur responsoria ferialia :—in v. Feria, de S. Mathia.
In anno bissextili fiat servitium de S. Mathia in vi. Feria et in v. erit una commemoratio, et in iv. Feria dicuntur responsoria ferialia. Et tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio*, accipietur 5 *A*. pro littera dominicali et inchoetur ad dominicam Sexagesimæ.

1. C. Dominica in Septuagesima tota dicitur hystoria.
Feria iii., vi., et Sabbato, de commemorationibus; et responsoria ferialia prætermittantur.
Feria iv. de Sancto [Juliano Ep. et Conf.] cum nocturno.

2. C. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria; et responsoria ferialia prætermittantur.
Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria iv. de Sancto [Blasio Ep. et Mart.] cum nocturno.

3. C. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria.
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria iv. de Festo [Scolasticæ V.] cum nocturno.
Feria vi. dicuntur responsoria ferialia; in v. Feria epistola et evangelium de iv. Feria.

4. C. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria et tantum memoria de Sancto [Valentino Martyre].
Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus, et in vi. feria dicuntur responsoria ferialia.
Feria iii. de Festo [Julianæ V.], cum nocturno.

5. C. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria.
Feria iii. vi., et Sabbato, de commemorationibus; et in v. Feria dicuntur responsoria ferialia.
In anno bissextili in v. Feria de S. Mathia; et responsoria ferialia dicuntur in iv. Feria. Et tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio*, accipiatur 5. *B*. pro littera dominicali et inchoetur in dominica Sexagesimæ.

1. D. Dominica in Septuagesima tota cantetur hystoria et tantum memoria de Festo [S. Priscæ], et de S. Maria.
Feria vi. et Sabbato, de commemoratione; et responsoria ferialia prætermittantur.

2. D. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria, et memoria de S. Præjecto et de S. Maria; et festum S. Pauli differatur in crastinum.
Feria v., vi., et Sabbato, de commemorationibus; et responsoria ferialia prætermittantur.
Feria iii., de Festo [Juliani Ep. et Conf.], cum nocturno.

3. D. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria, et memoria tantum de Festo [S. Brigidæ non M.], et de S. Maria. Secundæ vesperæ erunt de Purificatione et solennis memoria de Dominica.
Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus; et responsoria ferialia prætermittantur.
Feria iii. de Sancto [Blasio Ep. Conf.] cum nocturno.

4. D. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria.
Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus; et in vi. Feria dicuntur responsoria ferialia.
Feria iii. de Festo [S. Scolasticæ Virg. non Mart.], cum nocturno.
Feria iv. epistola et evangelium ejusdem feriæ.

5. D. Dominica in LXX. tota cantetur hystoria.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus; et in vi. Feria dicuntur responsoria ferialia.
Feria ii. de Sancto [*i.e.*, de sancta Juliana V. et Mart.], cum nocturno.

1. E. Dominica in Septuagesima tota dicitur hystoria; et festum S. Vulstani differatur in v. Feriam.
Feria vi. de S. Maria; et responsoria ferialia prætermittantur, et nichil de aliis commemorationibus.

2. E. Dominica in LXX. tota cantetur hystoria.
Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus; et responsoria ferialia prætermittantur.
Feria ii. de Sancto [Juliano Ep. et Conf.], cum nocturno.

3. E. Dominica in LXX. totum servitium de Purificatione, et solennis memoria de Dominica ad utrasque vesperas et ad matutinas et ad missam.
Feria iii., et Sabbato, de commemoratione, et nichil de tertia commemoratione in hac ebdomada; et hystoria dicitur Feriis ii., v., et vi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus nisi tantum memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria*. Missa dominicalis dicitur in ii. Feria. In v. Feria epistola et evangelium de iv. Feria. Feria vi. epistola et evangelium ejusdem feriæ.

4. E. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus; et responsoria ferialia in iv. Feria dicuntur.
Feria ii. de festo [Scolasticæ V. non Mart.], cum nocturno.

5. E. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria et memoria de Festo [S. Julianæ V. M.].
Feria ii., iii., et v., de commemorationibus; et in vi. Feria dicuntur responsoria ferialia.
Feria iv., epistola et evangelium ejusdem feriæ.

* Cf. p. cccxci. cccxcii. *n.* †.

1. F. Dominica in Septuagesima tota dicitur hystoria; et festum Sanctorum [Fabiani et Sebastiani] differatur* in crastinum S. Vincentii.

Feria v., et Sabbato, de commemoratione; et responsoria ferialia prætermittantur.

2. F. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria; et tantum memoria de Sancto [Juliano] et de S. Maria.

Feria iii., iv., et v., de commemorationibus; et responsoria ferialia prætermittantur.

Feria ii. de Festo [Agnetis 2$^{do.}$], cum nocturno.

3. F. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria et tantum memoria de Sancto [Blasio]. Ad primas vesperas de festo Purificationis fiat solennis memoria de Dominica.

Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus.

Feria vi. dicuntur responsoria ferialia.

Feria iv. de Sanctis [Vedasto et Amando], cum nocturno.

4. F. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria; et memoria tantum de Festo [Scolasticæ].

Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus; in vi. Feria dicuntur responsoria ferialia.

Feria v. de Sancto [Valentino], cum nocturno.

5. F. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria.

Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus. Missa *Salus populi*† dicitur in ii. feria, et in iv. Feria dicuntur responsoria ferialia.

* '*De aliquo Festo contingente in Dominica Septuagesimæ, vel Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ.* Quodcunque festum, sive duplex sive simplex ix Lectionum, in Dominica LXX., XL. (*leg.* LX.), aut Quinquagesimæ contigerit, differatur, nisi festum Purificationis, Dedicationis Ecclesiæ, et Festum Loci. Ista tria non debent differri. Si aliquod istorum in aliqua istarum trium Dominicarum contigerit, nihil fiat de Dominica nisi memoria tantum ad utrasque Vesperas, Matutinas, et ad Missam. Tamen sine *Te Deum* et sine *Alleluia*. Et Historia Dominicalis per hebdomadam cantetur.' *Crede Michi* (A.D. 1495).

† De Missa *Salus Populi* conferendæ sunt pp. xcvii.—c., et cccxci. *n.* Quibus addi possunt *Missale Sarum* (Burntisland, A.D. 1861), pp. 740*—743*: et excerpta quæ hic infra scripta sunt:—

'Item illa Rubrica, quæ communiter ponitur in Missalibus pro missa *Salus Populi* cantanda, est generalis pro omnibus Ecclesiis, diverso tamen respectu celebranda. Nam clerici Ecclesiæ Sarum cantant istam missam pro fratribus et sororibus et benefactoribus illius Ecclesiæ.

'Ita quilibet Sacerdos parrochialis tenetur dicere missam pro parrochianis suis. Et sacerdotes stipendiarii pro amicis et benefactoribus suis, a quibus accipiunt stipendia sua (1495, 1497).

'[Hæc dico secundum opinionem meam. Et dico assertive, et certius est omni certo, quod Omne collegium totius regni plus tenetur orare, et dicere missam illam *Salus populi*, pro fratribus et sororibus benefactoribus proprii capituli quam Sarum seu alicujus alieni. Qui aliter sapit, sapiat. Sufficit mihi exonerare conscientiam meam (1495 : *omit.* 1497.)]

'... Item quando missa dominicalis in die dominica, vel in secunda feria cantata fuerit, tunc si tercia feria vacaverit, semper dicatur missa *Salus populi*, in ipsa tercia feria. Ita tamen quod propriæ Epistola et Evangelium (quæ *pro feriis* intitulantur propter missam *Salus populi*, vel missam *Nos autem gloriari*), per totum annum non omittantur.' *Defensorium Directorii* (ad usum Sarum, auctore Clemente Maydestone), 1495, 1497.

1. G. Dominica in Septuagesima tota dicitur hystoria, et festum S. Agnetis differatur usque ad iii. Feriam.

Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus; et responsoria ferialia prætermittantur.

2. G. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria et memoria de Festo [S. Agnetis, secundò].

Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus; et responsoria ferialia prætermittantur.

Feria iii. de Festo [S. Batildis], cum nocturno.

3. G. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria: secundæ vesperæ erunt de Festo [S. Agathæ], et memoria de dominica.

Feria iii. de Sanctis [Vedasto et Amando], cum nocturno.

Feria iv., v., et Sabbato, de commemorationibus; et responsoria ferialia dicuntur in vi. Feria.

4. G. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria.

Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.

Feria v. dicuntur responsoria ferialia.

Feria iv. de Sancto [Valentino], cum nocturno.

Feria v. epistola et evangelium de iv. feria.

5. G. Dominica in LXX. tota dicitur hystoria.

Feria ii., iii., et iv., de commemorationibus; et in vi. Feria dicuntur responsoria ferialia.

Sabbato de Apostolo [Matthia]; Secundæ vesperæ erunt de Festo et solennis memoria de Dominica.

In anno bissextili fiat servitium de Apostolo in ii. Feria proxima sequente: et in hoc Sabbato fiat servitium de S. Maria: et in iv. Feria dicitur de Feria; et in vi. Feria dicuntur responsoria ferialia; et abhinc usque ad inceptionem hystoriæ *In principio*, accipitur 5. *F.*, et inchoetur ad dominicam LXX. *et cetera**.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Ad Vesperas, et abhinc usque ad Missam in Vigilia Paschæ, non dicatur Alleluya: *sed in principio Vesperarum et Horarum, loco* Alleluya, *dicetur hoc modo:* Laus tibi, Domine, rex æternæ gloriæ.

Ant. Benedictus.

Ps. *Ipsum* (*cxliii.* p. 215): *et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis.*

Capitulum. (1 *Corinth. ix.* 24.)

Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium, sic currite ut comprehendatis.

R. Igitur perfecti.

(*iii.* p. cccclxxxiv.)

Hymnus. Deus Creator, p. 220.

Versus. Vespertina oratio.

Ant. Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio: in quo posuit hominem quem formaverat.

Ps. Magnificat.

Oratio. Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi: ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per Dominum.

* 'do. LXX.' *Portiforium* 1525—6; 'dñicam in sexagesima.' *Directorium* 1495.

Nulla fit Memoria, nisi aliquod Festum trium Lectionum in Dominica contigerit, vel in Sabbato Festum novem Lectionum celebratum fuerit, vel si Septuagesima ante Purificationem evenerit: tunc fiat Memoria de sancta Maria, ut supradictum est ad primas Vesperas Hystoriæ Domine, ne in ira. (p. ccccv.)

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Præoccupemus, *p.* 3.
Ps. Venite.
Hymnus. Primo dierum, *p.* 5.

In primo Nocturno.

Ant. Servite (p. 10).
Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).
V. Memor fui nocte.

Hac die Dominica legantur Lectiones de libro Genesis in primo Nocturno, et per totam ebdomadam, quando de temporali agitur, usque ad Noe.

Lectio i. (*Gene. i.* 1.)

In principio creavit Deus cælum et terram. Terra autem erat inanis et vacua: et tenebræ erant super faciem abissi, et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus, Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona: et divisit lucem a tenebris. Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem. Factumque est vespere et mane dies unus. Tu autem.

R. 1. In principio fecit Deus cælum et terram: et creavit in ea hominem. Ad imaginem et similitudinem suam.

Versus. Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ: et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Ad imaginem.

Lectio ii. (*Gen. i.* 6.)

Dixit quoque Deus. Fiat firmamentum in medio aquarum: et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum: divisitque aquas quæ erant super firmamentum ab his quæ erant sub firmamento. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum cælum. Et factum est vespere et mane dies secundus.

R. 2. In principio Deus creavit cælum et terram: et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et vidit Deus cuncta quæ fecerat: et erant valde bona.

Versus. Igitur perfecti sunt cæli et terra: et omnis ornatus eorum. Et vidit Deus.

Lectio iii. [*Gen. i.* 9.]

Dixit vero Deus, Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum unum: et appareat arida. Factumque est ita. Et vocavit Deus aridam terram: congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum: et ait, Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum: cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem et afferentem semen juxta genus suum: lignumque faciens fructum et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum: factumque est vespere et mane dies tertius.

R. 3. Igitur perfecti sunt cæli et terra et omnis ornatus eorum, complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat. Et requievit ab omni opere quod patrarat.

V. Vidit Deus cuncta quæ fecerat: et erant valde bona.

Et requievit. Gloria Patri. Et requievit.

In secundo Nocturno.

Ant. Bonorum (p. 19).
Ps. Conserva (*xv.* p. 17).
V. Media nocte.

Mediæ Lectiones de sermone beati Johannis episcopi.

Lectio iiii. Dignitas humanæ originis facile agnoscitur, considerata sublimitate auctoris. Nec enim facile poterat esse vel leve, quod manus sacra confinxit, et cælestis flatus in vitalem substantiam animavit: maxime cum idem artifex Deus potestatem suam in omnem fabricam eidem homini fuerat traditurus: ut quem secundum præsidem post se facere disponebat, eundem faceret plenum atque perfectum, habentem in sese et dignitatem qua præcelleret, et potestatem qua cunctis animantibus imperaret. *Soli serviens illi a quo ei cuncta fuerant subjugata, ut imperaret mundo, serviret Deo, Creatorem susciperet: creaturam sibi parere compelleret. Tantumque ditionis sese Domino debere perspiceret, quantum ipse a creatura exigeret, habens in propria potestate et obedientiam et contemptum. Obedientiam, qua viveret: contemptum, quo digne pro meritis interiret. Unde effectum est, ut contemnendo in mortem incideret, qui obediendo vivere potuisset. †Unde potestatem concessam dum in contemptum protulit, et vitæ privilegium perdidit, et mortis sibi sententiam acquisivit. Et tamen creatura adhuc ejus servat imperium, licet ipse Creatori suum denegarit obsequium. Unde apparet quid suæ felicitati detraxerit, cum peccatorum merita ejus statum adhuc mutare non possint‡. Gravaris, homo: juste gravaris, et inexcusabili pœna astringeris. Contemnis Creatorem: et ejus imperas creaturæ. Despicis Dominum: et de ejus exigis creatura servitium. Beneficiis Dei perfrueris: et ejus potentiam non pertimescis. Et cum tibi per eum cuncta deserviant, solus illi ipse non servis. Bis delinquis, et geminum ac duplex crimen incurris: dum nec pro conditione ut servus obsequeris, nec pro potestate data Domino famularis. Tibi cælum in die lucis splendore vestitur, et solis fulgoribus decoratur, in nocte clarissimo lunæ speculo, et astrorum fulgore vario polus ipse illustratur: ut diei noctisque vicissitudine et numerositas temporum dignoscatur, et post diurnum laborem miseris mortalibus requies præbeatur. Tempora alternis vicibus immutantur, frondescunt silvæ, amœnantur campi, prata virescunt, animantia cuncta diversis usibus procreata edunt fetus, parent imperio, obsequia servant. Scatent fontes, amnes fluunt, institutis terminis maria cohercentur. Gaudet post hyemem verna temperies, æstatis flagrantia decoquit messes, autumni serenitas temulenta suas exhibet ubertates. Hyeme madidantur imbribus terræ, suis institutis cuncta deserviunt. Solus homo Deo non servit. Quid si tibi universa natura constanter ediceret? Ego tibi a Domino rerum parere præcepta sum: ego circa te jussa implere, instituta servare, nascentia cuncta tribuere, Genitoris imperio jussa sum. Denique pareo, obtempero, servio: et te mutato non mutor. Pareo inquam rebelli, obtempero procaci, deservio contemptori. Ceterum si michi instituta mutare, jussa pervertere, necessaria denegare rerum Dominus præcepisset: creatura cuncta viduata homine remaneret, nec qui contemneret ulterius esset, quia contemptor homo digne ac merito interiret. Tu autem Domine miserere nostri.

* *Lectio v.* incipit } in Portiforio Sarum A. D. 1525—6, Antwerpiæ excuso.
† *Lectio vi.* incipit }

‡ *Lectio vi.* explicit in verbo 'poss*unt*.,' et non dicitur ulterius secundùm Portiforia. De mensura trium priorum lectionum in hac hebdomada nihil inter se discrepant Breviarium et Portiforium.

R. 4. Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ: et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Et factus est homo in animam viventem.

V. In principio fecit Deus cælum et terram: et creavit in ea hominem. Et factus.

Lectio v. Denique quisquis talis es qui in hoc contemptu consistis, qui creaturæ imperas, et Creatori non servis, qui dominatum exerces, et Dominum non agnoscis: time Dominum patientem, ne severum sentias judicem. Corrigat te dilatio differentis, ne censura puniat vindicantis. Facile enim obsequio tuo facies Deum propicium: si conversus jam mutaveris vicium. Usuratum enim redditur, quicquid dilatione temporis feneratur. Nec esse jam poterit impunitum, cui mora temporis non potuit dare remedium. Quid retribuat Domino, si humana conditio Genitori quid debeat noscat, atque ejus beneficiorum innumeram multitudinem momentis omnibus retractando intelligat, inveniet suæ servitutis obsequia continuis laudibus jugi gratulatione æquare non posse. Neque enim beneficia ab eo præstita atque collata vel modum poterunt habere vel numerum: certe nec terminum. Quippe cum nec sensus ad investigandum sufficiat, nec scientia suppetat ad laudandum. Immensitas enim beneficiorum superat cogitationes sensuum, et innumera multitudo donorum vincit volubilitatem verborum. Nec si totum vitæ tempus oris obsequia occupent, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, poteris pensare quod debes. Quare danda nobis est opera, ut totis viribus devotio mentis in divina obsequia exerceatur, et laudum glorias os nostrum per omne tempus frequentare cogatur: non quod in istis debita compensetur, sed ut nostræ devotionis voluntas his conatibus dinoscatur: ut quicquid fragilitas detrahit ad complendum, hoc devotio conferat ad promerendum, ut jam quia vis, non quia proficis expungaris, nec quia debita compensas, sed quia parere desideras. Velle enim ipsum expungitur, quia per immensitatem rerum idipsum quod cupimus explicare non datur.

R. 5. Dixit Dominus Deus non est bonum esse hominem solum. Faciamus ei adjutorium simile sibi.

V. Adæ vero non inveniebatur adjutor similis sibi, dixit vero Deus. Faciamus.

Lectio vi. Quid retribuam (inquit propheta) Domino pro omnibus quæ retribuit michi. Quærit propheta sanctissimus quibus meritis beneficia divina compenset, quo famulatus genere munera percepta coæquet, quibus obsequiis tantis possit muneribus respondere, quo servitutis genere innumera debeat dona et infinita beneficiorum genera comparare. Sit licet excellens hominum meritum, sit naturæ jura conservans, sit jussis legum obtemperans; impleat fidem, justiciam teneat, virtutes exerceat, damnet vicia, peccata repellat, exemplum semet imitantibus præbeat. Si quid gesserit, parum est: est quicquid fecerit minus. Omne enim meritum breve est, comparatione donorum. Numera beneficia si poteris: et tunc considera quid mereris. Cum beneficiis cælestibus tua facta perpende: cum divinis muneribus actus proprios meditare. Nec dignum te judicabis eo quo frueris, si intelligas quod mereris. Igitur de beneficiis innumeris divina in te pietate collatis, elige quod libuerit unum: huic tuum compensari totum non poterit meritum. Ceterum obtunditur sensus, confunditur animus, spiritus perturbatur, ut ab homine Deus noscatur. Nec humana poterunt pensari obsequia, si divina compares beneficia. Et tamen de illo loquimur qui semet peccare non patitur, qui

judicium suæ mentis examinans contendit ut placeat, ut promereatur instat, ut serviat elaborat. Ceterum quem aut peccare delectat, aut propriæ mentis segnicia, aut inconsiderati actus, aut vanitas vitæ sic mancipat viciis, ut sit materia delictorum, minister culparum, seminarium peccatorum: ita ut in se duplex scelus et geminum crimen admittat, et quod debita Domino servitutis non reddit obsequia, et quod innumera beneficia peccando ejus pensare nititur contumelia. Quare nitatur justus merita propria beneficiis cælestibus coæquare : nitatur et peccator vicia quæ exercebat horrere. Ille augmentis sanctæ vitæ increscat : hic peccata damnando justiciam quam non amabat exerceat. Justus meliorata vita proficiat : peccator corrigatur, ut vivat. Ille bonis tribuat salutare exemplum : hic malis ostendat correctionis remedium. Ille præmia meriti sancti expectet: hic supplicia semet corrigendo declinet. Sic fit, ut et justus gloriam bene vivendo acquirat : et peccator correctus indulgentiam divina pietate percipiat.

R. 6. Immisit Dominus soporem in Adam : et tulit unam de costis ejus et ædificavit costam quam tulerat Dominus de Adam in mulierem : et adduxit eam ad Adam ut videret quid vocaret eam. Et vocavit nomen ejus virago Quia de viro suo sumpta est.

V. Hoc nunc os ex ossibus meis : et caro de carne mea.

Et vocavit. Gloria. Quia.

In tertio Nocturno.

Ant. Præceptum (p. 25).

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

V. Exaltare.

Lectio sancti Evangelii secundum Matheum xx. [1—16.]

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum cælorum homini patrifamilias : qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ (xix.)*.

In explanatione sua multa ad loquendum sancti evangelii lectio postulat : quam volo si possum sub brevitate perstringere, ne vos et extensa processio et prolixa expositio videatur onerare. Regnum cælorum patrifamilias simile dicitur : qui ad excolendam vineam suam operarios conducit. †Quis vero patrisfamilias similitudinem rectius tenet quam Conditor noster, qui regit quos condidit, et electos suos sic in hoc mundo possidet quasi subjectos dominus in domo? Qui hic habet vineam universam, scilicet ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.

R. 7. Tulit ergo Dominus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis. Ut operaretur et custodiret illum.

V. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio : in quo posuit hominem quem formaverat.

Ut.

Lectio viii. ‡ Hic itaque paterfamilias ad excolendam vineam suam mane, hora tertia, sexta, nona, et undecima operarios conducit : quia a mundi hujus initio usque ad finem ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare non desistit. Mane etenim mundi fuit ab Adam usque ad Noe. Hora vero tertia, a Noe usque ad Abraham. Sexta quoque, ab Abraham usque ad Moysen. Nona autem, a Moyse usque ad ad-

* *Gregorii* in Evangelia Lib. I. Hom. XIX. *Op.* I. 1510.
† *Lectio viii.* hic incipiebat in Portiforio A. D. 1525—6.
‡ *Lectio ix.* in Portiforio.

ventum Domini. Undecima autem, ab adventu Domini usque ad finem mundi. In qua prædicatores sancti apostoli missi sunt, qui mercedem plenam et tarde venientes acceperunt.

R. 8. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum. Videte ne forte sumat de ligno vitæ : et vivat in æternum.

V. Cherubin et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Videte.

Lectio ix. Ad erudiendam ergo Dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere. Quia et prius per patriarchas, et postmodum per legis doctores et prophetas, ad extremum vero per apostolos, dum plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in vineæ cultura laboravit. Quamvis in quolibet modulo vel mensura quisquis cum fide recta bonæ actionis operator extitit, hujus vineæ operarius fuit. Operator ergo mane, hora tertia, sexta, et nona, antiquus ille et hebraicus populus designatur. Qui in electis suis ab ipso mundi exordio dum recta fide Deum studuit colere, quasi non destitit in vineæ cultura laborare. Tu autem.

R. 9. Ubi est Abel frater tuus, dixit Dominus ad Caim, nescio Domine : nunquid custos fratris mei sum ego? et dixit Dominus ad eum. Quid fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.

V. Maledicta terra in opere tuo : quæ aperuit os suum et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.

Quid. Gloria. Ecce. *Responsorium iteratur.* Ubi est Abel.

Ab hac die usque ad Pascha non dicatur Te Deum, *sive de Temporali, sive de Festis Sanctorum fit servitium: sed semper nonum Responsorium reincipiatur : et hoc in Festis ix Lectionum tantum. Non enim repetatur Responsorium in Commemoratione beatæ Mariæ, nec de Festo loci.*

¶ *Feriale Responsorium.* Dum deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem : clamavit et dixit, Adam ubi es? audivi, Domine, vocem tuam. Et abscondi me.

V. Vocem tuam, Domine, audivi in paradiso et timui : eo quod nudus essem. Et abscondi me.

R. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, dixit Dominus ad Adam : cum operatus fueris terram Non dabit fructus suos. Sed spinas et tribulos germinabit tibi.

V. Pro eo quod obedisti voci uxoris tuæ plusquam meæ : maledicta terra in opere tuo.

Non dabit. Gloria. Sed spinas.

Hæc duo Responsoria ferialia cum suis Versibus dicantur feria quarta, loco octavi et noni Responsoriorum de Hystoria Dominicali : vel in quacunque feria tertius Nocturnus Dominicalis Hystoriæ dicendus sit, si tot feriæ vacaverint : sin autem, loco quinti vel sexti, vel secundi et tercii.

V. Excelsus super omnes gentes Dominus.

R. Et super cælos gloria ejus.

In Laudibus.

Ant. Miserere mei, Deus, et a delicto meo munda me : quia tibi soli peccavi.

Ps. *Ipsum* (*l.* p. 85).

Ant. Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me.

Ps. Confitemini (*cxvii.* p. 43).

Ant. Deus Deus meus ad te luce vigilo quia factus es adjutor meus.

Ps. *Ipsum* (*lxii.* p. 30).

Ant. Benedictus es in firmamento cæli, et laudabilis in secula Deus noster.

Ps. Benedicite (*p.* 31).

Ant. Laudate Dominum de cælis.

Ps. *Ipsum* (*cxlviii.—cl.* p. 32).

Capitulum. Nescitis *p.* ccccl xxxi.

Hymnus. Æterne rerum (p. 34).

V. Domine, refugium factus es nobis.

R. A generatione et progenie.

Hic Versus dicitur in omnibus Dominicis in Laudibus usque ad Quadragesimam.

Ant. Simile est regnum cælorum homini patrifamilias : qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, dicit Dominus.

Ps. Benedictus.

Oratio. Preces populi.

(p. ccccIxxxii.)

A Septuagesima usque ad Pascha, nulla fit Memoria in sabbatis neque in Dominicis diebus : nisi Festum ix Lectionum vel trium accidant in ipsa Dominica, vel in secunda feria, vel si Septuagesima ante Purificationem evenerit : tunc enim fit Memoria de sancta Maria ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam, sicut alias dictum est. Quacunque autem feria Festum trium Lectionum contigerit, totum servitium fiat de Festo cum Nocturno, usque ad Quadragesimam, nisi in sabbatis. In Quadragesima vero neque servitium fiat de tali Festo, neque Memoria, nisi ad Vesperas et ad Matutinas de sancta Maria.*

Ad Primam.

Ant. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno : misit eos in vineam suam.

Ps. Deus, Deus meus, respice (*xxi.* p. 37). *Et ceteri Psalmi ut supra in prima Dominica Adventus Domini, excepto quod loco* Confitemini, *dicitur Psalmus* Dominus regnavit decorem (*xcii.* p. 29), *et hoc in omnibus Dominicis usque ad Passionem observetur.*

Ad Tertiam.

Ant. Ite et vos in vineam meam : et quod justum fuerit dabo vobis.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. Nescitis.

Quidam Clericus incipiat Responsorium, Adjutor meus.

Chorus prosequatur, esto Domine. Ne derelinquas me.

Clericus cantet, Neque despicias me Deus salutaris meus.

Chorus. Ne derelinquas me.

Clericus. Gloria Patri.

Chorus. Adjutor meus.

Clericus dicat Versum, Ego dixi, Domine, miserere mei.

R. Sana animam meam quia peccavi tibi.

Oratio ut supra.

Hoc eodem modo dicantur Responsoria super Horas quotidie ab hac die usque ad Cenam Domini : nisi in ferialibus diebus ante Quadragesimam quando de temporali agitur : ita tamen quod infra Passionem Domini sine Versu Gloria Patri *dicantur.*

Ad Sextam.

Ant. Quid hic statis tota die ociosi ? responderunt et dixerunt : nemo nos conduxit.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (1 *Corin. ix.* 25.)

Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet : et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

R. Spes mea, Domine, A juventute mea.

V. In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus.

A juventute.

V. Dominus regit me.

Ad Nonam.

Ant. Dixit paterfamilias operariis suis, quid hic statis tota die ociosi, at illi dixerunt, quia nemo nos con-

* '*accidat*' Portiforium (A. D. 1525—6), quod post '*dictum est*' mox subjungit '*Et tunc quando ad Memoriam de S. Maria ad Matutinas dicitur hæc Antiphona* Ecce Maria, *illa finietur ad hanc dictionem* mundi., *nihil posito in loco* Alleluia.' (cf. p. ccxciii.)

duxit . ite et vos in vineam meam : et quod justum fuerit dabo vobis.

Ps. Mirabilia testimonia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (1 *Corin. ix.* = *x.* 1.)

Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari.

R. Ab occultis meis Munda me, Domine.

V. Et ab alienis parce servo tuo. Munda.

V. Adjutor meus esto.

R. Domine, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Hæc Responsoria cum suis Versibus super Horas dicantur omnibus Dominicis usque ad Quadragesimam, quando de Dominica agitur.

Ad Vesperas.

Ant. Sede a dextris (*p.* 192).

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Capitulum. Nescitis quod.

Hymnus. Lucis, (p. 195.)

V. Dirigatur, Domine.

Ant. Cum autem sero factum esset : dixit Dominus vineæ procuratori suo, voca operarios et redde illis mercedem.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio. Preces populi tui.

Quod si Festum Purificationis beatæ Mariæ in hac Dominica, vel in Dominica Sexagesimæ, contigerit, nichil fiat de Dominica præter Memoriam. Hystoria vero Dominicalis per ebdomadam dicitur, scilicet in tertia et quinta et sexta feriis. Et tunc Responsoria Ferialia non dicuntur : et Expositio Evangelii, et Antiphonæ super Laudes, et Capitulum de Hystoria, et Antiphonæ super Psalmos* Magnificat *et* Benedictus, *et Antiphonæ super Horas, eo anno omnini prætermittantur. Eodem etiam anno nichil fiat de Festo sanctorum Vedasti et Amandi præter Memoriam ad Vesperas et ad Matutinas de sancta Maria, quæ præcedet Memoriam de Sancto Spiritu : et de hoc plenius notatur post secundas Vesperas Purificationis beatæ Mariæ. Similiter fiat si Festum Purificationis in Dominica Sexagesima evenerit.*

Cum vero in Dominica Quinquagesimæ Festum Purificationis beatæ Mariæ contigerit, Hystoria Dominicalis per ebdomadam in secunda et sexta feriis et sabbato cantetur : et tunc nichil fiat de sancto Blasio, nisi tantum Memoria ad Matutinas de sancta Maria. Quodcunque autem Festum ix Lectionum in hac die Dominica, vel alia die Dominica usque ad Cenam Domini contigerit, licet duplex Festum fuerit, semper differatur usque ad proximam feriam vacantem ipsius ebdomadæ : nisi fuerit Festum Purificationis, vel Dedicationis ecclesiæ. Tamen infra Passionem nichil fiat de Festis Sanctorum, nisi duplex Festum fuerit. Quodcunque autem Festum iii Lectionum in hac ebdomada, vel in duabus sequentibus ebdomadis contigerit, usque ad quartam feriam in Capite Jejunii, totum servitium fiat de Festo, et hoc cum Nocturno, et nulla fiat Memoria de feria.

A quarta vero feria in Capite Jejunii usque in crastinum Octavarum Paschæ, neque servitium fiat de Festo iii Lectionum, neque Memoria nisi ad Vesperas et ad Matutinas de sancta Maria tantum, quæ præcedet Memoriam de Sancto Spiritu.

Hæ sequentes Antiphonæ dicuntur per ebdomadam super Psalmum Benedictus *et* Magnificat, *quando de feria fit servitium tantum.*

Ant. Voca operarios et redde illis mercedem suam dicit dominus.

* 'XL.' (*i.e.* Quadragesimæ), *Chevallon* (1531), ex errore typographi, ut patet. 'LX.,' *Chr. Ruremund.* (1525—6).

Ant. Dixit autem paterfamilias : amice, non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum : tolle quod tuum est et vade.

Ant. Amice, non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum : tolle quod tuum est et vade.

Ant. Tolle quod tuum est et vade : quia ego bonus sum dicit dominus.

Ant. Non licet michi facere quod volo : an oculus tuus nequam est : quia ego bonus sum dicit dominus.

Ant. Erunt primi novissimi et novissimi primi : multi enim sunt vocati pauci vero electi, dicit Dominus.

Ant. Sic erunt novissimi primi et primi novissimi : multi enim sunt vocati pauci vero electi.

Ant. Multi enim sunt vocati : pauci vero electi dicit Dominus.

Feria secunda, et ceteris feriis per ebdomadam, dicantur Responsoria ad Matutinas de Hystoria Dominicali, secundum ordinem Nocturnorum : ita tamen quod Responsoria feriæ non omittantur.

Lectio i. (*Gene. i.* 14.)

Dixit autem Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli : et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora et dies et annos, ut luceant in firmamento cæli et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo magna luminaria. Luminare majus ut præesset diei : et luminare minus ut præesset nocti : et stellas. Et posuit eas in firmamento cæli ut lucerent super terram et præessent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum : et factum est vespere et mane dies quartus. Tu autem.

Lectio ii. [*Gen. i.* 20.]

Dixit autem Deus, Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cæli. Creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum : benedixitque eis dicens, Crescite et multiplicamini : et replete aquas maris : avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane dies quintus.

Lectio iii. [*Gen. i.* 24.]

Dixit quoque Deus, Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terræ juxta species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, jumenta et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum : et ait, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : et præsit piscibus maris et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ omnique reptili quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam. Ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos*. Benedixitque illis Deus : et ait, Crescite et multiplicamini : et replete terram et subjicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus cæli, et universis animantibus quæ moventur super terram.

FERIA III.

Lectio i. (*Gene. i.* 29.)

Dixitque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam,

* De hac historia non dicitur ulterius in feriis Septuagesimæ secundum Portiforium Sarum A.D. 1525—6.

et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, et universis quæ moventur in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.

Lectio ii. [*Gen. ii.* 1.]

Igitur perfecti sunt cæli et terra, et omnis ornatus eorum : complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat : et requievit die septimo ab omni opere suo quod patrarat. Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret.

Lectio iii. [*Gen. ii.* 4.]

Istæ sunt generationes cæli et terræ quando creatæ sunt in die quo fecit Dominus cælum et terram, et omne virgultum agri antequam orietur in terra : omnemque herbam regionis priusquam germinaret. Non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram : sed fons ascendebat e terra irrigans universam superficiem terræ. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.

Feria iv.

Lectio i. (*Gene. ii.* 8.)

Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio in quo posuit hominem quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave : lignum etiam vitæ in medio paradisi : lignumque scientiæ boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni Physon, ipse est qui circuit omnem terram Ejulath, ubi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum est. Ibique invenitur bdellium et lapis onichinus. Et nomen fluvii secundi Gyon : ipse est qui circuit omnem terram Ethiopiæ. Nomen vero fluminis tertii Tygris, ipse vadit contra Assyrios. Fluvius vero quartus, ipse est Eufrates. Tu autem, Domine, miserere nostri.

Lectio ii. [*Gen. ii.* 15.]

Tulit igitur Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis ut operaretur et custodiret illum : præcepitque ei dicens, Ex omni ligno paradisi comede : de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Dixit quoque Dominus Deus, Non est bonum esse hominem solum : faciamus ei adjutorium simile sibi.

Lectio iii. [*Gen. ii.* 19.]

Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ et universis volatilibus cæli adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia et universa volatilia cæli, et omnes bestias terræ. Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus.

Feria v.

Lectio i. (*Gene. ii.* 21.)

Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam. Cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis : et caro de carne mea. Hæc vocabitur vi-

rago : quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem : et adhærebit uxori suæ. Et erunt duo in carne una.

Lectio ii. [*Gen. ii.* 25.]

Erant autem uterque nudi, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant. Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem, Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi? Cui respondit mulier, De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur : de fructu vero ligni quod est in medio paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus et ne tangeremus illud : ne forte moriamur.

Lectio iii. [*Gen. iii.* 4.]

Dixit autem serpens ad mulierem. Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri : et eritis sicut dii scientes bonum et malum. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile : et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo. Qui comedit : et aperti sunt oculi amborum. Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus : et fecerunt sibi perizomata.

Feria vi.

Lectio i. [*Gen. iii.* 8.]

Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem : abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei in medio lignorum paradisi. Vocavitque Dominus Deus Adam : et dixit ei, Adam ubi es? Qui dixit, Vocem tuam audivi in paradiso : et timui eo quod nudus essem : et abscondi me. Cui dixit Deus, Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes comedisti?

Lectio ii. [*Gen. iii.* 12.]

Dixitque Adam, Mulier quam dedisti michi sociam : dedit michi de ligno et comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem, Quare hoc fecisti? Quæ respondit, Serpens decepit me : et comedi. Et ait Dominus Deus ad serpentem, Quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia et bestias terræ. Super pectus tuum gradieris : et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te et mulierem : et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum : et tu insidiaberis calcaneo ejus.

Lectio iii. [*Gen. iii.* 16.]

Mulieri quoque dixit, Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos. In labore paries filios, et sub viri potestate eris : et ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit, Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes : maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi. Et comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Evam : eo quod mater esset cunctorum viventium. Tu autem, Domine, miserere nostri.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

1. A. Dominica in Sexagesima tota cantetur hystoria.
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria iv. de Festo [S. Brigidæ] cum nocturno.

2. A. Dominica in LX. tota dicitur hystoria, et Festum S. Agathæ differatur usque ad iii. Feriam.
Feria iv., v., et Sabbato, de commemorationibus.

3. A. Dominica in LX. tota cantetur historia. Secundæ vesperæ erunt de commemoratione, et memoria de Dominica et de S. Maria.
Feria ii., vi.*, et Sabbato, de commemorationibus.
Feria iv. † de Feria cum epistola et evangelio ejusdem Feriæ.

4. A. Dominica in LX. tota cantetur historia.
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.
In anno bissextili fiet servitium de Apostolo [Mathia] in Sabbato; et in vi. Feria de S. Maria.
In v. Feria epistola et evangelium de iv. Feria; et tunc ab hoc Sabbato usque ad inchoationem historiæ *In principio* ‡ accipietur 4. *G.*, et inchoetur ad dominicam Quinquagesimæ.

5. A. Dominica in LX. tota dicitur historia.
Feria iv. de S. David Ep. et Conf. ix. lectionum, omnia de communi.
Feria v. de S. Cedda Episcopo et Confessore, omnia de communi.
Feria, ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.

1. B. Dominica in Sexagesima tota dicitur historia, et tantum memoria de Festo [S. Batildis].
Feria ii., iii., et vi., de commemorationibus.

2. B. Dominica in LX. tota dicitur historia et tantum memoria de Sanctis [Vedasto et Amando].
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.

3. B. Dominica in LX. tota dicitur historia.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus.

4. B. Dominica in LX. tota dicitur historia.
Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria v. de S. Mathia§.
In anno bissextili fiat servitium de Apostolo in vi. Feria; et tunc in v. Feria fiat una commemoratio, et in iv. Feria de Feria cum epistola etc. de eadem Feria et tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem historiæ *In principio*, accipietur 4. *A.* pro littera dominicali, et inchoetur ad dominicam Quinquagesimæ.

* 'Feria ii., v., et Sabbato' (*Portiforium* A. D. 1525—6).
† 'Feria iv. de Feria' (*id.*).
‡ Per 'historiam *In principio*' non designatur tempus legendi librum Genesim (quamquam ita sonat initium primi Responsorii, in Septuagesima) sed librum Sapientiæ, cujus historia mense Augusto jam inito, aut mox ineundo, cantatur.
§ 'Maria' *Portif.* 1525—6, per incuriam.

5. B. Dominica in LX. tota dicitur historia.
Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria iii. de S. David : omnia de communi unius Confessoris.
Feria iv. de S. Cedda ix. lectionum : omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.

1. C. Dominica in Sexagesima tota dicitur historia.
Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus.

2. C. Dominica in LX. tota dicitur historia.
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria v., epistola et evangelium de iv. Feria.

3. C. Dominica in LX. tota dicitur historia, et tantum memoria de Sancto [Valentino].
Feria ii., iii.*, et Sabbato, de commemorationibus.
Feria iv. et v., de Feria.

4. C. Dominica in LX. tota dicitur hystoria.
Feria iii., vi., et Sabbato, de commemorationibus.
In anno bissextili fiat servitium de Apostolo [Mathia] in v. Feria; et tunc in iv. Feria fiat una commemoratio: in vi. Feria, de Feria. Et abhinc usque ad inceptionem hystoriæ *In principio*, accipietur 4. *B.*, et inchoetur ad dominicam Quinquagesimæ.

5. C. Dominica in LX. tota dicitur hystoria.
Feria ii., et iii., de Sanctis [David, et mox Cedda], ix. lectionum, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.
Feria v., vi., et Sabbato, de commemorationibus.

1. D. Dominica in Sexagesima tota dicitur hystoria, et memoria de S. Præjecto, et de S. Maria, et festum S. Pauli differatur in crastinum.
Feria v., vi., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria iii., de Sancto [Juliano] cum nocturno.

2. D. Dominica in LX. tota dicitur hystoria, et memoria de festo [S. Brigidæ], et de S. Maria. Secundæ vesperæ erunt de Purificatione et solennis memoria de dominica.
Feria iv., et vi., et Sabbato, de commemorationibus.

3. D. Dominica in LX. tota dicitur hystoria.
Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria iii., de festo [S. Scolasticæ] cum nocturno.
Feria iv. et vi. de Feria. Responsoria per ordinem. Epistolæ et evangelia earundem feriarum.

4. D. Dominica in LX. tota dicitur hystoria.
Feria ii., de festo [Julianæ Virg. et Mart.] cum nocturno.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus.

5. D. Dominica in LX. tota dicitur hystoria, et festum [de Cathedra] S. Petri differatur in crastinum.
Feria v., vi., et Sabbato, de commemorationibus.
In anno bissextili fiat servitium de Apostolo [Mathia] in iv. Feria; et tunc

* 'v.' (sed per litteram arabicam 5) Brev. 1531.

in iii. Feria fiat una commemoratio; et in v. Feria dicuntur epistolæ et evangelia de iv. Feria; et abhinc usque ad ii. diem Augusti accipietur 4. *C.* pro littera dominicali, et inchoetur ad dominicam Quinquagesimæ.

1. E. Dominica in Sexagesima tota dicitur hystoria.
Feria iv., vi., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria ii., de Sancto [Juliano Ep. Conf.] cum nocturno.

2. E. Dominica in LX. totum servitium de Purificatione; ad utrasque vesperas et ad matutinas fiat solennis memoria de Dominica, et ad missam.
Feria iii., et Sabbato, de commemoratione, et nichil de iii. commemoratione; et hystoria dicitur Feriis ii., v., et vi.; et nichil de Sanctis ibidem contingentibus nisi memoria tantum ad vesperas et ad matutinas de S. Maria. Missa dominicalis dicitur in ii. Feria; et in v. Feria epistola et evangelium de iv. Feria.
Feria vi., epistola et evangelium ejusdem Feriæ.

3. E. Dominica in LX. tota dicitur historia.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria ii. de Festo [S. Scolasticæ] cum nocturno.

4. E. Dominica in LX. tota dicitur historia, et tantum memoria de Festo [S. Julianæ Virg. Mart.].
Feria ii., iii., et v., de commemorationibus.
Feria iv. et vi., de Feria; epistola et evangelium earundem Feriarum.

5. E. Dominica in LX. tota dicitur historia : secundæ vesperæ erunt de Apostolo [Mathia] et solennis memoria de Dominica.
Feria iii., v., et vi., de commemorationibus.
Sabbato de S. David : oratio &c. de communi unius Confessoris et Pontificis.
In anno bissextili fiat servitium de S. Mathia in iii. Feria : et tunc in ii. Feria, v., et Sabbato, de commemorationibus. Et abhinc usque ad inceptionem historiæ *In principio*, accipietur 5. *D.* pro littera dominicali, et inchoetur ad dominicam Quinquagesimæ.

1. F. Dominica in Sexagesima tota dicitur historia.
Feria iii., iv., et v., de commemorationibus.
Feria ii. de Festo [S. Juliani Ep. Conf.] cum nocturno.

2. F. Dominica in LX. tota dicitur hystoria. Ad primas vesperas, quæ erunt de Purificatione, fiat solennis memoria de Dominica et nulla memoria de S. Blasio ad has vesperas; sed ad matutinas et ad missam fiat memoria de S. Blasio. Secundæ vesperæ erunt de Dominica, et memoria de commemoratione.
Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus.

3. F. Dominica in LX. tota dicitur historia et tantum memoria de Festo [S. Scolasticæ].
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria iv. et vi. de Feria.

4. F. Dominica in LX. tota dicitur hystoria.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus; et in Feria ii. dicitur missa *Salus populi.*

5. F. Dominica in LX. tota dicitur hystoria, et festum S. Mathiæ differatur in crastinum.
Feria iii., iv., et v., de commemorationibus.
Feria vi. de S. David episcopo, ix. lectionum; omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.
In anno bissextili in Sabbato de S. David. Et tunc ab hoc die usque ad inceptionem historiæ *In principio*, accipietur 5. *E.* pro littera dominicali et inchoetur ad dominicam Quinquagesimæ.

1. G. Dominica in Sexagesima tota dicitur hystoria; et memoria tantum de festo [S. Agnetis secundò] et de S. Maria.
Feria ii., iv., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria iii. de festo [S. Batildis] cum nocturno.

2. G. Dominica in LX. tota dicitur hystoria.
Feria iv., v., et Sabbato, de commemorationibus.

3. G. Dominica in LX. tota dicitur hystoria.
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria v. de feria*, cum missa de iv. Feria.

4. G. Dominica in LX. tota dicitur hystoria.
Feria ii., iii., et iv., de commemorationibus.
Sabbato de S. Mathia.
In anno bissextili in ii. Feria sequenti dicitur de S. Mathia: et tunc in Sabbato dicitur de S. Maria; et in iv. et vi. Feriis, de Feria. Epistola et evangelium earundem feriarum. Ab hac die usque ad inceptionem hystoriæ *In principio*, accipietur 4. *F.* pro littera dominicali, et inchoetur ad dominicam Quinquagesimæ.

5. G. Dominica in LX. tota dicitur hystoria.
Feria ii., iii., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria v. de S. David Episcopo, ix. lectionum, de communi unius Confessoris et Pontificis.
Feria vi. de S. Cedda Episcopo, ix. lectionum, de communi unius Confessoris et Pontificis.

* 'Fe. 5 de fes.' *Portiforium* 1525—6, sed perperam *fes.* pro *fe.*

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Ad Vesperas.

Ant. Benedictus (p. 216).

Ps. *Ipsum* (*cxliii.* p. 215).

Capitulum. (2 *Cor. xi.* 19.)

Libenter suffertis insipientes cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.

R. Volens Noe. (*viii.* p. dxxii.)

Hymnus. Deus Creator (p. 220).

V. Vespertina oratio.

Ant. Loquens Dominus ad Noe ait, Ponam arcum meum in nubibus cæli : et erit signum fœderis inter me et inter terram.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus qui conspicis quia ex nulla nostra actione confidimus : concede propicius, ut contra omnia adversa doctoris gentium protectione muniamur. Per Dominum.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Quoniam Deus magnus Dominus. Et rex magnus super omnes Deos.

Ps. Venite.

Hymnus. Primo dierum (p. 5).

In primo Nocturno.

Ant. Servite (p. 10).

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).

Versus. Memor fui nocte (p. 18).

Hac die Dominica in primo Nocturno, et per totam ebdomadam legantur Lectiones de Noe, quando de temporali agitur, usque ad Abraham.

Lectio i. (*Genesis v.* 31.)

Noe vero cum quingentorum esset

annorum genuit Sem, Cham, et Japhet. (*Cap. vi.*) Cunque cepissent homines multiplicari super terram, et filias procreassent : videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Dixitque Deus, Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum : quia caro est. Eruntque dies illius centum viginti annorum. Tu autem.

R. 1. Noe vir justus atque perfectus cum Deo ambulavit. Et fecit omnia quæcunque præcepit ei Deus.

V. Noe vero invenit gratiam ante Dominum Deum.

Et fecit.

Lectio ii. [*Gen. vi.* 4.]

Gygantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt : isti sunt potentes a seculo viri famosi. Videns autem Deus quod multa malicia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore : pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et præcavens in futurum, et tactus dolore cordis intrinsecus : Delebo (inquit) hominem quem creavi a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cæli. Pœnitet enim me fecisse eos. Tu autem.

R. 2. Dixit Dominus ad Noe : Finis universæ carnis venit coram me. Repleta est terra iniquitate eorum et ego disperdam eos cum terra.

V. Fac tibi archam de lignis levigatis : mansiunculas in archa facies.

Repleta.

Lectio iii. [*Gen. vi.* 8.]

Noe vero invenit gratiam coram Domino. Hæ sunt generationes Noe. Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis; cum Deo ambulavit : et genuit tres filios, Sem, Cham, et Japhet. Corrupta est autem omnis terra coram Deo: et repleta est iniquitate. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noe, Finis universæ carnis venit coram me. Repleta est terra iniquitate a facie eorum : et ego disperdam eos cum terra. Fac tibi archam de lignis levigatis : mansiunculas in archa facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus; et sic facies eam : trecentorum cubitorum erit longitudo archæ, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in archa facies : et in cubito consummabis summitatem ejus. Ostium autem archæ pones ex latere deorsum : cenacula et tristega facies in ea. Tu autem.

R. 3. Quadraginta dies et noctes aperti sunt cæli : et ex omni carne habente spiritum vitæ Ingressi sunt in archam. Et clausit a foris ostium Dominus.

V. Noe vero et uxor ejus : et filii ejus et uxores filiorum ejus

Ingressi. Gloria. Et clausit.

In secundo Nocturno.

Ant. Bonorum (p. 19).
Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. Media nocte.

Mediæ Lectiones de sermone beati Johannis episcopi : de lapsu primi hominis.

Lectio iiii. Nemo est qui nesciat in principio hominem sic a Deo plasmatum esse, ut instrueretur prudentia, informaretur consilio, rationis capax divina providentia redderetur. Instrueretur, inquam, prudentia, qua hostis calliditatem vitaret : consilio, quo salutaria ac recta perquireret; ratione, qua Deo Genitori parendum esse cognosceret. Etenim Dominus Deus videns hominem innocentem quem fecerat, instruxit, monuit et armavit. Quippe qui cum dyabolo fuerat pugnaturus, velut quibusdam armis, hoc est prudentia, consilio, ratione fuerat instruendus. Addidit præterea legem, qua Dei voluntatem cognosceret : et quid contemnenti evenire posset addisceret. Qui quidem homo incautus, dum dyabolo persuadenti magis quam Domino jubenti consensit : sic et vitam quam habuit perdidit, et mortem quam ignorabat accepit. Stabat Adam inter uxorem et dyabolum, inter Evam et hostem, inter mulierem et serpentem. Dyabolus persuadet ut noceat : Eva consentit, ut pereat. Dyabolus mulierem astutia fallenti circunvenit : mulier incauta serpentinum virus excepit. Dyabolus, quod per se non potuit, per uxorem Adam prothoplastum circunvenit. Adam vero per uxorem invenit interitum, quam a Deo acceperat in auxilium. Prothdolor*. Prospera in contrarium cedunt : utilia perniciem operantur. Denique plus Adam domesticis quam inimici jaculis læditur. Plus proprio quam hostili ense perimitur : plus mulieris quam externo gladio vulneratur. Accessit

* Prothdolor. (ed. 1531) hoc est *Proh dolor*, vel *Pro dolor!*

enim serpens subtilis ut falleret : et accessit non ut viro sed ut mulieri serpentinum virus infligeret. Accessit, inquam : ut unius consensu utrisque nocere potuisset. Soli persuadet quod ambobus obesset : utrisque obfuit quod unius animum malicia serpentis infecit. Tu autem, Domine, miserere nostri.

R. 4. Ædificavit Noe altare Domino : offerens super illud olocausta, odoratus est Dominus odorem suavitatis, et benedixit eis dicens, Crescite et multiplicamini et replete terram.

V. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum : et cum semine vestro post vos. Crescite.

Lectio v. Denique consentiens mulier talis circa virum extitit, qualem circa se maliciam serpentis invenit. Ab eo persuasa est, et persuasit; infecta est et infecit : decepta est et decepit. Quæ quidem mulier feritur sententia duplici, altera propria, altera communi. Propria, qua filios parere in dolore præcepta est : communi, qua cum viro morti addicta est. Altera, qua serpenti assensit : altera, qua marito persuasit. De consensu enim in mortis sententiam incidit : de persuasu in dolore filios parere meruit. Hanc igitur sententiam et qui non novit, dum patitur discit; et qui nescit, dum expungitur sentit; et qui ignorat, dum expetitur agnoscit. Pronephas. Præceptum Dei contemnitur, et persuasio serpentis auditur. Despicitur Deus providens, et serpens auditur decipiens. Spernuntur salutaria monita, et recipiuntur venenata colloquia. Unde addicitur homo ex contemptu morti, qui maluit obedire serpenti. Spoliantur gloria : dignitate privantur. Facti sunt quod non erant, dum amittunt quod fuerant. Adeo gaudet serpens perpetrasse quod voluit : lætatur peremisse hominem quod optavit. Exultat maliciæ effectus in hominis deceptione implesse : et nescit infelix vulneratum semet dum vulnerat, trucidatum dum trucidat, dum hominem perimit, seipsum esse peremptum. Contristatur et Deus hominem ante sententiam mortis meruisse quam vitam, meruisse interitum quam salutem, gloriam contempsisse quam mortem. Sed tamen plus malicia serpentis quam hominis contemptu commotus est : plus fallaciam diaboli quam hominis perfidiam denotavit. Adeo Dominus Deus et sæviciam execratus est hostis, et casum miseratus est hominis. Crudelitatem hostis exhorruit : et deceptum hominem paterna pietate condoluit. Inimici atrocitate permotus est : et hominem clementer doluit qui deceptus est. Denique Dominus Deus, Ubi es, inquit, Adam? Ad confessionem provocat dum interrogat. Vult eum fateri peccatum, dum ab eo inquirit admissum. Quærit misereri, dum cum eo de culpa colloquitur. Veniam cogitat, qui casum contemptæ legis incusat. Objurgat culpam, ut possit tribuere veniam. Ut quos formare instruendo non potuit, eos possit confitendo purgare. Accipiunt indumenta pellicea : ut qui confessi delictum jam fuerant, veniam cultus humilitate perciperent.

R. 5. Ponam arcum meum in nubibus cæli, dixit Dominus ad Noe. Et recordabor fœderis mei quod pepigi tecum.

V. Cunque obduxero nubibus cælum apparebit arcus meus in nubibus. Et.

Lectio vi. Ostendit Dominus quibus officiis possint delicta purgari : ostendit confessione et deformitate cultus veniam posse facillime impetrari. Ut enim contumacia est celare quod Deo teste commiseris, sic periculosum si splendore cultus animi innocentiam mentiaris. Nemo

itaque nemo peccatorum vicia desperata læticia contegat : nemo infecto delictis animo dissimulationis virus infundat. Animi vicia corporis mærore monstrentur. Si vexatus est animus, lugeat corpus : quoniam quotiens corpus in causa est, animus mæsticia condolescit. Certe quale est corporis vicia sine animi compassione esse non posse : tale est animi vicia corporis compassione privari. Pariter contristentur, ut pariter veniam consequantur. Quoniam utrosque simul aut beneficio foveri, aut injuria vexari necesse est. Nec enim aliud est homo quam corporis animique concretio. Hæc enim duo, quantum definitionibus differunt, tantum hominem dum junguntur efficiunt. Ut enim in vita separari non possunt, ita nunquam boni malique merito separantur. Ut enim non potest a corporis bonis animus separari : ita ab animi malis corpus non potest dissociari. Si enim in Dei judicio utræque substantiæ aut supplicio aut præmio subjacere comprobantur, cur non et in isto seculo pariter aut mæsticia aut læticia perfruuntur? Unde tibi, Christiane, excusatio nulla est : qui post servitutem liberatus es, post captivitatem redemptus, post vexationem curatus, post interitum restitutus. Habes in monitis quod exerceas : habes exempla quæ timeas. Adam enim nec fallaciam diaboli norat, nec decepti cujusquam casum defleverat : qui quidem forsan posset evadere, nisi prior cum hoste dum confligit occumberet. Te jam instruit Dominus : tibi gestorum exempla proposuit. Ecce (inquit) sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Noli, inquit, peccare, post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita (inquit) O homo, graviorem culpam esse post veniam, renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat : sanitatis indignus est, qui semet postquam curatus est vulnerat. Nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat. Porro qui post ablutionem non peccat, meretur et præmium : qui post curam cautus est, sanitatis possidet donum : qui gratiam illæsam tenuerit, æternitatis accipiet regnum. Grave est enim hominem instructum delinquere : gravius jam absolutum peccare. Servo pejor est, qui patronum post datam libertatem offendit. Beneficii ingratus est, qui datorem tumoris arrogantia despicit. Quare aut salutem de exemplo acquire, aut de consortio similem sententiam metue : ne severum sentias judicem, qui benignum contempseris persuasorem.

R. 6. Per memetipsum juravi, dicit Dominus : non adiciam ultra aquas diluvii super terram : pacti mei recordabor Ut non perdam aquis diluvii omnem carnem.

V. Ponam arcum meum in nubibus cæli : et jurabo per dexteram meam.

Ut. Gloria. Ut.

In tertio Nocturno.

Ant. Præceptum (p. 25).
Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).
V. Exaltare Domine.

Secundum Lucam viii. [4—15].

In illo tempore : Cum turba plurima convenirent et de civitatibus properarent ad Jesum, dixit per similitudinem : Exiit qui seminat seminare semen suum. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ (15*).

Lectio sancti Evangelii quam

* *Gregorii* in Evangelia Lib. I. Homil. XV. *Opera*, tom. I. col. 1488.

modo, fratres charissimi, audistis, expositione non indiget, sed ammonitione. Quam enim per semetipsum veritas exposuit, hanc discutere humana fragilitas non præsumit. Sed est quod sollicite in hac ipsa expositione Dominica pensare debeamus: quia si nos vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas divitias significare diceremus: ad credendum nobis forsitan mens vestra dubitaret. Unde et idem Dominus per semetipsum dignatus est exponere quod dicebat: ut sciatis rerum significationes quærere in his etiam quæ per semetipsum voluit explanare.

R. 7. Requievit archa mense septimo super montes Armeniæ. Et aquæ ibant et decrescebant usque ad decimum mensem.

V. Decimo enim mense prima die mensis cacumina montium apparuerunt. Et.

Lectio viii. Exponendo ergo quod dixit figurate se loqui innotuit: quatenus nos certos redderet cum vobis nostra fragilitas verborum illius figuras aperiret. Quis enim michi unquam crederet, si spinas divitias interpretari voluissem; maxime cum illæ pungant, istæ delectent? Et tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant. Et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere mentem cruentant. Quas bene hoc in loco (alio evangelista testante) nequaquam Dominus divitias, sed fallaces divitias appellat. Fallaces enim sunt: quæ nobiscum diu manere non possunt. Fallaces sunt: quæ mentis nostræ inopiam non expellunt. Solæ autem veræ divitiæ sunt, quæ nos divites virtutibus faciunt. Tu autem, Domine, miserere.

R. 8. Volens Noe scire si jam cessassent aquæ, emisit columbam, quæ ramum virentis olivæ in ore suo deferens Ad archam reversa est.

V. Deferens autem signum clementiæ Dei columba in ore suo

Ad archam.

Lectio ix. Si ergo, fratres charissimi, esse divites cupitis, veras divitias amate. Si culmen veri honoris quæritis, ad cæleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia ascribi festinate. Verba Dei quæ aure percipitis mente retinete. Cibus enim mentis est sermo Dei. Et quasi acceptus cibus stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non retinetur. Sed quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur. Æternæ ergo mortis periculum formidate, si cibum sanctæ prædicationis accipitis, sed verba vitæ, id est alimenta justitiæ, in memoria non tenetis. Ecce transit omne quod agitis: et ad extremum judicium sine ulla momenti interpositione quotidie volentes nolentesque .properatis. Cur ergo amatur quod relinquitur? Cur illud negligitur, quo pervenitur? Mementote quod dicitur: Si quis habet aures audiendi audiat. Omnes enim qui illic aderant aures corporis habebant. Sed quia cunctis aures habentibus, Si quis habet aures audiendi audiat, dicit, aures procul dubio cordis requirit. Curate ergo ut acceptus sermo in cordis aure remaneat. Curate ne semen juxta viam cadat: ne malignus spiritus veniat, et a memoria verbum tollat. Curate ne petrosa terra semen excipiat, et fructum boni operis sine perseverantiæ radicibus mittat. Tu autem.

R. 9. Benedicens ergo Dominus Noe, ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter hominem. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.

V. Hoc erit signum fœderis inter

me et terram: arcum meum ponam in nubibus cæli.

Ad imaginem. Gloria Patri. Ad.

V. Excelsus.

In Laudibus.

Ant. Secundum multitudinem miserationum tuarum, Domine, dele iniquitatem meam.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Ant. Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te.

Ps. Confitemini (*cxvii.* p. 43).

Ant. Ad te de luce vigilo, Deus, ut videam virtutem tuam.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Hymnum dicite et superexaltate eum in secula: benedicite.

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Omnes angeli ejus laudate Dominum de cælis.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. Libenter suffertis.

Hymnus. Æterne rerum.

V. Domine refugium.

Ant. Cum turba plurima convenirent ad Jesum et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui conspicis.

Ad Primam.

Ant. Semen cecidit in terram bonam: et attulit fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum.

Ps. Deus, Deus meus, respice (*xxi.* p. 37).

Ad Tertiam.

Ant. Semen cecidit in terram bonam: et attulit fructum in patientia.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. Libenter suffertis.

Responsoria et Versus, sicut in proxima Dominica præcedenti, ad omnes Horas dicuntur.

Ad Sextam.

Ant. Jesus hæc dicens clamabat, Qui habet aures audiendi audiat.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (2 *Cor. xii.* 2.)

Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cælum.

Ad Nonam.

Ant. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, dixit Jesus discipulis suis.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (2 *Cor. xii.* 3.)

Scio hujusmodi hominem, sive in corpore sive extra corpus, nescio, Deus scit: quoniam raptus est in paradisum: et audivit archana verba quæ non licet homini loqui.

Ad Vesperas.

Ant. Sede a dextris.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Capitulum. Libenter suffertis.

Hymnus. Lucis creator.

V. Dirigatur.

Ant. Qui verbum Dei retinent corde bono et optimo: fructum afferunt in patientia.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui conspicis (*p.* dxiii.).

Quotidie per ebdomadam dicuntur Responsoria ad Matutinas secundum ordinem Nocturnorum Hystoriæ Dominicalis, quando de feria agitur.

Hæ sequentes Antiphonæ dicuntur

per ebdomadam super Psalmum Benedictus *et* Magnificat.

Ant. Semen est verbum Dei, sator autem Christus : omnis qui audit eum manebit in æternum.

Ant. Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt qui in corde bono et optimo verbum Dei retinent : et fructum afferunt in patientia.

Ant. Si vere fratres divites esse cupitis : veras divitias amate.

Ant. Si culmen veri honoris quæritis : ad illam cælestem patriam quantotius properate.

FERIA II.

Lectio i. (*Gene. vi.* 17.)

Ecce ego adducam diluvii aquas super terram, et interficiam omnem carnem in qua spiritus vitæ est subter cælum : et universa quæ in terra sunt consumentur. Ponamque fœdus meum tecum : et ingredieris archam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in archam, ut vivant tecum : masculini sexus et feminini. De volucribus juxta genus suum, et de jumentis in genere suo, et de omni reptili terræ secundum genus suum, bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere. Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt, et comportabis apud te : et erunt tam tibi quam illis in cibum.

Lectio ii. (*Gene.* [*vi.* 22,] *vii.*)

Fecit ergo Noe omnia quæ præceperat illi Deus. Dixit itaque Dominus ad eum. Ingredere tu et omnis domus tua in archam : te enim vidi justum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolles septena et septena, masculum et feminam : de animantibus vero immundis, duo et duo, masculum et feminam. Sed et de volatilibus cæli, septena et septena, masculum et feminam : ut salvetur semen super faciem universæ terræ. Adhuc enim et post dies septem, ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus : et delebo omnem substantiam quam feci de superficie terræ. Fecit ergo Noe omnia quæ mandaverat ei Dominus. Eratque sexcentorum annorum, quando diluvii aquæ inundaverunt super terram.

Lectio iii. [*Gen. vii.* 7.]

Et ingressus est Noe et filii ejus, uxor ejus et uxores filiorum ejus cum eo in archam, propter aquas diluvii. De animantibus quoque mundis et immundis, et de volucribus cæli juxta genus suum, et ex omni quod movetur super terram, duo et duo ingressa sunt ad Noe in archam masculus et femina : sicut præceperat Deus Noe. Cum transissent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram. Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimadecima die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et catharactæ cæli apertæ sunt. Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

FERIA III.

Lectio i. (*Gene. vii.* 13.)

In articulo autem diei illius ingressus est Noe, Sem, Cham, et Japhet, filii ejus ; uxor illius et tres uxores filiorum ejus cum eis in archam : ipsi et omne animal secundum genus suum, universaque jumenta in genere suo, et omne quod movetur super terram in genere suo : cunctumque volatile secundum genus suum, universæ aves, omnesque volucres ingressæ sunt ad Noe in archam, bina et bina ex omni

carne, in qua erat spiritus vitæ. Et quæ ingressa sunt in archam, masculus et femina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus. Et inclusit eum Dominus de foris. Tu.

Lectio ii. [*Gen. vii.* 17.]

Factumque est diluvium quadraginta diebus et quadraginta noctibus super terram: et multiplicatæ sunt aquæ et elevaverunt archam in sublime a terra. Vehementerque inundarunt: et omnia repleverunt in superficie terræ. Porro archa ferebatur super aquas: et aquæ prævaluerunt nimis super terram. Opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.

Lectio iii. [*Gen. vii.* 21.]

Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram: universi homines, et cuncta in quibus spiraculum vitæ est super terram mortua sunt. Et delevit Deus omnem substantiam quæ erat super terram ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres cæli: et deleta sunt de terra. Remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in archa. Obtinueruntque aquæ diluvii terras centum quinquaginta diebus.

FERIA IIII.

Lectio i. (*Gene. viii.* 1.)

Recordatus est autem Deus Noe, cunctorumque animantium et omnium jumentorum quæ erant cum eo in archa: et adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ. Et clausi sunt omnes fontes abyssi, et catharactæ cæli: et prohibitæ sunt pluviæ de cælo. Reversæque sunt aquæ de terra, euntes et redeuntes: et cœperunt minui post centum quinquaginta dies.

Lectio ii. [*Gen. viii.* 4.]

Requievit archa mense septimo, vicesimaseptima die mensis, super montes Armeniæ. At vero aquæ ibant et decrescebant, usque ad decimum mensem. Decimo autem mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium. Cumque transisssent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram archæ, quam fecerat, dimisit corvum. Qui egrediebatur, et non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram. Tu autem.

Lectio iii. [*Gen. viii.* 8.]

Emisit quoque columbam post eum: ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ. Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in archam. Aquæ enim erant super universam terram. Extenditque manum, et apprehensam intulit in archam. Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex archa. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo Noe quod cessassent aquæ super terram. Expectavitque nichilominus septem alios dies: et emisit columbam, quæ non est reversa ultra ad eum.

FERIA V.

Lectio i. (*Gene. viii.* 13.)

Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis: imminutæ sunt aquæ super terram. Et aperiens Noe tectum archæ, respexit, viditque quod exsiccata esset superficies terræ. Mense se-

cundo, septima et vicesima die mensis, arefacta est terra. Locutus est autem Deus ad Noe dicens, Egredere de archa tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia quæ sunt apud te, ex omni carne tam in volatilibus quam in bestiis, et universis reptilibus quæ reptant super terram, educ tecum: et egredimini super terram. Crescite et multiplicamini super eam.

Lectio ii. [*Gen. viii.* 18.]

Egressus est ergo Noe, et filii ejus, uxor illius et uxores filiorum ejus cum eo. Sed et omnia animantia, jumenta, et reptilia quæ reptant super terram secundum genus suum de archa egressa sunt. Ædificavit autem Noe altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit olocausta super altare: odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait ad eum, Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines. Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci. Cunctis diebus terræ sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hyems, nox et dies non requiescent.

Lectio iii. (*Gene. ix.* 1.)

Benedixitque Deus Noe et filiis ejus: et dixit ad eos, Crescite et multiplicamini, et replete terram: et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cæli, cum universis quæ moventur in terra. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt: et omne quod movetur et vivit erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia; excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis. De manu viri et fratris ejus requiram animam hominis. Quicunque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Vos autem crescite et multiplicamini, et ingredimini super terram, et implete eam.

Feria vi.

Lectio i. (*Gene. ix.* 8.)

Hæc quoque dixit Deus ad Noe et ad filios ejus cum eo. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum et cum semine vestro post vos, et ad omnem animam viventem quæ est vobiscum, tam in volucribus quam in jumentis et pecudibus terræ cunctis quæ egressa sunt de archa: et universis bestiis terræ. Statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram. Tu autem.

Lectio ii. [*Gen. ix.* 12.]

Dixitque Deus, Hoc signum fœderis quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus: et erit signum fœderis inter me et inter terram. Cunque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, et recordabor fœderis mei quod pepigi vobiscum, et cum omni anima vivente quæ carnem vegetat: et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendam universam carnem. Eritque arcus meus in nubibus, et videbo illum, et recordabor fœderis sempiterni quod pactum est inter Deum et inter omnem animam viventem universæ carnis quæ est super terram. Dixitque Deus Noe, Hoc erit signum

fœderis quod constitui inter me et omnem carnem super terram.

Lectio iii. [*Gen. ix.* 18—27.]

Erant igitur filii Noe qui egressi sunt de archa Sem, Cham, et Japhet. Porro Cham ipse est pater Chanaam. Tres isti sunt filii Noe: et ab his disseminatum est omne humanum genus super universam terram. Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam. Bibensque vinum inebriatus est: et nudatus jacuit in tabernaculo suo. Quod cum vidisset Cham pater Chanaam, verenda scilicet patris sui esse nudata, nunciavit duobus fratribus suis foras. At vero Sem et Japhet pallium imposuerunt humeris suis, et incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui: faciesque eorum aversæ erant, et patris virilia non viderunt. Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus junior, ait, Maledictus Chanaam: servus servorum erit fratribus suis. Dixitque, Benedictus Dominus Deus Sem: sitque Chanaam servus ejus. Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaam servus ejus.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

1. A. Dominica in Quinquagesima tota dicitur hystoria; et festum S. Agathæ differatur in crastinum, et fiat tantum ibi memoria de Confessoribus [Vedasto et Amando].

Feria iii. de S. Maria, et in Sabbato dicitur vii. ℞. hystoriæ cum ii. ℞. feriali.

2. A. Dominica in L. tota dicitur hystoria.

Feria ii. et iii.*, de commemoratione: et in Sabbato dicuntur responsoria ferialia.

3. A. Dominica in L. tota dicitur hystoria.
Feria ii. et iii., de commemoratione.
Feria iv. de Jejunio, et festum S. Petri differatur in crastinum.
Sabbato de Jejunio cum i. ℞. hystoriæ et cum ii. ℞. feriali.

In anno bissextili fiet servitium de S. Mathia in Sabbato: et in vi. Feria dicuntur responsoria ferialia. Et tunc ab hac die usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 3. *G.*, et inchoetur ad primam dominicam Quadragesimæ.

4. A. Dominica in L. tota dicitur hystoria.
Feria ii. et iii., de commemoratione.
Feria iv. de Jejunio, et Festum S. David usque ad vi. feriam differatur.

* 'Feria iii. de S. Maria et memoria de S. Valentino.' *Directorium* A.D. 1495, 1501.

Feria v. de S. Cedda Episcopo et Confessore ix lectiones de communi, et solennis memoria de Jejunio, sed non pro pœnitentibus.

Feria vi. de S. David Episcopo, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis; memoria de Jejunio solenniter: et in Sabbato dicitur i. R. hystoriæ cum ii. R. feriali.

. A. Dominica in L. tota dicitur hystoria.

Feria ii. et iii., de commemoratione; et memoria de Virgine [Perpetua].

Feria v., vi., et Sabbato, de Jejunio cum R. de hystoria, et in Sabbato R. feriæ pariter cantentur.

1. B. Dominica in Quinquagesima tota dicitur hystoria; et memoria tantum de festo [Amandi et Vedasti Confessorum].

Feria ii. et iii., de commemoratione; et in Sabbato dicuntur R. ferialia.

2. B. Dominica in L. tota dicitur hystoria.

Feria ii. et iii., de commemoratione; et memoria de Festo [S. Valentini], et R. ferialia in Sabbato cantentur.

3. B. Dominica in L. tota dicitur hystoria.

Feria ii. de S. Maria, et in Sabbato dicuntur R. ferialia.

In anno bissextili fiat servitium de S. Mathia in vi. Feria; et tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 3. *A.* pro littera dominicali, et inchoetur ad primam dominicam Quadragesimæ.

4. B. Dominica in L. tota cantetur hystoria.

Feria ii. de S. Maria*.

Feria iii. de S. David, ix lectiones, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis. [In anno bissextili differatur in vi. feriam.]

Feria iv. de jejunio; et festum S. Ceddæ differatur in crastinum et fiant ibi ix lectiones de communi unius Confessoris et Pontificis.

Sabbato dicuntur R. feriæ.

5. B. Dominica in L. tota cantetur hystoria.

Feria ii. et iii., de commemoratione, et memoria de Virgine [Perpetua]; et in vi. Feria dicuntur R. ferialia.

1. C. Dominica in Quinquagesima tota dicitur hystoria.

Feria ii. et iii., de commemoratione.

Feria iv. de jejunio et nichil de festo [S. Scolasticæ] nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria, et in Sabbato dicuntur R. ferialia.

2. C. Dominica in L. tota dicitur hystoria et memoria de Sancto [Valentino].

Feria ii. et iii., de commemoratione et memoria de festo †; et in Sabbato dicuntur R. ferialia et nichil de festo iii lectionum ab hac die usque ad Octavas Paschæ nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

3. C. Dominica in L. tota cantetur hystoria.

Feria iii. de S. Maria.

Feria iv. de jejunio, et festum S. Mathiæ differatur in crastinum.

Sabbato dicuntur R. ferialia.

In anno bissextili fiat servitium de Apostolo in v. feria. Et tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 3. *B.* pro littera dominicali, et inchoetur ad primam dominicam Quadragesimæ.

* 'Mathia.' *Portif.* 1525—6, per incuriam. Cf. Picam de Sexagesima.

† *Hoc est*, memoria de festo S. Julianæ virginis in feria tertia. *Et sic sæpissime.*

4\. C. Dominica in L. tota cantetur hystoria.
Feria ii. de S. David ix lectiones. Oratio &c., de communi unius Confessoris et Pontificis.
Feria iii., de S. Cedda, omnia de communi.
In hac ebdomada nullæ fiant commemorationes: in Sabbato dicuntur R. ferialia.

5\. C. Dominica in L. tota cantetur hystoria, et memoria tantum de Virgine [Perpetua].
Feria ii. et iii., de commemoratione; et in Sabbato dicuntur R. ferialia.
Feria vi. de S. Gregorio; Capitulum *Ecce sacerdos;* et solennis memoria de Jejunio.

1\. D. Dominica in Quinquagesima tota dicitur hystoria et memoria tantum de festo [S. Brigidæ]. Secundæ vesperæ erunt de Purificatione et solennis memoria de dominica.
Feria iii. de S. Maria, et memoria de Sancto [Blasio]: et in Sabbato dicuntur R. ferialia.

2\. D. Dominica in L. tota dicitur hystoria.
Feria ii. et iii., de commemoratione et memoria de festo [S. Scolasticæ]; et in Sabbato dicuntur R. ferialia*.
Et nota quod a Capite Jejunii usque ad Octavas Paschæ nihil fiat de festo iii lectionum nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

3\. D. Dominica in L. tota cantetur hystoria.
Feria ii. et iii., de commemoratione; et memoria de festo [sanctæ Julianæ].

4\. D. Dominica in L. tota dicitur historia, et festum S. Petri differatur in crastinum.
Feria iii. de S. Mathia, et in Sabbato dicuntur R. ferialia.
Feria iv. de jejunio. In anno bissextili fiat servitium de S. Mathia: in v. feria; et in iii. feria fiat commemoratio de S. Maria. Et ab hac die usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 3. *C.* pro littera dominicali, et inchoetur ad primam dominicam Quadragesimæ.

5\. D. Dominica in L. tota dicitur hystoria et festum S. David differatur usque ad iii. feriam. Secundæ vesperæ erunt de S. Cedda Episcopo et Confessore, et memoria de dominica.
Feria ii. de S. Cedda ix lectiones. Oratio &c. de communi unius Confessoris et Pontificis.
Feria iii. de S. David ix lectiones; omnia de communi.
Sabbato dicuntur R. ferialia.

1\. E. Dominica in Quinquagesima de Purificatione; ad utrasque vesperas, matutinas, et ad missam fiat solennis memoria de dominica.
Feria iii., de S. Maria; et nihil de festo loci.
Feria ii., vi., et Sabbato de feriis, cum R. hystoriæ dominicalis per ordinem; et missa dominicalis dicitur in ii. feria, et R. ferialia prætermittantur: et nichil de S. Blasio nisi ad matutinas de S. Maria.

* 'Et in Sabbato dicatur septimum R. historie dominicalis cum duobus Responsoriis ferialibus. In Sabbato ad vesperas et ad matutinas B. Virginis, fiat memoria de S. Valentino.' *Directorium* 1495, 1501.

2\. E. Dominica in L. tota dicitur hystoria.
Feria ii.* et iii. de commemoratione, et in Sabbato dicuntur R. ferialia.

3\. E. Dominica in L. tota dicitur hystoria et memoria de festo [sanctæ Julianæ].
Feria ii. et iii., de commemoratione.
Feria vi. dicuntur R. ferialia.

4\. E. Dominica in L. tota dicitur hystoria. Secundæ vesperæ erunt de S. Mathia et solennis memoria de dominica.

Feria ii. de Apostolo [Mathia]. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria iii. de S. Maria.

Feria vi. dicuntur R. ferialia.

Sabbato de S. David ix lectiones; Oratio &c. de communi unius Confessoris et Pontificis. [In anno bissextili differatur in iii. feriam proximæ hebdomadæ.]

In anno bissextili in iii. feria de S. Mathia; et in ii. feria de S. Maria. Et ab hac die usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 4. *D.* et inchoetur ad primam dominicam Quadragesimæ.

5\. E. Dominica in L. tota dicitur hystoria, et festum S. Ceddæ differatur usque in crastinum.

Feria ii. de S. Cedda, ix lectiones de communi unius Confessoris et Pontificis.

Feria iii. de S. Maria; et in Sabbato dicuntur R. ferialia.

Feria vi. nichil de Virgine [Perpetua] nisi tantum memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria et sic de omnibus festis iii lectionum usque ad Pascha.

1\. F. Dominica in Quinquagesima de servitio dominicali. Ad i. vesperas quæ erunt de Purificatione fiat solennis memoria de dominica tantum. Ad matutinas memoria de Sancto [Blasio]. Secundæ vesperæ erunt de dominica et solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria ii. de S. Maria.

Sabbato dicuntur R. ferialia.

2\. F. Dominica in L. tota dicitur hystoria; memoria de festo [S. Scolasticæ].
Feria ii. et iii., de commemoratione; et in Sabbato dicuntur R. ferialia.

3\. F. Dominica in L. tota dicitur hystoria.
Feria ii. et iii., de commemoratione; et Sabbato dicuntur R. ferialia.

4\. F. Dominica in L. tota dicitur hystoria; secundæ vesperæ erunt de S. Mathia: et solennis memoria de dominica.

Feria ii. de S. Mathia; ad ii. vesperas fiat solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria iii. de S. Maria; et in v. feria R. ferialia pariter cantentur.

Feria vi. et Sabbato de Sanctis [David† et Cedda], novem lectiones. Oratio &c. de communi unius Confessoris et Pontificis.

* 'Feria ii. de festo loci, et memoria de Virgine [Scolastica, et nihil de festo S. Valentini infra XL. contingente].' *Directorium* 1495, 1501.

† In anno tamen bissextili festum S. David erit in Sabbato, et nihil de S. Cedda in hac hebdomada.

Si fuerit bissextus tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 4. *E.* pro littera dominicali et inchoetur ad primam dominicam Quadragesimæ.

5. F. Dominica in L. tota dicitur hystoria.
Feria ii. et iii., de commemoratione; et in Sabbato dicuntur R. ferialia.
Feria v. nichil de Virgine [Perpetua] nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria. Et sic de aliis festis iii lectionum usque ad Pascha.

1. G. Dominica in Quinquagesima tota dicitur hystoria. Vesperæ erunt de S. Agatha: Capitulum *Confitebor*, et solennis memoria de dominica.
Feria iii. de S. Maria; et Sabbato R. ferialia pariter cantentur.

2. G. Dominica in L. tota dicitur hystoria.
Feria ii. et iii. de commemorationibus, et ad vesperas in iii. feria, quæ erunt de feria, nulla fiat memoria de Sancto [Valentino], nisi ad vesperas et ad matutinas de S. Maria; et in Sabbato dicunt R. ferialia.

3. G. Dominica in L. tota dicitur hystoria.
Feria ii. et iii., de commemoratione.
Feria vi. dicuntur R. ferialia.
Sabbato de S. Mathia; secundæ vesperæ erunt de Apostolo et solennis memoria de dominica, et dicitur completorium de Quadragesima.
In anno bissextili fiat servitium de S. Mathia in ii. feria sequente. Et tunc in Sabbato dicuntur R. ferialia. Et abhinc usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 3. *F.* et inchoetur ad primam dominicam Quadragesimæ.

4. G. Dominica in L. tota dicitur hystoria.
Feria ii. et iii., de commemoratione.
Feria v. de S. David Episcopo, ix lectiones, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis, et memoria de jejunio.
Feria vi. de S. Cedda, ix lectiones, omnia de communi. Sabbato dicuntur Responsoria ferialia.

5. G. Dominica in L. tota dicitur hystoria.
Feria ii. et iii., de commemoratione.
Feria iv. de jejunio et nichil de Virginibus [Perpetua et Felicitate], nisi tantum memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.
In Sabbato dicuntur Responsoria ferialia.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Ad Vesperas.

Ant. Benedictus.
Ps. *Ipsum* (*cxliii.* p. 215).

Capitulum. (1 *Cor. xiii.* 1.)

Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.

R. Revertenti Abraham. (*ii.*)
Hymnus. Deus Creator (p. 220).
V. Vespertina oratio.

Ant. Dum staret Abraham ad radicem Mambre, vidit tres pueros descendentes per viam: tres vidit et unum adoravit.

Ps. Magnificat.

Oratio. Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi: atque a peccatorum vinculis absolutos ab omni nos adversitate custodi. Per.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Quoniam Deus.

Ps. Venite.

Hymnus. Primo dierum (p. 5).

In primo Nocturno.

Ant. Servite.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).

V. Memor fui.

Hac die Dominica, in primo Nocturno, et per totam ebdomadam, legantur Lectiones de Abraham, quando de temporali agitur, nisi in quarta feria, usque ad Senuit Isaac.

Lectio i. (*Gene. xii.* 1.)

Dixit Dominus ad Abram, Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi: faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi: atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus, et ivit cum eo Loth. Septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Aram. Tulitque Saray uxorem suam, et Loth filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Aram.

R. 1. Locutus est Dominus ad Abraham dicens, Egredere de terra et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi. Et faciam te crescere in gentem magnam.

V. Benedicens benedicam tibi, et multiplicabo te.

Et faciam.

Lectio ii. [*Gen. xii.* 5.]

Et egressi sunt ut irent in terram Chanaam. Cunque venissent in eam, pertransivit Abram terram usque ad locum Sychen, et usque ad convallem illustrem. Chananeus autem tunc erat in terra. Apparuitque Dominus Abram, et dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino qui apparuerat ei, et invocavit ibi nomen ejus. Et inde transgrediens ad montem qui erat contra orientem Bethel: tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, et ab oriente Hay. Ædificavit quoque ibi altare Domino, et invocavit nomen ejus. Tu autem.

R. 2. Revertenti Abraham a cæde quattuor regum: occurrit rex Salem Melchisedech offerens panem et vinum. Erat enim Dei sacerdos. Et benedixit illi.

V. Benedictus Abraham Deo Altissimo: qui creavit cælum et terram. Erat enim. *Ad primas Vesperas tantum:* Gloria Patri. Et benedixit illi.

Lectio iii. [*Gen. xii.* 9.]

Perrexit Abram vadens et ultra* progrediens ad meridiem. Facta est autem fames in terra. Descenditque Abram in Egyptum, ut pere-

* 'ultro' *Chevallon.*

grinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra. Cunque prope esset ut ingrederetur Egyptum, dixit Saray uxori suæ, Novi quod pulchra sis mulier, et quod cum viderint te Egyptii dicturi sunt, Uxor illius est: et interficient me, et te reservabunt. Dic ergo obsecro te quod soror mea sis: ut bene michi sit propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui. Tu autem, Domine, miserere.

R. 3. Eduxit Dominus Abraham foras et ait illi, Suspice in cælum et numera stellas si potes: sic erit semen tuum.

V. Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. Suspice. Gloria. Suspice.

In secundo Nocturno.

Ant. Bonorum.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. Media nocte.

Mediæ Lectiones de sermone beati Johannis episcopi: ex fide Abrahæ et immolatione Isaac. (*De sermone* 33., *de fide Abrahæ &c.*)

Lectio iiii. Fides est religionis sanctissimæ fundamentum, charitatis vinculum, amoris subsidium. Hæc sanctitatem firmat, castitatem roborat, dignitates exornat. In pueris splendet, in juvenibus floret, in provectis apparet. Gubernat sexus, gradus provehit, officia cuncta custodit. In paupere grata est, in mediocre læta, in locuplete honesta. Fides amicitias servat, collegia copulat, artes commendat. Nullum despicit, nullum contemnit; nulli deest, nisi qui ei forte defuerit. Fides mandata tenet, præcepta servat, promissa consummat. Fides familiares efficit Deo, amicos constituit Christo. Neque enim quisquam fidei promissa percipiet nisi professionem actibus servet: nec præmiorum potest compos existere qui promissam fidem noluerit conservare: ut jam aut impleta fidei merces homini repensetur, aut violatæ pœna competens tribuatur. Hujus fidei ab Abraham ducamus exordium, qui cum in occidua constitutus ætate filium a Deo promissum se crederet accepturum, et fidei precium in filio conspexit, et in stellarum numerum suam sobolem redundantem fide eadem comparavit. Denique unus Abrahæ filius exoptatur, et immensa ei multitudo promittitur. Solatium unius heredis conquiritur, et innumerabilis soboles destinatur. Nescis, inquit Dominus, nescis, Abram, quid destinatum sit tibi. Sed idcirco nescis, quia quid merearis non respicis. Tantum enim de me tua meruit fides, tantum tua obsequia valuerunt, ut et quid desideres noverim, et facere quod mereris decreverim. Namque tibi nascetur filius, cujus semen diffundetur in milia: ut similitudini syderum coæquetur, et arenæ immensitatibus comparetur. Tu autem, Domine, miserere.

R. 4. Dixit autem Dominus ad Abraham, Ego sum, et pactum meum tecum: sanctificetur in vobis omne masculinum. Et erit signum inter me et semen tuum.

V. Ex te namque egredietur: in quo omnes gentes benedicentur. Et erit.

Lectio v. Credo, inquit Abraham, Domine, credo quia potes: facturum te confido quod spondes. Nec enim confectam senectutem marcescentis meæ ætatis considero, aut Saræ conjugis sterilem effetamque conditionem attendo: sed tuæ majestatis potentiam tracto. Nec cui talia promittantur, sed a quo promittantur, agnosco. Generare enim filios senilis ætas non patitur: sed tua, Domine, jussione completur. Steriles filios habere non possunt: sed hoc illos posse tuæ virtutes efficiunt.

Natura quidem negat: sed potentia imperat. Ætas prohibet: sed tua potestas ostendit. Impossibile quidem istud videtur nobis, non tibi: homini, non tuæ, Domine, majestati: naturæ, non Deo: servis, non Domino. Unde credo, pater, credo, Domine, istud te facturum esse quod dicis: quia his virtutibus cunctis gentibus innotescis. Tunc Sara concepit in utero, et peperit filium multarum gentium patrem destinatum. Nascitur Ysaac ornamentum generis, parentum gloria, propinquorum læticia, familiæ decus, hereditatis spes, fidei precium, promissæ sobolis testimonium. In cujus nativitate et Dominus promissum reddidit, et Abraham votum quod optavit accepit. Gaudent omnes, cuncti lætantur. Fit enim Ysaac dulcis cum nascitur, dulcior cum nutritur. Nec enim poterat esse non dulcis, quem et patris fides condierat, et propria innocentia commendabat. Fit et Sara ex sterili mater fecunda in filio, fecundior futura ex ipso. Redit juventus in senem, marcens ætas reparatur in juvenem: et manente senectutis ætate juvenilia geruntur a matre. Denique blanditur, nutrit et lactat: et consequentia complet officia quæ jam forsitan oblivisceretur, si suo tempore Saræ parere concederetur. Tunc locutus est Dominus ad Abraham dicens, Accipe filium tuum quem diligis Isaac, et vade in unum montium, et offer michi illum sacrificium. Mox Abraham tam celeriter decernit jussis cælestibus esse parendum, quam fuerat divinitus imperatum. Verebatur enim ne votum mora offenderet, aut jussionem tarditas impediret. Denique properat quod jussum est perficere: festinat quod præceptum est adimplere. Fuit enim lætus cum acciperet: lætior cum eum immolandum Dominus postularet. Ostendit Abraham charissimum quidem sibi esse filium: sed multo chariorem filio existere Dominum. Nec dulcedinem aut affectus pignoris respiciebat, qui jussionem ut perficeret cogitabat. Totos enim affectus convertebat in Deum, cui se jam noverat mancipatum. Denique illam fidem servavit in se, cum filium juberetur offerre, qua Dominum promeruerat cum eum mereretur accipere.

R. 5. Dum staret Abraham ad radicem Mambre: vidit tres pueros descendentes per viam. Tres vidit et unum adoravit.

V. Cunque vidisset eos, cucurrit in occursum illorum adorans Dominum.

Tres.

Lectio vi. Adest Isaac patris quidem ætati dissimilis, sed fide ac devotione æqualis. Adest, inquam, Isaac, qui si quid pater disponeret, ipse fieri libenter optaret. Ita enim filius paruit patri, et pater divinæ obtemperat jussioni, ut de consensu filii pater securus existeret, et voluntati patris sese filius manciparet. Erat enim in utrisque unus animus, par sensus, et similis circa Deum affectus: ut generositatem patris in filium transfusam conspiceres, et innocentiam filii patri non deesse videres, ut et paternæ fidei particeps filius existeret, et simplicitate filii patris sublimitas redundaret. Qua securitate Abraham fretus sternit asinam, sibi ad sacrificium ligna concidit, pueros secum adducit. Cunque ad civitatem venissent, estote istic, inquit: ego et puer iste ibimus soli, et cum adoraverimus Dominum revertemur ad vos. Statim pater cum filio proficiscitur solus. Ad quem idem filius, Pater (inquit) ligna video, cultrum et ignem conspicio: hostiam quam immolaturus es quæro. Desine, inquit, desine istud quærere, fili, quod sibi Dominus ad horam procuravit *: de-

* *Legendum forsan* 'procurabit.'

sine quærere quod sibi Dominus jam providit. Magnum præsagium promittentis: magna innocentia inquirentis. Isaac hostia de hostia patrem interrogat: sacrificii effectus desiderat. Ovis ab eo quæ deerat quæritur: ne ipse qui loquitur immoletur. Ast ubi ad locum ventum est, uterque montem ascendit. Aram pater extruxit, ligna composuit, filium colligavit. Patere me (inquit) fili, patere votum perficere: patere, inquam, per te jussionem Domini adimplere. Deus enim qui te condidit expetit, qui dedit quærit: qui te creavit, te sibi desiderat immolari. Non est enim hoc parricidium, non est crudelitatis admissum: quia votum est. Nec tibi, fili, a genitore mors miseranda infertur, sed utrisque nobis salubriter providetur. Tanto eris acceptabilis hostia, quanto libenter gloriosæ mortis exceperis beneficia. Quod jussus es, pater, perfice (inquit): quod disponis instanter adimple. Ego enim nec renuo nec recuso, quod volueris volo, quod exoptas exopto, quod desideras et ipse desidero. Denique istam mortem eo voto excipio, quo te michi eam inferre velle cognosco. Hæc et si uterque non dixit, tamen cuncta ista in actu ostendit. Mox pater extensa manu gladium sumit, dexteram erigit jugulare filium, sacrificium perficere: jussa Domini voluit devotus implere. Et pendente jam atque imminente mucrone: parce (inquit Dominus)* parce: fidem tuam quæsivi, non filium ut jugulares optavi, nec amabile pignus tibi subtrahere, sed devotionem tuam volui pertentare. Nunc cognovi quia amas Dominum magis quam filium, immo magis amas filium, quia diligis Dominum: quia dum non pepercisti filio propter Deum, eundem tecum constituisti Domino gloriosum. Quare te benedictionibus cumulem: et infinitam filiorum multitudinem ex eo tibi provenire confirmem. Statim procuratur aries, qui pro Isaac sanctissimo mereretur occidi. Nec enim fas erat ut Isaac, qui typum Christi portabat, a patre hoc in tempore mactaretur: quia perfecta sacrificii hostia Christo Domino servabatur. Procuratur, inquam, aries qui pro Isaac mereretur occidi: ut et promissum patris de hostia compleretur, et perfecto sacrificio patri Isaac incolumis redderetur. Tunc uterque lætus de monte descendit: pater, quod sacrificii votum filio salvo perfecerit: filius, quod jussa patris libenter optasset. Gaudet de patre filius, de filio pater. Gaudent propinqui, familia cuncta lætatur. Gaudent, inquam, quod et opus tantum perfectum sit, et quod patrem cum filio incolumes illis Dominus revocaverit: qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

R. 6. Clamor, inquit Dominus, Sodomorum et Gomorræ venit ad me. Descendam et videbo utrum clamorem opere compleverint.

V. Abraham stabat coram Deo et ait; absit a te, Domine, ut perdas justum cum impio. Descendam. Gloria. Descendam.

In tertio Nocturno.

Ant. Præceptum.
Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).
V. Exaltare Domine.

Secundum Lucam xviii. [31—43].

In illo tempore. Assumpsit Jesus duodecim discipulos suos secreto et ait illis, Ecce ascendimus Hierosolimam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Et reliqua.

* 'parce (inquit) Dominus' *Chevallon* A.D. 1531.

Omelia beati Gregorii papæ. [*Omelia* 2.]*

Redemptor noster prævidens ex passione sua discipulorum animos perturbandos, eis longe ante et ejusdem passionis pœnam, et resurrectionis suæ gloriam prædixit, ut cum morientem sicut prædictum est cernerent, etiam resurrecturum non dubitarent. Sed quia carnales adhuc discipuli nullo modo valebant capere verba mysterii, venitur ad miraculum. Ante eorum oculos cæcus lumen recipit : ut qui cælestis mysterii verba non caperent, eos ad fidem cælestia facta solidarent. Tu autem.

R. 7. Ait autem Abraham ad Dominum, obsecro, Domine mi, non deleas omnem locum propter justos decem. Respondit Dominus Deus : non delebo propter decem.

V. Ne quæso Domine irascaris si loquar semel, quid facies si inventi fuerint decem. Respondit.

Lectio viii. Miracula autem Domini et Salvatoris nostri sic accipienda sunt, fratres mei, ut et in veritate credantur facta, et tamen per significationem nobis aliquid innuant. Opera quippe ejus et per potentiam aliud ostendunt, et per mysterium aliud loquuntur. Ecce enim quis juxta hystoriam cæcus iste fuerit ignoramus : sed tamen quid per mysterium significet novimus. Cæcus quippe est genus humanum, quod in parente primo a paradisi gaudiis expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur : sed tamen per Redemptoris sui præsentiam illuminatur, ut internæ lucis gaudia jam per desiderium videat, atque in via vitæ boni operis gressus ponat. Tu autem.

R. 8. Ascendens ergo Deus ab Abraham pluit ignem et sulphur super Sodomam. Abraham mane consurgens stetit, et eversas urbes a longe conspexit.

V. Recordatus est Deus Abraham : et liberavit Loth de subversione Sodomæ. Abraham.

Lectio ix. Notandum vero est quod cum Jesus Hierico appropinquare dicitur, cæcus illuminatur. Hierico quippe interpretatur luna. Luna autem in sacro eloquio pro defectu ponitur carnis : quia dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat. Cum igitur conditor noster appropinquat Hierico, cæcus ad lumen redit : quia cum divinitas defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus lumen quod amiserat recepit. Unde enim Deus humana patitur, inde homo ad divina sublevatur. Qui videlicet cæcus recte et juxta viam sedere, et mendicans esse describitur. Ipsa enim veritas dicit, Ego sum via. Qui ergo æternæ lucis claritatem nescit, cæcus est. Sed si jam in redemptorem credidit, juxta viam sedet. Si autem jam credidit, sed ut æternum lumen recipiat rogare dissimulat atque a precibus cessat, cæcus quidem juxta viam sedet, sed minime mendicat. Si vero et credidit et exorat, et juxta viam sedet cæcus et mendicat.

R. 9. Tentavit Deus Abraham et dixit ad eum, tolle filium tuum quem diligis Isaac : et offeres illum michi in olocaustum. Super unum montium quem dixero tibi.

V. Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo vota tua.

Super. Gloria Patri. Super.

Feriale Responsorium. Angelus Domini vocavit Abraham dicens, Ne extendas manum tuam super puerum : eo quod timeas Dominum.

* *Gregorii* in Evangelia Lib. I. Homil. II. *Opera* I. 1440.

V. Cumque extendisset manum ut immolaret filium : ecce angelus Domini clamavit dicens. Ne.

R. Deus domini mei Abraham, Dirige vias meas. Ut cum salute revertar in domum domini mei.

V. Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei : Domine, qui pascis me a juventute mea.

Dirige. Gloria. Ut cum salute.

V. Excelsus super omnes gentes Dominus.

IN LAUDIBUS.

Ant. Averte, Domine, faciem tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas dele.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Ant. Fortitudo mea et laus mea Dominus : factus est michi in salutem.

Ps. Confitemini (*cxvii.* p. 43).

Ant. In matutinis, Domine, meditabor in te, quia factus es adjutor meus.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Benedicamus Patrem et Filium in secula, cum Sancto Spiritu.

Ps. Benedicite (*p.* 31).

Ant. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. Si linguis.

Hymnus. Æterne rerum.

V. Domine refugium.

Ant. Ecce ascendimus Hierosolimam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis.

Ps. Benedictus.

Oratio. Preces nostras.

AD PRIMAM.

Ant. Iter faciente Jesu dum ambularet Hierico : cæcus ad eum clamabat ut lumen recipere mereretur.

Ps. Deus Deus meus, respice (*xxi.* p. 37).

AD TERTIAM.

Ant. Transeunte Domino clamabat cæcus ad eum, Miserere mei, fili David.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. Si linguis.

Responsoria et Versus sicut in Dominica in Septuagesima ad omnes Horas dicuntur.

AD SEXTAM.

Ant. Cæcus sedebat secus viam et clamabat, Miserere mei fili David.

Ps. Defecit in salutare (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (1 *Cor. xiii.* 4.)

Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt.

AD NONAM.

Ant. Cæcus magis ac magis clamabat ut eum Dominus illuminaret.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (1 *Cor. xiii.* 5.)

Charitas non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.

AD VESPERAS.

Ant. Sede a dextris.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Capitulum. Si linguis.

Hymnus. Lucis Creator optime.

Versus. Dirigatur.

Ant. Stans autem Jesus jussit cæcum adduci ad se : et ait illi, Quid vis faciam tibi? Domine, ut videam : et Jesus ait illi, Respice, fides tua te salvum fecit : et confestim vidit et sequebatur illum magnificans Deum.

Ps. Magnificat.

Oratio, ut supra.

Feria ii. v. vi. et Sabbato dicuntur Responsoria ad Matutinas secundum ordinem Nocturnorum Hystoriæ Dominicalis : ita tamen quod Responsoria ferialia non omittantur.

Feria ii.

Lectio i. (*Gene. xii.* 14.)

Cum itaque ingressus esset Abram Egyptum, viderunt Egyptii mulierem quod esset pulchra nimis : et nunciaverunt principes Pharaoni et laudaverunt eam apud illum : et sublata est mulier in domum Pharaonis. Abram vero bene usi sunt propter illam. Fueruntque ei oves, et boves, et asini, et servi, et familiæ, et cameli. Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis et domum ejus, propter Saray uxorem Abram.

Lectio ii. [*Gen. xii.* 18.]

Vocavitque Pharao Abram, et dixit ei. Quidnam est quod fecisti michi? Quare non indicasti michi quod uxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam michi in uxorem? Nunc igitur ecce conjunx tua : accipe eam et vade. Præcepitque Pharao super Abram viris : et deduxerunt eum et uxorem illius, et omnia quæ habebat. [*Cap. xiii.*

Ascendit ergo Abram de Egipto, ipse et uxor ejus, et omnia quæ habebat, et Loth cum eo, ad australem plagam. Erat autem dives valde in possessione auri et argenti. Tu.

Lectio iii. [*Gen. xiii.* 3.]

Reversusque est per iter quo venerat a meridie in Bethel, usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel et Hay, in loco altaris quod fecerat prius, et invocavit ibi nomen Domini. Sed et Loth qui erat cum Abram fuerunt greges ovium, et armenta, et tabernacula : nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul. Erat quippe substantia eorum multa : et non quibant habitare communiter. Unde et facta est rixa inter pastores gregum Abram et Loth. Eo autem tempore Chananeus et Phereseus habitabant in terra illa.

Ant. Miserere mei, fili David, quid vis ut faciam? Domine, ut videam.

Ps. Benedictus.

Hac die erunt Vesperæ de sancta Maria cum pleno servitio in crastino, si a Festo vacaverit; sin autem fiat servitium in secunda feria.

Feria iii.

Ad Vesperas.

Ant. Omnis plebs ut vidit dedit laudem Deo.

Ps. Magnificat.

Oratio, ut supra.

FERIA IV. IN CAPITE JEJUNII.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, et Versus illius feriæ.

Lectio i. (*Augustini Omelia* 47.)*

Misericordia, fratres charissimi, peccatorum sunt remedia. Ipsa est quæ a morte liberat, et non patitur hominem ire in interitum. Hæc enim sola patrocinatur in die judicii, dicente apostolo Jacobo, Superexaltat misericordia judicium. Judicium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam. Talis debet esse misericordia quæ suscipiatur, non quæ repellatur: quæ

* Cf. *Augustini Opera*, v. 3201, Appendix. Sermo 310.

peccata purget, non quæ animam gravet. Per quam tibi facias debitorem Deum, non quæ te reum faciat ante Dominum. De justis laboribus tuis [fac elemosynam], non de rebus alienis. Tu.

R. 1. Paradisi portas aperiet nobis jejunii tempus, suscipiamus illud orantes et deprecantes. Ut in die resurrectionis cum Domino gloriemur.

V. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: commendemus nosmetipsos in multa patientia.

Ut in die.

Lectio ii. Audi Salomonem dicentem : Honora Dominum de tuis justis laboribus. Quid dicturi sunt qui aliena rapuerunt, et elemosinas fecerunt? O Domine, in nomine tuo misericordias fecimus, pauperes pavimus, nudos vestivimus, peregrinos hospitio recepimus. Quibus dicturus est Dominus, Quod dedistis dicitis : quod fecistis rapinam, quare non dicitis? Quos pavistis memoramini : et quos necastis non recordamini. Quos vestistis gaudent: et quos expoliastis plangunt. Quos hospitio suscepistis retinetis : et quantos de suis habitationibus exclusistis non retinetis. Ego misericordiam fieri jussi : non fraudes et rapinas mandavi. Unus repletur, et alius fame torquetur. Non enim scit pauper ille unde sit quod de manu tua accepit. Ille miser necatus ingemuit, ejus gemitum Dominus audivit, qui vidit quod ei feceris. Tu.

R. 2. Scindite corda vestra et non vestimenta vestra : Et convertimini ad Dominum Deum : quia benignus et misericors est.

V. Revertimini unusquisque a via sua mala: et a pessimis cogitationibus suis.

Et convertimini.

Lectio iii. Rapis aliena et gaudes: pauper misericordiam rogat, et contristaris, et faciem tuam avertis. Oblitus es dictum prophetæ : Qui avertit faciem suam a paupere, et ipse invocabit Dominum, et non exaudietur. Inclina aurem tuam ad egenum et fame deficientem : ut et tuam vocem exaudiat Deus. Elemosina a morte liberat, a morte secunda : de qua dictum est sanctis martyribus : In his secunda mors non habet potestatem, sed regnabunt cum Domino Jesu Christo. Misericordia iram Dei avertit. Audi Salomonem dicentem, Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum. Da egenti, succurre non habenti, fame pereunti. Crudele est ut quod habes ei qui non habet non des : satis peccatum est, ut de tua abundantia non repleas ejus inopiam. Nam male flagellamur in rebus variis, quia egenis non benefacimus. Re vera si consideras, homo ingrate, teipsum ego feci : quod vivis meum est : quicquid habes ego dedi tibi : et ingratus es. Ecce mea quæ dedi tibi auferam a te : sine me vive si potes. Tibi dedi ut haberes : pauperi non dedi. Quare? Ut te probarem : non quia unde darem non habui : sed per pauperes probare te volui.

R. 3. Abscondite elemosinam in sinu pauperis, et ipsa orat pro vobis ad Dominum. Quia sicut aqua extinguit ignem : Ita elemosina extinguit peccatum.

V. Date elemosinam, dicit Dominus : et ecce omnia munda sunt vobis.

Quia. Gloria. Ita elemosina.

V. Fiat misericordia.

In Laudibus.

Antiphonæ et Psalmi illius feriæ.

Capitulum. (*Johel. ii.* 12.)

Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu et planctu : et scindite corda vestra et non vesti-

menta vestra: ait Dominus omnipotens. Deo gratias.

Hoc Capitulum dicatur quotidie in feriis ad Laudes usque ad Passionem Domini.

Hymnus et Versus illius feriæ.

Ant. Cum jejunatis nolite fieri sicut ipocritæ tristes.

Ps. Benedictus.

Oratio. Præsta, Domine, fidelibus tuis: ut jejuniorum veneranda solennia et congrua pietate suscipiant, et secura devotione percurrant. Per.

Hæc præcedens Oratio dicatur ad omnes Horas.

Memoria pro Pœnitentibus.

Ant. Convertimini ad me in toto corde vestro: in jejunio et fletu et in planctu, dicit Dominus.

V. Peccavimus cum patribus nostris.

R. Injuste egimus, iniquitatem fecimus.

Oratio. Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem. Per.

Ad Primam, et ad omnes alias Horas, *omnia fiant sicut in præcedentibus feriis. Et sic fiat quotidie usque ad Quadragesimam, cum Oratione de die.*

Ad Vesperas.

Antiphonæ et Psalmi feriales.

Capitulum. Dominus autem dirigat.

Hymnus. Cæli Deus (*p.* 204).

V. Dirigatur.

Ant. Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi nec ærugo neque tinea demolitur. *Ps.* Magnificat (*p.* 221).

Oratio. Inclinantes se, Domine, majestati tuæ propitiatus intende: ut qui divino munere sunt refecti, cælestibus semper nutriantur auxiliis. Per Dominum.

Quotidie ab hac die usque ad Cenam Domini, quando de feria agitur, Oratio quæ dicitur ad Missam super Populum dicitur ad Vesperas, nisi in sabbatis.

Memoria pro Pœnitentibus.

Ant. Quis scit si convertatur et ignoscat Deus: et relinquat post se benedictionem.

V. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Oratio. Exaudi, quæsumus, Domine.

Quotidie fiat Memoria pro pœnitentibus ad Vesperas et ad Matutinas ab hac die usque ad Cenam Domini supradicto modo, quando de feria agitur.

Quodcunque Festum novem Lectionum, licet duplex fuerit, hac die contigerit, semper differatur. Servitium vero hujus diei nullo modo debet mutari propter aliquod festum.

Ab hac die usque in crastinum Octavarum Paschæ, nichil fiat de Festis trium Lectionum, nisi tantum Memoria ad Vesperas et ad Matutinas de sancta Maria, quæ præcedet Memoriam de Sancto Spiritu.

Quandocunque Festum novem Lectionum ab hac die usque ad Cenam Domini celebratur, licet duplex Festum fuerit, fiat solennis Memoria de Jejunio ad utrasque Vesperas et ad Matutinas, sed non ad Missam. Nam post Missam de Festo Missa dicitur de Jejunio, utraque ad principale altare.

Feria v.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, et Versus illius feriæ: Responsoria vero de Hystoria Dominicali

dicuntur per ordinem, ut ibi notatum est.

Lectio i. (*Gene. xiii.* 8.)

Dixit ergo Abram ad Loth. Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos : fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est : recede a me, obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo : si tu dexteram elegeris, ego autem ad sinistram pergam.

Lectio ii. [*Gen. xiii.* 10.]

Elevatis itaque Loth oculis vidit omnem terram circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorram, sicut paradisus Domini : et sicut Egiptus venientibus in Segor. Elegitque sibi Loth regionem circa Jordanem : et recessit ab oriente. Divisique sunt alterutrum a fratre suo. Abram habitavit in terra Chanaam, et Loth moratus est in oppidis quæ erant circa Jordanem : et habitavit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi erant : et peccatores coram Domino nimis.

Lectio iii. [*Gen. xiii.* 14.]

Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est Loth ab eo. Leva oculos tuos et vide in directum a loco in quo nunc es : ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem. Omnem terram quam conspicis tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum : faciamque semen tuum sicut pulverem terræ. Si quis possit hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. Surge et perambula terram in longitudine et latitudine sua : quia tibi daturus sum eam. Movens igitur Abram tabernaculum suum venit et habitavit juxta convallem Mambre quæ est in Hebron : ædificavitque ibi altare Domino.

V. Fiat misericordia.

In Laudibus.

Antiphonæ et Psalmi illius feriæ.

Capitulum. Convertimini.

Hymnus et Versus illius feriæ.

Ant. Domine, puer meus jacet paraliticus in domo et male torquetur. Amen dico tibi ego veniam et curabo eum.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice : et flagella tuæ iracundiæ quæ pro peccatis nostris meremur propiciatus averte.

Ad Vesperas.

Antiphonæ et Psalmi feriales.

Capitulum. Dominus autem dirigat.

Hymnus. Magnæ Deus (p. 209).

Versus. Dirigatur.

Ant. Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus.

Ps. Magnificat (*p.* 221).

Oratio. Parce, Domine, parce populo tuo : ut dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum.

Feria vi.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, Versus illius feriæ. Responsoria de Hystoria Dominicali dicuntur per ordinem.

Lectio i. (*Gen. xiv.* 1.)

Factum est autem in illo tempore, ut Amrafel rex Sennaar, et Arioth rex Ponti, et Chodorlaomor rex Elamitarum, et Thadal rex gentium, inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, et contra Bersa regem Gomorræ, et contra Sennaar regem Adamæ, et contra Semeber regem Seboym, contraque regem Balæ, ipsa est Segor. Omnes hi convenerunt in vallem silvestrem : quæ nunc est mare salis. Duodecim enim annis

servierunt Chodorlaomor, et terciodecimo anno recesserunt ab eo.

Lectio ii. [*Gen. xiv.* 5.]

Igitur anno quartodecimo venit Chodorlaomor et reges qui erant cum eo: percusseruntque Raphaim in Astaroth carnaim et Zuzim cum eis et Emim in Sabe cariathaim et Chorreos in montibus Seyr usque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine. Reversique sunt et venerunt usque ad fontem Mesphat, ipsa est Cades: et percusserunt omnem regionem Amalechitarum et Amorreorum qui habitabant in Sasonthamar.

Lectio iii. [*Gen. xiv.* 8.]

Et egressi sunt rex Sodomorum et rex Gomorræ, rexque Adamæ, et rex Seboym, necnon et rex Balæ, quæ est Segor, et direxerunt aciem contra eos in valle silvestri: scilicet adversum Chodorlaomor regem Elamitarum, et Thadal regem gentium, et Amraphel regem Sennaar, et Arioth regem Ponti, quatuor reges adversus quinque. Vallis autem silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum et rex Gomorræ terga verterunt, cecideruntque ibi: et qui remanserant fugerunt ad montem. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum et Gomorræ, et universa quæ ad cibum pertinent, et abierunt: necnon et Loth et substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.

Ant. Cum facis elemosinam: nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

Ps. Benedictus (*p.* 35).

Oratio. Inchoata jejunia, quæsumus, Domine, benigno favore prosequere: ut observantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam sinceris exercere valeamus. Per.

AD VESPERAS.

Antiphonæ, Psalmi, Hymnus et Versus illius feriæ.

Cap. Dominus autem.

Hymnus. Plasmator (*p.* 214).

V. Dirigatur.

Ant. Tu autem cum oraveris intra in cubiculum, et clauso ostio ora Patrem tuum.

Ps. Magnificat.

Oratio. Tuere, Domine, populum tuum, et ab omnibus peccatis clementer emunda: quia nulla ei nocebit adversitas si nulla ei dominetur iniquitas. Per Dominum.

SABBATO.

Invitatorium. Dominum Deum.

Ps. Venite.

Hymnus. Summæ Deus (*p.* 169).

In Nocturno.

Ant. Quia mirabilia.

Ps. Cantate *ii.* (*xcvii.* p. 169).

V. Domine exaudi orationem.

Responsoria dicantur de Hystoria Dominicali suo ordine.

Lectio i. (*Gen. xiv.* 13.)

Et ecce unus qui evaserat nunciavit Abram Hebreo: qui habitabat in convalle Mambre Amorrei fratris Eschol et fratris Aner. Hi enim pepigerant fœdus cum Abram. Quod cum audisset Abram captum videlicet Loth fratrem suum: numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo, et persecutus est eos usque Dan. Et divisis sociis irruit super eos nocte, percussitque eos, et persecutus est usque Hoba, et usque Phenicem, quæ est ad lævam Damasci. Reduxitque omnem substantiam, et Loth fratrem suum cum substantia illius: mulieres quoque et populum.

Lectio ii. [*Gen. xiv.* 17.]

Egressus est autem rex Sodomorum in occursum ejus, postquam reversus est a cæde Chodorlaomor et regum qui cum eo erant in valle Sabe: quæ est vallis regis. At vero Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi:) benedixit ei et ait, Benedictus Abram Deo excelso qui creavit cælum et terram: et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. Tu autem.

Lectio iii. [*Gen. xiv.* 21.]

Dixit autem rex Sodomorum ad Abram. Da michi animas: cetera tolle tibi. Qui respondit ei. Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cæli et terræ, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt: ne dicas, ego ditavi Abram: exceptis his quæ comederunt juvenes, et partibus virorum qui venerunt mecum, Aner Escol et Mambre. Isti accipient partes suas. [*Gene. xv.*

His itaque transactis: factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: Noli timere Abram. Ego protector tuus, et merces tua magna nimis.

In Laudibus.

Ant. Benigne.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Cap. Convertimini.

Hymnus. Aurora jam (*p.* 191).

Si aliquod festum ix Lectionum in hoc sabbato contigerit, tunc prædicti tres Hymni in illo anno omnino prætermittantur.

V. In matutinis.

Ant. Quare jejunavimus et non aspexisti: humiliavimus animas nostras et nescisti.

Ps. Benedictus.

Oratio. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et concede: ut hoc solenne jejunium, quod animis corporibusque curandis salubriter institutum est, devoto servitio celebremus. Per Dominum.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

1. A. Dominica Prima Quadragesima tota dicitur hystoria et in iv. feria et [in] Sabbato dicitur responsorium feriale.
Feria iii. et v. fiat memoria de Sanctis [Valentino et Juliana] ad vesperas, et ad matutinas de S. Maria.

2. A. Dominica i. xl. tota dicitur hystoria et in v. feria dicitur R. feriale.
In anno bissextili fiat servitium de S. Mathia in Sabbato. Et tunc ab hoc Sabbato usque ad inchoationem hystoriæ *In principio** accipietur 2. *G.*, et inchoetur ad secundam dominicam Quadragesimæ.

3. A. Dominica i. xl. tota cantetur hystoria.
In ii. feria cantetur R. feriale.
Feria iv. et v. de festis [David et Cedda] ix lectionum; omnia de communi.

4. A. Dominica i. xl. tota cantetur hystoria.
Feria iv. et Sabbato dicitur R. feriale.

5. A. Dominica i. xl. tota cantetur hystoria, et festum S. Gregorii differatur in crastinum. Ad ii. vesperas, quæ erunt de festo, fiat solennis memoria de dominica; et in v. feria dicitur R. feriale.

1. B. Dominica Prima Quadragesimæ tota dicitur hystoria.
In iv. feria et Sabbato dicitur R. feriale.

2. B. Dominica i. xl. servitium de dominica; et in vi. feria dicitur R. feriale.
In anno bissextili fiat servitium de S. Matthia in vi. feria, et responsorium feriale dicitur in v. feria, et tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriae *In principio* accipietur 2. *A.*, et inchoetur ad ii. dominicam Quadragesimæ.

3. B. Dominica i. xl. tota dicitur hystoria.
Feria iii. de S. David, ix lectionum, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.
Feria iv. de S. Cedda, ix lectionum, de communi unius Confessoris et Pontificis.
Feria vi. dicitur R. feriale.

4. B. Dominica i. xl. de servitio dominicali.
Feria iv. dicitur R. feriale.

5. B. Dominica i. xl. tota dicitur hystoria. Ad primas vesperas, quæ erunt de festo [S. Gregorii], et† solennis memoria de dominica; et in iv. Feria dicitur R. feriale.

1. C. Dominica Prima Quadragesimæ, tota dicitur hystoria et nichil de festo‡.
Feria iv. et Sabbato dicitur R. feriale.

2. C. Dominica i. xl. tota dicitur hystoria; et in vi. feria dicitur R. feriale.
In anno bissextili fiat servitium de S. Mathia in v. feria. Et ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 2. *B.* pro littera dominicali, et inchoetur ad ii. dominicam Quadragesimæ.

* *De historia* In principio, *vide supra annotaciunculam in p. dii.*
† *Pro* 'et' *legendum videtur* fiat.
‡ 'S. Valentini, nisi ad vesperas et matutinas B. Virginis. Feria iii. ad vesperas et matutinas B. Virginis, memoria de sancta Juliana.' *Directorium* 1495, 1501.

3. C. Dominica i. XL. tota dicitur hystoria.
Feria ii. de S. David, ix lectionum, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.
Feria iii. de S. Cedda, ix lectionum, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis: et in vi. feria dicitur Responsorium feriale.

4. C. Dominica i. XL. tota dicitur hystoria.
Feria iv. dicitur R. feriale.
Feria vi. de S. Gregorio.

5. C. Dominica i. XL. tota dicitur hystoria.
Feria iv. dicitur R. feriale.
Feria v. de S. Edwardo. Ant. *Iste Sanctus.* Cap. *Beatus vir qui in sapientia.* R. *Beatus vir qui suffert* [pp. 371, 372].
Sabbato de S. Cuthberto, ix lectionum.

1. D. Dominica Prima Quadragesimæ tota dicitur hystoria.
Feria iv. et Sabbato dicitur R. feriale*.

2. D. Dominica i. XL. tota dicitur hystoria.
Feria iv. et Sabbato [dicitur] R. feriale.

3. D. Dominica i. XL. tota dicitur hystoria, et festum [Cathedræ] S. Petri differatur in crastinum, et in vi. dicitur R. feriale.
In anno bissextili fiat servitium de S. Matthia in iv. feria. Et abhinc usque ad 2. diem† Augusti accipietur 2. *C.* pro littera dominicali, et inchoetur ad ii. dominicam Quadragesimæ.

4. D. Dominica i. XL. tota dicitur hystoria, et festum S. David differatur usque ad iii. feriam.
Feria ii., de S. Cedda, ix lectionum, Oratio &c. de communi unius Confessoris et Pontificis.
Feria iii. de S. David, ix lectionum, omnia de communi. In vi. feria dicitur R. feriale.

5. D. Dominica i. XL. tota dicitur hystoria, et in iv. feria dicitur R. feriale.
Feria v. de S. Gregorio‡.

1. E. Dominica Prima Quadragesimæ, de servitio dominicali.
Feria iv. et Sabbato dicitur R. feriale. Memoria de festo [S. Scolasticæ V. in iv. feria§] ad vesperas et ad matutinas B. Mariæ.

2. E. Dominica i. XL. tota dicitur hystoria; in iv. feria dicitur R. feriale; et Sabbato vesperæ erunt de dominica, et solennis memoria de Apostolo [Petro].

3. E. Dominica i. XL. de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de Apostolo [Mathia], et solennis memoria de dominica; et in v. Feria dicitur R. feriale.
In anno bissextili fiat servitium de Apostolo in iii. Feria, et vesperæ in

* 'Feria iii. et Sabbato, ad vesperas et ad matutinas de S. Maria fiant memoriæ de Sanctis Scolastica et Valentino.' *Directorium* 1495, 1501.

† usque ad primam diem Augusti (J. R. L.).

‡ 'Nota quod in omnibus festis duplicibus in XL. contingentibus pulsabitur ad Completorium cum 2 campanis una vice tantum secundum Ordinale Sarum.' *Directorium* 1495, 1501.

§ 'in iv. Feria.' *Directorium.* (Nescio an esse debeat *in ii. Feria.*)

Dominica erunt de dominica. [Et festum S. David differatur in iii. feriam hebdomadæ proximæ.] Et abhinc, usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 3. *D.* pro littera dominicali; et Sabbato [nisi in annis bissextilibus] de S. David ix lectionum. Oratio &c. de communi unius Confessoris et Pontificis.

4\. E. Dominica i. xl. tota dicitur hystoria, et festum S. Ceddæ differatur in crastinum; et ibi fiant ix lectiones de communi unius Confessoris et Pontificis.

Feria v. dicitur R. feriale.

5\. E. Dominica i. xl. de servitio dominicali: in v. Feria dicuntur R. ferialia.

Feria iv. de S. Gregorio, Cap. *Ecce Sacerdos* [p. 409].

1\. F. Dominica Prima Quadragesimæ de servitio dominicali; in iv. Feria et Sabbato dicitur R. feriale; et memoria de Sancto [Valentino, in v. feria] ad vesperas de S. Maria.

2\. F. Dominica i. xl. tota dicitur hystoria; et in iv. Feria dicitur R. feriale.

3\. F. Dominica i. xl. de servitio dominicali: secundæ vesperæ erunt de S. Mathia cum pleno servitio in crastino; et solennis memoria de dominica.

Feria v. dicitur R. feriale.

Feria vi. de S. David, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.

Sabbato de S. Cedda, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.

Si fuerit bissextus, tunc [festum S. David erit in Sabbato*. Et] abhinc usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 3. *E.* pro littera dominicali, et inchoetur ad secundam Dominicam Quadragesimæ.

4\. F. Dominica i. xl. de servitio dominicali.

Feria iv. et Sabbato dicitur R. feriale.

In v. Feria memoria de Festo [S. Perpetuæ] ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

5\. F. Dominica i. xl. de servitio dominicali.

Feria v. dicitur R. feriale.

Feria iii. de S. Gregorio. Cap. *Ecce Sacerdos.*

1\. G. Dominica Prima Quadragesimæ de servitio dominicali.

Feria iv. et Sabbato dicitur R. feriale.

2\. G. Dominica i. xl. totum de servitio dominicali; et in iv. Feria dicitur R. feriale.

Sabbato de S. Mathia; secundæ vesperæ erunt de Apostolo, et solennis memoria de dominica.

In anno bissextili fiat servitium de S. Mathia in ii. Feria sequenti; et tunc ad i. vesperas fiat solennis memoria de dominica, et abhinc usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 2. *F.* pro littera dominicali, et inchoetur ad ii. dominicam xl.

3\. G. Dominica i. xl. de servitio dominicali, et in iv. Feria dicitur R. feriale.

Feria v. et vi. de Sanctis ix lectionum [David et Cedda], Oratio &c. de communi unius Confessoris et Pontificis.

* 'in Dominica vesperæ erunt de dominica; de Apostolo in iii. Feria.' *Portif.* 1525—6, *sed perperam.*

4. G. Dominica i. XL. de servitio dominicali; in iv. Feria et Sabbato dicitur R. feriale.

5. G. Dominica i. XL. de servitio dominicali: secundæ vesperæ erunt de S. Gregorio. Cap. *Ecce Sacerdos*;* et solennis memoria de dominica: in v. Feria dicitur R. feriale.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Ad Vesperas.

Ant. Benedictus.

Ps. *Ipsum* (*cxliii.* p. 215).

Capitulum. (2 *Cor. vi.* 1.)

Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim, Tempore accepto exaudivi te: et in die salutis adjuvi te. Deo gratias.

R. Emendemus in melius. *iii.*

Hymnus.

Ex more docti mystico
Servemus hoc jejunium:
Deno dierum circulo
Ducto quater notissimo.

Lex et prophetæ primitus
Hoc prætulerunt, postmodum
Christus sacravit omnium
Rex atque factor temporum.

Utamur ergo parcius
Verbis, cibis et potibus,
Somno, jocis, et artius
Perstemus in custodia.

Vitemus autem pessima
Quæ subruunt mentes vagas:
Nullumque demus callido
Hosti locum tyrannidis.

Dicamus omnes cernui,
Clamemus atque singuli:
Ploremus ante judicem,
Flectamus iram vindicem.

Nostris malis offendimus
Tuam, Deus, clementiam:
Effunde nobis desuper
Remissor indulgentiam.

Memento quod sumus tui
Licet caduci plasmatis:
Ne des honorem nominis
Tui precamur alteri.

Laxa malum quod gessimus:
Auge bonum quod poscimus:
Placere quo tandem tibi
Possimus hic et perpetim.

Præsta, beata Trinitas,
Concede, simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera. Amen.

V. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Ant. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. In his ergo diebus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in vigiliis, in jejuniis, et in charitate non ficta.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui ecclesiam tuam annua quadragesimali observatione purificas: præsta familiæ tuæ, ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per.

Ad Completorium.

Ant. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine Deus, dedisti læticiam in corde meo.

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 222).

* 'Nota quod in omnibus festis duplicibus in XL. contingentibus ad utrumque Completorium pulsabitur cum duabus campanis una vice tantum, secundum Ordinale.' *Directorium* 1495, 1501.

Cap. Tu in nobis.
R. In pace,
Chorus prosequatur, in idipsum
Dormiam et requiescam.
Clerici Versus. Si dedero somnum oculis meis : et palpebris meis dormitationem.
Dormiam et requiescam.
Gloria Patri et Filio.
In pace.

Hymnus.

Christe, qui lux es et dies,
Noctis tenebras detegis,
Lucisque lumen crederis,
Lumen beatum prædicans.

Precamur, sancte Domine,
Defende nos in hac nocte ;
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.

Ne gravis somnus irruat,
Nec hostis nos surripiat,
Nec caro illi consentiens
Nos tibi reos statuat.

Oculi somnum capiant,
Cor ad te semper vigilet,
Dextera tua protegat
Famulos qui te diligunt.

Defensor noster, aspice,
Insidiantes reprime,
Guberna tuos famulos
Quos sanguine mercatus es.

Memento nostri, Domine,
In gravi isto corpore :
Qui es defensor animæ,
Adesto nobis, Domine.

Deo Patri.

Versus. Custodi nos, Domine.
Ant. Cum videris nudum operi eum et carnem tuam ne despexeris, tunc erumpet quasi mane lumen tuum : et gloria Domini colliget te.
Ps. Nunc dimittis.

Hæc prædicta Antiphona super Psalmos, scilicet Signatum est, *et Responsorium* In pace, *et Hymnus* Christe qui lux, *dicantur quotidie ad Completorium usque ad Passionem Domini, de quocunque fit servitium. Antiphona vero super Psalmum* Nunc dimittis *per xv dies dicitur.*

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Non sit vobis vanum mane surgere ante lucem. Quia promisit Dominus coronam vigilantibus.
Ps. Venite.

Hymnus.

Summi largitor præmii,
Spes qui es unica mundi :
Preces intende servorum
Ad te devote clamantum.

Nostra te conscientia
Grave offendisse monstrat :
Quam emundes supplicamus
Ab omnibus piaculis.

Si rennuis quis tribuet :
Indulge quia potens es :
Te corde rogare mundo
Fac nos precamur Domine.

Ergo acceptare nostrum
Qui sacrasti jejunium,
Quo mystice paschalia
Capiamus sacramenta.

Summa nobis hoc conferat
In Deitate Trinitas :
In qua gloriatur unus
Per cuncta secula Deus. Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Servite.
Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).
V. Dicet Domino.
R. Susceptor meus es tu et refugium, Deus meus. *Non dicatur ulterius.*

Sex primæ Lectiones de sermone beati Leonis papæ.

*Lectio i.**

Licet nobis, dilectissimi, appropinquante Pascha jejunium Quad-

* *Leonis* de Quadragesima Serm. II. *Opera*, p. 35.

ragesimalis observantiæ ipse legittimi temporis cursus indicat : cohortatio tamen etiam nostri sermonis adhibenda est, quæ auxiliante Domino nec inutilis sit pigris, nec onerosa devotis. Nam cum omnem observantiam nostram ratio istorum dierum poscat augeri : nemo est, ut confido de vobis, qui se ad opus horum non gaudeat incitari. Natura enim nostra adhuc manente mortalitate mutabilis, etiam si ad summa quæque virtutum studio provehatur : semper tamen sicut potest habere quo recidat, ita potest habere quo crescat. Et hæc est perfectorum vera justicia, ut nunquam se præsumant esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum. Tu autem.

R. 1. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis : commendemus nosmetipsos in multa patientia, in jejuniis multis. Per arma justitiæ virtutis Dei.

V. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum.

Per arma.

Lectio ii. Quia ergo nemo est nostrum, dilectissimi, tam perfectus et sanctus, ut perfectior sanctiorque esse non possit, omnes simul sine differentia graduum, sine discretione meritorum, ab his ad quæ pervenimus in ea quæ nondum apprehendimus pia aviditate curramus, et ad mensuram consuetudinis nostræ necessariis aliquid addamus augmentis. Parum enim religiosus alio tempore demonstratur, qui in his diebus non religiosior invenitur. Unde oportune auribus nostris lectio apostolicæ prædicationis insonuit dicens, Ecce nunc tempus acceptabile : ecce nunc dies salutis. Quid enim acceptius hoc tempore, quid salubrius his diebus, in quibus bellum viciis indicitur, et omnium virtutum profectus augetur? Semper tibi quidem, O anima Christiana, vigilandum contra salutis tuæ adversarium fuit, ne ullus pateret locus tentatoris insidiis. Sed modo tibi major cautio, et solertior est assumenda prudentia, quando idem hostis tuus acriori sævit invidia. Tu autem Domine.

R. 2. In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia : Ut non vituperetur ministerium nostrum.

V. Ecce nunc tempus acceptabile : ecce nunc dies salutis : nemini dantes ullam offensionem.

Ut non vituperetur.

Lectio iii. Nunc enim in toto mundo potestas ei antiquæ dominationis aufertur : et innumera illi vasa captivitatis rapiuntur. Renunciatur atrocissimo prædoni a populis omnium nationum, omniumque linguarum : et nullum jam genus hominum reperitur, quod non jam tyrannicis legibus reluctetur, dum per omnes fines terrarum regeneranda in Christo multorum milium milia præparantur, et appropinquante novæ creaturæ ortu, spiritalis nequitia ab his quos possidebat extruditur. Fremit ergo expoliati hostis impius furor, et novum quærit lucrum, quia jus perdidit antiquum. Captat indefessus et pervigil si quas reperiat oves a sacris gregibus negligentius evagantes : quas per procliva voluptatum et per devexa luxuriæ in diversoria mortis inducat. Inflammat itaque iras, nutrit odia, acuit cupiditates : irridet continentiam, incitat gulam. Quem enim tentare non audeat, qui nec ab ipso Domino nostro Jesu Christo conatus suæ fraudis abstinuit? Nam sicut evangelica patefecit hystoria, cum Salvator noster post quadraginta dierum noctiumque jejunium infirmi-

tatis nostræ in se recepisset esuriem, gavisus diabolus signum se in eo passibilis atque mortalis invenisse naturæ, ut exploraret potentiam quam timebat, Si Filius (inquit) Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Tu autem Domine.

R. 3. Emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus, ne subito præoccupati die mortis quæramus spacium pœnitentiæ et invenire non possimus. Attende, Domine, et miserere, quia peccavimus tibi.

V. Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus.

Attende. Gloria Patri. Attende.

In secundo Nocturno.

Ant. Bonorum.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. Ipse liberavit me.

R. De laqueo venantium et a verbo aspero.

Lectio iiii. Poterat utique istud Omnipotens, et facile erat ut ad Creatoris imperium in quam juberetur speciem cujuslibet generis natura transiret : sicut cum voluit in convivio nuptiarum aquam mutavit in vinum. Sed hoc magis salutiferis dispensationibus congruebat, ut nequissimi hostis astutia, non potentia Deitatis, sed humilitatis mysterio vinceretur. Denique fugato dyabolo, et omnibus artibus callidi tentatoris elisis, accesserunt ad Dominum angeli et ministrabant ei. Confundantur igitur filii dyaboli atque discipuli, qui repleti inspiratione viperea simplices quosque decipiunt, negantes in Christo utramque veram esse naturam, dum aut Deitatem homine, aut hominem Deitate despoliant : cum unius temporis gemino documento utraque falsitas sit perempta; quia et per famem corporis perfecta humanitas, et per famulantes angelos demonstrata est manifesta divinitas.

R. Paradisi portas.

R. Scindite.

R. Abscondite.

Require hæc tria Responsoria in quarta feria in Capite Jejunii.

Lectio v. Quia ergo, dilectissimi (sicut Redemptoris nostri magisterio edocti sumus) non in solo pane vivit homo sed in omni verbo Dei, prompta devotione et alacri fide suscipiamus solenne jejunium : non de sterili inedia, quam plerumque et imbecillitas corporis et avariciæ morbus indicit : sed in larga benivolentia celebrandum, ut simus de illis de quibus ipsa veritas dicit, Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur. Deliciæ igitur nostræ sint opera pietatis : et illis cibis qui nos ad æternitatem nutriunt impleamur. Lætemur in refectionibus pauperum, quos impendia nostra satiaverunt. Jocundemur in vestitu eorum, quorum nuditatem indumentis necessariis texerimus. Sentiant humanitatem nostram ægritudines decumbentium, imbecillitates debilium, labores exulum, destitutio pupillorum, et desolatarum lamenta viduarum : in quibus juvandis nemo est qui non aliquam possit exequi benivolentiæ portionem.

Lectio vi. Nulli enim parvus est census, cui magnus est animus. Nec de rei familiaris modo pendet mensura pietatis. Majora quidem sunt impendia divitum, et minora mediocrum; sed non discrepat operum fructus, ubi idem est affectus operantium. In ista autem, dilectissimi, exercendarum opportunitate virtutum sunt et aliarum insignia virtutum, quæ nullo dispendio horreorum, nulla pecuniæ diminutione captantur : si repellatur lascivia, si abdicetur ebrietas, et carnalis concupiscentia castitatis legibus edometur.

Si odia transeant in dilectionem, si inimicitiæ convertantur in pacem, si tranquillitas extinguat iram, si mansuetudo remittat injuriam, si dominorum denique atque servorum tam ordinati mores sint, ut et illorum potestas mitior, et istorum sit disciplina devotior. Hac igitur observantia, dilectissimi, obtinebitur misericordia Dei : et abolito peccatorum reatu, religiose venerandum pascha celebrabitur : per Jesum Christum Dominum nostrum.

In tertio Nocturno.

Ant. Præceptum.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

V. Scapulis suis : obumbrabit tibi.

R. Et sub pennis ejus sperabis.

Secundum Mattheum, iiii. [1—11].

In illo tempore : ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. [*xvi.*]*

Dubitari a quibusdam solet, a quo spiritu ductus sit Jesus in desertum, propter hoc quod subditur, Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem. Et rursum, Assumpsit eum in montem excelsum. Sed vere et absque ulla dubitatione convenienter accipitur, ut a Sancto Spiritu in desertum ductus credatur : ut illuc eum suus Spiritus duceret, ubi hunc ad tentandum malignus spiritus inveniret. Sed ecce cum dicitur Deus Homo vel in excelsum montem, vel in sanctam civitatem a diabolo assumptus : mens refugit, humanæ hoc audire aures expavescunt. Quæ tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo et alia facta pensamus.

R. 7. In jejunio et fletu orabant sacerdotes dicentes, Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des hereditatem tuam in perditionem.

V. Inter vestibulum et altare plorabant sacerdotes dicentes,

Parce, Domine.

Lectio viii. Certe iniquorum omnium diabolus caput est, et hujus capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pylatus? An non diaboli membra Judei persequentes, et milites crucifigentes fuerunt? Quid ergo mirum si se permisit ab illo in montem duci, qui se pertulit etiam a membris illius crucifigi? Non est ergo indignum Redemptori nostro quod tentari voluit, qui venerat occidi. Justum quippe erat ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut nostram venerat mortem sua morte superare.

R. 8. Tribularer si nescirem misericordias tuas, Domine. Tu dixisti : Nolo mortem peccatoris sed ut magis convertatur et vivat : Qui Chananeam et publicanum vocasti ad pœnitentiam.

V. Et Petrum lachrimantem suscepisti misericors.

Qui Chananeam.

Lectio ix. Sed sciendum nobis est quia tribus modis tentatio agitur : suggestione, delectatione, consensu. Et nos cum tentamur plerumque in delectationem aut etiam in consensum labimur : quia de carnis peccato propagati in nobisipsis etiam gerimus unde certamina toleramus. Deus vero, qui in utero virginis incarnatus in mundum sine peccato venerat, nichil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit : sed ejus mentem

* *Gregorii* in Evangelia Homil. xvi. *Opera*, I. 1492.

peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis illa diabolica tentatio foris non intus fuit. Sed si ipsum ordinem tentationis ejus aspicimus, pensemus* quanta magnitudine nos a tentationibus liberemur. Tu [autem Domine miserere nostri].

R. 9. Ductus est Jesus in desertum a Spiritu ut tentaretur a diabolo. Et accedens tentator dixit ei, Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

V. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.

Et accedens. Gloria Patri. Si.

Feriale Responsorium. Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te. Ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.

V. Super aspidem et basiliscum ambulabis : et conculcabis leonem et draconem.

In manibus. Gloria Patri.

Ne unquam offendas.

Hoc Responsorium erit tertium, quotiens dicetur de tertio Nocturno per ebdomadam, scilicet de temporali.

V. Ipse liberavit me.

R. De laqueo venantium et a verbo aspero.

IN LAUDIBUS.

Ant. Cor mundum crea in me, Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Ant. O Domine, salvum me fac, O Domine bene prosperare.

Ps. Confitemini Domino (*cxvii.* p. 43).

Ant. Sic benedicam te in vita mea, Domine : et in nomine tuo levabo manus meas.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur, Domine, a te : et sic fiat sacrificium nostrum ut a te suscipiatur hodie et placeat tibi, Domine Deus.

Ps. Benedicite omnia (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Laudate Deum cæli cælorum et aquæ omnes.

Ps. *Ipsum* (*cxlviii.* p. 32).

Cap. Hortamur vos. *ut supra.*

Hymnus.

Audi benigne conditor
Nostras preces cum fletibus
In hoc sacro jejunio
Fusas quadragenario.

Scrutator alme cordium
Infirma tu scis virium :
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.

Multum quidem peccavimus,
Sed parce confitentibus :
Ad laudem tui nominis
Confer medelam languidis.

Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam :
Jejunet ut mens sobria
A labe prorsus criminum.

Præsta beata Trinitas.

V. Scuto circundabit te veritas ejus. Non timebis a timore nocturno.

Ant. Ductus est Jesus in desertum a Spiritu ut tentaretur a dyabolo : et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus qui ecclesiam.

AD PRIMAM.

Ant. Jesus autem cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus : postea esuriit.

Ps. Deus, Deus meus, respice (*xxi.* p. 37).

AD TERTIAM.

Ant. Non in solo pane vivit homo : sed in omni verbo Dei.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

* 'pensamus' *Chevallon.*

Cap. Hortamur vos. *ut supra.*
R. Participem
Chorus prosequitur me fac, Deus, omnium timentium te, Et custodientium mandata tua.
Clericus dicat V. Aspice in me et miserere mei : secundum judicium diligentium nomen tuum.
Et custodientium.
Gloria Patri.
Participem.
V. Dicet Domino.
R. Susceptor meus.

AD SEXTAM.

Ant. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem : et statuit eum supra pinnaculum templi : et dixit ei, Si Filius Dei es, mitte te deorsum.
Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).
Capitulum. (2 *Cor. vi.* 2.)
Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; nemini dantes ullam offensionem : ut non vituperetur ministerium nostrum.
R. Ab omni
Chorus prosequatur totum Responsorium, via mala prohibui pedes meos, Ut custodiam mandata tua, Domine.
Clericus V. A judiciis tuis non declinavi : quia tu legem posuisti michi.
Ut custodiam.
Gloria Patri.
Ab omni.
Versus. Ipse liberavit me.

AD NONAM.

Ant. Vade, sathana, non tentabis Dominum Deum tuum.
Ps. Mirabilia tua (*cxviii.* 129, p. 65).
Capitulum. (2 *Cor. vi.* 4.)
In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia.
R. Declara
Chorus prosequatur, super nos, Deus, Tuam misericordiam.
V. Declaratio sermonum tuorum dat intellectum, Domine.
Tuam.
Gloria Patri.
Declara.
V. Scapulis suis obumbrabit tibi.

AD VESPERAS.

Ant. Sede a dextris.
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Cap. Hortamur vos.
R. Esto nobis
Chorus prosequatur, Domine, Turris fortitudinis.
Clericus dicat V. A facie inimici.
Turris.
Gloria Patri.
Esto nobis.
Hoc Responsorium dicatur quotidie ad Vesperas per XV dies, nisi in sabbato et in Festis Sanctorum.
Hymnus. Ex more docti.
V. Angelis suis.
Ant. Reliquit eum tentator : et accesserunt angeli et ministrabant ei. *Ps.* Magnificat (p. 221).
Oratio. Deus, qui ecclesiam.
Supradictus ordo Versuum hujus Dominicæ ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas, et ad alias Horas servetur usque ad Passionem Domini, tam in feriis quam in Dominicis, quando de temporali agitur : excepto quod quando Versus Ipse liberavit me *dicitur ante Lectiones, tunc ante Laudes dicitur Versus* Scapulis suis.

FERIA II. PRIMÆ EBDOMADÆ QUADRAGESIMÆ.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Venite exultemus Domino.
Ps. *Ipsum.*
Hymnus. Summi largitor præmii.
In Nocturno, Ant. Dominus defensor.

Ps. Dominus illuminatio (*xxvi.* p. 69) *et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis illius feriæ.*

Quotidie per ebdomadam dicuntur Versus et Responsoria ad Matutinas secundum ordinem Nocturnorum Hystoriæ Dominicalis, quando de temporali agitur : ita tamen quod Responsoria ferialia non omittantur.

Lectiones de sermone beati Maximi episcopi. (*Ambrosii sermo* 36. *De sermone beati Maximi**.)

Ante dies devotionum sanctæ Quadragesimæ prædicantes sacrarum litterarum exempla protulimus, quibus approbaremus hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed divinitus consecratum : nec terrena cogitatione initiatum, sed cælesti majestate præceptum. Atque ideo qui constitutum numerum una die manducando præterit, non unius diei violator accusatur, sed ut totius Quadragesimæ transgressor arguitur. Unde bonum est homini ut ad diem sine labore jejunet, et totius Quadragesimæ consequatur pariter sanctitatem. Hæc autem non tam sacerdotum præcepta quam Dei sunt : atque ideo qui spernit, non sacerdotem spernit, sed Christum qui in suo loquitur sacerdote. Videamus igitur quo tempore hanc observantiam nobis indixerit Dominus, si non veluti per istam devotionem cuncta elementa voluerit habere profectum. Ecce enim indicta Quadragesima constricta hyemali gelu terra resolvitur, et aquarum fluenta meatus suos glacie liquefacta recipiunt. Sic quoque corporum nostrorum hoc eodem tempore contracta sceleribus peccata solvuntur, et vitæ nostræ purior cursus liquefacto rigore diaboli meatum suum pristinum recognoscit. Terra, inquam, indicta † Quadragesima asperitatem deponit hyemis : ego indicta Quadragesima asperitatem rejicio delictorum. Illa terra aratris scinditur, ut mundanis sit congrua frugibus : mea terra jejuniis exaratur, ut cælestibus sit apta seminibus. Tu autem.

Lectio ii. Sicut enim uberiorem redditum capit, qui frequentius vexando exercet campum, ita et majorem gratiam percipit, qui exercet campum corporis sui sæpius jejunando. Ecce enim abstinentiæ tempore herba segetum reviviscit in messem, surculus arboris conatur in fruticem, palmes vineæ pubescit in gemmam, et omnia de inferioribus ad altiora se surrigunt : ita hoc eodem tempore hominum spes interim mortua reviviscit in posterum, fides perdita reparatur in gloriam, temporalis vita proficit in æternam, et omne humanum genus ad cælestia se surrigens ab inferis ad altiora consurgit. Modo ferrum gestans agricola sarmenta deputat vinearum : ita et nunc evangelium tractans episcopus sordes amputat populorum. Et isto quadragenario curriculo universæ hoc agunt creaturæ, quatenus depositis superfluis ornate vel compte in Pascha procedant. Modo omnia sunt in partu, ut tunc reperiantur in fructu. Tunc enim contra naturæ speciem spina profert rosam, calamus flagrat lilium, suavitatem arida virgulta depromunt : et ita cuncta floribus adornantur, ut festivitatem diei magnæ creatura ipsa nitore sui celebrare credatur. Igitur et nos hoc eodem tempore jejuniorum producamus de spinis nostris rosas, hoc est de peccatis justitiam, de severitate misericordiam, de avaricia largi-

* *Ambrosii Opera* VIII. p. 133, ed. Venet. 4⁰; p. 531, ed. fol. (*de Sermonibus S. Ambrosio hactenus adscriptis*, Sermo xxviii.).

† 'in dicta' *excudit* Chevallonius (A.D. 1531) *quod et in Ambrosianis editoribus invenimus.*

tatem. Istæ enim spinæ sunt corporis nostri quæ præfocant animam : de quibus ait Scriptura, Spinas et tribulos tibi germinabit terra. Germinat enim michi terra mea spinas, si me corporalis libidinis titillatione compungit. Generat michi tribulos, cum me divitiarum secularium cupiditate discruciat. Spina enim Christiano avariciæ suæ radix est. Spina viro bono honoris ambitio est. Videntur enim specie apud suos gratæ esse, sed lædunt.

Lectio iii. His ergo nisi vigilando et jejunando curari non possumus : quin potius per abstinentiam ipsæ spinæ vertantur in rosam. Producit enim jejunando libido castimoniam, superbia humilitatem, ebrietas * parcitatem. Hi enim sunt flores vitæ qui suave Christo redolent : qui odorem bonum Deo spirant. Unde ait Apostolus, quoniam Christi bonus odor sumus Deo. Hanc ergo jam Quadragesimam largitus est nobis Dominus, ut hujus temporis spacio in morem totius creaturæ nunc concupiscamus virtutum germina, ut in die Paschæ fructum justiciæ proferamus. Hoc autem quadragenario numero seipsum Dominus Christus exercuit : non ut profectum ipse caperet, sed ut profectum salutis nobis ostenderet. Nec enim in illo erat spina peccati, quæ verteretur in florem. Ipse enim erat flos natus, non de spina sed de virga : sicut ait Propheta, Exiet virga de radice Jesse : et flos de radice ejus ascendet. Virga enim erat Maria, nitida subtilis et virgo, quæ Christum velut florem integritate sui corporis germinavit. Continuatis ergo quadraginta diebus et noctibus, hæc jejunia non esuriens Dominus procuravit : sed dicit illum Evangelista esuriisse postea. Quomodo ergo potest fieri, ut qui tantorum dierum numero famem sitimque non senserit, postea esurierit? Esuriebat plane : nec negare possumus quod esurierit. Esuriit enim non cibum hominum sed salutem, nec escarum secularium epulas concupivit, sed animarum desideravit cælestium sanctitatem : cibus enim Christi est redemptio populorum. Cibus Christi, est paternæ voluntatis effectus : sicut ipse ait, Meus autem cibus est, ut faciam voluntatem Patris qui me misit. Unde et nos esuriamus cibum, non qui terrenis epulis apparatur, sed qui divinarum Scripturarum lectione colligitur. Ille enim corpus ad tempus nutrit : hic autem animam reficit in æternum.

Versus. Ipse liberavit me.

In Laudibus. *Antiphonæ et Psalmi illius feriæ.*

Capitulum. Convertimini.

Hymnus. Audi benigne.

Versus. Scuto circundabit.

Ant. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.

Ps. Benedictus.

Deinde dicuntur preces feriales cum Psalmo Miserere (*l.* p. 245), *et cum Psalmo* Domine, ne in furore *i.* (*vi.* p. 242) *qui dicetur post Psalmum* Miserere.

Et sciendum est quod per omnes Horas per totam Quadragesimam, quando de feria agitur, unus de septem Psalmis pœnitentialibus suo ordine post Psalmum Miserere, *dicetur, nisi ad Sextam : tunc enim dicetur Ps.* Deus misereatur nostri (*lxvi.* p. 123) *loco Psalmi* Miserere.

Et si Festum ix Lectionum in crastino sequatur, tunc ad Nonam tres ultimi Psalmi dicuntur. Similiter fiat in Sabbato.

* 'ebrietas parcitatem' *legimus, secundum sensus exigentiam et codicum MSS. plurium ac potiorum consensum.* Chevallonius *vero, cum nonnullis codicibus, et cum omnibus editoribus ante Benedictinos,* 'sobrietas parcitatem' *repugnante sensu.*

Oratio. Converte nos, Deus salutaris noster : et ut jejunium nobis quadragesimale proficiat, mentes nostras cælestibus instrue disciplinis. Per Dominum.

Ad Primam.

Ant. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Et cetera omnia quæ ad Primam pertinent expleantur.

Omni die per totam Quadragesimam usque ad Cenam Domini, quando de feria agitur, statim post Primam, ante Missam capitularem, dicitur Commendatio Animarum, nisi in crastino duplicis Festi. Et dicatur, sine nota, quando Dirige *sine nota præcesserit : hoc modo, Super Psalmos Ant.* Requiem æternam. *Ps.* Beati immaculati (*cxviii.* p. 44) *ut supra dictum est in prima Dominica Adventus Domini post secundas Vesperas* (p. xlviii.).

Ad Tertiam.

Ant. Per arma justitiæ virtutis Dei, commendemus nosmetipsos in multa patientia.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. (*Johel ii.* 13.)

Convertimini ad Dominum Deum nostrum quia benignus et misericors est, patiens et multum misericors, et præstabilis super maliciam.

R. Participem.

Ab hac die usque ad quartam feriam ante Pascha, quando de feria agitur, post Tertiam dicuntur quindecim Psalmi graduum, pro omni populo Dei, hoc modo,

Ant. Ne reminiscaris.

Ps. Ad Dominum cum tribularer (*cxix.* p. 197) *usque ad Psalmum* Laudate nomen Domini (*cxxxiii.* p. 206). (*Quære post Psalterium**.)

Hic nunquam dicitur Ps. Laudate Dominum in sanctis (*cl.* p. 33) *post Psalmum* Ecce nunc (*cxxxiii.* p. 40) *et dicitur post unumquemque Psalmum* Gloria Patri; *cum Letania et Collectis subsequentibus.*

Et quicquid dicit Sacerdos de Letania, Chorus idem repetat plene et integre usque ad prolationem Versus ut pacem nobis dones. *Tunc respondeat Chorus tantum* Te rogamus, audi nos : *et sic de singulis, usque ad* Fili Dei, te rogamus, audi nos. *Tunc enim respondeat Chorus idem : et sic de singulis usque dum dicitur*

Kyrieleyson. Christeleyson. Kyrieleyson.
Pater noster.
Et ne nos inducas :
Sed libera.
Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam :
Et salutare.
Et veniat super nos :
Salutare.
Peccavimus cum patribus :
Injuste egimus.
Domine, non secundum peccata :
Neque secundum.
Oremus pro omni gradu ecclesiæ :
Sacerdotes tui.
Pro fratribus et sororibus :
Salvos fac servos tuos.
Pro cuncto populo Christiano :
Salvum fac populum.
Domine, fiat pax :
Et abundantia.
Animæ famulorum famularumque. Amen.
Domine exaudi.
Dominus vobiscum.

Oratio. Deus, cui proprium. *quæ terminetur sic,* Per Christum Dominum nostrum. Amen.

* Quid velint verba rubricæ '*Quære post Psalterium*' in margine ed. 1531 adscripta, non satis liquet.

Deinde dicantur omnes Orationes quæ subsequuntur sub uno Per eundem, *et sub uno* Oremus.

Oratio. Omnipotens, sempiterne Deus, qui facis.

Oratio. Deus, qui charitatis.

Oratio. Deus, a quo sancta.

Oratio. Ineffabilem.

Oratio. Fidelium.

Oratio. Pietate tua, quæsumus, Domine, *quæ terminetur sic,* Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Et notandum est quod omni die feriali dicitur Letania, sicut in secunda feria, usque ad Martyres, et a Propitius [p. 251] *usque ad finem.*

Preces et Collectæ hac die et ceteris feriis, quæ in secunda feria, dicuntur. Et hæc omnia in prostratione tam a sacerdote quam a toto choro sine nota dicuntur.

Ad Sextam.

Ant. Commendemus nosmetipsos in multa patientia : in jejuniis multis per arma justitiæ.

Ps. Defecit in salutare (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (*Esai. lv.* 7.)

Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas : et revertatur ad Dominum et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum quoniam multus est ad ignoscendum.

R. Ab omni.

Et sciendum est quod omni die per Quadragesimam, scilicet in ferialibus diebus, dicantur omnes Horæ ante Missam.

Ad Nonam.

Ant. Advenerunt nobis dies pœnitentiæ, ad redimenda peccata et salvandas animas.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (*Esaiæ lviii.* 7.)

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum operi eum, et carnem tuam ne* despexeris, ait Dominus omnipotens.

R. Declara super nos.

Hæ prædictæ Antiphonæ super Horas quotidie dicuntur, quando de feria agitur, usque ad Passionem Domini. Capitula vero et Responsoria per XV dies dicantur.

Quotidie per totam Quadragesimam, de quocumque fit servitium, dicantur Vesperæ post Missam ante prandium, nisi solummodo in Dominicis diebus.

In omnibus feriis per totam Quadragesimam usque ad quartam feriam ante Pascha, post Missam ante Vesperas dicatur Placebo, *nisi in sequenti die fiant novem Lectiones, et nisi quando corpus in crastino sepeliendum fuerit. Si vero tale corpus fuerit, dicatur* Placebo *et* Dirige *post prandium ante Completorium more solito, scilicet usque ad Laudes.*

Ad Vesperas.

Antiphonæ et Psalmi feriales.

Capitulum. (*Ezek. xviii.* 20.)

Anima quæ peccaverit ipsa morietur : filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii, ait Dominus omnipotens.

Hoc Capitulum dicitur quotidie ad Vesperas usque ad Passionem Domini, quando de feria agitur.

R. Esto nobis.

Hymnus. Ex more.

V. Angelis suis.

Ant. Quod uni ex minimis meis fecistis : michi fecistis, dicit Dominus.

Ps. Magnificat.

* 'de despexeris' *Chevallon.*

Oratio. Absolve, quæsumus, Domine, nostrorum vincula omnium delictorum : et quicquid pro eis meremur, propiciatus averte. Per.

Prædicti Hymni præcedentis Dominicæ dicuntur suis locis per quindecim dies.

Pulsato bis ad Collationem sed utraque vice, tam in duplicibus Festis quam in aliis, cum una sola campana : dicantur Vigiliæ Mortuorum, scilicet Dirige, *usque ad Laudes : sed et post ultimum Responsorium dicitur* Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster, *sine pronunciatione* Et ne nos : *dicitur Ps.* Exaltabo [xxix. p. 72] *Deinde Preces cum Collectis, ut supra in Adventu.*

Postea immediate legatur Collatio, scilicet Liber Pastoralis beati Gregorii papæ, qui sic incipit Pastoralis curæ, *vel Dyalogus ejusdem Gregorii de Miraculis sanctorum Patrum, qui sic incipit* Quadam die nimis. *Quæ quidem collatio ab hinc quotidie usque ad Cenam Domini ante Completorium, exceptis tantum diebus Dominicis, in pulpito legetur, habitu non mutato, sic :* Jube domine, benedicere. *Excellentior qui est in choro dicat benedictionem. Et cum pro discretione satis lectum fuerit, dicat* Tu autem, *Lector vero prosequatur* Domine, miserere nostri. *Ad quam etiam collationem legendam ita scribantur clerici, quod semper fiat inceptio ab excellentiore ex parte chori, et legatur in superiori gradu usque ad Passionem Domini. Sabbato autem in Passione et deinceps, legatur in secunda forma. Ita tamen quod in quarta feria ante Pascha in prima forma legatur. In Festis tamen duplicibus, quæ infra Passionem celebrantur, in superiori gradu legatur.*

Finita collatione, statim pulsatur ad Completorium cum unica campana : sed in duplicibus Festis cum duabus, et hoc semper semel : et sequatur Completorium ut supra.

Sciendum est quod quotienscunque dicitur Placebo *post missam ante Vesperas per totam Quadragesimam, dicitur* Dirige *ante collationem usque ad Laudes tantum in congregatione clericorum. Laudes vero dicantur post Matutinas de die et de sancta Maria, et post Laudes Mortuorum dicatur Ps.* Ad te levavi (*cxxii.* p. 199).

Feria iii.

Ad Matutinas.

Invitatorium, et cetera, ut supra.

Lectiones de sermone beati Augustini episcopi. (*Omelia* 41*.)

Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, et non estis irridentes : mutate vitam, corrigite mores, reconciliamini Deo. Et vos enim cum cathena pascitis. Qua (inquis) cathena? Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata et in cælo. Audis ligaturam, et Deo te putas facere imposturam? Pœnitentiam agis, genu figis : et irrides, et subsannas patientiam Dei. Si pœnitens es, pœnitet te. Si non pœnitet te, pœnitens non es. Si ergo pœnitet te, quare facis quod male fecisti? Si fecisse pœnitet, noli facere. Si adhuc facis, certe pœnitens non es. Et quidem, charissimi, ægrotant homines : mittuntur ad ecclesiam, vel portantur ad ecclesiam, et baptizantur, et renovantur : et felices hinc obeunt. Sed non ipsa est causa pœnitentiæ. Qui nondum accepit baptismum, nondum violavit sacramentum. Qui autem violavit sacramentum male et perdite vivendo, et ideo remotus est ab altari ne judicium sibi manducet et bibat : vitam mutet, corrigat se, et

* *Augustini* Sermo 393 de Pœnitentibus, *Opera*, tom. v. 2244, ed. Paris, 1837.

reconcilietur dum vivit, dum sanus est. Expectat etiam ipse tunc reconciliari, quando incipit mori. Experti sumus multos expirasse, expectantes reconciliari. Tu autem, Domine.

Lectio ii. Deinde etiam dico in conspectu Dei timori vestro timorem meum. Qui autem non timet, timentem me contemnet, sed malo suo. Audi ergo. Certus sum, quia homo baptizatus si vivit : audeo dicere non sine peccato? Quis enim est sine peccato? Sed si vitam sine crimine duxerit, et talia peccata habuerit quæ quotidie dimittuntur in oratione dicente, Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris : quando vadit hinc, vitam non finiet, sed transiet de vita in vitam. Sive juste voluntate sua currat ad baptismum, sive in periculo constitutus baptizetur, et exeat de hac vita : ad Dominum vadit, ad requiem vadit. Baptizatus autem desertor et violator tanti sacramenti, si agat pœnitentiam, ex toto corde agat pœnitentiam, ubi Deus videt qui videt et cor. David quando increpatur a propheta, et graviter increpatur, post comminationes Dei terribiles clamavit dicens, Peccavi : et mox audivit, Dominus abstulit peccatum tuum. Tantum valent tres syllabæ. Tres syllabæ sunt : Peccavi. Sed in illis tribus syllabis flamma sacrificii cordis ascendit in cælum. Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, et solutus fuerit a ligamento quo erat astrictus et a Christi corpore separatus, et bene post pœnitentiam vixerit, quo modo vivere et ante pœnitentiam debuit : post reconciliationem quandocunque defunctus fuerit, ad Dominum vadit. Regno Dei non privabitur : a populo dyaboli separabitur. Quisquis enim positus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit pœnitentiam accipere et accipit, et mox reconciliatur et hinc vadit : fateor vobis non illi negamus quod petit : sed non præsumimus quia bene hinc erit.

Lectio iii. Non præsumo, non vos fallo : non præsumo. Non præsumo : non vos fallo. Fidelis bene vivens securus hinc exit; baptizatus ad horam securus hinc exit; agens pœnitentiam et reconciliatus cum sanus est, et postea bene vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum et reconciliatus si securus hinc exit, ego non sum securus. Unde securus sum, dico, et do securitatem. Unde non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem non possum. Quod dico attendite. Debeo illud plenius exponere, ne me aliquis male intellexisse intelligat. Nunquid dico, damnabitur? Non dico. Sed non dico etiam liberabitur. Et quid dicis michi? Nescio, nescio: non præsumo, non promitto, nescio. Vis te a dubio liberare? Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, et invenerit te novissimus dies currentem ut reconcilieris: si sic agis, securus es. Quare securus? Quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo et peccare potuisti. Si autem tunc vis agere ipsam pœnitentiam, quando peccare jam non potes : peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed unde scis, inquis, ne forte Deus dimittat michi? Verum dicis, Unde? Nescio. Illud scio : hoc nescio. Ideo do tibi pœnitentiam, quia nescio. Nam si scirem nichil tibi prodesse, non tibi darem. Item si nescirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt : aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, ego nescio. Dimitte itaque incertum : et tene certum.

Ant. Intravit Jesus in templum Dei : et ejiciebat omnes vendentes

et ementes, et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit.

Ps. Benedictus.

Oratio. Respice, Domine, familiam tuam : et præsta, ut apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quæ se carnis maceratione castigat. Per Dominum.

Ad Vesperas.

Ant. Abiit Jesus foras extra civitatem in Bethaniam, ibique docebat eos de regno Dei.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio. Ascendant ad te, Domine, preces nostræ : et ab ecclesia tua cunctam repelle nequiciam. Per.

Feria iv.

Lectiones de sermone beati Leonis papæ. (*Sermo* 4. *de* 40*.)

Prædicaturus vobis, dilectissimi, sacratissimum maximumque jejunium, quo aptius utar exordio quam ut a verbis apostoli (in quo Christus loquebatur) incipiam, dicamque quod lectum est, Ecce nunc tempus acceptabile : ecce nunc dies salutis? Quamvis enim nulla sint tempora quæ divinis non sint plena muneribus, et semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præstetur accessus : nunc tamen omnium mentes majore studio ad spiritales profectus moveri, et ampliore fiducia animari oportet, quando ad universa pietatis officia illius nos diei in quo redempti sumus recursus invitat, ut excellens super omnia Dominicæ Passionis sacramentum, purificatis corporibus et animis celebremus. Debebatur quidem tantis mysteriis ita incessabilis devotio et continuata reverentia, ut tales permaneremus in conspectu Dei quales nos in ipso Paschali Festo dignum est inveniri. Sed quia hæc fortitudo paucorum est, et dum carnis fragilitati austerior observantia relaxatur, dumque per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere : magna divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas et pia opera redimerent, et jejunia casta decoquerent. Ingressuri igitur, dilectissimi, dies mysticos, et purificandis animis atque corporibus sacratius institutos, præceptis apostolicis obedire curemus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus : ut castigatis colluctationibus quæ sunt inter utramque substantiam, animus quem sub Dei gubernaculis constitutum corporis sui decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem.

Lectio ii. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii, aut fructuose corporis esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur, et ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Sic ergo nobis edendi est moderanda libertas, ut etiam aliæ cupiditates eadem lege frenentur mansuetudinis et patientiæ. Pacis et tranquillitatis hoc est tempus, in quo exclusa omni contaminatione viciorum perpetuitas nobis est obtinenda virtutum. Nunc piarum mentium fortitudo est donare culpas, negligere contumelias, et oblivisci assuescant injurias. Nunc fidelis animus per arma justitiæ a dextris se exerceat et sinistris : ut per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, securam conscientiam nec laudes inflent, nec opprobria defatigent. Non timeatur

* *Leonis* Sermo iv. de Quadragesima. *Opera*, p. 37.

inter opera misericordiæ terrenarum diminutio facultatum. Semper dives est Christiana paupertas, nec pavet in isto mundo indigentia* laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere. Operantibus ergo quæ bona sunt, non est omnino metuendum ne eis facultas desit operandi, cum in duobus minutis evangelicæ illius viduæ sit laudata devotio, et pro calice aquæ frigidæ præmium habeat gratuita largitio. Ex affectibus enim priorum benignitatis mensura taxatur, et nunquam eum miserendi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa non deficit. Experta est hoc vidua illa de Sarepta, quæ beato Helyæ in tempore famis illius diei cibum quem solum habebat apposuit, et prophetæ esuriem necessitati suæ præferens exiguum farinæ ac pusillum olei incunctanter expendit. Sed non ei defuit quod fideliter erogavit, et in vasis pia effusione vacuatis fons novæ ubertatis exortus est : ut sanctis usibus non minueretur ejus substantiæ plenitudo, cujus non fuerat formidata defectio. His autem studiis, dilectissimi, ad quæ vos voluntarie confidimus præparatos, non ambigetis dyabolum qui omnium virtutum est adversarius invidere, et ad hoc vim malignitatis suæ armare, ut pietati laqueos de ipsa pietate prætendat, et quos non potuerit dejicere per diffidentiam conetur superare per gloriam. Quia difficile est ut laudabiliter viventem laus humana non capiat, nisi ut scriptum est : qui gloriatur, in Domino glorietur.

Lectio iii. Cujus vero ille hostis nequissimus non audeat impugnare propositum, cujus non appetat violare jejunium, quando versutias suas (sicut evangelica lectione patefactum est) nec ab ipso mundi Salvatore continuit? Expavescens enim in eo quadraginta dierum noctiumque jejunium, explorare callide voluit utrum hanc continentiam donatam haberet an propriam, ut non metueret deceptionum suarum opera resolvenda, si Christus ejus esset conditionis cujus et corporis. Primo itaque dolo scrutatus est an ipse esset substantiarum Creator, qui rerum corporearum possit in quo vellet mutare naturas. Secundo an sub humanæ carnis specie divinitas obumbrata tegeretur, cui facile esset pervium sibi aera facere, et terrena per vacuum membra librare. Sed cum illi Dominus justitiam maluisset opponere veri hominis quam potentiam manifestare Deitatis, ad hoc convertit tertiæ fraudis ingenium, ut eum in quo divinæ potestatis signa cessaverant dominandi cupiditate temptaret†, et ad venerationem sui regna mundi pollicendo traduceret. Sed prudentiam dyaboli stultam fecit sapientia Dei, ut superbus hostis hominem videns quem aliquando superaverat, non metueret eum persequi, quem pro omnibus oportebat occidi. Hujus igitur adversarii dolos non solum in illecebris gulæ, sed etiam in proposito abstinentiæ caveamus. Qui enim scivit humano generi mortem inferre per cibum, novit et per ipsum nocere jejunium. Et ad contrariæ fraudis effectum, sicut per serpentem intulit interdicta præsumi, ita per famem suasit concessa vitari. Utilis quidem est continentia, quæ parco assueta victui deliciarum cohibet appetitum : sed væ illorum dogmati apud quos etiam jejunando peccatur. Damnant enim creaturarum naturam in Creatoris injuriam, et contaminari edentes asserunt his quorum non Deum sed dyabolum conditorem esse definiunt resultantes, dicente apostolo, Omnia munda mundis, coinquinatis

* 'indulgentia' *Chevallon.*

† 'temperaret' *Chevallon.*

autem et infidelibus nichil mundum, sed inquinata sunt eorum mens et conscientia. Vos autem, dilectissimi, catholicæ matris sancta generatio, quos in schola veritatis Spiritus sanctus erudivit, libertatem vestram congrua ratione moderamini : scientes quia bonum est etiam a licitis abstinere, et cum castigatius vivendum est, ita discernere cibos, ut usus eorum removeatur, non natura damnetur. Et a prædictorum pestifero contagio vos removete : ut cum Christo Domino omnium Creatore regnetis, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Tu autem, Domine.

Ant. Generatio hæc prava et perversa signum quærit : et signum non dabitur ei nisi signum Jonæ prophetæ.

Ps. Benedictus.

Oratio. Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi : et contra cuncta nobis adversantia dexteram tuæ majestatis extende. Per.

Ad Vesperas.

Ant. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus : ita erit Filius hominis in corde terræ.

Ps. Magnificat.

Oratio. Mentes nostras, quæsumus, Domine, lumine tuæ claritatis illustra : ut videre possimus quæ agenda sunt, et quæ recta sunt agere valeamus. Per.

Feria v.

Lectiones de sermone beati Leonis papæ.

(*De sermone B. Leonis papæ* 5. *de* 40. *Augustinus sermone* 63. *de tempore**.)

Apostolica, dilectissimi, doctrina nos admonet ut deponentes veterem hominem cum actibus suis, de die in diem sancta conversatione renovemur. Si enim templum Dei sumus, et mentium nostrarum Spiritus sanctus habitator est, dicente apostolo : Vos enim estis templum Dei vivi : multa nobis vigilantia laborandum est, ut cordis nostri receptaculum tanto hospite non sit indignum. Et sicut in domibus manufactis laudabili diligentia providendum est ut si quid aut infusione imbrium, aut turbine procellarum, vel ipsa fuerit antiquitate corruptum, cita in integrum cura restituat : ita jugi oportet sollicitudine præcaveri ne quid in nostris animis incompositum, ne quid inveniatur immundum. Quamvis enim ædificium nostrum sine opere sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis nisi ei protectio profuerit conditoris : tamen quia rationabiles lapides sumus et viva materies, sic nos auctoris nostri extruit manus, ut cum opifice suo etiam is qui reparatur operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono sine quo non potest bona esse deficiat. Ac si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad adjuvantem recurrat. Qui ideo dat præceptum, ut excitet desiderium et præstet auxilium, dicente propheta, Jacta in Dominum cogitationem tuam, et ipse te enutriet. An forte quisquam tam insolenter† superbit, et ita se illæsum ita immaculatum esse præsumit, ut nullius jam renovationis indigeat? Fallitur prorsus ista persuasio, et nimia vanitate veterascit, qui inter tentationes istius vitæ ab omni se credit vulnere immunem. Plena omnia periculis, plena sunt laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur ille-

* *Leonis* Serm. v. de Quadragesima. *Opera*, p. 39, Inter *Augustini Opera*, tom. v. 2732. In Appendice Serm. 148.

† 'insolerter,' *Chevallon* 1531.

cebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent. Amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Inde sævit odium, hinc decipit mendax officium : ut facilius sit vitare discordem, quam declinare fallacem.

Lectio ii. Ipsis autem virtutibus obtinendis tam dubius modus et tam incerta discretio est, ut si quisquam inter bonorum malorumque confinia subtilissimi discriminis potuerit servare mensuras, difficile sit ut bene sibi consciam probitatem obtrectantium lingua non mordeat, et iniquorum evadat opprobria cui sit amica justitia. Jam cum ad ipsas rerum temporalium varietates cogitatio humana convertitur, quantæ se opponunt caligines, quanti pravarum opinionum obruuntur errores, ut de objectu contrariorum sumatur materia querelarum. Nam licet omnium fidelium corda non dubitent nullis mundi hujus partibus nullisque temporibus providentiam abesse divinam, nec de stellarum potestate, quæ nulla est, secularium negociorum pendere proventus, sed æquissimo et clementissimo summi Regis arbitrio cuncta disponi ; quoniam sicut scriptum est, Universæ viæ Domini misericordia et veritas : tamen cum quædam non secundum desideria nostra procedunt, et sub humani errore judicii superior est plerumque iniqui causa quam justi : vicinum nimis atque contiguum est ut etiam magnos ista concutiant, et in aliquod illicitæ causationis murmur impellant. Siquidem cum istis varietatibus etiam excellentissimus propheta David usque ad periculum se turbatum profiteatur, et dicat, Mei autem pæne moti sunt pedes, pæne effusi sunt gressus mei : quia zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns. Unde quia paucorum est tam solida fortitudo, ut nulla inæqualitatum perturbatione quatiantur, et multos fidelium non adversa tantum sed etiam secunda corrumpant : sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligens est adhibenda curatio. Ideo enim de periculis, quibus hic mundus plenus est, quædam breviter percurri, ut, dicente Scriptura, Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato : omnes sibi intelligant delictorum indulgentiam et reparationis necessariam esse medicinam. Quando autem, dilectissimi, ad remedia divina decurrimus, cumque ipsa nobis sacramenta redemptionis nostræ temporum lege referuntur, quæ ut dignius celebremus, saluberrime nos quadraginta dierum jejunio præparamus. Non enim hi tantum, qui per mortis Christi resurrectionisque mysterium in novam vitam baptismo sunt generante venturi, sed etiam omnes populi renatorum et utiliter et necessarie præsidium sibi hujus sanctificationis assumunt, illi, ut quæ nondum habent accipiant : isti, ut accepta custodiant : dicente apostolo, Qui stat, videat ne cadat. Nemo est tanta firmitate suffultus, ut de stabilitate sua debeat esse securus.

Lectio iii. Utamur igitur, dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis : et solertiore cura cordis nostri specula tergamus. Quantumlibet enim caste et sobrie mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis aspergitur. Et nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita fumo totius vanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fuscari, et non semper indigeat expoliri. Quod si etiam cautissimis animis necessarium est, quanto illis amplius est expetendum, qui tota forte anni spacia aut securius aut negligentius transierunt? Quos charitate debita commonemus ut non ideo sibimet blandiantur, quia nobis conscientiæ sin-

gulorum parere* non possunt : cum oculos Dei simul universa cernentis non abdita locorum, non parietum septa secludant, nec solum ei acta et cogitata, verum et agenda et cogitanda sunt cognita. Ista ergo scientia summi judicis, iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum, et apertum omne secretum. Cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur. Nemo patientiam bonitatis Dei de peccatorum suorum impunitate contemnat : nec ideo illum æstimet non offensum, quia necdum est expertus iratum. Non sunt longæ vitæ mortalis induciæ, nec diuturna est licentia insipientium voluptatum, in æternarum dolore transitura pœnarum, si dum justicia suspenditur, pœnitentiæ medicina non quæritur. Confugiamus ergo ad præsentem ubique misericordiam Dei : et ut sanctum Pascha Domini digna observantia celebretur, cunctorum se fidelium corda sanctificent. Mitescat sævicia : mansuescat iracundia. Remittant sibi omnes culpas invicem suas : nec exactor sit vindictæ, qui petitor est veniæ. Dicentes, Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris : durissimis nos vinculis illigamus, nisi quod profitemur impleamus. Unde si orationis hujus sacratissimum pactum non tota sui conditione servatum est, nunc saltem conscientiam suam unusquisque cognoscat : et alienis ignoscendo delictis ablutionem suorum obtineat peccatorum : dicente Domino, Si dimiseritis hominibus peccata eorum : dimittet vobis et Pater vester qui in cælis est delicta vestra. Non longe est ab uno quoque quod poscit, cum ex benignitate supplicis sententia pendeat judicantis. Qui humanarum precum misericors et justus auditor æquitati suæ de nostra levitate præscribit, ut non haberet in eos jus severitatis, quos non invenisset cupidos ultionis. Clementes autem et mites animos etiam largitas decet. Nichil est enim dignius quam ut homo sui sit auctoris imitator, et secundum modum propriæ facultatis divini sit operis executor. Nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, foventur infirmi : nonne auxilium Domini manus explet ministri, et benignitas servi munus est Domini ? Qui cum ad effectus misericordiæ suæ adjutore non egeat, ita suam omnipotentiam temperavit, ut laboribus hominum per homines subveniret. Et merito Deo gratiæ referentur de pietatis officiis, cujus opera viderentur in famulis. Propter quod ipse Dominus discipulis suis ait, Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videntes opera vestra bona magnificent Patrem vestrum qui est in cælis : per Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Tu autem, Domine, miserere nostri.

Ant. Si vos manseritis in sermone meo vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.

Ps. Benedictus (p. 35).

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus : qui in observatione jejunii et elemosinarum largitione nostrorum posuisti remedia peccatorum : concede nos mente et corpore semper tibi esse devotos. Per Dominum.

Ad Vesperas.

Ant. Ego enim ex Deo processi et veni : neque enim a meipso veni. sed Pater meus ille me misit.

Ps. Magnificat.

Oratio. Da, quæsumus, Domine, populis christianis et quæ profiten-

* 'patere,' *Leonis Opera* in loco citato.

tur agnoscere, et cæleste munus diligere quod frequentant. Per Dominum nostrum.

Feria vi.

Lectiones de sermone beati Maximi episcopi.*

Lectio i. Audistis, charissimi, sicut evangelica tuba cecinit, Dominum ac Redemptorem nostrum adversus tentamenta dyaboli reluctantem quidem verbis, sed Spiritu dimicantem. Sermone enim certamen agit, sed peragit majestate victoriam. Nec sine ingenti mysterio hujusmodi putemus esse conflictum, in quo aut accensus diabolus in verba prorumpit, aut rerum Dominus tentatori suo verbis nichilominus respondere dignatur. In his autem omnibus, nostræ salutis est ratio. Nobis Salvator esurit : pro nobis loquitur. Nos in illo vincimus, quia nos ei sumus causa pugnandi. Nam quis ambigat Unigenitum Patris, cui nulla obviare poterat creatura, pro illis iniisse certamen quorum se carne vestivit? Humani igitur corporis forma hostem callidissimum prodire suasit ad prælium, quem verus Dei Filius veri hominis responsione confudit. Propter quod errabundus et anceps tentator mollia suspensaque tentamenta rimatur : quia licet carnalis viri speciem contemplaretur in Christo, præsentia tamen divinitatis concitatus suspicabatur eum plus esse quam hominem. Animabat itaque illum præsumere congressum partus femineus, sed terrebat virginitas parientis. Quamvis enim Christum Maria Evæ utique filia peperisset, non tamen eum conceperat de Adam. Cum ergo videret inimicus Dei Filium tanta per miracula procreatum, volvebat secum (ut arbitror) atque admirans dicebat, Quis est iste qui nesciente me hunc ingressus est mundum? Novi quidem quia de femina natus est : sed nescio unde conceptus. Astat ecce mater : sed patrem investigare non possum. Partum video : sed non agnosco nascentem. Et quod stupori meo accrescit, inconsueta lege pariendi etiam edito filio mater exultat ut virgo. En jacet in cunabulis ut parvulus, suffundit lachrymis vultum, similemque se esse mortalium vagitibus prodit. Et cum nichil ei de infantia desit, nulla tamen illi est velut in infante corruptio. Pannis obsitus sordet, sed cælum illi radio stellæ lætioris arridet, atque in honorem ipsius ministrantes ei angeli inter sydera terrasque concurrunt, et exultantes annunciant, quam non intelligo novitatem. Quid hoc miraculi est? Video quod advertere nequeo, audio quod sustinere non possum : ut homo natus honoratur ut Deus. Tu.

Lectio ii. A seculis nunquam michi contigit ut quisquam nasceretur homo, et humani vicii nichil haberet. Quæ hæc tam nova potensque generatio est? Inter peccatores et impios natus, mortali etiam de matre progressus, purgatior cunctis nascentibus, et ipso michi cælo purior apparet. Avariciæ in eo radix nulla consurgit : nulla ejus cor pulsat invidia. Nescit ejus lingua mendacium : oculi ejus concupiscentiam non admittunt. Nulla aurium voluptate mollitur. Luxuries certe, per quam michi humanum genus subjeci, pectus ejus non potest penetrare. Nulla illi jactantia inest, nulla malicies. Et quid plura? Nichil in eo reperio quod me delectet : omnes meos conatus evacuat. Quid agam? Quo me convertam? Fortiorem me sentio. Puto illum in regno meo velle reg-

* *B. Maximi* Homiliæ Hiemales. Homilia prima de Jejunio Quadragesimæ. *Opera*, p. 205.

nare. Ne forte Deus sit iste, quem nullum potest maculare delictum. Sed si Deus esset, quomodo indignitates partus feminei sustineret? Quomodo esset cunis pannisque contentus? Quis credere possit infantiæ vagitus in Deo? Cui non ridiculum est Deum femineo lacte nutriri? Post omnia ecce esurit : cum utique esurire Deum ratio nulla persuadeat. Ignorabat nimirum diabolus quia quod Christus nutrimenta perferebat infantiæ, quodque esuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeæ, sed cælestis gratiæ sacramentum. Dei enim Filius, cui cum sempiterno Patre intemporalis constat æternitas, qui cum suo Genitore naturaliter impassibilis incorrupto regnat imperio, egit in carne nostra salutare mysterium. Et ob hoc communionem mortalium subiit passionum, ut inimicum generis humani hominis certamine triumpharet. Unde et præsumptor ille furore suo cæcatus ait ad Dominum, Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Stultissima hæc ejus inanisque surreptio. Per panem enim vult eum tentare qui panis est, æstimans escæ illum penuria laborare, qui voluntarium perferebat esuriem. Cui respondit Dominus, Scriptum est, non in solo pane vivit homo tantum, sed in omni verbo Dei. Hoc est dicere, Frustra, diabole, iterum per escam supplantare conaris. Sufficiat tibi suadendo cibos illicitos in paradiso Adam per te fuisse deceptum. Nec esuries me vincit : nec tuis suasionibus cedo. Voluntas enim Dei cibus est meus. Verbum Dei michi est perfecta refectio. Qua sententia repercussus, iterum, ut æstimo, dixit diabolus, Quid hoc rei est? Video illum esurire : et necessitatem in eo non invenio manducandi. Omnia ut homo patitur : et omnia vincit ut Deus. Adam ille Dei certe manibus factus meis quondam cessit insidiis : hic natus e femina neque suis necessitatibus flectitur, neque meis consiliis acquiescit. Illum serpentis ore superavi, hic etiam meipsum loquentem contemnit.

Lectio iii. Iterum stanti Domino supra pinnam templi, ait, Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Mitte te deorsum, inquit. Quam turbatus hoc loquitur? Qui putat ei se posse præcipitium persuadere, a quo nichil potuit de panibus impetrare. Cui respondetur a Christo, Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. Id est, hoc quod suades, diabole, tentationis præsumptio est, non consilium sanitatis : jactantiæ vanitas, non virtutis exemplum. Inane est omne miraculum, quod utilitatem saluti humanæ non operatur. Et hac Domini responsione cassatus, ostendit ei omnia regna mundi et honores eorum, dicens, Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. Cui iterum respondetur, Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies : id est, qui te, dæmon, adoraverit, non ei regna sed inferna debentur. Adorare namque Deum verum, eique servire, prærogativa regnandi est. Tu autem qui honores mundi expetita prævaricatione promittis, nec regnum dare posse te noveris. Ecce tentator trina jam interrogatione nichil profecit. Incertus venit : rediit incertior. Aggressus est ut probaret : reprobatus abcessit. Ergo nunc, fratres charissimi, quia jejunantis Domini victoriam recensentes, triumphum nostræ salutis agnovimus, jejunia nostra religiosis sanctificemur obsequiis. Quid autem est aliud sanctificare jejunium, nisi jejunii causa sancta velle justificare, iniqua vitare? Sanctificat ille jejunium, cujus cor adulatio potentum amicorum, parentumque gratia, clientum etiam parva magnave munuscula a recto tramite non avertunt.

Sanctificat jejunium suum, cujus justicia precio non vilescit. Sanctificat ille jejunium, qui flammas sævientis iracundiæ, mansuetæ mentis placabilitate restinguit*. Sanctificat jejunium, qui lascivientes oculos a turpi aspectu habenis castitatis avertit. Sanctificat jejunium, qui conviciorum jacula cum scuto patientiæ repercussa dispergit. Sanctificat jejunium, qui litigantium tumultus pacifici sanitate sermonis et linguæ prudentioris arte compescit. Sanctificat jejunium, qui consurgentes in semetipso vanarum cogitationum spinas evangelico sulcante vomere velut quidam pectoris sui arator excidit. Sanctificat jejunium, qui inopias egenorum pro quantitate substantiæ suæ miserantis manus humanitate solatur. Sanctificat ille jejunium, qui per omnia præceptis divinæ legis intentus diabolica a corde suo respuit tentamenta. Et ideo, fratres charissimi, si volumus Deo placita exhibere jejunia : simus in fide fortes, in judiciis justi, in conviviis sobrii, in voluptatibus continentes, in amicitia fideles, in injuriis patientes, in contentionibus moderati. Refugientes turpiloquia, adversus iniqua constantes, in charitate simplices, inter subdolos cauti, condolentes tristibus, contumacibus resistentes. In suspicionibus parci, inter maliloquos taciti, inter humiles coæquales. Si hujusmodi virtutibus nostra voluerimus sanctificare jejunia, tribuente Domino, ad festivitatem Paschalis gratiæ, et ad gaudia cælestium promissionum, indubitata fiducia et conscientia lætiore veniemus.

Ant. Angelus Domini descendebat de cælo : movebatur aqua, et sanabatur unus.

Ps. Benedictus.

Oratio. Esto, Domine, propicius plebi tuæ : et quam tibi facis esse devotam, benigno refove miseratus auxilio. Per.

Ad Vesperas.

Ant. Qui me sanum fecit : ille michi præcepit : tolle grabatum tuum et ambula in pace.

Ps. Magnificat.

Oratio. Exaudi nos, misericors Deus : et mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostende. Per.

Sabbato.

Lectiones de sermone beati Maximi episcopi †.

Lectio i. Conflictus iste mirabilis, quem inter cæli Regem et Regis cælestis tyrannum fuisse, charitatis vestræ auribus sancti Evangelii lectio nunc decursa testata est, Dominicæ nobis incarnationis triumphale mysterium sonat. Omnipotens enim Dominus, ineffabilis pietatis affectu, captivitatem miseratus humanam, simulque volens diabolicam potestatem suo jam removere de mundo, misit unigenitum Filium suum, non divinitate degenerem, non virtute dissimilem, non voluntate discordem, qui nostram suscipiens carnem, spreta veteri conditione nascendi, de femina incorrupti corporis nova lege novus filius nasceretur, quatenus diabolus salutarem hunc hominem in consortium Deitatis ascitum, et si tentare præsumeret, superare non posset. Itaque cum videret leo ille feralis Agnum Dei, post longissimum ac continuum quadraginta dierum ac noctium jejunium esurire, et esurientem Deum esse non crederet, arte illum callidissimæ tentationis aggreditur, dicens, Si Filius Dei es : dic ut lapides isti panes fiant. Cogitabat, ut æstimo, apud se tanti

* 'restringit' *Chevallon*, 1531.

† *Maximi* Homiliæ Hiemales. Homilia ii. de Jejunio Quadragesimæ. *Opera*, p. 206.

artifex doli, et dicebat, Si hic ipse est cujus præcepto esurientibus per deserta populis manna fluxit e cælo : si ipse est quem novi ego flumina produxisse de petra : poterit nunc in panem lapides transfigurare. Et si non mea petitione, sua tamen necessitate qui esurit. Quod si fecerit, Deum probabo. Si nequiverit, hominem deprehendam. Expectabat ergo diabolus panem quem non tam sibi acquireret, quam mundo conabatur auferre. Sed rerum Dominus, qui et panem de lapide posset efficere, et exploranti humanæ nollet salutis clarescere sacramentum, sic suum moderatus est sancto in ore responsum, ut nec ipse qui veritas erat mendacium loqueretur, nec ille qui ab initio mendax est, quam non erat crediturus, posset agnoscere veritatem. Ait ergo illi Dominus, Scriptum est : Non in pane tantum vivit homo, sed in omni verbo Dei.

Lectio ii. Accepit tentator a lege responsum, cui contraire non possit. Non accepit panem quem non manducandi consuetudine, sed decipiendi fraude poscebat. In quo enim Dei Filius panem necessarium haberet humanum, cui omnis erat propria in divinitate substantia, vel qua ratione qualicunque de lapide Christus terrenum faceret panem, cum ipse (sicut legitur) spiritualis et panis esset et lapis? Illusus itaque irrisusque tentator, aliam machinam tentationis aggreditur. Nam cum secreto suo archanoque consilio staret Dominus supra pinnam templi, ait illi diabolus, Si Filius Dei es, mitte te deorsum. O quam stulta hæc suasio nimiumque perversa, ut Filio Dei diceret, Mitte te deorsum. Nunquid non rectius dixisset, Si Filius Dei es, ascende in cælum : Quod utique si faceret Dominus, vere illum Dei esse Filium comprobaret. Sed inimicus cæli non tentando quidem ascensum vult suadere cælestem, sed deorsum et ima provocat : quia optat omnes cadere, qui se sentit præ omnibus cecidisse. Nec intelligit cæcus quia illi conatur ruinam suadere, qui non solum cadere non potest, sed ruinas venit emendare lapsorum. Dominus enim (ut lectum est) erigit elisos : Dominus solvit compeditos. Qui ergo venerat non decipi, sed decepta salvare, explorantis artem tanta mensura cautissimæ responsionis evacuat, ut tenebrosus hostis non solum mysterium pro nobis propositum videre non possit, sed magis magisque responsis Dominicis circumactus obscuriore confunderetur incerto. Ait enim illi spiritalis bellator prælii invictus, Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. Quam simplex in hac responsione prudentia, et quam circumspecta simplicitas : per quam nec veritas reticetur, nec reprobus potest probare quæ vera sunt. Vere ut scriptum est, Lux in tenebris lucet : et tenebræ eam non comprehenderunt. Audit dyabolus Deum non esse tentandum, non tamen agnoscit Deum hominemque esse quem tentat. Videt* enim pariter Christum et respondere quæ hominis sunt, et posse quæ Dei sunt. Sed nequitiæ ejus nec ista sufficiunt : tertiæ adhuc tentationis laqueos nectit. Duxit (inquit) illum in montem excelsum valde : et ostendit ei omnia regna mundi et honores eorum, dicens : Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.

Lectio iii. Sollicite, fratres, advertite : quia cadere est omne quod suadet inimicus. Vere etenim procidit omnis qui adorat diabolum : et vere cadit qui potestates honoresque mundi per artes sacrilegas inimico promittente sectatur. Sed Dominus ac Salvator noster solita eum re-

* 'Videtque enim' *Chevallon*, 1531.

sponsione confudit, dicens: Vade retro Sathana, scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis : et illi soli servies. Sanctarum illi Scripturarum testimonia ingeruntur, non ut inconvertibilis doceatur, sed ut impudens confutetur. Retro illi abire præcepit Christus : ut hostis durissimus adepta sibi jam loquendi licentia, cujus voluntatem agnoscere non potest, sentiat potestatem. Retro ei abire præcipitur, qui mundi dabat regna, ut imperio Filii Dei, cui voluntarius non cedebat, subjaceret invitus, atque illum a quo se adorari improbe poscebat probaret merito ab omnibus adorandum. Et quid plura, charissimi, dum nefanda loquitur tentator, dumque inconcessa præsumit, quasi ab homine victus obmutuit, et quasi a Deo jussus abcessit. Et necesse erat ut ab illius jam tentatione discederet, in quo tota se mole movens totisque nisus viribus ne vestigium quidem suæ reperire potuit voluntatis ; stupens atque demirans post tot secula invenisse hominem humanas concupiscentias non habentem, natumque in carne nichil penitus corruptionis habere carnalis. Discedente itaque retrorsum diabolo : accedentes (ut lectum est) angeli ministrabant ei. Triumphus iste quantæ sit gloriæ, obsequia nos edocent angelorum. Nec mirum sane, si ejus angeli ministeriis occurrerunt, cujus victoriam mirabantur. Et ideo, fratres, si nolumus a dyabolo superari, inhæreamus ei qui dyabolum triumphavit. Adhærere autem est Christo credere, et Paternæ illi Deitatis esse naturam, et materni corporis veritatem. Vincere autem dyabolum ipso suffragante Domino poterit quicunque salutaria Dei præcepta suspirans studuerit exosam cunctis tumidæ mentis suæ inclinare superbiam, radicem malorum omnium avariciam cohercere, inimicam bonarum virtutum refrenare luxuriem, hostem sanctæ charitatis invidiam mitigare, inutilia et sæpe periculosa obtrectantium vitare colloquia. Usurarum etiam perniciosa non amare compendia, custodem pacis justiciam muneribus non gravare, noxia factionum horrere commenta, inglorium et nonnunquam cruentum indebiti honoris ambitum declinare, incentiva discordiæ, contumeliosæ linguæ maledicta cohibere mendacia. Nichilominus quæ vitam maculant, animam vulnerant, amicitias dissipant, Christianum a bono opere repellunt, atque ab omnibus superstitionibus dæmonum idolorumque sacrilegiis, per quæ vel maxime benignitas Omnipotentis offenditur, veri Dei amore diffugere. Si ergo ab his atque universis hujusmodi sceleribus viciisque jugiter jejunemus, sanctæ hujus Quadragesimæ rite celebrabimus dies, et omnium solennitatum nostrarum festa exultantes, cum fiducia lætioris conscientiæ, et cum tranquillitate temporum transigemus : per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Tu autem.

Ant. Assumpsit Jesus discipulos suos et ascendit in montem : et transfiguratus est ante eos.

Ps. Benedictus.

Oratio. Populum tuum, quæsumus, Domine, propicius respice : atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte. Per.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

1. A. Dominica Secunda Quadragesimæ tota cantetur hystoria.

Feria v. cantetur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.* Tamen in anno bissextili fiat servitium de Apostolo [Mathia] in Sabbato, et tunc ii. R. feriale in vi. Feria dicitur. Et R. *Pater peccavi* in hoc anno prætermittatur. Et tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 1. *G.* pro littera dominicali et inchoetur ad tertiam dominicam Quadragesimæ.

2. A. Dominica ii. xl. de servitio dominicali.

Feria iv. et v. de Festis ix lectionum [David et Cedda], omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.

Feria vi. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

3. A. Dominica ii. xl. tota cantetur hystoria.

Feria iv. dicitur i. R. feriale et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

4. A. Dominica ii. xl. tota cantetur hystoria, et festum S. Gregorii differatur in crastinum; et ad ii. vesperas, quæ erunt de Festo, fiat solennis memoria de Dominica.

In v. Feria dicitur i. R. feriale, et aliud in vi. Feria. Et R. *Pater peccavi* eo anno prætermittatur.

Sabbato de S. Edwardo, Capitulum *Beatus vir qui in sapientia.*

5. A. Dominica ii. xl. de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de S. Cuthberto et solennis memoria de dominica.

In vi. Feria dicitur vii. R. hystoriæ cum ii. R. feriali; et R. *Pater peccavi* prætermittitur.

Sabbato de Annunciatione: ii. vesperæ erunt de Festo, et solennis memoria de Dominica.

1. B. Dominica Secunda Quadragesimæ de servitio dominicali.

In vi. Feria dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

Feria v. de S. Mathia. In anno bissextili fiat servitium de Apostolo in vi. Feria, et i. R. feriale in v. Feria dicitur. Et tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 1. *A.*, et inchoetur ad iii. dominicam xl.

2. B. Dominica ii. xl. tota dicitur hystoria.

Feria iii. et iv. de Festis ix lectionum [David et Cedda], omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.

Primum R. feriale in vi. Feria cantetur, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

3. B. Dominica ii. xl. de servitio dominicali.

Feria iv. dicitur i. R. feriale, et aliud in vi. Feria, et R. *Pater peccavi* prætermittitur.

Sabbato de S. Gregorio, Capitulum *Ecce sacerdos:* secundæ vesperæ erunt de Festo et solennis memoria de Dominica.

4. B. Dominica ii. xl. de servitio dominicali.

In iv. Feria dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

Feria vi. de S. Edwardo, Capitulum *Beatus vir qui in sapientia;* R. *Beatus vir qui suffert;* Ant. *Iste sanctus.*

5. B. Dominica ii. XL. de servitio dominicali, et Festum S. Cuthberti differatur usque in iii. Feriam, et in v. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

Feria vi. de Annunciatione; solennis memoria de Jejunio ad utrasque vesperas, sed non ad missam.

1. C. Dominica Secunda Quadragesimæ de servitio dominicali Secundæ vesperæ erunt de S. Petro et solennis memoria de Dominica.

In vi. Feria dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

Feria iv. de Apostolo [Mathia]. Tamen in anno bissextili fiat servitium de Apostolo in v. Feria. Et ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio,* accipietur 1. *B.* pro littera dominicali, et inchoetur ad tertiam dominicam Quadragesimæ.

2. C. Dominica ii. XL. de servitio dominicali.

Feria ii. et iii. de Sanctis ix lectionum [David et Cedda], omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.

Feria vi. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

3. C. Dominica ii. XL. de servitio dominicali et nichil de Virgine [Perpetua] nisi memoria ad matutinas et ad vesperas de S. Maria.

Feria iv. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

Feria vi. de S. Gregorio. Capitulum *Ecce sacerdos.*

4. C. Dominica ii. XL. de servitio dominicali.

In iv. Feria dicitur i. R. feriale et aliud in vi. Feria, et R. *Pater peccavi* prætermittitur.

5. C. Dominica ii. XL. tota dicitur hystoria et Festum S. Benedicti differatur in crastinum.

In vi. Feria dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

Feria v. de Annunciatione et memoria de Jejunio ad utrasque vesperas et ad matutinas, sed non ad missam.

1. D. Dominica Secunda Quadragesimæ de servitio dominicali.

Feria iv. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

2. D. Dominica ii. XL. de servitio dominicali et Festum S. Petri differatur in crastinum.

Feria vi. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

In anno bissextili fiat servitium de S. Mathia in iv. Feria; et abhinc usque ad inceptionem hystoriæ *In principio,* accipietur 1. *C.* pro littera dominicali, et inchoetur ad iii. dominicam Quadragesimæ.

3. D. Dominica ii. XL. de servitio dominicali, et Festum S. David differatur usque ad iii. Feriam.

Feria ii. et iii. de Festis ix lectionum; oratio &c. de communi unius Confessoris et Pontificis.

In vi. Feria dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum Responsorio *Pater peccavi.*

4. D. Dominica ii. xl. de servitio dominicali.
In iv. Feria dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

5. D. Dominica ii. xl. de servitio dominicali.
In v. Feria dicuntur R. ferialia, et R. *Pater peccavi* in hoc anno prætermittitur.

1. E. Dominica Secunda Quadragesimæ de servitio dominicali.
In iv. Feria dicitur i. R. feriale, et aliud in vi. Feria, et R. *Pater peccavi* prætermittitur.

2. E. Dominica ii. xl. de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de Apostolo [Mathia] et solennis memoria de Dominica.
Feria v. dicitur i: R. feriale, et aliud in vi. Feria, et R. *Pater peccavi* in hoc anno prætermittitur.
Sabbato de S. David, ix lectionum, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.
In anno bissextili fiat servitium de Apostolo in iii. Feria*. Et abhinc usque ad inceptionem hystoriæ *In principio*, accipietur 2. *D.* pro littera dominicali, et inchoetur ad iii. dominicam Quadragesimæ.

3. E. Dominica ii. xl. de servitio dominicali, et Festum S. Ceddæ differatur in crastinum.
Feria ii. de S. Cedda ix lectionum, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.
Feria v. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

4. E. Dominica ii. xl. de servitio dominicali.
In v. Feria dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

5. E. Dominica ii. xl. de servitio dominicali.
In iv. Feria dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

1. F. Dominica Secunda Quadragesimæ de servitio dominicali.
In iv. Feria dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

2. F. Dominica ii. xl. de servitio dominicali, et Festum Apostoli [Mathia] differatur in crastinum, Secundæ vesperæ erunt de Apostolo, et solennis memoria de Dominica.
Feria v. responsoria ferialia cantentur, et R. *Pater peccavi* prætermittetur.
Feria vi. et Sabbato de Festis ix lectionum [David et Cedda], omnia de communi unius Confessoris et Pontificis. Si fuerit annus bissextilis, [festum S. David erit in Sabbato, et] tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio*, accipietur 2. *E.* pro littera dominicali, et inchoetur ad iii. dominicam Quadragesimæ.

3. F. Dominica ii. xl. de servitio dominicali. Ad primas vesperas fiat memoria de S. Cedda.
Feria iv. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*
Feria vi. memoria de Virginibus [Perpetua et Felicitate] ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

* Et festum S. David in anno bissextili differatur in iii. Feriam sequentis hebdomadæ, quod ibi patet sub 2. D.

4. F. Dominica ii. XL. de servitio dominicali.
Feria v. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

5. F. Dominica ii. XL. de servitio dominicali.
Feria vi. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

1. G. Dominica Secunda Quadragesimæ de servitio dominicali.
Feria iv. dicitur i. R. feriale, et aliud in vi. Feria. Et R. *Pater peccavi* prætermittitur.
In anno bissextili fiat servitium de Apostolo [Mathia] in ii. Feria proxime sequenti: et in Sabbato cantetur R. feriale cum R. *Pater peccavi.* Et tunc ab hoc Sabbato usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 1. *F.* pro littera dominicali, et inchoetur ad tertiam dominicam XL.

2. G. Dominica ii. XL. de servitio dominicali.
Feria iv. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*
Feria v. et vi. de Sanctis ix lectionum [David et Cedda], omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.

3. G. Dominica ii. XL. de servitio dominicali.
Feria iv. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

4. G. Dominica secunda Quadragesimæ, de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de S. Gregorio. Capitulum *Ecce sacerdos.*
Feria v. dicitur i. R. feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

5. G. Dominica ii. XL. de servitio dominicali, et Festum S. Edwardi differatur in crastinum.
Et in vi. Feria dicitur primum Responsorium feriale, et aliud in Sabbato cum R. *Pater peccavi.*

DOMINICA II. [QUADRAGESIMÆ.]

AD VESPERAS.

Antiphona. Benedictus.
Ps. Ipsum (*cxliii.* p. 215).
Capitulum. (1 *Thessa. iv.* 1.)
Rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu: ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo, sic et ambuletis ut abundetis magis.
R. Det tibi Deus. *iii.*
Hymnus. Ex more docti (p. dlxxi.).
V. Angelis suis.
Ant. Domine, bonum est nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Helyæ unum.
Ps. Magnificat.
Oratio. Deus, qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi: ut ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Deus magnus Dominus Et rex magnus super omnes Deos.
Ps. Venite.
Hymnus. Summi largitor præmii (p. dlxxiv.).

In primo Nocturno.

Ant. Servite.
Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).
V. Dicet Domino.
Hac die Dominica in primo Nocturno et per ebdomadam legantur Lectiones de Isaac, quando de temporali agitur, usque ad Joseph.

Lectio i. (*Gen. xxvii.* 1.)

Senuit Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat. Vocavitque Esau filium suum majorem, et dixit ei, Fili mi? Qui respondit. Assum. Cui pater, Vides, inquit, quod senuerim, et ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram et arcum : et egredere foras. Cumque venatu aliquid apprehenderis : fac michi inde pulmentum sicut velle me nosti, et affer ut comedam, et benedicat tibi anima mea antequam moriar. Quod cum audisset Rebecca, et ille abisset in agrum ut jussionem patris expleret : dixit filio suo Jacob, Audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, et dicentem ei, Affer michi de venatione tua : et fac cibos ut comedam : et benedicam tibi coram Domino antequam moriar. Tu autem.

R. 1. Tolle arma tua pharetram et arcum : et affer de venatione tua ut comedam. Et benedicat tibi anima mea.

V. Cunque venatu aliquid attuleris : fac michi inde pulmentum ut comedam.

Et benedicat.

Lectio ii. [*Gen. xxvii.* 8.]

Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis : et pergens ad gregem affer michi duos hædos optimos ut faciam ex eis escas patri tuo quibus libenter vescitur. Quas cum intuleris et comederit : benedicat tibi priusquam moriatur. Cui ille respondit, Nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit, et ego levis*. Si attrectaverit me pater meus et senserit : timeo ne putet me sibi voluisse illudere, et inducat super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater, In me sit, ait, ista maledictio, fili mi. Tantum audi vocem meam : et pergens affer quæ dixi. Abiit, et attulit, deditque matri. Tu autem.

R. 2. Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni : quem benedixit Dominus. Crescere te faciat Deus meus sicut arenam maris, et donet tibi de rore cæli benedictionem.

V. Qui maledixerit tibi sit ille maledictus : et qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.

Crescere.

Lectio iii. [*Gen. xxvii.* 14.]

Paravit illa cibos sicut noverat velle patrem illius : et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum. Pelliculasque hædorum circundedit manibus, et colli nuda protexit. Deditque pulmentum : et panes quos coxerat tradidit. Quibus illatis : dixit, Pater mi. At ille respondit, Audio. Quis es tu, fili mi? Dixitque Jacob : Ego sum Esau primogenitus tuus : feci sicut præcepisti michi. Surge, sede, et comede de venatione mea : ut benedicat michi anima tua.

R. 3. Det tibi Deus de rore cæli et de pinguedine terræ abundantiam, serviant tibi tribus populi. Esto dominus fratrum tuorum.

V. Et incurventur ante te filii matris tuæ.

Esto dominus. Gloria.

Esto.

* *Nescio an sit legendum* 'lenis' *cum ed. Vulgata et cum duobus quæ inspeximus Portiforiis.*

In secundo Nocturno.

Ant. Bonorum.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

Versus. Ipse liberavit me.

Mediæ Lectiones de sermone beati Johannis episcopi.

Lectio iiii. Portabat Rebecca geminos in utero fratres, ante ortus principia bellatores. Certantes filios mater ante sentit quam novit, ante patitur quam videt, ante sustinet quam agnoscit. Licuit filiorum bella sentire, quos nondum licuit generare. Certamen inter fratres in utero geritur, bellum inter innatos committitur : materna viscera quatiuntur : nec ad ortus principia properatur, sed ante principia nova certamina celebrantur. Vellem causas tanti certaminis noscere : vellem istius pugnæ negocia tractare. Quid intercesserat, quid factum fuerat, quæ pugnandi ratio, quæ causa vincendi, quo spectatore id geritur, quo judice celebratur? Quid victori promittitur, quid victo econtrario denegatur? Quis certare docuerat, quis pugnare monstrarat? Sed notum est cunctis istorum certamine fratrum causas duorum exprimi populorum. Vult enim Deus ostendere futura antequam veniant : ante ventura monstrare quam fiant. Ceterum præjudicare non potest pugna, si pugnæ non consentiant merita. Sed futurorum præscius Deus monstruosum certamen voluit exerceri. Dat certandi affectus : vincendi vota ostendit. Se spectatorem constituit, se judicem demonstravit. A Deo geritur certamen præsente Deo qui genuit, et matre teste quæ sensit. Sed mater certamen sentire potuit, videre non potuit. Denique interrogat Dominum. Quid est (inquit) Domine, istud quod geritur? Quid est quod in utero meo te teste tractatur? Quid facturi sunt nati, qui sic luctantur innati? Aut quæ natorum vota suscipiam, cum sic luctamine innatorum concutiar? Duo sunt (inquit Dominus) populi in utero tuo : et duæ gentes de ventre tuo dividentur : et populus populum superabit, et major serviet minori. O veneranda præscientia Dei. Designantur in utrisque fratribus gentes, in singulis populi declarantur : immo ipsi gentes et populi nuncupantur.

R. 4. Dum iret Jacob de Bersabee et pergeret Aran locutus est ei Deus dicens, Terram in qua dormis tibi dabo, et semini tuo.

V. Ædificavit Jacob ex lapidibus altare in honore Domini fundens oleum desuper : et benedixit ei Deus dicens.

Terram.

Lectio v. Futurarum sobolum nomina in natos conferuntur : et adhuc innatorum nomina ignorantur. Dicuntur enim parentes, qui necdum filii nomen acceperant. Appellantur patres, qui nati non fuerant, ut fierent genitores ante quam filii, fierent patres antequam nati. Ostenduntur amborum merita, et operationis nondum est causa. Quid quisque mereatur edicitur : et meriti causæ silentur. Sententia a Deo profertur : et adhuc qui meretur non nascitur. Judicium divinitus celebratur : et adhuc in utero qui judicatus est detinetur. Præcedit mores judicium : sententia actibus prior est. Nec expectatur tempus, ut merita dispungantur. Dispunctionis potentia ante novit omnia quam nascantur. Interea certamen nec nascentibus defuit : dum minor majoris plantæ innexus, aut prior nasci desiderat, aut se victorem tali gestu demonstrat. Major tamen properat in lucem, et adhuc tenetur in ventre. Quærit prior nasci, ne et in hoc posset a fratre devinci. Cupit pudorem properantia tegere : desiderat ignominiam festinatione mutare. Timet

videri victus, antequam natus. Sed jam matri proventus certaminis indicaverat Deus : indicat et nascentium ortus. Unde digne Jacob supplantator est vocitatus. Sed dividit in amorem uterque parens utrumque nascentem. Sic pater majorem, minorem mater assumit. Pater in utero victum amore solatur : mater vero victorem diligit quem pugnantem non vidit. Optat pater victori victum æquari, si victi mores possent a malicia immutari. Igitur properant impleri prædicta : festinant geri quæ fuerant divinitus nunciata. Denique coquit Jacob pulmentum constitutus in domo : desiderio rapitur veniens Esau de campo : sed male desideratur quod in damnum salutis assumitur. Quia contrarie esuritur quando salus manducando digeritur, aut in vitæ interitum trucidatur. Molesta enim fames est quæ ad hoc saginatur ut perdat : perniciosa esuries quæ idcirco excluditur, ut pejor in homine nutriatur. Quoniam damnosa mercatio est, si salus pro cibo impenditur, aut magnis vilia comparantur. Adeo Esau primatus desiderio lentis addixit : eosdemque Jacob intemperantia desiderantis accepit : quod* diu Esau possidere non potuit, quod in utero constitutus amisit. Denique reddit Esau aliena : Jacob recipit sua. Fit Jacob benedictione jam primus, qui fuerat natura postremus. Primatus reddidit causa, quos negaverat aliquando natura. Nec diu ejus gratiam indignus potuit usurpare, quam Jacob meruit antequam nasceretur accipere.

R. 5. Dum exiret Jacob de terra sua vidit gloriam Dei et ait, Quam terribilis est locus iste. Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cæli.

V. Vere Dominus est in loco isto et ego nesciebam. Non est.

Lectio vi. Interea hereditaria benedictio a patre in Esau disponitur : et ab eo ciborum delectatio postulatur. Facito (inquit) michi, fili, cibos ut amo : ut manducans benedicam te antequam de ista vita decedam. Sed ignorat Esau illum placiturum in cibo, quia jam placuerat merito. Nescit eum benedictioni aptissimum, cui contradiderat ipse primatum. Denique pergit venatum ut imperata perficeret : remoratur et tardat. Fit difficile quod quæritur : ut in Jacob paterna benedictio compleretur. Quærit Esau invenire quod pater fastidiat : desiderat capere quod genitor jam saginatus exhorreat. Hortatur mater Jacob amantissimum filium : narrat verba patris ad fratrem, refert imperata ciborum. Benedictionis promissæ compotem dicit, si quæ fieri jussa sunt implere festinet. Cogitur Jacob profiteri quod non erat, mentiri quod fuerat. Cogitur, inquam, simulare se fratrem : mentiri majorem. Adeo pergit ad gregem, duos hædos adducit, quorum pellibus brachia nudamque cervicem absconderet, ut hirsutam fratris præsentiam simularet. Itaque parat cibos delectabiles mater : infert filius patri. Pater miratur adventum celerem filii. Quid est hoc, inquit, quod tam cito, fili, venisti? Quod Dominus dedit (ait) attuli tibi. Surge, manduca quod desiderasti, ut benedictionem conferas quam promisisti. Accede ad me, inquit, fili, ut palpem te, et videam si tu es Esau filius meus. Accede, inquit, ad me, ut tactu sentiam quod oculis videre non possum : palpando intelligam quod visu non cerno. Duo sensus, id est, auditus et tactus, in patre sancto contendunt, quisnam eorum quod latebat ostenderet : sed auditus indicat quod tactus ignorat. Fallit enim habitus patrem : sed

* 'quo diu' *Chev.* 1531.

indicat vox veritatem. Refert vox quod habitus fallebat : nudat lingua quod tegmina simulabant. Indumento quidem fratrem mentitur : sed verborum sonitu qui fuerat indicatur. Unde Jacob sanctissimus dividitur apud patrem in duo, dum mentitur habitus alium, sed vox indicat verum. Vestitus majorem simulat, sed sermo minorem non celat. Ita enim alienum est quod simulatur, ut proprium est quod per vocem dinoscitur. Ut benedictione sit dignum quod est proprium, exhereditari meruit quod fuerat alienum.

R. 6. Si Dominus Deus fuerit mecum in via ista qua ego ambulo : et custodierit me et dederit michi panem ad edendum et vestimentum quo operiar et revocaverit me cum salute, Erit michi Dominus in refugium, et lapis iste in signum.

V. Surgens autem mane Jacob tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum : fundensque oleum desuper ait.

Erit michi. Gloria. Erit.

In tertio Nocturno.

Ant. Præceptum.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

V. Scapulis suis.

Secundum Mattheum (*xv.* 21).

In illo tempore : Egressus Jesus secessit in partes Tyri et Sydonis. Et ecce mulier Chananea a finibus illis egressa : clamabat dicens, Miserere mei, Domine, fili David : filia mea male a dæmonio vexatur. Et reliqua.

Omelia beati Hieronymi presbyteri. (*Super Math. xv.* *)

Scribis et Phariseis calumniatoribus derelictis, transgreditur in partes Tyri et Sydonis, ut Tyrios Sydoniosque curaret. Mulier autem Chananea egreditur de finibus propriis : clamans ut filiæ impetraret sanitatem. Observa quod in quintodecimo loco filia Chananeæ sanatur. Miserere mei, fili David : filia mea male a dæmonio vexatur. Inde vero novit vocare filium David : quia egressa jam fuerat de finibus suis, et errorem Tyriorum et Sydoniorum loci ac fidei commutatione dimiserat.

R. 7. Erit michi Dominus in Deum, et lapis iste quem erexi in titulum vocabitur domus Dei; et de universis quæ dederis michi, Decimas et hostias pacificas offeram tibi.

V. Si Dominus Deus fuerit mecum in via ista qua ego ambulo et custodierit me.

Decimas.

Lectio viii. Filia mea male a dæmonio vexatur. Ego filiam ecclesiæ puto animas esse credentium, quæ male a dæmonio vexabantur : ignorantes Creatorem, et adorantes lapidem. Qui non respondit ei verbum. Non de superbia pharisaica, nec de scribarum supercilio : sed ne ipse videretur contrarius esse sententiæ per quam jusserat, In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis. Nolebat enim occasionem calumniatoribus dare : perfectamque salutem gentium passionis et resurrectionis tempori reservabat.

R. 8. Dixit angelus ad Jacob : Dimitte me, aurora est. Respondit ei : Non dimittam te, nisi benedixeris michi. Et benedixit eum in eodem loco.

V. Benedicens benedicam tibi : et multiplicabo te.

Et benedixit.

Lectio ix. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum dicentes, Dimitte eam : quia clamat post nos. Discipuli adhuc illo tempore mysteria Domini nescientes, vel miseri-

* *Hieronymi Opera*, vi. 31.

cordia commoti, rogabant pro Chananea muliere (quam alter evangelista Syrofenissam appellat) vel importunitate ejus carere cupientes : quia non ut clementem sed ut durum medicum crebrius inclamaret. Ipse autem respondens ait : Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Non quod et ad gentes non missus sit : sed primum ad Israel missus, ut illis non recipientibus evangelium justa fieret ad gentes transmigratio. Tu autem Domine.

R. 9. Minor sum cunctis miserationibus tuis, Domine Abraham. In baculo meo transivi Jordanem istum ; et nunc cum duabus turmis regredior. Libera me, Domine, de manibus Esau. Quia valde contremit cor meum illum timens.

Versus. Tu locutus es quod michi benefaceres, et dilatares semen meum sicut arenam maris.

Libera me. Gloria Patri.

Quia valde.

Ferialia Responsoria.

R. Oravit Jacob et dixit : Domine, qui dixisti michi, Revertere in terram nativitatis tuæ. Erue me de manu fratris mei. Quia valde eum timeo.

V. Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei : Domine, qui pascis me a juventute mea.

Erue me. Gloria.

Quia valde.

R. Vidi Dominum facie ad faciem. Et salva facta est anima mea.

V. Et dixit : Nequaquam vocaberis Jacob : sed Israel erit nomen tuum.

Et salva. Gloria.

Et salva.

Hoc prædictum Responsorium Oravit Jacob *erit tertium Responsorium, quando primo dicitur, de tertio Nocturno per ebdomadam : et Responsorium* Vidi Dominum *dicatur in Sabbato, ante Responsorium* Pater peccavi. *Et si aliquod Festum ix Lectionum in Sabbato contigerit : tunc prædictum Responsorium, scilicet* Vidi Dominum, *erit tertium Responsorium, quando ultimo per ebdomadam dicetur de feria, et tunc dicetur cum* Gloria Patri. *Et tunc Responsorium* Pater peccavi *in illo anno prætermittatur.*

V. Ipse liberavit me.

In Laudibus.

Ant. Domine, labia mea aperies : et os meum annunciabit laudem tuam.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Ant. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.

Ps. Confitemini (*cxvii.* p. 43).

Ant. Factus est adjutor meus Deus meus.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Trium puerorum cantemus hymnum quem cantabant in camino ignis benedicentes Dominum.

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Statuit ea in æternum et in seculum seculi præceptum posuit et non præteribit.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. Rogamus vos.

Hymnus. Audi benigne.

Versus. Scuto circundabit.

Ant. Egressus Jesus secessit in partes Tyri et Sydonis : et ecce mulier Chananea a finibus illis egressa clamabat dicens : Miserere mei, Domine, fili David.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui conspicis.

Ad Primam.

Ant. Accedentes discipuli Jesu ad eum rogabant eum dicentes, Dimitte eam quia clamat post nos.

Ps. Deus, Deus meus, respice (*xxi.* p. 37).

Ad Tertiam.

Ant. Non sum missus nisi ad oves quæ perierant domus Israel, dicit Dominus.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. Rogamus vos.

Responsoria et Versus sicut in Dominica præcedenti ad omnes Horas dicuntur.

Ad Sextam.

Ant. O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut petisti.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (1 *Thessa. iv.* 3.)

Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione et honore.

Ad Nonam.

Ant. Vade mulier, semel dixi tibi : Si credideris, videbis mirabilia.

Ps. Mirabilia testimonia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (1 *Thessa. iv.* 6.)

Voluntas Dei est, ne quis supergrediatur neque circumveniat in negocio fratrem suum : quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, et testificati sumus. Deo gratias.

Ad Vesperas.

Ant. Sede a dextris.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Capitulum. Rogamus vos.

R. Esto nobis.

Hymnus. Ex more docti, *ut supra* (p. dlxxi.).

V. Angelis suis.

Ant. Dixit Dominus mulieri Chananeæ : Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus ad manducandum. Utique, Domine, nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Ait illi Jesus, Mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut petisti.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui conspicis.

Feria secunda, *et quotidie per ebdomadam dicantur Versus et Responsoria ad Matutinas secundum ordinem Nocturnorum Hystoriæ Dominicalis : ita tamen quod Responsoria ferialia non omittantur.*

Lectio i. (*Gen. xxvii.* 20.)

Rursum Isaac ad filium suum : Quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi? Qui respondit : Voluntas Dei fuit ut cito michi occurreret quod volebam. Dixitque Isaac : Accede huc ut tangam te, fili mi : et probem utrum tu sis filius meus Esau an non. Accessit ille ad patrem, et palpato eo dixit Isaac : Vox quidem vox Jacob est, sed manus manus sunt Esau. Et non cognovit eum : quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant.

Lectio ii. [*Gen. xxvii.* 23.]

Benedicens ergo illi ait : Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum. At ille, Affer, inquit, michi cibos de venatione tua, fili mi : ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum. Quo hausto dixit ad eum : Accede ad me, et da michi osculum, fili mi. Accessit, et osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens ait : Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini et olei : et serviant tibi populi, et adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum : et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus : et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Tu autem, Domine.

Lectio iii. [*Gen. xxvii.* 30.]

Vix Isaac sermonem impleverat, et egresso Jacob foras : venit Esau, coctosque de venatione cibos intulit patri dicens : Surge, pater mi, et comede de venatione filii tui : ut benedicat michi anima tua. Dixitque illi Ysaac : Quis enim es tu? Qui respondit : Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expavit Isaac stupore vehementi : et ultra quam credi potest admirans, ait : Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit michi, et comedi ex omnibus priusquam tu venires, benedixique ei, et erit benedictus. Tu.

Ant. Ego principium qui et loquor vobis.

Ps. Benedictus.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua, quæ se affligendo carnem ab alimentis abstinet, sectando justiciam a culpa jejunet. Per.

Ad Vesperas.

Ant. Qui me misit mecum est et non reliquit me solum : quia quæ placita sunt ei facio semper.

Ps. Magnificat.

Oratio. Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus : et quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per.

Feria tertia.

Lectio i. (*Gen. xxvii.* 34.)

Auditis Esau sermonibus patris : irrugiit clamore magno, et consternatus ait : Benedic etiam et michi, pater mi. Qui ait : Venit germanus tuus fraudulenter, et accepit benedictionem tuam. At ille subjunxit, Juste vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit enim me en altera vice. Primogenita mea ante tulit : et nunc secundo surripuit benedictionem meam.

Lectio ii. [*Gen. xxvii.* 36.]

Rursumque ad patrem : Nunquid non reservasti, ait, et michi benedictionem? Respondit Isaac : Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi. Frumento et vino stabilivi eum : et tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam? Cui Esau : Num unam tantum benedictionem habes, pater? Michi quoque obsecro ut benedicas. Tu.

Lectio iii. [*Gen. xxvii.* 38.]

Cunque ejulatu magno fleret : motus Isaac dixit ad eum, In pinguedine terræ et in rore cæli desuper : erit benedictio tua. Vives gladio : et fratri tuo servies. Tempusque veniet : cum excutias* et solvas jugum ejus de cervicibus tuis. Oderat ergo semper Esau Jacob : pro benedictione qua benedixit ei pater. Dixitque in corde suo, Venient dies luctus patris mei : et occidam Jacob fratrem meum. Nunciata sunt hæc Rebeccæ. Quæ mittens et vocans Jacob filium suum dixit ad eum : Ecce Esau frater tuus minatur, ut occidat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam : et consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Aran : habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui et cesset indignatio ejus, obliviscaturque eorum quæ fecisti in eum : postea mittam et adducam te inde huc. Dixitque Rebecca : Cur utroque orbabor filio in una die? Dixit quoque Rebecca ad Isaac : Tædet me vitæ meæ : propter filias Heth. Si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ : nolo vivere. Tu autem.

* 'excuties' *Chevallon*. 1531.

Ant. Unus est enim magister vester qui in cælis est, dicit Dominus.

Ps. Benedictus.

Oratio. Perfice, quæsumus, Domine, benignus in nobis observantiæ sanctæ subsidium : ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per.

AD VESPERAS.

Ant. Qui major est vestrum erit minister vester : quia omnis qui se exaltat humiliabitur, dicit Dominus.

Ps. Magnificat.

Oratio. Propiciare, Domine, supplicationibus nostris, et animarum nostrarum medere languoribus : ut remissione percepta in tua semper benedictione lætemur. Per.

FERIA QUARTA.

Lectio i. (*Gen. xxviii.* 1.)

Vocavit itaque Isaac Jacob et benedixit eum : præcepitque ei dicens : Noli accipere conjugem de genere Chanaam : sed vade et proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ : et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui. Deus autem omnipotens benedicat tibi, et crescere te faciat atque multiplicet, ut sis in turbas populorum, et det tibi benedictiones Abraham, et semini tuo post te : ut possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est avo tuo.

Lectio ii. [*Gen. xxviii.* 5.]

Cunque dimisisset eum Isaac : profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ. Videns autem Esau quod benedixisset pater suus Jacob, et misisset eum in Mesopotamiam Syriæ ut inde uxorem duceret, et quod post benedictionem præcepisset ei dicens, Non accipies conjugem de filiabus Chanaam, quodque obediens Jacob parentibus suis isset in Syriam : probans quoque quod non libenter aspiceret filias Chanaam pater suus : ivit ad Ismaelem, et duxit uxorem absque his quas prius habebat Melech filiam Ismael filii Abraham, sororem Nobaioth.

Lectio iii. [*Gen. xxviii.* 10.]

Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Aran. Cunque venisset ad quendam locum, et vellet in eo requiescere, post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo dormivit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius cælos tangebat : angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac. Terram in qua dormis tibi dabo et semini tuo : eritque germen tuum quasi pulvis terræ. Dilataberis ad orientem et ad occidentem, septentrionem et meridiem : et benedicentur in te et semine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero custos tuus quocunque perrexeris, et reducam te in terram hanc : nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi. Tu autem.

Ant. Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur ad crucifigendum.

Ps. Benedictus.

Oratio. Populum tuum, quæsumus, Domine, propicius respice : et quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxiis quoque viciis cessare concede. Per.

AD VESPERAS.

Ant. Sedere autem mecum non est meum dare vobis : sed quibus paratum est a Patre meo.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, innocentiæ restitutor et amator, dirige ad te tuorum

corda servorum : ut Spiritus tui fervore concepto et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces. Per. In unitate ejusdem Spiritus sancti Deus.

FERIA QUINTA.

Lectio i. (*Gen. xxviii.* 16.)

Cunque evigilasset Jacob de somno, ait; Vere Dominus est in loco isto : et ego nesciebam. Pavensque, quam terribilis (inquit) est locus iste : non est hic aliud nisi domus Dei et porta cæli. Surgens ergo mane tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper : appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Vovit etiam votum dicens : Si fuerit Dominus mecum, et custodierit me in via per quam ambulo, et dederit michi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei : erit michi Dominus in Deum, et lapis iste quem erexi in titulum vocabitur domus Dei, cunctorumque quæ dederis michi, decimas offeram tibi. Tu autem.

Lectio ii. (*Gen. xxix.* 1.)

Profectus ergo Jacob venit in terram orientalem : et vidit puteum in agro, tresque greges ovium accubantes juxta eum. Nam ex illo adaquabantur pecora : et os ejus grandi lapide claudebatur. Morisque erat ut cunctis ovibus congregatis revolverent lapidem : et refectis gregibus rursum super os putei ponerent. Dixitque ad pastores : Fratres, unde estis ? Qui responderunt : De Aran. Quos interrogans, nunquid (ait) nostis Laban filium Nachor ? Dixerunt : Novimus. Sanusne est ? inquit *. Valet, inquiunt. Et ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo. Tu autem.

Lectio iii. [*Gen. xxix.* 7.]

Dixitque Jacob : Adhuc multum diei superest : nec est tempus ut reducantur ad caulas greges. Ante date potum ovibus : et sic ad pastum eas reducite. Qui responderunt : Non possumus donec omnia pecora congregentur, et amoveamus lapidem de ore putei : ut adaquemus greges. Adhuc loquebantur : et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui, nam gregem illa pascebat. Quam cum vidisset Jacob et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui : amovit lapidem quo puteus claudebatur, et adaquato grege osculatus est eam.

Ant. Ego non ab homine testimonium accipio : sed hæc dico ut vos salvi sitis.

Ps. Benedictus.

Oratio. Præsta nobis, quæsumus, Domine, auxilium gratiæ tuæ : ut jejuniis et orationibus convenienter intenti liberemur ab hostibus mentis et corporis. Per.

AD VESPERAS.

Ant. Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me : quia Pater me misit.

Ps. Magnificat.

Oratio. Adesto, Domine, famulis tuis, et perpetuam benignitatem largire poscentibus : ut his qui te auctore et gubernatore gloriantur, et congregata restaures, et restaurata conserves. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Lectio i. (*Gen. xxix.* 11.)

Elevataque voce flevit, et indicavit ei quod frater esset patris ejus : et filius Rebeccæ. At illa festinans nunciavit patri suo. Qui cum audisset venisse Jacob filium sororis suæ, cucurrit obviam ei, complexusque eum

* *Dispungit Chevallonius* 'Sanus ne est inquit ?'

in oscula ruens : duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris, respondit, Os meum es, et caro mea. Tu autem, Domine, miserere.

Lectio ii. [*Gen. xxix.* 14.]

Et postquam expleti sunt dies mensis unius, dixit ei : Num quia frater meus es, gratis servies michi? Dic quid mercedis accipias. Habebat vero filias duas : nomen majoris Lya, minor vero appellabatur Rachel. Sed Lya lippis erat oculis : Rachel decora facie et venusto aspectu. Quam diligens Jacob ait : Serviam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis. Respondit Laban : Melius est ut tibi eam dem, quam viro alteri. Mane apud me.

Lectio iii. [*Gen. xxix.* 20.]

Servivit igitur Jacob pro Rachel septem annis : et videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine. Dixitque ad Laban, Da michi uxorem meam : quia jam tempus expletum est, ut ingrediar ad illam. Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias : et vespere filiam suam Lyam introduxit ad eum, dans ancillam filiæ suæ, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Jacob fuisset introgressus : facto mane vidit Lyam, et dixit ad socerum suum, Quid est quod facere voluisti? Nonne pro Rachel servivi tibi? Quare Lyam imposuisti michi? Respondit Laban : Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias. Imple ebdomadam dierum hujus copulæ : et hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es michi septem annis aliis. Acquievit placito, et ebdomada transacta Rachel duxit uxorem : cui pater servam Balam dederat. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit : serviens apud eum septem annis aliis.

Ant. Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis : qui reddent ei fructum temporibus suis.

Ps. Benedictus.

Oratio. Da, quæsumus, omnipotens Deus : ut sacro nos purificante jejunio, sinceris mentibus ad sancta ventura facias pervenire. Per Dominum nostrum.

AD VESPERAS.

Ant. Quærentes eum tenere timuerunt turbas : quia sicut prophetam eum habebant.

Ps. Magnificat.

Oratio. Da, quæsumus, Domine, populo tuo salutem mentis et corporis : ut bonis operibus inhærendo, tuæ semper virtutis mereatur protectione defendi. Per Dominum.

SABBATO.

Lectio i. (*Gen. xxix.* 31.)

Videns autem Dominus quod despiceret Lyam, aperuit vulvam ejus : sorore sterili permanente. Quæ conceptum genuit filium : vocavitque nomen ejus Ruben, dicens, Vidit Dominus humilitatem meam : nunc amabit me vir meus. Rursumque concepit, et peperit filium; et ait, Quoniam vidit Dominus me haberi contemptui : dedit etiam istum michi. Vocavitque nomen ejus Symeon. Concepit tertio, et genuit alium : dixitque, Nunc quoque copulabitur michi maritus meus : eo quod pepererim illi tres filios. Et idcirco appellavit nomen ejus Levi. Quarto concepit, et peperit filium; et ait, Modo confitebor Domino. Et ob hoc vocavit eum Judam : cessavitque parere.

Lectio ii. (*Gen. xxx.* 1.)

Cernens autem Rachel quod infecunda esset : invidit sorori; et ait marito suo, Da michi liberos : alioquin moriar. Cui iratus respondit Jacob : Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui? At

illa, habeo, inquit, famulam Balam, ingredere ad illam ut pariat super genua mea : et habeam ex ea filios. Deditque illi Balam in conjugium. Quæ ingresso ad se viro concepit et peperit filium. Dixitque Rachel : Judicavit michi Dominus et exaudivit vocem meam : dans michi filium. Et idcirco appellavit nomen ejus Dan. Rursumque Bala concipiens peperit alterum : pro quo ait Rachel, Comparavit me Dominus cum sorore mea : et invalui. Vocavitque eum Neptalim. Tu autem.

Lectio iii. [*Gen. xxx.* 9.]

Sentiens Lya quod parere desiisset : Zelpham ancillam suam marito tradidit. Qua post conceptum edente filium dixit : Feliciter. Et idcirco vocavit nomen ejus Gad. Peperit quoque Zelpha alterum. Dixitque Lya : Hoc pro benedictione mea : beatam me quippe dicent omnes mulieres. Et propterea appellavit eum Aser. Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum : reperit mandragoras quas matri Lyæ detulit. Dixitque Rachel : Da michi partem de mandragoris filii tui. Respondit Lya : Parumne tibi videtur quod præripueris maritum michi : nisi etiam mandragoras filii mei tuleris? Ait Rachel : Dormiat tecum hac nocte : pro mandragoris filii tui. Redeuntique ad vesperam de agro Jacob : egressa est in occursum ejus Lya, et ait : Ad me, inquit, intrabis : quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa : et exaudivit Deus preces ejus.

Sit tertium Responsorium, Pater peccavi in cælum et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut unum de mercennariis tuis.

V. Quanti mercennarii in domo patris mei abundant panibus : ego autem hic fame pereo. surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei.

Fac. Gloria. Fac.

Si aliquod Festum novem Lectionum hac die contigerit : hoc prædictum Responsorium eo anno prætermittatur.

Ant. Vadam ad patrem meum et dicam ei : pater, fac me sicut unum ex mercennariis tuis.

Ps. Benedictus.

Oratio. Da, quæsumus, Domine, nostris effectum jejuniis salutarem : ut castigatio carnis assumpta ad nostrarum vegetationem transeat animarum. Per Dominum nostrum.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

1. A. Dominica Tertia Quadragesimæ tota dicitur hystoria. Feria iv. et v. de Festis ix lectionum [David et Ceddæ], omnia de communi unius Confessoris et Pontificis secundum usum Sarum.

Feria vi. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

2. A. Dominica iii. xl. tota dicitur hystoria.

Feria iv. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

3. A. Dominica iii. xl. tota dicitur hystoria, et Festum S. Gregorii differatur in crastinum. Secundæ vesperæ erunt de Festo, et solennis memoria de Dominica.

Feria v. dicitur i. R. feriale, et alia duo in vi. Feria.

Sabbato de S. Edwardo.

4. A. Dominica iii. xl. de servitio dominicali. Ad primas vesperas fiat memoria de S. Edwardo. Secundæ vesperæ erunt de S. Cuthberto, et memoria de Dominica.

In v. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in vi. Feria. Sabbato de Annunciatione. Secundæ vesperæ erunt de Festo et solennis memoria de Dominica.

5. A. Dominica iii. XL. tota dicitur hystoria. Ad i. vesperas, quæ erunt de Festo [Annunciationis], fiat solennis memoria de Dominica.
Feria iv. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

1. B. Dominica Tertia Quadragesimæ tota dicitur hystoria.
Feria iii. et iv., de Festis ix lectionum [David et Ceddæ], omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.
In vi. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

2. B. Dominica iii. XL. tota dicitur hystoria.
Feria iv. dicitur i. R. feriale, et alia duo in vi. Feria.
Et Sabbato de S. Gregorio; secundæ vesperæ erunt de Festo et solennis memoria de Dominica.

3. B. Dominica iii. XL. tota dicitur hystoria. Ad i. vesperas, quæ erunt de Festo [S. Gregorii*], fiat solennis memoria de Dominica.
Feria iv. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

4. B. Dominica iii. XL. de servitio dominicali, et Festum S. Cuthberti differatur usque in iii. Feriam.
Et in v. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

5. B. Dominica iii. XL. de servitio dominicali.
Feria iv. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

1. C. Dominica tertia Quadragesimæ de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de S. David, et memoria de Dominica.
Feria ii. et iii. de Festis ix lectionum [David et Ceddæ], omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.
Feria vi. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

2. C. Dominica iii. XL. de servitio dominicali, et nichil de Virgine† [Perpetua] nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.
iv. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

3. C. Dominica iii. XL. tota dicitur hystoria.
In iv. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in vi. Feria.

4. C. Dominica iii. XL. tota dicitur hystoria. Et Festum S. Benedicti differatur in crastinum.
Feria vi. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

5. C. Dominica iii. XL. de servitio dominicali.
Feria iv. dicitur i. R. feriale, et alia duo in vi. Feria§.

1. D. Dominica tertia Quadragesimæ de servitio dominicali, et Festum [Cathedræ] S. Petri differatur in crastinum.

* 'S. Gregorii papæ. Inferius Duplex. Ad Vesperas Capitulum *Ecce sacerdos.* In Laudibus Capitulum *Benedictionem.*' Crede Michi, 1495.
† '*nichil de Vigilia*' Chevallon. per incuriam.
§ 'in Sabbato.' *Portiforium* 1525—6.

Feria vi. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

2. D. Dominica iii. xl. de servitio dominicali, et Festum S. David differatur usque in iii. Feriam.

Feria ii. et iii. de Festis ix lectionum [Ceddæ et David], omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.

Feria vi. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

3. D. Dominica iii. xl. de servitio dominicali.

Feria iv. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

4. D. Dominica iii. xl. de servitio dominicali.

Feria iii. dicitur i. R. feriale, et alia duo in v. Feria.

5. D. Dominica iii. xl. de servitio dominicali.

In v. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

1. E. Dominica Tertia Quadragesimæ de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de S. Mathia, et solennis memoria de Dominica.

In v. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in vi. Feria.

Sabbato de S. David, ix lectionum, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.

In anno bissextili dicitur in iii. Feria de S. Mathia, et tunc Feria vi. dicitur i. Responsorium feriale, et alia duo in Sabbato*. [Et festum S. David differatur usque in iii. Feriam hebdomadæ sequentis.] Et abhinc usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 1. *D.* pro littera dominicali, et inchoetur ad quartam† Dominicam Quadragesimæ.

2. E. Dominica iii. xl. de servitio dominicali, et Festum S. Ceddæ differatur in crastinum, et omnia de communi.

Feria v. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

3. E. Dominica iii. xl. de servitio dominicali.

Feria v. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

4. E. Dominica iii. xl. de servitio dominicali.

In iv. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

5. E. Dominica iii. xl. de servitio dominicali.

Feria v. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

1. F. Dominica Tertia Quadragesimæ de servitio dominicali, et Festum S. Mathiæ differatur in crastinum. Secundæ vesperæ erunt de Apostolo, et solennis memoria de Dominica.

In iv. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in v. Feria.

Feria vi. et Sabbato de Festis ix lectionum [David et Ceddæ], omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.

In anno bissextili fiat servitium de S. Mathia in ii. Feria‡; et tunc ab hac die usque ad inceptionem hystoriæ *In principio* accipietur 1. *E.*, et inchoetur ad quartam Dominicam Quadragesimæ.

2. F. Dominica iii. xl. de servitio dominicali.

Et in iv. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

* 'Feria vi.... Sabbato.' non habet Portiforium, 1525—6.

† 'tertiam' *Chevallon.*

‡ Nota quod in quolibet anno, tam communi quam bissextili, sub littera dominicali F., erit festum S. Mathiæ in die Lunæ.

3. F. Dominica iii. XL. de servitio dominicali. [Ad primas vesperas fiat memoria de S. Cedda. *Portif.* 1525—6.]

Feria v. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

4. F. Dominica iii. XL. de servitio dominicali.

Feria vi. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

5. F. Dominica iii. XL. de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de Annunciatione, et solennis memoria de Dominica.

Feria v. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

1. G. Dominica Tertia Quadragesimæ tota dicitur hystoria.

Feria iv. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

Feria v. et vi. de Festis ix lectionum [David et Ceddæ]. Omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.

2. G. Dominica iii. XL. de servitio dominicali.

Feria iv. dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

3. G. Dominica iii. XL. de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de Festo [S. Gregorii]. Cap. *Ecce Sacerdos.* Et solennis memoria de Dominica.

In v. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

4. G. Dominica iii. XL. de servitio dominicali.

In vi. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

Feria ii. de S. Edwardo. Ad primas vesperas fiat solennis memoria de Dominica. Cap. *Beatus vir qui in Sapientia.*

5. G. Dominica iii. XL. de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de Annunciatione, et solennis memoria de Dominica.

In v. Feria dicitur i. R. feriale, et alia duo in Sabbato.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Ad Vesperas.

Ant. Benedictus.

Ps. *Ipsum* (*cxliii.* p. 215).

Capitulum. (*Ephes. v.* 1.)

Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos : et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

R. Igitur Joseph ductus est in Egiptum, fuitque Dominus cum eo. Per quem erat vir in cunctis prospere agens.

V. Misertus est enim Deus illius : et omnia ejus opera dirigebat.

Per quem. Gloria. Per.

Hymnus.

Ecce tempus idoneum,
Medicina peccaminum
Quibus Deum offendimus
Corde, verbis, operibus.

Qui pius ac propitius
Nobis pepercit hactenus :
Ne nos cum nostris perderet
Tantis iniquitatibus.

Hunc igitur jejuniis
Cum precibus et lachrimis
Multisque bonis aliis
Placemus devotissimi.

Ut nos a cunctis sordibus
Purgans ornet virtutibus,
Angelicis et cœtibus
Conjungat in cælestibus.

Sit benedictus Genitor,
Ejusque Unigenitus,
Cum Spiritu paraclito
Trinus et unus Dominus. Amen.

V. Angelis suis.

Ant. Dedit pater pœnitenti filio stolam primam pariter et anulum : nam et calciamenta illi tribuens celebravit magnum convivium; habemus stolam primam in lavacro et anulum fidei signaculum.

Ps. Magnificat.

Oratio. Quæsumus, omnipotens Deus, vota humilium respice : atque ad defensionem nostram, dexteram tuæ majestatis extende. Per Dominum nostrum Jesum.

AD COMPLETORIUM.

Ant. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine Deus : dedisti læticiam in corde meo.

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 222).

Cap. Tu in nobis.

R. In pace.

Hymnus. Christe, qui lux (p. 228).

V. Custodi nos.

Ant. Media vita in morte sumus, quem quærimus adjutorem nisi te, Domine, qui pro peccatis nostris juste irasceris. Sancte Deus : Sancte fortis, Sancte et misericors Salvator, amaræ morti ne tradas nos.

Ps. Nunc dimittis.

V. Ne projicias nos in tempore senectutis cum defecerit virtus nostra. ne derelinquas nos, Domine. Sancte Deus.

V. Noli claudere aures tuas ad preces nostras. Sancte fortis.

V. Qui cognoscis occulta cordis : parce peccatis nostris. Sancte et misericors, *usque ad finem Antiphonæ.*

Hæc prædicta Antiphona dicitur super Psalmum Nunc dimittis *per XV dies : Versus vero non dicuntur nisi in Sabbatis, et in Dominicis, et in Festis novem Lectionum : et tunc primus et tertius Versus a singulis clericis ex parte chori dicuntur, secundus vero Versus ex alia parte chori a solo clerico dicitur. Ita tamen quod in Sabbatis dicuntur in superiori gradu, et in Dominicis in secunda forma. Similiter fiat in Festis ix Lectionum. In Festis autem duplicibus, ad utrumque completorium in superiori gradu dicantur, loco nec habitu mutato.*

AD MATUTINAS.

Invitatorium. In manu tua, Domine.

Omnes fines terræ.

Ps. Venite.

Hymnus.

Clarum decus jejunii
Monstratur orbi cælitus,
Quod* Christus auctor omnium
Cibis dicavit abstinens.

Hoc Moyses charus Deo
Legisque lator factus est :
Hoc Helyam per aera
Curru levavit igneo.

Hinc Daniel mysteria
Victor leonum viderat,
Per hoc amicus intimus
Sponsi Johannes claruit.

Hæc nos sequi dona, Deus,
Exempla parcimoniæ,
Tu robur auge mentium
Dans spiritale gaudium.

Præsta, Pater, per Filium,
Præsta per almum Spiritum,
Cum his per ævum triplici
Unus Deus cognomine. Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Servite.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).

V. Dicet Domino.

Hac die in primo Nocturno, et quotidie per ebdomadam legantur Lectiones de Joseph usque ad finem Genesis, quando de temporali agitur.

* Quo *Chevallon.*

Lectio i. (*Gen. xxxvii.* 2.)

Joseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer : et erat cum filiis Balæ et Zelphæ uxorum patris sui. Accusavitque fratres suos apud patrem, crimine pessimo. Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum : fecitque ei tunicam polimitam. Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur : oderant eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui.

R. 1. Videntes autem Joseph a longe loquebantur mutuo fratres dicentes : Ecce somniator venit, venite occidamus eum : et videamus si prosint illi somnia sua.

V. Cunque vidissent Joseph fratres sui quod a patre cunctis fratribus plus amaretur, oderant eum nec poterant ei quicquam pacifice loqui : unde et dicebant,

Ecce somniator.

Lectio ii. [*Gen. xxxvii.* 5.]

Accidit quoque ut visum somnium referret fratribus suis : quæ causa majoris odii seminarium fuit. Dixitque ad eos : Audite somnium meum quod vidi. Putabam nos ligare manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum et stare : vestrosque manipulos circunstantes adorare manipulum meum. Responderunt fratres ejus : Nunquid rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum invidiæ et odii fomitem ministravit.

R. 2. Dixit Judas fratribus suis, ecce Ismaelitæ transeunt : venite venundetur et manus nostræ non polluantur. Caro enim et frater noster est.

V. Cunque adiisset* Ruben ad puteum et non invenisset eum, scissis vestibus pergensque ad fratres ait : puer non comparet : et ego quo ibo?

Caro enim.

Lectio iii. [*Gen. xxxvii.* 9.]

Aliud quoque vidit somnium : quod narrans fratribus, ait, Vidi per somnium quasi solem et lunam et stellas undecim adorare me. Quod cum patri suo et fratribus retulisset : increpavit eum pater ; et dixit : Quid sibi vult hoc somnium, fili, quod vidisti? Nunquid ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram? Invidebant igitur ei fratres sui : pater vero rem tacitus considerabat. Cunque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem : dixit ad eum Israel, Fratres tui pascunt oves in Sichimis : veni mittam te ad eos. Quo respondente, Præsto sum ; ait, Vade et vide si omnia prospera sint erga fratres tuos et pecora : et renuncia michi quid agatur. Missus de valle Ebron venit in Sichem. Invenitque eum vir errantem in agro : et interrogavit eum quid quæreret. At ille respondit : Fratres meos quæro : indica michi ubi pascunt greges. Dixitque ei vir, Recesserunt de loco isto : audivi eos dicentes, eamus in Dothaim. Tu autem.

R. 3. Videns Jacob vestimenta Joseph scidit vestimenta sua cum fletu et dixit : Fera pessima devoravit filium meum Joseph.

V. Congregatis autem cunctis liberis ejus ut delinirent dolorem patris : noluit eos audire sed dixit :

Fera pessima.

Alius Versus per ebdomadam. Vide si tunica filii tui sit an non ; et cum vidisset pater ait :

Fera. Gloria. Fera.

* 'abiiset' *Chevallon.*

In secundo Nocturno.

Ant. Bonorum.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. Ipse liberavit me.

Mediæ Lectiones de sermone beati Johannis episcopi.

Lectio iiii. Mittitur a patre Jacob sanctissimo Joseph sanctus ad fratres, qui salutem patris ad illos, et ipsorum ad patrem referret, ut inter absentes medius utriusque salutis nuncius extitisset : ut quod de semetipsis absentes scire non poterant, Joseph referente cognoscerent : et disjunctos hujus relatio jungeret, quos locorum diversitas separabat. Quem cum venientem de longe conspicerent : ecce (inquiunt) ecce somniator ille. Venite itaque et occidamus illum : et videamus quid portentant illi somnia ejus. O nephanda rabies iniquorum. Non licet Joseph, non licet, inquam, impunitum esse quod bonus est : non licet meliorem tutum* esse cum malis, et quasi invidi aliquid perdant, aut dispendium alicujus rei incurrant, sic bonorum vita detrimentum est pessimorum ; zelant mansuetum invidi, modestum superbi, probum improbi : mitem tumidi inimica æmulatione lacessunt†. Patitur Joseph sanctus innocens vitæ invidiam : et æmulos in se fratres sancta excitat vita. Bonum mali videre non possunt. Denique venientem ad se lacerant, sæviunt, necare festinant. Nolunt meliorem vivere : ne degeneres ipsi possent improperia sustinere. Cur innocentem zelas, inimica fraternitas? Cur invides bono? Cur pati simplicem non potes? Cur modestum persequeris? Cur probum non diligis? Cur rea innocentis sanguinis inveniris? Saltem distractus aliquatenus vivat : ne in te accusator innocens sanguis ut Cayn aliquando existat. Serva tibi, serva, inimica fraternitas, vivum, quem sentias aliquando placatum. Serva incolumem, quem necessitatis tempore invenias provisorem. Forsitan enim adveniet tempus, quo eum servum fecisse pœniteat, parricidium non perpetrasse collibeat. Levius crimen est sanctum servituti adduci : gravius nichil est innocentem animam jugulare. In servo quod curetur invenies : in parricidio non reperies quod excuses. Multis provides, si istum distraxeris : tibi nocueris, si innocentem animam jugulaveris.

R. 4. Joseph dum intraret in terram Egypti, linguam quam non noverat audivit. Manus ejus in laboribus servierunt, et lingua ejus inter principes loquebatur sapientiam.

V. Divertit ab oneribus dorsum ejus.

Manus ejus.

Lectio v. Distrahitur igitur Joseph sanctus in Egyptum, accepturus totius provinciæ dominatum. Venundatur in servum, in famulum adducitur : in innocentem fraterna crudelitas operatur. Suscipit servitutis notam, quem Dominus præparabat ad gloriam. Humiliatur ad tempus, imminenti tempore regnaturus. Ministrat ut servus, ut famulus paret. Domestica complet officia, nec obsequendo deest in aliquo : ut humilitate perciperet quicquid illi ingenuæ mentis gloria præstitisset. Adeo tantum sublimatur in domum, tantum famulis cunctis præfertur, tantum a servis omnibus honoratur : ut quantum ei Dominus, tantum ipse familiæ imperaret. Fit rector et præpositus domus, fit cunctis imperans solus, fit domesticæ curæ aptissimus. Sed his prosperis cælesti dono concessis, tentatio inimica non defuit. Pudicum juvenem matrona appetit impudica : ut diabolus qui in ejus necem fratres armaverat, contra

* tantum *Chevallon.*

† lacescunt *Chevallon.*

eum armaret et feminam. Sed tam hæc Dei judicio concidit, quam fratres Deus ab ejus parricidio separavit. Deinde solum sola aggreditur : et cum casto puero incesta mulier fabulatur. Tandem (inquit) quærens optatum tempus inveni : ad cupiditatem voluptatis implendæ aptissimum silentium reperi. Nullus inter nos arbiter testis existit, nec maritus reperit, nec familia recognoscit : nec aliquis de externis intervenit. Inter nos solummodo causa est : nullus potest existere qui possit quod gerimus indicare. Fac quæso quod peto : exple animum cupientem ut posco : desiderantis preces ne asperneris exoro. Ego te muneribus onerem, ego te marito commendem : ego te libertate condonem. Nec quisquam michi te carior poterit inveniri, si michi quod desidero contigerit adipisci. Frustra (inquit Joseph) frustra niteris, inimica tentatio : frustra me innocentem appetis, frustra castissimo michi lasciviæ verba immittis. Ego enim quod loqueris fugio; quod quæris nolo; quod desideras perhorresco. Solum metuo in cælestibus Deum, cujus disciplinam servo, integritatem diligo, castitatem custodio. Si enim domus vestræ totam potestatem accepi, si nichil michi præter te meus dominus denegavit : quomodo faciam istud quod dicis, ut dominatorem Deum, et patronum tam liberalem offendam ? Nam si in me per mendacium crimen converteris, et quod nolo me voluisse defenderis : Dei erit liberare, quem in præsenti desidero non offendere.

R. 5. Memento mei dum bene tibi fuerit, Ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere; quia furtim sublatus sum : et hic innocens in lacum missus sum.

V. Tres enim adhuc dies sunt post quos recordabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum : tunc memento mei,

Ut suggeras.

Lectio vi. Igitur postquam Joseph mulieris blandientis illecebras et serpentini oris colloquia aspernatus respuit : detentus ab eadem relictis vestibus fugit. Quæ cum se publicatam conspiceret, vociferata clamavit, et facinus quod viciosa mente conceperat in innocentem ipsa convertit : et eum voluisse quod ipsa non potuit, accusavit. Fugit igitur Joseph, fugit, inquam, nudus : pudicicia et castitate vestitus. Fugit relictis vestibus, innocentia qua vicerat tectus. Et cui impudica mulier indumenta detraxerat, eum sanctitas ipsa tegebat. Habe, detestanda mulier, vestimenta quæ tenes : habe exuvias quas in argumentum defensionis falsæ tulisti, habe apud te testimonium pudici victoris. Confinge falsa, calumnias necte, marito persuade : conscientiam tuam non fallis, qua superatam te ab innocente cognoscis. Lætabatur interea Joseph pudicitiæ perfecisse bellum : peregisse castitatis prælium, pugnam innocentiæ superasse. In qua pugna lascivia vincitur, calcatur petulantia. Omnis impudicitia detruncatur, triumphat castitas : integritas gaudet, victrix innocentia collætatur. Sed postquam maritus advenit, detestanda mulier, quam libido nuper in perniciem innocentis accenderat, in ejus mox accusationem exurgit. Gestabat namque in facie teterrima mulier dubios et ancipites vultus, et alterna coloris intentio rubor pallori commixtus diversos mentis æstus verbis trementibus præferebat : ut videres et conscientiam victi facinoris aperiri, et innocenti accusationem rapido furore aptari. En (inquit) quem nobis servum intuleras, en cui universam domum et omnia tua gubernanda credideras : hic mei pudoris latro, hic pudiciciæ hostis, hic castitatis extitit prædo. Quem vix luctando expuli, vocife-

rando cavi, pugnando devici. Putavit me quoque sibi negandam non esse, cui totum quicquid possides tradidisti. Tunc maritus furias in se incestæ transfert mulieris : tunc inflammatur insania, tunc sævitia excitatur. Vix ab injuria abstinet manus, vix sese regit, vix cohibet : meditatur convenientia sceleri tanto supplicia. Obtinet apud eum falsitas, veritas premitur : in custodiam innocens quia reus esse noluit religatur. Cur in innocentem grassaris, importuna tentatio? Cur appetis justum? Cur sanctum persequeris? Joseph enim innocentia reus est, non culpa : castitate, non adulterio offendit. Custoditi pudoris, non violati hostis est. Vim passus est ipse, non fecit : injuriam accepit, non irrogavit : peccavit, quia peccare noluit, non quia peccavit. Quinimmo pœnam meruit, quia peccare pertimuit : et licet in carcere justus conjiciatur in vincula, in custodiam religetur, injuria injuriosi est, non innocentis : pœna lædentis est, non læsi. Supplicium si merui patior : si non merui, ille patitur qui irrogavit. Reum peccatum non pœna castigat : spectat suum supplicium, qui quod patitur non meretur. Sine pœna torquetur, qui interim quod meretur non patitur. Adeo tormentum quod irrogas pateris; quod tribuis sentis; quod infers ipse torqueris. Nec ulla tibi solatia poterunt subvenire, nisi justum a pœna volueris revocare. Interea Joseph in carcerem traditur, in custodia religatur : exultat et gaudet. Exultat, inquam, victor et liber : exultat domesticam calcasse calumniam : exultat pudiciciæ obtinuisse victoriam. Licet in carcere morari illæsum, quem lasciva mulier fecerat reum. Dicet hic sine periculo deversari, quod apud suos non licuit domi. Fit Joseph in custodia tutus, in carceris loco securus. Domi eum calumnia nonnunquam aptatur : in custodia innocenti securitas invenitur. In carcere enim nullus appetitur, nullus alieno crimine oneratur. Innocens illic tempus expectat : reus judicium : nec aliena quemquam opprimunt crimina, quia nec bona malis nec mala bonis deputantur aliena. Introiit custodiam Joseph sanctissimus visitator magis quam reus : provisor, non socius : medicus, non ægrotus. Adeo fit cunctorum præpositus, fit providens omnibus solus : fit in reorum solatium procuratus. Gaude, innocentia, et exulta. Gaude, inquam, quia ubique illæsa es, ubique secura. Si tentaris, proficis : si humiliaris, erigeris : si pugnas, vincis; si occideris, coronaris. Tu in servitute libera es : in periculo tuta, in custodia læta. Tibi omnis reatus addicitur : tibi universa subjugantur. Te potentes honorant, suscipiunt principes, magnates exquirunt : etiam illi te nonnunquam desiderant, qui impugnant. Tibi boni parent, mali invident : zelant æmuli, inimici succumbunt. Nec unquam poteris victrix non esse : etiam si inter homines judex justus defuerit. Tu autem.

R. 6. Dixit Ruben fratribus suis : nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, et non audistis me. En sanguis ejus exquiritur.

V. Merito hæc patimur : quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ ejus dum deprecaretur nos et non audivimus.

En sanguis. Gloria. En.

In tertio Nocturno.

Ant. Præceptum.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

V. Scapulis suis.

Secundum Lucam xi. 14.

In illo tempore; Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium : locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. Et reliqua.

Sermo ex Commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (*Super Lucam,* Lib. IV. *in principio**.)

Dæmoniacus iste apud Matheum non solum mutus, sed et cæcus fuisse narratur. Curatusque dicitur a Domino, ita ut loqueretur et videret. Tria generalia signa simul in uno homine perpetrata sunt. Cæcus videt, mutus loquitur, possessus a dæmone liberatur. Quod et tunc quidem carnaliter factum est: sed et quotidie completur in conversione credentium, ut expulso primum dæmone fidei lumen aspiciant, deinde ad laudes Dei tacentia prius ora laxentur. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Non hoc aliqui de turba, sed Pharisei calumniabantur et scribæ: sicut alii evangelistæ testantur. Tu autem.

R. 7. Merito hæc patimur quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ ejus dum deprecaretur nos et non audivimus. Idcirco venit super nos tribulatio.

V. Dixit Ruben fratribus suis, nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, et non audistis me.

Idcirco venit.

Lectio viii. Turbis quippe (quæ minus eruditæ videbantur) Domini semper facta mirantibus, illi contra vel negare hæc, vel quæ negare nequiverant, sinistra interpretatione pervertere tentabant: quasi hæc non divinitatis sed immundi spiritus opera fuissent, id est Beelzebub, qui deus erat Achaion †. Nam beel quidem ipse est baal: zebub autem musca vocatur. Nec juxta quædam mendosa exemplaria, vel l littera, vel d, in fine nominis est scribenda, sed b. Beelzebub ergo baal muscarum, id est vir muscarum, sive habens muscas, interpretatur, ob sordes videlicet immolaticii cruoris: ex cujus spurcissimo ritu vel nomine principem dæmoniorum cognominabant. Tu autem.

R. 8. Tollite hinc vobiscum munera, et ite ad dominum terræ; et dum inveneritis adorate eum super terram. Deus autem meus faciat eum placabilem; et remittat et hunc fratrem vestrum vobiscum et eum quem tenet in vinculis.

V. Sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris: et deferte viro munera.

Deus autem.

Lectio ix. Et alii tentantes signum de cælo quærebant ab eo. Vel in morem Helyæ ignem de sublimi venire cupiebant: vel in similitudinem Samuelis æstivo tempore mugire tonitrua, choruscare fulgura, imbres ruere, quasi non possent et illa calumniari, et dicere ex occultis et variis aeris passionibus accidisse. At tu qui calumniaris ea quae oculis vides, manu tenes, utilitate sentis: quid facies de his quæ de cælo venerint? Utique respondebis: Et magos in Egypto multa signa fecisse de cælo. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur: et domus supra domum cadet. Non ad dicta, sed ad cogitata respondit: ut vel sic compellerentur credere potentiæ ejus, qui cordis videbat occulta. Tu.

R. 9. Loquens Joseph fratribus suis: dixit, Pax vobis, nolite timere. Pro salute enim vestra misit me Dominus ante vos.

V. Elevavitque vocem cum fletu: quam audierunt Egyptii omnisque domus Pharaonis: et dixit fratribus suis.

Pax vobis. Gloria. Pro.

ℭ *Ferialia Responsoria.*

R. Iste est frater vester minimus

* *Bedæ* in Lucam IV. *Opera* v. 338.

† Achaion (*Chevallon*). 'Accaron' *Beda*.

de quo dixeratis michi : Deus misereatur tui, fili mi. Festinavitque in domum et ploravit. Quia erumpebant lachrymæ et non poterat se continere.

V. Attollens autem Joseph oculos vidit Benjamin stantem. commota sunt omnia viscera ejus super fratrem suum.

Festinavit. Gloria. Quia.

R. Dixit Joseph undecim fratribus suis; ego sum Joseph, quem vendidistis in Egyptum, adhuc vivit pater noster senior de quo dixeratis michi? Ite adducite eum ad me : ut possit vivere.

V. Biennium est quod cœpit esse fames in terra : et adhuc restant anni quinque.

Ite adducite. Gloria. Ite.

R. Nunciaverunt Jacob dicentes, Joseph filius tuus vivit, et ipse dominabitur in totam terram Egypti; quo audito revixit spiritus ejus et dixit : Sufficit michi. Vadam et videbo eum antequam moriar.

V. Cunque audisset Jacob quod filius ejus viveret : quasi de gravi somno evigilans ait :

Sufficit michi. Gloria. Vadam.

V. Ipse liberavit me.

In Laudibus.

Ant. Fac benigne in bona voluntate tua, ut ædificentur, Domine, muri Hierusalem.

Ps. Miserere (*l.* p. 85.)

Ant. Dominus michi adjutor est, non timebo quid faciat michi homo.

Ps. Confitemini (*cxvii.* p. 43.)

Ant. Deus misereatur nostri et benedicat nobis.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30.)

Ant. Vim virtutis suæ oblitus est ignis : ut pueri tui liberarentur illæsi.

Ps. Benedicite (*Daniel. iii.* p. 31.)

Ant. Sol et luna laudate Deum : quia exaltatum est nomen ejus solius.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32.)

Capitulum. Estote.

Hymnus.

Jesu quadragenariæ
Dicator abstinentiæ :
Qui ob salutem mentium
Hoc sanxeras jejunium.
Quo paradiso redderes
Servata parcimonia
Quos inde castrimargia*
Illecebrosa depulit.
Adesto nunc ecclesiæ,
Adesto pœnitentiæ,
Quæ pro suis excessibus
Orat profusis fletibus.
Tu retroacta crimina
Tua remitte gratia,
Et a futuris adhibe
Custodiam, mitissime.
Ut expiati annuis
Jejuniorum victimis
Tendamus ad Paschalia
Digne colenda gaudia.
Præsta, Pater, per Filium.

V. Scuto circundabit.

Ant. Jesus autem cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus : et admiratæ sunt turbæ.

Ps. Benedictus.

Oratio. Quæsumus, omnipotens Deus.

Ad Primam.

Ant. Si in digito Dei ejicio dæmonia : profecto venit in vos regnum Dei.

Ps. Deus, Deus meus, respice (*xxi.* p. 37).

Ad Tertiam.

Ant. Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57.)

* [*Sic legitur pro* gastrimargia. Videas *Daniel* Thesaur. Hymnol. I. 5.]

Capitulum. Estote.

R. Bonum michi, Domine,

Chorus prosequatur totum quod humiliasti me. Bonum michi lex oris tui super milia auri et argenti.

Clericus dicat V. Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me : da michi intellectum ut discam mandata tua.

Bonum. Gloria. Bonum.

V. Dicet Domino.

AD SEXTAM.

Ant. Qui non colligit mecum dispergit : et qui non est mecum contra me est.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61.)

Capitulum. (*Ephes. v.* 3.)

Fornicatio autem aut omnis immundicia, aut avaricia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos.

R. Servus tuus

Chorus prosequatur totum Responsorium ego sum. Da michi intellectum, Domine.

Clericus, V. Ut discam mandata tua.

Da michi. Gloria. Servus.

V. Ipse liberavit me.

AD NONAM.

Ant. Cum immundus spiritus exierit ab homine : ambulat per loca inaquosa quærens requiem et non invenit.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65.)

Capitulum. (*Ephes. v.* 5.)

Hoc autem scitote, fratres, intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus : non habet hereditatem in regno Christi et Dei.

R. Septies in die

Chorus totum prosequatur laudem dixi tibi, Domine. Deus meus, ne perdas me.

Clericus, V. Erravi sicut ovis quæ perierat, require servum tuum, Domine, quia mandata tua non sum oblitus.

Deus meus. Gloria. Septies.

V. Scapulis suis.

Hæc Responsoria prædicta super Horas supradicto modo per XV dies dicantur.

AD VESPERAS.

Ant. Sede a dextris.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191.)

Cap. Estote.

R. Educ de carcere

Chorus prosequatur animam meam. Ut confiteatur nomini tuo, Domine.

Clericus, V. Periit fuga a me : et non est qui requirat animam meam.

Ut confiteatur. Gloria.

Choro repetatur R. Educ.

Hoc prædictum Responsorium dicatur quotidie ad Vesperas per hanc ebdomadam, quando de feria agitur.

Hymnus. Ecce tempus idoneum.

V. Angelis suis.

Ant. Extollens quædam mulier vocem de turba dixit : beatus venter qui te portavit : et ubera quæ suxisti. at Jesus dixit : quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

Ps. Magnificat.

Oratio. Quæsumus, omnipotens Deus.

Supradictus ordo Hymnorum hujus Dominicæ servetur per quindecim dies : et cetera.

FERIA SECUNDA, *et quotidie per ebdomadam dicuntur Versus et Responsoria ad Matutinas secundum ordinem Nocturnorum Hystoriæ Dominicalis : ita tamen quod Responsoria ferialia non omittantur, ut supra dictum est in prima ebdomada Adventus Domini.*

Et si nullum Festum ix Lectionum per hanc ebdomadam contigerit : tunc primum Responsorium feriale, scilicet Iste est frater, *erit tertium in quarta feria, et alia duo Responsoria ferialia in sabbato dicuntur.*

Si aliquod Festum ix Lectionum in aliqua feria per hanc ebdomadam contigerit : tunc primum Responsorium feriale erit tertium, quando primo dicitur de tertio Nocturno, et alia duo Responsoria ferialia dicuntur quando ultimo dicitur de feria per ebdomadam. Si autem tantum tertia feria per hanc ebdomadam vacaverit : tunc primum Responsorium feriale erit tertium quando de secundo Nocturno dicitur, et alia duo Responsoria ferialia dicuntur loco octavi et noni Responsoriorum quando ultimo dicitur de feria. Si vero nullum Festum ix Lectionum per hanc ebdomadam contigerit : tunc dicetur primum Responsorium in quarta feria, et alia duo in sabbato : ut supra dictum est.

Lectio i. (*Gen. xxxvii.** 17.)

Perrexit ergo Joseph post fratres suos : et invenit eos in Dothaim. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos : cogitaverunt eum occidere, et mutuo loquebantur: Ecce somniator venit. Venite occidamus eum et mittamus in cisternam veterem : dicemusque, Fera pessima devoravit eum : et tunc apparebit quid prosint illi somnia sua. Tu autem.

Lectio ii. [*Gen. xxxvii.* 21.]

Audiens autem hoc Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum, et dicebat : Non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem : sed projicite eum in cisternam hanc quæ est in solitudine, manusque vestras servate innoxias. Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, et reddere patri suo. Confestim igitur ut pervenit ad fratres : nudaverunt eum tunica talari et polimita, miseruntque in cisternam quæ non habebat aquam. Et sedentes ut comederent panem, viderunt viatores Ismaelitas venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata et resinam et stacten in Egyptum. Tu.

Lectio iii. (*Gen. xxxvii.* 26.)

Dixit ergo Judas fratribus suis, Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum et celaverimus † sanguinem ipsius? Melius est ut venundetur Ismaelitis, et manus nostræ non polluantur : frater enim et caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus ejus : et prætereuntibus Ismaelitis negociatoribus, extrahentes Joseph de cisterna vendiderunt eum Ismaelitis triginta argenteis. Qui duxerunt eum in Egyptum. Reversusque Ruben ad cisternam non invenit puerum : et scissis vestibus pergens ad fratres suos ait : Puer non comparet : et ego quo ibo? Tulerunt autem tunicam ejus, et in sanguine hædi quem occiderant tinxerunt : mittentes qui ferrent ad patrem, et dicerent, Hanc invenimus : vide utrum tunica filii tui sit, an non. Quam cum agnovisset pater ait : Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum : bestia devoravit Joseph. Tu autem.

Ant. Amen dico vobis quia nemo propheta acceptus est in patria sua.

Ps. Benedictus.

Oratio. Cordibus nostris, quæsumus, Domine, gratiam tuam benignus infunde : ut sicut ab escis corporalibus abstinemus, ita quoque sensus nostros a noxiis retrahamus excessibus. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum. (*Esaiæ i.* 16.)

Lavamini, mundi estote, auferte

* '*Gen̄.* 17.' *Chevallon.*
† 'zelaverimus' *Chevallon.*

malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perverse, discite benefacere.

R. Bonum.

Ad Sextam.

Capitulum. (*Esaiæ i.* 17.)

Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam : et venite et arguite me, dicit Dominus.

R. Servus.

Ad Nonam.

Capitulum. (*Esaiæ i.* 18.)

Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

Hæc Capitula prædicta dicuntur super Horas in feriis usque ad Passionem Domini : quando de feria agitur.

Ad Vesperas.

Ant. Jesus autem transiens per medium illorum ibat.

Ps. Magnificat.

Oratio. Subveniat nobis, quæsumus, Domine, misericordia tua : ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Per Dominum nostrum.

Feria tertia.

Lectio i. (*Gen. xxxix.* 1.)

Igitur Joseph ductus est in Egyptum : emitque eum Phutiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Egyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo : et erat vir in cunctis prospere agens. Habitabatque in domo domini sui, qui optime noverat esse Dominum cum eo : et omnia quæ gereret ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei : a quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, et universa quæ ei tradita fuerant. Benedixitque Dominus domui Egyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus substantiam : nec quicquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur. Tu autem.

Lectio ii. [*Gen. xxxix.* 6.]

Erat autem Joseph pulcher facie, et decorus aspectu. Post multos vero dies injecit domina sua oculos in Joseph, et ait : Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nephario dixit ad eam : Ecce dominus meus omnibus michi traditis, ignorat quid habeat in domo sua : nec quicquam est quod in mea non sit potestate, vel non tradiderit michi, præter te quæ uxor ejus es. Quomodo ergo possum malum hoc facere, et peccare in Dominum meum ? Hujuscemodi verbis per singulos dies et mulier molesta erat adolescenti, et ille recusabat stuprum. Accidit autem ut quadam die intraret Joseph domum, et operis quippiam absque arbitris faceret : et illa apprehendens laciniam vestimenti ejus diceret : Dormi mecum. Qui relicto in manibus ejus pallio fugit, et egressus est foras.

Lectio iii. [*Gen. xxxix.* 13.]

Cunque vidisset mulier vestem in manibus suis, et se esse contemptam : vocavit homines domus suæ, et dixit ad eos : En introduxit virum Hebreum, ut illuderet nobis. Ingressus est ad me, ut coiret mecum. Cunque ego succlamassem, et audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum, et ait : Ingressus est ad me servus Hebreus quem duxisti, ut illuderet michi. Cunque audisset me clamare, reliquit pallium, et fugit

foras. His auditis dominus, et nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde : tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, et erat ibi clausus. Fuit autem Dominus cum Joseph : et misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. Qui tradidit in manibus ipsius universos vinctos, qui in custodia tenebantur. Et quicquid fiebat sub ipso erat : nec noverat aliquid cunctis ei creditis. Dominus enim erat cum illo : et omnia opera ejus dirigebat.

Ant. Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quancunque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cælis est : dicit Dominus.

Ps. Benedictus.

Oratio. Exaudi nos, omnipotens et misericors Deus : et continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per.

Ad Vesperas.

Ant. Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo : in medio eorum sum, dicit Dominus.

Ps. Magnificat.

Oratio. Tua nos, Domine, protectione defende : et ab omni semper iniquitate custodi. Per Dominum nostrum.

Feria quarta.

Lectio i. (*Gen. xl.* 1.)

Accidit ergo ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Egipti, et pistor, suo domino. Iratusque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus :) misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus et Joseph. At custos carceris tradidit eos Joseph, qui et ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, et illi in custodia tenebantur. Videruntque ambo somnium nocte una, juxta interpretationem congruam sibi. Ad quos cum introisset Joseph mane, et vidisset eos tristes, sciscitatus est dicens; Cur tristior est hodie solito facies vestra? Qui responderunt; Somnium vidimus : et non est qui interpretetur nobis.

Lectio ii. [*Gen. xl.* 8.]

Dixitque ad eos Joseph; Nunquid non Dei est interpretatio? Referte michi quod videritis. Narravit prior præpositus pincernarum somnium suum. Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, et post flores uvas maturescere, calicemque regis in manu mea. Tuli ergo uvas, et expressi in calicem quem tenebam : et tradidi poculum Pharaoni. Respondit Joseph; Tres propagines tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum : dabisque calicem regi juxta officium tuum, sicut facere ante consueveras. Tantum memento mei dum bene tibi fuerit, quia innocens in lacum missus sum. Videns pistorum magister quod prudenter somnium dissolvisset, ait; Et ego vidi somnium quod haberem tria canistra farinæ super caput meum, et in uno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria : avesque comedere ex eo. Respondit Joseph; Hæc est interpretatio somnii. Tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce : et lacerabunt volucres carnes tuas. Tu autem.

Lectio iii. [*Gen. xl.* 20.]

Exinde dies tertius natalicius erat Pharaonis. Qui faciens grande convivium pueris suis recordatus est inter epulas magistri pincernarum et pistorum principis, restituitque alterum in locum suum ut porrigeret ei poculum : alterum suspendit in patibulo, ut conjectoris veritas probare-

tur. Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui. (*Gen. xli.*) Post duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves pulchræ et crassæ nimis : sequebanturque aliæ septem fœdæ et macilentæ. Misit ergo rex ad sapientes Egypti : nec erat qui interpretaretur. Tunc demum reminiscens magister pincernarum ait; Confiteor peccatum meum. Iratus rex servis suis me et magistrum pistorum misit in carcerem. Erat autem ibi puer Hebreus, cui narrantes somnia nostra audivimus quod postea probavit rei eventus. Tu.

Ant. Audite et intelligite traditiones quas Dominus dedit vobis.

Ps. Benedictus.

Oratio. Præsta nobis, quæsumus, Domine, ut salutaribus jejuniis eruditi : a noxiis quoque viciis abstinentes propitiationem tuam facilius impetremus. Per Dominum.

Ad Vesperas.

Ant. Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus : liberati a malis omnibus secura tibi mente serviamus. Per Dominum.

Feria quinta.

Lectio i. (*Gen. xli.* [14—43, *omissis nonnullis.*])

Eductus itaque Joseph de carcere stetit coram Pharaone. Cui cum rex somnia retulisset : respondit dicens; Septem boves pulchræ, et septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt. Septem autem macilentæ, septem anni sunt venturæ famis. Septem enim anni venient magnæ fertilitatis : quos mox sequentur septem anni magnæ sterilitatis. Nunc ergo provideat rex virum sapientem, et præficiat eum terræ Egypti : ut quinta pars fructuum annis sterilitatis servetur. Tulit autem rex anulum de manu sua, et dedit in manu Joseph : fecitque eum sedere in curru suo, ut eum scirent esse præpositum universæ terræ Egypti. Tu autem.

Lectio ii. (*Gen. xlii.* [3—13, *omissis nonnullis.*])

Descenderunt igitur fratres Joseph in Egyptum cum aliis qui pergebant ad emendum : prævaluerat enim fames in omni terra. Cunque adorassent eum fratres sui, et ille agnovisset eos, cum illi eum non cognovissent : quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos, Unde venistis? Qui responderunt; De terra Chanaan, ut emamus victui necessaria, venimus. Recordatus itaque somniorum quæ olim viderat ait ad eos; Per salutem Pharaonis exploratores estis : ut videatis infirmiora terræ venistis. Non est ita (inquiunt) domine, sed nos servi tui omnes sumus filii viri unius : pacifice venimus, nec quicquam famuli tui machinantur mali. Duodecim (inquiunt) servi tui fratres sumus : filii viri unius. Minimus cum patre nostro est : et alius non est super. Tu autem [Domine miserere nostri].

Lectio iii. [*Gen. xlii.* 14.]

Dixit autem Joseph ad fratres suos; Hoc est quod locutus sum, exploratores estis : et jam nunc experimentum vestri capiam. Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc donec veniat frater vester minimus. Mittite e vobis unum, et adducat eum, vos autem eritis in vinculis donec probentur quæ dixistis, utrum falsa an vera sint. Alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis. Tradidit autem Joseph fratres

suos in custodiam tribus diebus : die autem tertio eductis de carcere ait, Facite quod dixi, et vivetis : Deum enim timeo. Si pacifici estis, unus ex vobis hic religetur : vos autem abite et ferte frumenta in domos vestras, et fratrem vestrum minimum adducite ad me, ut possim vestros probare sermones, et non moriamini. Fecerunt ut dixerat : et locuti sunt adinvicem; Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum : ideo venit super nos ista tribulatio.

Ant. Operamini non cibum qui perit : sed qui permanet in vitam æternam.

Ps. Benedictus.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus : ut jejuniorum nobis sancta devotio et purificationem tribuat, et majestati tuæ nos reddat acceptos. Per Dominum.

Ad Vesperas.

Ant. Panis enim Dei est qui de cælo descendit et dat vitam mundo.

Ps. Magnificat.

Oratio. Subjectum tibi populum, quæsumus, Domine, propiciatio cælestis amplificet : et tuis semper faciat inhærere mandatis. Per Dominum.

Feria sexta.

Lectio i. (*Gen. xlii.* 23.)

Nesciebant igitur fratres Joseph quod ille intellexisset sermones eorum : quia per interpretem loquebatur ad eos. Cunque dixissent, merito hæc patimur quia peccavimus in fratrem nostrum, avertit se parumper et flevit : et reversus locutus est ad eos. Tollens autem Symeonem ligavit eum illis præsentibus : jussitque ministris ut implerent saccos eorum tritico, et reponerent pecunias singulorum in saccis, datis insuper cibariis in via. Venientes autem ad Jacob patrem suum narraverunt ei omnia quæ acciderant. Locutus est nobis (inquiunt) dominus terræ illius dure : et putavit nos exploratores provinciæ. Cui nos respondimus; Pacifici sumus : nec ullas molimur insidias. Duodecim enim fratres sumus uno patre geniti : minimus est cum patre, alius non est super. Ait nobis; Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.

Lectio ii. [*Gen. xliii.* 6.]

Dixit autem Jacob ad filios suos, In meam miseriam hoc fecistis, quia et alium vos fratrem habere indicastis. Nunc autem quia sic necesse est, facite quod vultis. Deus autem omnipotens faciat eum vobis placabilem, et remittat et hunc fratrem vestrum vobiscum, et eum quem tenet in vinculis : ego autem quasi orbatus liberis ero. Tulerunt ergo munera et Benjamin, et descenderunt in Egyptum : et stantes coram Joseph adoraverunt proni in terram. Quos cum ille vidisset et Benjamin simul : præcepit dispensatori domus suæ dicens; Introduc viros domum, et occide victimas : quia mecum sunt comesturi meridie.

Lectio iii. [*Gen. xlv.* 1.]

Elevavit autem Joseph vocem cum fletu (non enim poterat se ultra cohibere :) et dixit fratribus suis; Accedite ad me : ego enim sum Joseph frater vester, quem vendidistis in Egyptum. Vivitne * adhuc pater noster? Non poterant igitur respondere fratres : nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer ait; Nolite pavere, nec durum vobis videatur quod me vendidistis in his regionibus : pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Egyptum. Non vestro sed Dei huc missus sum consilio, qui me fecit quasi patrem Pharaonis, et dominum universæ do-

* 'Vivit ne' (*separatim*) *Chevallon.*

mus ejus. Festinate et adducite huc patrem meum : quia adhuc venturæ famis anni quinque restant.

Ant. Domine, ut video propheta es tu : patres nostri in monte hoc adoraverunt.

Ps. Benedictus.

Oratio. Jejunia nostra, quæsumus, Domine, benigno favore prosequere : ut sicut ab alimentis abstinemus in corpore, ita a viciis jejunemus in mente. Per Dominum.

Ad Vesperas.

Ant. Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate.

Ps. Magnificat (p. 221).

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui in tua protectione confidimus cuncta nobis adversantia te adjuvante vincamus. Per Dominum.

Sabbato.

Lectio i. (*Gen. xlvi.* 1.)

Venit autem Jacob cum omnibus quæ habebat ad puteum juramenti : mactatisque ibi victimis Deo, audivit Dominum in nocte dicentem sibi; Ne timeas descendere in Egyptum. Faciam enim te ibi in gentem magnam : et Joseph ponet manum suam super oculos tuos. Misit autem Israel Judam filium suum ante se ad Joseph : ut nunciaret ei et occurreret in Gessen. Quo cum pervenisset, juncto Joseph curru suo ascendit obviam patri suo ad eundem locum. Vidensque eum irruit super collum ejus, et inter amplexus flevit. Dixitque pater ad Joseph; Jam lætus moriar : quia video faciem tuam, et superstitem te derelinquo. Dixit autem Pharao ad Joseph; Pater tuus et fratres tui venerunt ad te. Terra Egypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare : et trade eis terram Gessen, et constitue eos magistros pecorum meorum.

Lectio ii. [*Gen. xlvii.* 28, *xlix.* 2.]

Habitavit ergo Israel in Egypto, id est in terra Gessen, et possedit eam : auctusque est et multiplicatus nimis; et vixit in ea decem et septem annis. Facti sunt autem omnes dies vitæ Israel centum quadraginta septem annorum. Cum ergo cerneret appropinquare diem mortis suæ : vocavit filios suos, et dixit eis; Congregamini, filii Israel : et audite Jacob patrem vestrum. Ruben primogenitus meus : tu fortitudo mea et principium doloris mei. Prior in donis : major imperio. Effusus es sicut aqua : non crescas, quia ascendisti cubile patris tui : et maculasti stratum ejus. Symeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia : in consilium illorum non veniat anima mea, quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum quia pertinax : et indignatio eorum quia dura. Dividam eos in Jacob : et dispergam eos in Israel.

Lectio iii. [*Gen. xlix.* 8.]

Juda, te laudabunt fratres tui : manus tua in cervicibus inimicorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti : requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est : et ipse erit expectatio gentium. Ligans (inquit Jacob) ad vineam pullum suum : et ad vitem, O fili mi, asinam suam. Lavabit vino stolam suam : et sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino : et dentes ejus lacte candidiores. Zabulon in litore maris habitabit, et in statione navium : pertingens usque ad Sydonem. Isachar asinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset op-

tima : et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens. Tu autem.

Ant. Inclinavit se Jesus et scribebat in terra, si quis sine peccato est mittat in eam lapidem.

Ps. Benedictus Dominus [p. 35].

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui affligendo carnem ab alimentis abstinent, sectando justiciam a culpa jejunent. Per Dominum nostrum.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

1. A. Dominica Quarta Quadragesimæ. tota dicitur hystoria.
Feria iv. et Sabbato dicetur R. feriale.
Feria iii. memoria de Sanctis [Perpetua et Felicitate] ad ii. vesperas et ad matutinas de S. Maria.

2. A. Dominica iv. xl. tota dicitur hystoria, et Festum S. Gregorii differatur in crastinum. Ad vesperas, quæ erunt de Festo, fiat solennis memoria de Dominica.
Feria v. dicitur R. feriale.
Sabbato de S. Edwardo. Cap. *Beatus vir qui in sapientia* [p. 386].

3. A. Dominica iv. xl. tota dicitur hystoria. Ad i. vesperas fiat memoria de S. Edwardo. Ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Cuthberto, fiat memoria de Dominica.
In vi. Feria dicitur R. feriale.
Sabbato de Annunciatione. Vesperæ erunt de Dominica, licet festum loci fuerit, et memoria tantum de Festo.

4. A. Dominica iv. xl. de servitio dominicali. Ad i. vesperas, quæ erunt de Annunciatione, fiat solennis memoria de Dominica.
Feria iv. et Sabbato dicitur R. feriale.

5. A. Dominica iv. xl. de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de S. Richardo, et memoria de Dominica.
Feria vi. dicitur R. feriale.

1. B. Dominica Quarta Quadragesimæ de servitio dominicali.
Et in iv. Feria dicitur R. feriale.
Sabbato de S. Gregorio. Cap. *Ecce Sacerdos* [p. 409].

2. B. Dominica iv. xl. de servitio dominicali. Ad i. vesperas, quæ erunt de Festo [S. Gregorii], fiat solennis memoria de Dominica.
Et in iv. Feria dicitur R. feriale.
Feria vi. de S. Edwardo. Cap. *Beatus vir qui in sapientia* [p. 386].

3. B. Dominica iv. xl. de servitio dominicali, et Festum S. Cuthberti differatur in iii. Feriam, et Sabbato dicitur R. feriale.

4. B. Dominica iv. xl. de servitio dominicali. Tota cantetur hystoria, et in iv. Feria dicitur R. feriale, et in Sabbato.

5. B. Dominica iv. xl. de servitio dominicali, et Festum S. Richardi differatur usque in iii. Feriam. Secundæ vesperæ erunt de S. Ambrosio, et solennis memoria de Dominica.

Et in vi. Feria dicitur R. feriale.

1. C. Dominica Quarta Quadragesimæ tota dicitur hystoria, et nichil de Virginibus [Perpetua et Felicitate] nisi memoria ad matutinas et ad vesperas de sancta Maria.
Feria iv. dicuntur R. ferialia.

2. C. Dominica iv. XL. tota dicitur hystoria.
Et in iv. Feria dicitur R. feriale.

3. C. Dominica iv. XL. tota dicitur hystoria, et Festum S. Benedicti differatur in crastinum.
Et in vi. Feria dicitur R. feriale.

4. C. Dominica iv. XL. tota dicitur hystoria.
Feria iv. dicitur R. feriale.

5. C. Dominica iv. XL. tota dicitur hystoria. Secundæ vesperæ erunt de Festo [S. Ambrosii], cum pleno servitio in crastino.
In v. Feria dicitur R. feriale.

1. D. Dominica Quarta Quadragesimæ de servitio dominicali, et Festum S. David differatur usque ad iii. Feriam.
Feria ii. et iii. de Festis [David et Ceddæ] ix lectionum, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.
Et in vi. Feria dicitur R. feriale.

2. D. Dominica iv. XL. de servitio dominicali.
Feria iv. dicitur R. feriale.

3. D. Dominica iv. XL. de servitio dominicali.
In v. Feria dicitur R. feriale.
Feria iv. Cap. *Beatus vir qui in sapientia* [p. 386].

4. D. Dominica iv. XL. de servitio dominicali.
Et in v. Feria dicitur R. feriale.

5. D. Dominica iv. XL. de servitio dominicali.
Et in iv. Feria dicitur R. feriale.
Sabbato de S. Ambrosio. Secundæ vesperæ erunt de Dominica et memoria de Festo.

1. E. Dominica Quarta Quadragesimæ de servitio dominicali, et Festum S. Ceddæ differatur in crastinum.
Feria ii. de S. Cedda, ix lectionum, omnia de communi unius Confessoris et Pontificis.
Et in v. Feria dicitur R. feriale.

2. E. Dominica iv. XL. de servitio dominicali.
Et in v. Feria dicitur R. feriale.

3. E. Dominica iv. XL. de servitio dominicali.
Et in Sabbato dicitur R. feriale.
Feria iii. Cap. *Beatus vir qui in sapientia* [p. 386].

4. E. Dominica iv. XL. de servitio dominicali.
Et in v. Feria dicitur R. feriale.

5. E. Dominica iv. XL. de servitio dominicali.
Et in iv. Feria dicitur R. feriale.

1. F. Dominica Quarta Quadragesimæ de servitio dominicali.
Feria iv. et Sabbato dicitur R. feriale.

2. F. Dominica iv. XL. de servitio dominicali.
Et in v. Feria dicitur R. feriale.

3. F. Dominica iv. XL. de servitio dominicali. Vesperæ erunt de Festo [Edwardi regis et martyris]. Cap. *Beatus vir qui in sapientia* [p. 386].
Et in Sabbato dicitur R. feriale.

4. F. Dominica iv. XL. de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de Festo Annunciationis et solennis memoria de Dominica.
Feria v. dicitur R. feriale.

5. F. Dominica iv. XL. de servitio dominicali.
Feria vi. dicitur R. feriale.

1. G. Dominica Quarta Quadragesimæ de servitio dominicali.
Feria iv. et Sabbato dicitur R. feriale.

2. G. Dominica iv. XL. de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de Festo [S. Gregorii], et solennis memoria de Dominica.
In v. Feria dicitur R. feriale.

3. G. Dominica iv. XL. de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de Festo [S. Edwardi], et solennis memoria de Dominica.
In Sabbato dicitur R. feriale.

4. G. Dominica iv. XL. de servitio dominicali. Festum Annunciationis differatur in crastinum nisi fuerit Festum Loci. Et secundæ vesperæ erunt de Annunciatione, et solennis memoria de Dominica.
Feria v. dicitur R. feriale.

5. G. Dominica iv. XL. de servitio dominicali. Et in vi. Feria dicitur R. feriale.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

AD VESPERAS.

Ant. Benedictus.

Ps. *Ipsum* (*cxliii.* p. 215).

Capitulum. (*Gala. iv.* 22.)

Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera : sed qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem.

R. Audi Israel. *ix.* [p. dcxciv.]

Hymnus. Ecce tempus [p. dclii.].

V. Angelis suis.

Ant. Nemo te condemnavit, mulier? nemo, Domine : nec ego te condemnabo, jam amplius noli peccare.

Ps. Magnificat.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Populus Domini et oves pascuæ ejus. Venite adoremus Deum.

Ps. Venite.

Hymnus. Clarum decus [p. dcliv.].

In primo Nocturno.

Ant. Servite.

Ps. Beatus vir qui non (*i.* p. 5).

V. Dicet Domino.

Hac die incipiatur Exodus : et legatur per ebdomadam usque ad finem, quando de temporali agitur.

Lectio i. (*Exodi i.* 1.)

Hæc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Egyptum cum Jacob, singuli cum domibus suis introierunt. Ruben, Symeon, Levi, Juda, Ysachar, Zabulon, et Benjamin, Dan, et Neptalim, Gad, et Aser. Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob septuaginta quinque. Joseph autem in Egypto erat. Quo mortuo et universis fratribus ejus omnique cognatione sua: filii Israel creverunt et quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram. Tu autem, Domine, miserere [nostri].

R. 1. Locutus est Dominus ad Moysen dicens; descende in Egyptum dic Pharaoni ut dimittat populum meum. Induratum est cor Pharaonis: non vult dimittere populum nisi in manu forti.

V. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Egypto et gemitum eorum audivi : et descendi liberare eum.

Induratum est.

Lectio ii. [*Exod. i.* 8.]

Surrexit interea rex novus super Egyptum qui ignorabat Joseph : et ait ad populum suum ; Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est. Venite sapienter opprimamus eum ne forte multiplicetur : et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.

R. 2. Stetit Moyses coram Pharaone et dixit, hæc dicit Dominus, Dimitte populum meum ut sacrificet michi in deserto.

V. Dominus Deus Hebræorum misit me ad te ut dicam tibi.

Dimitte.

Lectio iii. [*Exod. i.* 11.]

Præposuit eis itaque magistros operum, ut affligerent eos oneribus. Ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni: Phyton et Ramesses. Quantoque opprimebantur, tanto magis multiplicabantur et crescebant. Oderantque filios Israel Egyptii et affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum : operibus duris luti et lateris, omnique famulatu quo in terræ operibus premebantur. Tu autem.

R. 3. In mari via tua et semitæ tuæ in aquis multis. Deduxisti sicut oves populum tuum. In manu Moysi et Aaron.

V. Transtulisti illos per mare rubrum, et transvexisti eos per aquam nimiam.

Deduxisti. Gloria. In manu.

In secundo Nocturno.

Ant. Bonorum.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. Ipse liberavit.

Mediæ Lectiones de sermone beati Johannis episcopi.

Lectio iiii. Stabat Moyses in monte, non armis sed precibus pugnaturus. Stabat extensis ad cælum manibus, devoto orans affectu : non de terra sed de cælo auxilium postulabat. Pugnabat cum hostibus

absens, cum externis sine bello decertat: ut quem loci diversitas ab inimicis sejunxerat, orationis effectus bellatorem præsentem hostibus exhiberet. Fit Moyse orante pugna occulta, sed manifesta victoria. Latenter dimicat, ut evidenter devincat. Solus orat, ut multi salventur. Stabat Moyses in monte, jam proximus cælo, jam vicinus syderibus. Et quanto eum sublimitas montis extulerat, tanto oratio Deo proximum exhibebat. Fit Moyse orante victoria, cessante mæstitia: potentior hostis efficitur, justi corpore fatigato. Desinit Israel vincere, Moyse desistente in prece: ut dum diversa populis exhibentur, orationis nobis potentia monstraretur. Denique tandiu ista diversitas valuit, quamdiu jugis oratio defuit. Perseverante prece, perseverans victoria roboratur. Jam geritur pugna cum hoste: jam Amalech precibus debellatur. Commendatur Hebreorum populus Deo, quem hostilis immanitas provocarat ad bellum. Oratio in ultionem inimici dirigitur, cujus scelera jam interitum provocabant. Ne dum Moysi oratio circa victoriæ effectus minus valeret, inimici virtus in populum Dei potentior esset, non jam cæleste sed humanum certamen ab omnibus putaretur. Quis enim justorum non orando pugnavit? quis non hostem orando devicit? Orationibus Danieli visa panduntur, sopiuntur flammæ, feræ hebetescunt *. Cadunt hostes, inimici vincuntur. Quantoque enim purior frequentiorque fuerit celebrata oratio, tanto celerior veniet inimico vindicta. Licet colloqui cum Deo orando, licet cum eo fabulari cum velis, licet precibus mercari quod optas: et quamvis vocem ejus audire non possis, tamen dum id quod desideras accipis, colloqui tecum et si non verbis tamen beneficiis dignatur. Tu autem, Domine.

R. 4. Qui persequebantur populum tuum, Domine, demersisti eos in profundum. Et in columna nubis ductor eorum fuisti, Domine.

V. Exclamaverunt filii Israel in angustiis suis ad Dominum, et misit eis salvatorem.

Et in columna.

Lectio v. Et factum est (inquit) cum levaret manus Moyses, prævalebat Israel. Ubi autem summiserat manus, invalescebat Amalech. Bellum Christianis indictum hoc exemplo monstratur, et belli effectus orationis instantia aperitur. Orat enim Moyses et vincit: cessat, et vincitur. Didicit Christianus quod gerat: invenit quod fugiat. Didicit, inquam, unde aut vincatur aut vincat: quamvis instantius Christiano orandum sit, quia et præliator hostis est, et pro seipso non pro altero pugnat. Moyses enim et contra hominem et pro aliis orando pugnabat: Christianus vero et pro seipso et contra diabolum pugnat. Nec quisquam poterit excusari qui hostem vincere noluit, dum orando cessavit. Et tamen in Moyse corpus deficiebat: non voluntas aliquando cessabat. Si ergo fragilitatis causa in Moyse excusari non potuit: quemadmodum in nobis voluntas poterit excusari? Unde apparet vires hosti illum dare qui cessat: et sese ei subjicere qui non orat. Quod totum est odisse sua, diligere aliena, sibi ipsum hostem existere: dum contra hostem noluit jugiter exorare. Hostis enim dum oras premitur, dum cessas erigitur. Injuriam nobis ab homine nonnunquam illatam impatienter (quod non licet) ferimus: et majorem contumeliam in illum qui intulit revocamus. Tu contumeliam a te tibi illatam quomodo poteris vindicare, qui ab alio illatam non potes sustinere? Aut tu in te ultionem cui mandabis, cum contra teipsum hostem erigis, dum

* 'ebetescunt' *Chevallon.*

eum in te non orando admittis? Oratio jugis infirmitas est hostis. Ceterum ipse contra se tela ministrat, qui hostem precum instantia non fatigat. Quare orationis instantia hostis sævitia debelletur: non resumat vires dum parcimus, non erigatur dum aliquando cessamus. Oportet, inquit, semper orare, et non deficere. Dum oportet dicit, necessitatem inducit. Necessitas autem tanta vi astringitur, ut quod necesse est, etiam si nolis, præterire non possis. Denique manducandi, bibendi, vestiendi necessitas a natura illata præteriri non potest, sine quibus geri vita ista non poterit. Aut prætermitte ista et vive, sine quibus vivere non potes si prætermittis. Igitur si ista prætermitti non possunt sine quibus vita ista non potest celebrari: quemadmodum tutus ab hoste esse poterit, qui quod oportet semper orare contempsit? Petite (inquit Dominus) et dabitur vobis. Optat dare, qui præcipit petere. Beneficia ingerit, qui poscendi hortamenta expromit. Cupit largiri, qui a se desiderat postulari. Ille suadet qui præstat: ille hortatur qui donat. Occasiones ille dandi exquirit, qui beneficia tribuere consuevit. Petite, inquit, quod vultis, et faciam: postulate quod desideratis, et compleam. Talem me sentietis in dando, qualem nunc promittendo conspicitis. Tu autem.

R. 5. Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare. Adjutor et protector factus est michi Dominus in salutem.

Versus. Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare.

Adjutor et protector.

Lectio vi. Magna felicitas est homini, si beneficiis responderit Creatoris. Habe fiduciam, Christiane, ut petas; pete quod desideras ut accipias: si tamen te actus indignum non faciant, si facta quæ vocaris ostendant. Deus enim tibi et petendi fiduciam tribuit, et voluntatem dandi se habere ostendit. Ceterum cessant beneficia, ubi mala non cessaverint facta. Tunc enim tribuitur quod optatur, si bonos actus morum probitas imitetur. Ipse se amabilem facit, qui causas quibus obsequatur inquirit. Ceterum odio dignus est, qui aliud quam profitetur exercet. Si peccatorem se quispiam novit damnet vitia, delicta horreat, peccare desistat. Plus enim Deus unius pœnitentia commovetur, quam multorum justorum merito delectatur. Sic erit gaudium in cælo (inquit) super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonagintanovem justis, quibus non est opus pœnitentia. Nemo ad eum flens aliquando accessit, qui non quod postulavit accepit. Nullus ab eo beneficia dolenter optavit, qui non impetraret quod voluit. Ipse est enim qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. Detestare peccata, si officia pœnitentis invadis. Aut si peccare te delectat, quare pœnitentiam quam profiteris infamas? Contumaciæ crimen est quod oderis facere, quod damnaveris velle, quod horrueris exercere. Amare probatur, qui quod odit exercet, et odisse vicissim quod se amare mentitur. Neque enim poterit excusari, cujus verba aliud sonant, et aliud facta demonstrant. Doleat peccator aliud se esse quam fuerat: lavet lachrymis quod delictis infecit: curet fletibus quod peccando vexavit: gemitu purget quod contemnendo commisit. Si pœnitet, corrige: si dolet, quiesce. Curet pœnitendo quod fecit, ut possit recuperare quod amisit: præstante Domino nostro Jesu Christo. Tu autem, Domine.

R. 6. Moyses famulus Domini jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Ut legem Domini mereretur accipere.

V. Ascendit Moyses in montem Synai.

Ut mereretur. Gloria. Ut.

In tertio Nocturno.

Ant. Præceptum.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 5).

V. Scapulis suis.

Secundum Johannem vi. [1—14.]

In illo tempore. Abiit Jesus trans mare Galileæ quod est Tiberiadis, et sequebatur eum multitudo magna : quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbiteri. (22 *lib.* 1 *.)

Qui signa et miracula Domini ac Salvatoris recte cum legunt vel audiunt accipiunt, non tam in his quid foris stupeant attendunt, quam quid horum exemplo intus agere, quid ipsi in his mysticum perpendere debeant inspiciunt. Ecce etenim propinquante Pascha die festo Judeorum, sequentem se multitudinem Dominus verbo salutis pariter et opere curationis erigebat. Nam (sicut alius Evangelista scribit) loquebatur illis de regno Dei, et eos qui cura indigebant sanabat. Tu.

R. 7. Splendida facta est facies Moysi dum aspiceret in eum Dominus. Videntes seniores claritatem vultus ejus : admirati timuerunt valde.

V. Descendit Moyses de monte, portans duas tabulas lapideas in manibus suis scriptas utrasque digito Dei.

Videntes seniores.

Lectio viii. Eadem etiam doctrina et sanatione completa, paucis de cibariis eos abundantissime refecit. Nos ergo, fratres charissimi, exemplo hujus facti, propinquante Pascha die festo nostræ redemptionis, adjuncta fratrum caterva Dominum toto corde sequamur : quo actionum itinere ingressus sit diligentissime contemplemur, ut vestigia ejus sequi mereamur. Qui enim dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. Quicquid in nobis imperitiæ nocentis inesse deprehenderimus, crebra verbi illius auditione tergamus. Tu.

R. 8. Ecce mitto angelum meum qui præcedet te et custodiat semper. Observa et audi vocem meam. et inimicus ero inimicis tuis, et affligentes te affligam. et præcedet te angelus meus.

V. Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens: neque adorabis Deum alienum, ego enim Dominus.

Observa et.

Lectio ix. Quicquid vicii tentantis morbi videlicet spiritualis nos interius vastare senserimus, solitæ pietatis illius munere postulemus emundari. Sed etsi ei unitos nos cælestis vitæ dulcedine conspexerimus, ejus gratiam flagitemus ut necessariæ nos compunctionis et ceterarum virtutum spiritualium donis satiare dignetur: quatenus tempore sacrosanctæ resurrectionis illius, interius exteriusque decenter ornati, sacramenta nostræ salutis puro corde simul et ore sumamus. Verum quia breviter ista prælibavimus, libet diligentius totam sacræ seriem lectionis intueri, et quicquid in ea mysticum indagare valuerimus, vestræ pandere charitati. Tu autem.

R. 9. Audi, Israel, præcepta Domini, et ea in corde tuo quasi in libro scribe. Et dabo tibi terram fluentem lac et mel.

V. Observa igitur et audi vocem meam : et inimicus ero inimicis tuis.

Et dabo. Gloria. Et.

Feriale Responsorium. Attendite popule meus legem meam. Inclinate aurem vestram in verba oris mei.

* *Bedæ* Homiliæ Quadragesimales Dominica iv. Quadragesimæ, *Opera* VII. 258.

V. Aperiam in parabolis os meum : loquar propositiones ab initio seculi.

Inclinate aurem. Gloria Patri.

Inclinate aurem.

Hoc prædictum Responsorium feriale erit tertium quotiens dicetur de tertio Nocturno per ebdomadam, quando de temporali dicitur.

V. Ipse liberavit me.

In Laudibus.

Ant. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ : si averteris faciem tuam a peccatis meis.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Ant. Bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus.

Ps. Confitemini (*cxvii.* p. 43).

Ant. Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.

Ps. Deus, Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Potens es, Domine, eripere nos de manu mortis. liberare nos, Deus noster.

Ps. Benedicite (*Daniel. iii.* p. 31).

Ant. Reges terræ et omnes populi, laudate Deum.

Ps. Laudate Dominum (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. Scriptum est.

Hymnus. Jesu quadragenariæ.

V. Scuto circundabit.

Ant. Abiit Jesus trans mare Galileæ, et sequebatur eum multitudo magna quia videbant signa quæ faciebat; erat autem proximum Pascha dies festus Judeorum.

Ps. Benedictus.

Oratio. Concede, quæsumus.

Ad Primam.

Ant. Subiit ergo Jesus in montem et ibi sedebat cum discipulis suis : erat autem proximum Pascha dies festus Judeorum.

Ps. Deus, Deus meus, respice (*xxi.* p. 37).

Ad Tertiam.

Ant. Accepit ergo Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus : similiter et ex piscibus quantum volebant.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. Scriptum est.

Responsoria et Versus sicut in proxima Dominica præcedente ad omnes Horas dicantur.

Ad Sextam.

Ant. De quinque panibus et duobus piscibus satiavit Dominus quinque milia hominum.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (*Gala. iv.* 27.)

Lætare sterilis quæ non paris, erumpe et clama quæ non parturis : quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.

Ad Nonam.

Ant. Satiavit Dominus quinque milia hominum : de quinque panibus et duobus piscibus.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (*Gala. iv.* 28.)

Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus : et quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum qui secundum Spiritum, ita et nunc : sed quid dicit scriptura? ejice ancillam et filium ejus.

Ad Vesperas.

Ant. Sede a dextris.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Capitulum. Scriptum est.

R. Adduxit

Chorus prosequatur totum Responsorium eos Dominus in fortitudine magna : cibavit eos nascentiis agrorum. Suxerunt mel de petra : et oleum de firma petra.

Clericus, V. Cibavit eos ex adipe frumenti : et de petra melle saturavit eos.

Suxerunt. Gloria.

Adduxit.

Hoc Responsorium dicatur quotidie ad Vesperas usque ad Passionem Domini, cum de feria agitur.

Hymnus. Ecce tempus *.

V. Angelis suis.

Ant. Illi homines cum signum vidissent quod factum fuerat : glorificabant Deum et dicebant quia hic est Salvator mundi.

Ps. Magnificat.

Oratio. Concede, quæsumus.

Feria secunda, *et quotidie per ebdomadam, dicuntur Versus et Responsoria ad Matutinas secundum ordinem Nocturnorum Hystoriæ Dominicalis, ita tamen quod Responsorium feriale non omittatur.*

Lectio i. (*Exodi i.* 15.)

Dixit autem rex Egypti obstetricibus Hebreorum : quarum una vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis : Quando obstetricabitis Hebreas, et partus tempus advenerit : si masculus fuerit interficite illum, si femina, reservate. Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis Egypti : sed conservabant mares. Quibus ad se accersitis, rex ait ; Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros reservaretis? Quæ responderunt ; Non sunt Hebreæ sicut Egyptiæ mulieres. Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam : et priusquam veniamus ad eas pariunt. Tu autem.

Lectio ii. [*Exod. i.* 20.]

Bene ergo fecit Deus obstetricibus, et crevit populus, confortatusque est nimis. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos. Præcepit ergo Pharao omni populo suo dicens ; Quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite : quicquid autem feminei reservate. Egressus est post hæc vir de domo Levi, accepta uxore stirpis suæ, quæ concepit et peperit filium : et videns eum infantem elegantem abscondit tribus mensibus. Cumque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam †, et linivit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum : et exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore ejus et considerante eventum rei.

Lectio iii. [*Exod. ii.* 5.]

Ecce autem descendebat filia Pharaonis ut lavaretur in flumine : et puellæ ejus gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cum vidisset fiscellam in papirione, misit unam e famulabus suis, et allatam aperiens, cernensque in ea parvulum vagientem, miserta ejus ait ; De infantibus Hebreorum est hic. Cui soror pueri : vis (inquit) ut vadam et vocem tibi Hebream mulierem, quæ nutrire possit infantulum? Respondit ; Vade. Perrexit puella, et vocavit matrem ejus. Ad quam locuta filia Pharaonis, accipe, ait, puerum istum et nutri michi : ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier et nutrivit puerum : adultumque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptavit in locum filii : vocavitque nomen ejus Moyses, dicens, quia de aqua tuli eum. Tu.

Ant. Auferte ista hinc, dicit Dominus : et nolite facere domum Patris mei domum negociationis.

Ps. Benedictus Dominus (p. 35).

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut observationes sacras annua devotione recolentes et corpore tibi placeamus et mente. Per Dominum.

Ad Vesperas.

Ant. Solvite templum hoc, dicit

* P. dclii.—'*Hymnus.* Ecce nunc tempus.' *Chev.*

† 'cirpeam,' *Chev.*

Dominus, et post triduum reædificabo illud. hoc autem dicebat de templo corporis sui.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deprecationem nostram, quæsumus, Domine, benignus exaudi : et quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium. Per Dominum nostrum.

Feria tertia.

Lectio i. (*Exodi ii.* 11.)

In diebus illis postquam creverat Moyses, egressus ad fratres suos vidit afflictionem eorum, et virum Egyptium percutientem quendam de Hebreis fratribus suis. Cumque circumspexisset huc atque illuc, et nullum adesse vidisset, percussum Egyptium abscondit sabulo. Et egressus die altero, conspexit duos Hebreos rixantes. Dixitque ei qui faciebat injuriam : Quare percutis proximum tuum? Qui respondit; Quis constituit te principem et judicem super nos? Num occidere tu me vis, sicut occidisti heri Egyptium? Timuit Moyses : et ait; Quomodo palam factum est verbum istud?

Lectio ii. [*Exod. ii.* 15.]

Audivitque Pharao sermonem hunc, et quærebat occidere Moysen. Qui fugiens de conspectu ejus moratus est in terra Madian : et sedit juxta puteum. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerant ad hauriendam aquam : et impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui. Supervenerunt pastores, et ejecerunt eas.

Lectio iii. [*Exod. ii.* 17.]

Surrexitque Moyses : et defensis puellis adaquavit oves earum. Quæ cum revertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas; Cur velocius venistis solito? Responderunt; Vir Egyptius liberavit nos de manu pastorum : insuper et hausit aquam nobiscum, potumque dedit ovibus. At ille, ubi est, inquit? Quare dimisistis hominem? Vocate eum, ut comedat panem. Juravit ergo Moyses, quod habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiam ejus uxorem, quæ peperit ei filium, quem vocavit Gersan, dicens; Advena fui in terra aliena. Alterum vero peperit : quem vocavit Eliezer, dicens; Deus enim patris mei adjutor meus : et eripuit me de manu Pharaonis.

Ant. Quid me quæritis interficere hominem qui vera locutus sum vobis?

Ps. Benedictus.

Oratio. Sacræ nobis, quæsumus, Domine, observationis jejunia et piæ conversationis augmentum, et tuæ propiciationis continuum præstet auxilium. Per.

Ad Vesperas.

Ant. Unum opus feci, et admiramini, quia totum hominem sanum feci in sabbato.

Ps. Magnificat.

Oratio. Miserere, quæsumus, Domine, populo tuo : et continuis tribulationibus laborantem propicius respirare concede. Per.

Feria quarta.

Lectio i. (*Exodi ii.* 23.)

Post multum vero temporis mortuus est rex Egypti : et ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt. Ascenditque clamor eorum ad Deum pro operibus, et audivit gemitum eorum : ac recordatus est fœderis quod pepigerat cum Abraham et Ysaac et Jacob. Et respexit Dominus filios Israel, et liberavit eos. Moyses autem pascebat oves Jetro soceri sui, sacerdotis Madian. Cunque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Oreb. Apparuitque ei Dominus in flamma

ignis de medio rubi : et videbat quod rubus arderet, et non combureretur.

Lectio ii. [*Exod. iii.* 3.]

Dixit ergo Moyses; Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait; Moyses, Moyses. Qui respondit, Assum; At ille, ne appropies, inquit, huc. Solve calciamentum de pedibus tuis : locus enim in quo stas terra sancta est. Et ait; Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, et Deus Ysaac, et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam : non enim audebat respicere contra Deum. Tu autem.

Lectio iii. [*Exod. iii.* 7.]

Cui ait Dominus. Vidi afflictionem populi mei in Egypto, et clamorem ejus audivi, propter duriciam eorum qui præsunt operibus : et sciens dolorem ejus descendi ut liberarem eum de manibus Egyptiorum, et educerem de terra illa in terram bonam et spaciosam : in terram quæ fluit lacte et melle, ad loca Chananei, et Ethei, et Amorrei, et Pheresei, et Evei, et Jebusei. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me : vidique afflictionem eorum qua ab Egyptiis opprimuntur. Sed veni mittam te ad Pharaonem : ut educas populum meum filios Israel de Egypto.

Ant. Rabbi, quis peccavit hic aut parentes ejus, quod cæcus natus est? Respondit Jesus et dixit : neque hic peccavit neque parentes ejus : sed ut manifestentur opera Dei in illo.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui et justis præmia meritorum, et peccatoribus per jejunium veniam præbes, miserere supplicibus tuis : ut reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per Dominum.

AD VESPERAS.

Ant. Ille homo qui dicitur Jesus lutum fecit ex sputo, et linivit oculos meos et modo video.

Ps. Magnificat.

Oratio. Pateant aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium : et ut petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi placita sunt postulare. Per Dominum.

FERIA QUINTA.

Lectio i. (*Exodi iii.* 11.)

Dixit Moyses; Quis ego sum ut vadam ad Pharaonem et educam filios Israel de Egypto? Qui dixit ei; Ego ero tecum : et hoc habebis signum quod miserim te. Cum eduxeris populum meum de Egypto, immolabis Deo super montem istum. Ait Moyses ad Deum; Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis, Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint michi, quod est nomen ejus : quid dicam eis? Dixit Dominus ad Moysen; Ego sum qui sum. Et ait; Sic dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysen; Hæc dices filiis Israel, Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, et Deus Ysaac, et Deus Jacob, misit me ad vos. Hoc nomen michi est inæternum : et hoc memoriale meum in generatione et generationem. Tu.

Lectio ii. [*Exod. iii.* 16.]

Vade, congrega seniores Israel : et dices ad eos; Dominus Deus patrum vestrorum apparuit michi: Deus Abraham, et Deus Ysaac, et Deus Jacob, dicens; Visitans visitavi vos, et vidi omnia quæ acciderunt vobis in Egypto : et dixi ut educam vos de afflictione Egypti, in terram

Chananei, et Ethei, et Amorrei, et Pherezei, et Evei, et Jebusei, ad terram fluentem lacte et melle. Et audient vocem tuam. Tu autem, Domine.

Lectio iii. [*Exod. iii.* 18.]

Ingredierisque tu et seniores Israel ad regem Egypti : et dices ad eum; Dominus Deus Hebreorum vocavit nos : ibimus viam trium dierum per solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro. Sed ego scio quod non dimittet vos rex Egypti ut eatis : nisi per manum validam. Extendam enim manum meam, et percutiam Egyptum in cunctis mirabilibus meis : quæ facturus sum in medio eorum. Post hæc dimittet vos. Daboque gratiam populo huic coram Egyptiis. Et cum egrediemini, non exibitis vacui : sed postulabit mulier a vicina sua, et ab hospita sua, vasa argentea et aurea ac vestes, ponetisque eas super filios et filias vestras : et spoliabitis Egyptum. Respondit Moyses, et ait; Non credent michi neque audient vocem meam : sed dicent; Non apparuit tibi Dominus.

Ant. Pater diligit Filium : et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.

Ps. Benedictus.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut quos jejunia votiva castigant, ipsa quoque sancta devotio lætificet : ut terrenis affectibus mitigatis facilius cælestia capiamus. Per Dominum.

Ad Vesperas.

Ant. Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.

Ps. Magnificat.

Oratio. Populi tui, Deus, institutor et rector, peccata quibus impugnatur expelle : ut semper tibi placitus, et tuo munimine sit securus. Per.

Feria sexta.

Lectio i. (*Exod. iv.* 2.)

Dixit ergo ad eum Dominus; Quid est quod tenes in manu tua? Respondit; Virga. Dixitque Dominus; Projice illam in terram. Projecit, et versa est in colubrum : ita ut fugeret Moyses. Dixitque Dominus; Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus. Extendit et tenuit : versaque est in virgam. Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum tuorum : Deus Abraham, et Deus Ysaac, et Deus Jacob. Dixitque Dominus rursum; Mitte manum in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. Retrahe (ait) manum in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterum : et erat similis carni reliquæ. Si non crediderint (inquit) tibi, neque audierint sermonem signi prioris : credent verbo signi sequentis.

Lectio ii. [*Exod. iv.* 9.]

Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam, sume aquam fluminis et funde eam super aridam : et quicquid hauseris de fluvio vertetur in sanguinem. Ait Moyses; Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius : et ex quo locutus es ad servum tuum impeditioris et tardioris linguæ sum. Dixit Dominus ad eum; Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et cæcum? Nonne ego? Perge igitur, et ego ero in ore tuo : doceboque te quid loquaris. At ille, obsecro (inquit) Domine : mitte quem missurus es.

Lectio iii. [*Exod. iv.* 14.]

Iratus Dominus in Moysen ait; Aaron frater tuus Levites scio quod eloquens sit : ecce ipse egredietur in

occursum tuum, vidensque te lætabitur corde. Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus : et ego ero in ore tuo et in ore illius, et ostendam vobis quid agere debeatis. Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum : tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. Tu.

Ant. Lazarus amicus noster dormit, eamus et a somno excitemus eum.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis, præsta, quæsumus, ut ecclesia tua æternis proficiat institutis, et temporalibus non destituatur auxiliis. Per.

Ad Vesperas.

Ant. Domine, si hic fuisses Lazarus non esset mortuus, ecce jam fœtet quatriduanus in monumento.

Ps. Magnificat.

Oratio. Da, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, sub tua semper protectione gaudeamus. Per Dominum.

Sabbato.

Lectio i. (*Exod. iv.* 18.)

Abiit Moyses et reversus est ad Jethro socerum suum : dixitque ei, Vadam et revertar ad fratres meos in Egyptum, ut videam si adhuc vivant, Cui ait Jethro; Vade in pace. Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian, Vade et revertere in Egyptum: mortui enim sunt omnes qui quærebant animam tuam. Tulit Moyses uxorem suam et filios suos, et imposuit eos super asinum: reversusque est in Egyptum portans virgam Dei in manu sua. Tu autem.

Lectio ii. [*Exod. iv.* 21.]

Dixitque ei Dominus revertenti in Egyptum, Vide ut omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone. Ego indurabo cor ejus : et non dimittet populum. Dicesque ad eum ; Hæc dicit Dominus. Filius primogenitus meus Israel. Dixi tibi; Dimitte filium meum ut serviat michi : et noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.

Lectio iii. [*Exod. iv.* 24.]

Cunque esset in itinere in diversorio, occurrit ei Dominus et volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circuncidit præputium filii sui : tetigitque pedes suos, et ait, Sponsus sanguinum tu michi es. Et dimisit eum postquam dixerat, Sponsus sanguinum tu michi es, ob circuncisionem. Dixit autem Dominus ad Aaron. Vade in occursum Moysi, in desertum. Qui perrexit ei obviam in montem Dei : et osculatus est eum. Narravitque Moyses Aaron omnia verba Domini, pro quibus miserat eum : et signa quæ mandaverat. Veneruntque simul : et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel. Loquutusque est eis Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen : et fecit signa coram populo, et credidit populus : audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem eorum : et proni adoraverunt. Tu autem.

Ant. Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris : sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.

Ps. Benedictus.

Oratio. Fiat, quæsumus, Domine, per gratiam tuam fructuosus nostræ devotionis affectus : quia tunc nobis proderunt suscepta jejunia, si tuæ sint placita pietati. Per Dominum.

Ab hac die usque ad crastinum Octavarum Paschæ nichil fiat de Festis

ix Lectionum, nisi solummodo de Festis duplicibus, et hoc usque ad Cenam Domini tantum. Si aliquod duplex Festum in hoc sabbato, vel in sabbato sequente contigerit, Vesperæ fiant de Dominica, et solennis Memoria de Festo.

DOMINICA IN PASSIONE.

1\. A. Dominica in Passione tota dicitur hystoria, et Festum S. Gregorii differatur in crastinum. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Festo, fiat solennis memoria de Dominica.

Hystoria dominicalis dicitur per ebdomadam incipiendo cum secundo responsorio, et in v. Feria dicitur viii. R. hystoriæ cum duobus responsoriis ferialibus.

Festa vero SS. Edwardi, Cuthberti et Benedicti differantur usque ad translationes eorundem.

2\. A. Dominica in Passione de servitio dominicali. Ad i. vesperas fiat memoria de S. Edwardo et Festa SS. Cuthberti et Benedicti differantur usque ad translationes eorum.

Feria iv. dicitur viii. R. hystoriæ cum ii. Responsoriis ferialibus.

Sabbato de Annunciatione. Secundæ vesperæ erunt de Dominica; et solennis memoria de Festo, licet Festum Loci fuerit.

3\. A. Dominica in Passione de servitio dominicali. Ad ii. vesperas, fiat solennis memoria de Annunciatione.

Feria iv. dicitur viii. R. cum duobus responsoriis ferialibus.

4\. A. Dominica in Passione de servitio dominicali.

Feria iii. de S. Ambrosio. Cap. *Ecce Sacerdos:* et Festum S. Richardi differatur usque ad translationem ejus.

Feria v. dicitur viii. R. cum ii. responsoriis ferialibus.

5\. A. Dominica in Passione de servitio dominicali.

Feria iv. et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

1\. B. Dominica in Passione de servitio dominicali. Ad i. vesperas quæ erunt de Dominica, fiat solennis memoria de S. Gregorio; et Festa* Sanctorum differantur usque ad translationes eorum.

Et in iv. Feria et Sabbato dicitur viii. R. cum ii. responsoriis ferialibus.

2\. B. Dominica in Passione de servitio dominicali. Festa sanctorum differantur† usque ad translationes eorum.

Feria iv. dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

3\. B. Dominica in Passione de servitio dominicali.

Feria iv. et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

4\. B. Dominica in Passione de servitio dominicali, et nichil de S. Richardo usque ad translationem ejus. Secundæ vesperæ erunt de S. Ambrosio, et solennis memoria de Dominica.

Et in v. Feria dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

* 'festum sanctorum diffe.' *Chevallon.*
† 'fest. sanctorum differatur'. *Chevallon.*

5. B. Dominica in Passione de servitio dominicali.
In iv. Feria et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.
Et in v. Feria dicitur memoria de S. Tyburtio ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

1. C. Dominica in Passione de servitio dominicali, et Festa SS. Edwardi, Cuthberti et Benedicti differantur usque ad translationes eorum.
Et in iv. Feria et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

2. C. Dominica in Passione de servitio dominicali, et Festum S. Benedicti differatur usque ad translationem ejus.
Et in iv. Feria dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

3. C. Dominica in Passione de servitio dominicali.
Et in iv. Feria et in Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus, et Festum S. Richardi differatur usque ad translationem ejus.

4. C. Dominica in Passione de servitio dominicali, et Festum S. Ambrosii differatur in crastinum. Secundæ vesperæ erunt de S. Ambrosio, et solennis memoria de Dominica.
Feria v. dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

5. C. Dominica in Passione de servitio dominicali.
Feria iv. et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

1. D. Dominica in Passione de servitio dominicali.
Feria iv. dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.
Feria v. de S. Gregorio.

2. D. Dominica in Passione de servitio dominicali, et Festa Sanctorum [Edwardi, Cuthberti, et Benedicti] differantur usque ad translationes eorum.
Feria iv. et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

3. D. Dominica in Passione de servitio dominicali.
Et in v. Feria dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.
Feria iv. de Annunciatione, et solennis memoria de Jejunio.

4. D. Dominica in Passione de servitio dominicali, et Festum S. Richardi differatur usque ad translationem ejus.
Et in iv. Feria dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

5. D. Dominica in Passione de servitio dominicali. Ad i. vesperas solennis memoria de Festo [S. Ambrosii].
In iv. Feria et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

1. E. Dominica in Passione de servitio dominicali.
In v. Feria dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.
Feria iv. de S. Gregorio. Cap. *Ecce Sacerdos.*

2. E. Dominica in Passione de servitio dominicali.
Feria iv. et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus. Festa [SS. Edwardi, Cuthberti, et Benedicti] differantur usque ad translationes eorum.

3. E. Dominica in Passione de servitio dominicali.
Feria v. dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.
Feria iii. de Annunciatione, et solennis memoria de Jejunio.

4. E. Dominica in Passione de servitio dominicali.
Et in iv. Feria dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus. Festum S. Richardi differatur usque ad translationem ejus.
Feria vi. de S. Ambrosio. Cap. *Ecce Sacerdos.*

5. E. Dominica in Passione de servitio dominicali.
Et in iv. Feria et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

1. F. Dominica in Passione de servitio dominicali.
Feria v. dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.
Feria iii. de S. Gregorio. Cap. *Ecce Sacerdos.*

2. F. Dominica in Passione de servitio dominicali.
Feria iv. et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus, et Festa [SS. Edwardi, Cuthberti et Benedicti] differantur usque ad translationem eorum.

3. F. Dominica in Passione de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de S. Maria et solennis memoria de Dominica.
Feria ii. de Annunciatione, et solennis memoria de Jejunio.
Feria v. dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

4. F. Dominica in Passione de servitio dominicali, et nichil de S. Richardo usque ad translationem ejus.
Feria v. de S. Ambrosio. Cap. *Ecce Sacerdos.*
Feria iv. dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

5. F. Dominica in Passione de servitio dominicali.
Feria iv. et Sabbato dicitur viii. R. responsoriis ferialibus.

1. G. Dominica in Passione de Dominica. Secundæ vesperæ erunt de S. Gregorio. Cap. *Ecce Sacerdos;* et solennis memoria de Dominica.
Feria v. dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

2. G. Dominica in Passione de Dominica.
In iv. Feria et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus. Festa Sanctorum [ix lectionum, Edwardi, Cuthberti et Benedicti,] differantur usque ad translationem eorum.

3. G. Dominica in Passione de Dominica. Festum Annunciationis differatur licet Festum Loci fuerit. Secundæ vesperæ erunt de Annunciatione, et solennis memoria de Dominica.
Feria ii. de Annunciatione, et solennis memoria de Jejunio.
Feria v. dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

4. G. Dominica in Passione de Dominica, et nichil de S. Richardo usque ad translationem ejus.
Feria iv. de S. Ambrosio. Cap. *Ecce Sacerdos;* et solennis memoria de Jejunio.
Feria v. dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

5. G. Dominica in Passione de Dominica.
In iv. Feria et Sabbato dicitur viii. R. cum responsoriis ferialibus.

DOMINICA IN PASSIONE DOMINI.

Ad Vesperas.

Ant. Benedictus.

Ps. *Ipsum* (*cxliii.* p. 215).

Deinceps non dicatur neuma in fine Antiphonæ usque ad Octavas Paschæ : Versus tamen, et Benedicamus, *et* Kyrieleyson, *et Gradale, et cetera hujusmodi, cum neuma dicuntur, more solito, usque ad Cenam Domini :* Kyrieleyson *vero semper cum neuma dicitur.*

Capitulum. (*Thre. iii.* 58.) Judicasti, Domine, causam animæ meæ : defensor vitæ meæ, Domine Deus meus.

R. Circundederunt me viri mendaces sine causa : flagellis ceciderunt me. Sed tu, Domine, defensor, vindica me.

V. Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet.

Sed tu.

Non dicitur Gloria : *sed repetatur Responsorium* Circundederunt.

Hymnus.

Vexilla regis prodeunt :
Fulget crucis mysterium,
Quo carne carnis Conditor
Suspensus est patibulo.

Confixa clavis viscera,
Tendens manus vestigia,
Redemptionis gratia
Hic immolata est hostia.

Quo vulneratus insuper
Mucrone diræ lanceæ :
Ut nos lavaret crimine
Manavit unda sanguine.

Impleta sunt quæ concinit
David fidelis carmine,
Dicendo nationibus
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

Beata cujus brachiis
Precium pependit seculi :
Statera facta est corporis
Prædamque tulit tartaris.

Ad istum versum O crux ave *convertat se Chorus ad altare, usque ad inceptionem Psalmi* Magnificat.

O crux ave spes unica
Hoc passionis tempore,
Auge piis justiciam
Reisque dona veniam.

Te summa Deus Trinitas
Collaudet omnis spiritus :
Quos per crucis mysterium
Salvas, rege per secula. Amen.

V. Dederunt in escam meam fel.

R. Et in siti mea potaverunt me aceto.

Ant. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso : et testimonium perhibet de me qui misit me Pater.

Ps. Magnificat.

Oratio. Quæsumus, omnipotens Deus, familiam tuam propicius respice : ut te largiente regatur in corpore, et te servante custodiatur in mente. Per.

Ad Completorium.

Ant. Miserere.

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 222).

Capitulum. Tu in nobis.

R. In manus tuas,

Chorus prosequatur totum, Domine, Commendo spiritum meum.

Clericus dicat V. Redemisti me, Domine Deus veritatis.

Commendo.

Non dicitur Gloria : *sed repetatur Responsorium* In manus.

Hymnus.

Cultor Dei, memento
Te fontis et lavacri
Rorem subisse* sanctum,
Te crismate innovatum.

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile :
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.

Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ :
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

Procul o procul vagantum
Portenta somniorum :
Procul esto pervicaci
Præstigiator astu.

O tortuose serpens,
Qui mille per meandros
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda :

Discede, Christus hic est,
Christus hic est, liquesce :
Signum quod ipse nosti
Damnat tuam catervam.

Corpus licet fatiscens
Jaceat reclive paululum :
Christum tamen sub ipso
Meditabitur sopore.

Gloria æterno Patri :
Et Christo vero regi :
Paraclytoque sancto,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

V. Custodi nos, Domine.

Ant. O Rex gloriose inter sanctos tuos, qui semper es laudabilis et tamen ineffabilis, tu in nobis, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos, Deus noster, ut in die judicii nos collocare digneris Inter sanctos et electos tuos, Rex benedicte.

Ps. Nunc dimittis.

V. Rex benedicte, tuos per prospera dirige servos.

Inter sanctos *et dicatur usque ad finem Antiphonæ:*

Alius V. Ut tergant miseras pia per jejunia culpas.

Rex benedicte.

Alius V. Atque colant puræ solennia mystica Paschæ.

Inter sanctos et electos tuos, Rex benedicte.

Hoc Completorium dicitur quotidie usque ad Cenam Domini supradicto modo, de quocunque fit servitium : excepto quod in feriis non dicuntur Versus post Nunc dimittis : *ita tamen quod in sabbato dicuntur Versus in superiori gradu, et in Dominica in secunda forma, supradicto modo. In Dominica vero in Ramispalmarum ad utrumque Completorium in superiori gradu dicuntur. Similiter fiat in Festis duplicibus infra Passionem contingentibus. Dicantur etiam in quarta feria ante Pascha prædicti Versus in secunda forma.*

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Hodie si vocem Domini audieritis. Nolite obdurare corda vestra.

Ps. Venite.

Et dicitur sine Gloria : *sed post primum, tertium, et quintum versum Psalmi, repetatur* Nolite obdurare. *Post secundum vero et quartum versum totum repetatur Invitatorium. Et sic fiat quotidie usque ad Cenam Domini, ad Matutinas de temporali tantum : et causa subest quia non dicitur* Gloria *in fine Psalmi* Venite.

* 'subijce'. *Chevallon.*

Hymnus.

Pange lingua gloriosi prœlium certaminis :
Et super crucis trophæum dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit.

De parentis prothoplasti fraude facta condolens,
Quando pomi noxialis morte morsu corruit,
Ipse lignum tunc notavit damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret
Et medelam ferret inde hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris Natus orbis Conditor :
Atque ventre virginali caro factus prodiit.

Gloria et honor Deo usque quo altissimo,
Una Patri Filioque inclyto Paraclyto :
Cui laus est et potestas per æterna secula. Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Vulpes foveas habent et volucres cæli nidos. Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).

Hæc sola Antiphona dicitur in primo Nocturno super omnes Psalmos ante Lectiones : et finiantur Psalmi cum Gloria, *sicut in præcedentibus Dominicis. Ita tamen quod quotienscunque dicitur* Gloria *post Psalmum, exaltetur Psalmus si necesse fuerit : et sic fiat in sequentibus Nocturnis hujus Dominicæ, et in sequentibus diebus usque ad Cenam Domini.*

V. Erue a framea, Deus, animam meam.

R. Et de manu canis unicam meam.

Hac die incipiatur Hieremias : et legatur quotidie usque ad Pascha, quando de temporali agitur : tamen cum fuerint novem Lectiones de temporali, tunc in primo Nocturno de prophetia Hieremiæ tantum legatur.

Lectio i. (*Hiere. i.* 1.)

Verba Hieremiæ filii Helchiæ de sacerdotibus qui fuerunt in Anathot in terra Benjamin. Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Josiæ filii Amon regis Juda : in tertiodecimo anno regni eius. Et factum est in diebus Joachim filii Josiæ regis Juda, usque ad consummationem undecimi anni Sedechiæ filii Josiæ regis Juda, usque ad transmigrationem Hierusalem in mense quinto.

Hæc dicit Dominus Deus, convertimini ad me : et salvi eritis.

Sic finiantur omnes Lectiones de prophetia : nisi in tribus noctibus ante Pascha.

R. 1. Isti sunt dies quos observare debetis temporibus sūis. Quartadecima die ad vesperum Pascha Domini est : et in quintadecima solennitatem celebrabitis Altissimo Domino.

V. Locutus est Dominus ad Moysen dicens : loquere filiis Israel et dices ad eos.

Quartadecima.

Hoc prædictum Responsorium non dicatur per ebdomadam sequentem, sed ad has Matutinas tantum.

Lectio ii. [*Hiere. i.* 4.]

Et factum est verbum Domini ad me, dicens. Priusquam te formarem in utero novi te : et antequam exires

de vulva sanctificavi te: et prophetam in gentibus dedi te. Et dixi, A. a. a. Domine Deus. Ecce nescio loqui: quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me; Noli dicere, quia puer ego sum: quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, et universa quæcunque mandavero tibi loqueris. Ne timeas a facie eorum: quia ego tecum sum ut eruam te, dicit Dominus. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum. Et dixit Dominus ad me; Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super gentes et super regna: ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. Hæc dicit Dominus.

R. 2. Multiplicati sunt qui tribulant me: et dicunt, non est salus illi in Deo ejus. Exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

V. Nequando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

Exurge.

Lectio iii. [*Hiere. i.* 11.]

Et factum est verbum Domini ad me, dicens; Quid tu vides, Hieremia? Et dixi; Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me; Bene vidisti: quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud. Et factum est verbum Domini secundo ad me, dicens; Quid tu vides? Et dixi; Ollam succensam ego video: et faciem ejus a facie aquilonis. Et dixit Dominus ad me; Ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ: quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum aquilonis, dicit Dominus, et venient et ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Hierusalem, et super omnes muros ejus in circuitu, et super universas urbes Juda. Et loquar judicia mea cum eis super omni malicia eorum, qui dereliquerunt me et libaverunt diis alienis, et adoraverunt opus manuum suarum. Hæc dicit.

R. 3. Qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum dicentes, Deus dereliquit eum: persequimini et comprehendite eum: quia non est qui liberet eum. Deus meus, ne longe eas a me: Deus meus, in adjutorium meum intende.

V. Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala michi: verbum iniquum mandaverunt adversum me dicentes,

Deus dereliquit.

Hunc Versum non sequitur Gloria, *sed Responsorium reincipiatur.*

Idem modus servetur in sexto et nono Responsoriis, et in quotidianis Responsoriis super Horas, et in tercio Responsorio ad Matutinas: et quotidie fiat hoc modo usque ad Pascha, quando de temporali agitur tantum.

In secundo Nocturno.

Ant. Sicut exaltatus est serpens in heremo: ita exaltari oportet Filium hominis.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. De ore leonis libera me, Domine.

R. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Mediæ Lectiones de sermone beati Johannis episcopi.

Lectio iiii. Magnum Hieremiæ sanctissimi meritum: magnum in eum collatum divinitus bonum. Magnum, inquam, Hieremiæ est meritum, qui ante promeretur quam nascitur: ante sanctificatur quam editur: ante propheta constituitur quam mundi exordio potiatur. Dicuntur ejus merita: et ab eo necdum exercentur officia. Dona narrantur: nec tamen donorum causæ tractantur. Promotio dicitur: et necdum

promotionis negocium aperitur. Noli (inquit Dominus) putare, Hieremia, quod hodie te prophetam constituo, aut nunc primum ad istam gentem corrigendam præmitto. Olim enim, olim michi probatus ac notus es: olim consecratus ac dignus, olim propheta gentibus institutus. Te michi aptum, te ydoneum, præscientia ipsa monstravit. Tibi prophetandi præsagium, et fiduciam prædicandi attribui. Per te prophetæ officia et meæ dispositionis nuncia perferri ad illos institui. Te tamen nemo deterreat: nemo tibi formidinem vanam immittat. Inter me et ipsos tu eris medius, qui jussa perferas, præcepta ostendas, mandata edicas. Nec poteris reticere quæ loquor ne silendo possis afferre perniciem, qui prædicando poteris conferre salutem. Quid est (inquit) Dominator Domine? Cur in juniore tam onerosum pondus imponis? Cur ad corrigendum populum ætatem parvulam dirigis? Cur prophetandi michi tantam operam credis? Ego enim nec ad exequendum ydoneus, qui ætate premor, sermone impedior, officio terreor. Noli, inquit Dominus, dicere, quia junior ego sum. Hoc enim per te fieri volui. Hoc per te impleri præcepi: ut junior senes, et ineloquens eloquentes objurges. Te michi dignum meritum non ætas constituit: te idoneum sanctitas non qualitas sermonis asseruit. Apud me enim non ætas junior impeditur, aut senior collaudatur: sed actus et vita et morum dignitas comprobatur. In te quod amo, in alio non invenio. Eloquentes plurimos video, sed probos invenire non possum. Senes innumeros cerno, sed degeneres omnes aspicio. Quare te ad gentes et populos mitto: ut corrigantur pravi, digressi redeant, contemptores obaudiant. Nec aliud poteris velle quam volo: quia propterea dilectus es, dum efficis quod exopto. Tu.

R. 4. Deus meus es tu, ne discedas a me. Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet.

V. Deus, Deus meus, respice in me.

Quoniam tribulatio.

Lectio v. Procedit Hieremias ad populum, jussa Domini constanter edicens. Loquitur ad plebem, aggreditur omnes: Dei verba insinuat. Hæc (inquit) dicit Dominus; Quod invenerunt in me patres vestri delictum, quia recesserunt a me? Proh dolor. Dominus cum contemnentibus fabulatur. Vult enim inter ipsos et se judicium celebrari: vult offensionis auctorem detegi, vult delicti causam et contemptus materiam denudari. Cur me, inquit, contemnitis? Cur me sacrilega mente deseritis? Si vobis unquam contraria intuli, si prospera denegavi, si vos in aliquo deserendo offendi, narrate. Si vero cuncta præstiti quæ optastis, nec unquam vobis aut solatia abstuli aut beneficia denegavi: quare vos in prosperis læsi, quare muneribus offendi, quare beneficiis desertores exhibui? Vos denique ipsi cur bonis mala rependitis? Cur beneficiis contraria irrogatis? Aut numquid ut serviatis nocendum est, aut ut revertamini vindicandum? Puto enim melius sponte quam coacti servitis. Melius illæsos dignitas corrigit, quam læsos censura convertit. Melius vos utilia revocant, quam pœnæ discruciant. Propter vos Egyptios pressi, Pharaonem delevi, Amorreos extinxi: in terram vos repromissionis induxi. Deos suos gentes nunquam deserunt, nunquam immutant: nunquam in alienos cultus transiliunt. Quod colere natio quæque instituit, hoc formidat, hoc tremit, hoc instanter defendit, hoc veneratur ac suscipit. Perseverat colere quod colit; ne mutato ritu errasse dicatur,

dum quod coluerat deserit. Ille suum defendit errorem: et tu tuam, Israelita, non vindicas veritatem. Ille perseverat in falso: et tu non perseveras in vero. Ille figmentum veneratur et colit: et tu Deum adversaris et despicis. Ille sua castra defendit: tu tantum imperatorem offendis dum deseris. Prohnephas. Figmentum nichil præstat, et colitur: Deus cuncta largitur, et a profano populo declinatur. Tu autem, Domine.

R. 5. Tota die contristatus ingrediebar, Domine: quoniam anima mea impleta est illusionibus. Et vim faciebant qui quærebant animam meam.

V. Et qui inquirebant mala michi locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.

Et vim faciebant.

Lectio vi. Si tibi, Israelita, ex ipsis quispiam diceret: Ego semper quod colui colo: quod defendi defendo, quod venerari institui nunquam destitui. Cur tu deseris tua? Cur exempla non sequeris mea: ut ita tua retinere contendas ut mea conspicis retinere? Aut cur quem colebas Dominum deseris, cum me figmentum nunquam deseruisse conspexeris? Aut quare non poteris meo provocari exemplo, cum tuo ego debuerim provocari? Quam defensionem poteris salutis obtendere, quam vindicationem poteris invenire, qui nec aliena opprimis, nec tua defendis, nec reos redarguis, nec te innocentem ostendis? Revertere, quæso, revertere ad Deum. Revertere, inquam, ad Deum: quia præter illum invenire non poteris alium. Revertere ad eum quem indigne offenderas: revertere ad eum quem crudeliter deserebas. Revertere ad eum, qui idcirco causam proponit ut purget: qui idcirco objurgat ut salvet, qui idcirco ante præstruit ne condemnet, dicendo, Quod invenerunt in me patres vestri delictum, quia recesserunt a me? O veneranda pietas Dei. O detestanda contumacia populi. Dicite (inquit Dominus) quid peccaverim, quidve deliquerim? Cur a vobis contemnar ac deserar? Cur post beneficia talia non agnoscar, nec post innumera dona a vobis universis attendar? Aut meam culpam edicite, aut contemptus pœnas exolvite: aut me vobis in aliquo defuisse monstrate, aut vos michi paruisse ostendite. Quid agis, homo? Quid angeris? Quid respondere poteris, qui incusaris? Provocaris a Deo, qui suæ offensæ a te causas exposcit: qui tui contemptus rationes exquirit: qui te sua beneficia duxisse in irritum recognoscit. Quia de ipso non habes quod queraris, de te jam judica quod mereris. Confitere igitur, confitere quod verum est, et Dominum in suo præstito non cessasse, et te indigne ac sacrilege contempsisse. Confessio enim criminis venia est contemptoris. Cito flectitur ut ignoscat, qui ad hoc imperat ut defendat. Non te Dominus contemnit si redeas: et si tu contempseras cum abibas. Non te despicit revertentem, qui aliquando horruit desertorem. Tuos non aspernabitur reditus, qui ut redeas suos demonstrat affectus. Revertimini, inquit, ad me: et revertar ad vos. Et iterum; Nolo mortem peccatoris: sed ut convertatur et vivat. Cupit ignoscere, desiderat misereri: desertoris prævenit preces, dum ipse hortatur ut homo qui deseruit revertatur. Desertores desertus invitat: contemnentes contemptus revocat: offensus reis se ingerit ut ignoscat. Quare desertor redeat, contemptor serviat, fidem fidelis exhibeat: ut desertori indulgentiam, et contemptori veniam, et fideli gloriam cælestis tribuat im-

perator: qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Tu autem.

R. 6. Deus meus, eripe me de manu peccatoris et de manu contra legem agentis et iniqui. Quoniam tu es patientia mea.

V. Eripe me de inimicis meis, Deus meus: et ab insurgentibus in me libera me.

Quoniam tu es.

In tertio Nocturno.

Ant. Recordare mei, Domine, et erue me ab his qui persequuntur me.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

V. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.

R. Et cum viris sanguinum vitam meam.

Secundum Johannem viii. [46—59].

In illo tempore; Dixit Jesus turbis Judeorum et principibus sacerdotum; Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico: quare vos non creditis mihi? Qui est ex Deo: verba Dei audit. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ (*xviii.**).

Pensate, fratres charissimi, mansuetudinem Dei. Relaxare peccata venerat: et dicebat; Quis ex vobis arguet me de peccato? Non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare. Sed terribile est valde quod subditur; Qui est ex Deo verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si enim ipse verba Dei audit, qui ex Deo est, et audire verba Dei non potest quisquis ex illo non est: interroget se unusquisque si verba Dei in aure cordis percipit, et intelligat unde sit. Cælestem patriam desiderare veritas jubet, carnis desideria conterere, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penset unusquisque vestrum apud se, si hæc vox Dei in cordis ejus aure convaluit, et quia jam ex Deo sit agnoscit.

R. 7. Adjutor et susceptor meus tu es, Domine, et in verbum tuum speravi. Declinate a me maligni: et scrutabor mandata Dei mei.

V. Iniquos odio habui: et legem tuam dilexi.

Declinate.

Lectio viii. Nam sunt nonnulli qui præcepta Dei nec aure corporis audire dignantur. Et sunt nonnulli qui hæc quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur. Et sunt nonnulli qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam fletibus compungantur, sed post lachrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba Dei non audiunt, quia hæc exercere in opere contemnunt. Vitam ergo vestram, fratres charissimi, ante mentis oculos revocate, et alta consideratione pertimescite hoc quod ex ore veritatis sonat. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Sed hoc quod de reprobis veritas loquitur, ipsi de semetipsis reprobi iniquis suis operibus ostendunt. Nam sequitur; Responderunt ergo Judei et dixerunt; Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?

R. 8. In te jactatus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discedas a me. Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet.

V. Salva me ex ore leonis et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Quoniam.

Lectio ix. Accepta ergo tanta contumelia, quid Dominus respondeat

* *Gregorii* in Evangelia, Lib. I. Hom. xviii. *Opera* I. 1506.

audiamus. Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. Quia enim Samaritanus interpretatur custos, et ipse veraciter custos est, de quo Psalmista ait : nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam : et cui per Esayam dicitur, Custos, quid de nocte : custos, quid de nocte : respondere noluit Dominus, Samaritanus non sum : sed, Ego dæmonium non habeo. Duo quippe ei illata fuerant. Unum negavit : et aliud tacendo consensit. Custos namque humani generis venerat. Et si Samaritanum se non esse diceret, esse se custodem negaret. Sed tacuit quod recognovit : et patienter repulit quod fallaciter audivit, dicens ; Ego dæmonium non habeo. In quibus verbis quid aliud quam superbia nostra confunditur : quæ si exagitata vel leviter fuerit, atrociores injurias reddit quam accepit. Facit mala quæ potest : et minatur quæ facere non potest.

R. 9. In proximo est tribulatio mea, Domine, et non est qui adjuvet : ut fodiant manus meas et pedes meos. libera me de ore leonis, Ut enarrem nomen tuum fratribus meis.

V. Erue a framea, Deus, animam meam : et de manu canis unicam meam.

Ut enarrem.

Responsorium. In proximo.

Ferialia Responsoria.

R. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam : et cum viris sanguinum vitam meam. Redime me, Domine.

V. Eripe me, Domine, ab homine malo : et a viro iniquo libera me.

Redime.

R. Ne avertas faciem tuam a puero tuo, Domine. Quoniam tribulor, velociter exaudi me.

V. Intende animæ meæ et libera eam : propter inimicos meos eripe me.

Quoniam.

Hæc duo Responsoria ferialia semper dicuntur pariter in uno die: et hoc quotiens dicetur de tertio Nocturno per ebdomadam de servitio temporali.

V. Intende animæ meæ et libera eam.

R. Propter inimicos meos eripe me.

Iste Versus dicitur quotidie ante Laudes usque ad Cenam Domini, quando de temporali agitur.

In Laudibus.

Ant. Vide, Domine, afflictionem meam : quoniam erectus est inimicus meus.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Ant. In tribulatione invocavi Dominum : et exaudivit me in latitudine.

Ps. Confitemini (*cxvii.* p. 43).

Ant. Judicasti, Domine, causam animæ meæ : defensor vitæ meæ, Domine, Deus meus.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Popule meus, quid feci tibi : aut quid molestus fui responde michi.

Ps. Benedicite (*Daniel. iii.* p. 31).

Ant. Nunquid redditur pro bono malum : quia foderunt foveam animæ meæ.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. (*Hebr. ix.* 11.)

Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hyrcorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventa.

Hymnus.

Lustra sex qui jam peracta tempus implens corporis :
Se volente natus ad hoc passioni deditus :
Agnus in cruce levatur immolandus stipite.

Hic acetum, fel, arundo, sputa ; clavis, lancea
Mite corpus perforatur, sanguis, unda profluit :
Terra, ponthus, astra, mundus, quo lavatur flumine.

Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis :
Nulla silva talem profert fronde, flore, germine,
Dulce lignum dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille quem dedit nativitas
Ut superni membra regis miti tendas stipite.

Sola digna tu fuisti ferre precium seculi :
Atque portum præparare nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit fusus Agni corpore.

Gloria et honor Deo [usque quo altissimo].

V. Eripe me de inimicis meis, Deus meus.

R. Et ab insurgentibus in me libera me.

Ant. Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico : quare vos non creditis michi? qui est ex Deo verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Ps. Benedictus.

Oratio. Quæsumus, omnipotens Deus.

Ad Primam.

Ant. Ego dæmonium non habeo : sed honorifico Patrem meum, dicit Dominus.

Ps. Deus, Deus meus, respice (*xxi.* p. 37).

Ab hac die et deinceps usque ad Octavas Paschæ non dicitur Responsorium Jesu Christe : *sed post Capitulum statim dicitur Versus ab uno solo Puero ex parte chori, loco nec habitu mutato.*

V. Exurge, Domine, adjuva nos.

R. Et libera nos propter nomen tuum.

Hoc eodem modo dicitur quotidie usque ad Cenam Domini, quando de temporali agitur.

Ad Tertiam.

Ant. Ego gloriam meam non quæro : est qui quærat et judicet.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. Christus assistens pontifex.

R. Erue

Chorus prosequatur totum a framea, Deus, animam meam. Et de manu canis unicam meam.

Clericus, V. Eripe me, Domine, ab homine malo : a viro iniquo libera me.

Et de manu.

V. De ore leonis.

Ad Sextam.

Ant. Amen amen dico vobis : si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (*Hebr. ix.* 14.)

Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.

R. De ore

Chorus prosequatur totum leonis libera me, Domine. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Clericus, V. Erue a framea, Deus, animam meam : et de manu canis unicam meam.

Et a cornibus.

V. Ne perdas cum impiis.

AD NONAM.

Ant. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit et gavisus est.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (*Hebr. ix.* 15.)

Ideo, fratres, Christus novi testamenti mediator est : ut morte intercedente repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hereditatis.

R. Principes

Chorus prosequatur totum persecuti sunt me gratis : et a verbis tuis formidavit cor meum. Lætabor ego super eloquia tua,

Clericus, V. Quasi qui invenit spolia multa.

Lætabor.

V. Eripe me, Domine, ab homine malo.

R. Et a viro iniquo eripe me.

AD VESPERAS

Ant. Sede a dextris.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Capitulum. Christus assistens.

R. Usque quo

Chorus prosequatur totum exaltabitur inimicus meus super me. Respice et exaudi me, Domine, Deus meus.

Clericus, V. Qui tribulant me exultabunt si motus fuero : ego autem in misericordia tua speravi.

Respice.

Non dicitur Gloria, *sed Responsorium reincipiatur.*

Hoc Responsorium dicitur quotidie ad Vesperas per ebdomadam, quando de temporali agitur.

Hymnus. Vexilla regis.

V. Dederunt in escam meam fel.

Ant. Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum. sustulerunt lapides Judei ut jacerent in Jesum. Jesus autem abscondit se : et exivit de templo.

Ps. Magnificat.

Oratio. Quæsumus, omnipotens Deus.

FERIA II. IN PASSIONE DOMINI.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Adoremus Dominum, Qui nos redemit per crucem.

Ps. Venite.

Hoc Invitatorium dicitur quotidie ad Matutinas usque ad Cenam Domini, quando de feria agitur.

Hymnus. Pange lingua.

Ad Nocturnum Ant. Dominus defensor.

Ps. Dominus illuminatio (*xxvi.* p. 69).

Et Antiphonæ cum suis Psalmis de Nocturno more solito dicuntur : et sic fiat in singulis Nocturnis quotidie usque ad Cenam Domini, quando fit de feria.

Quotidie per hanc ebdomadam dicuntur Versus et Responsoria, ad Matutinas secundum ordinem Nocturnorum Hystoriæ Dominicalis : excepto primo Responsorio, quod non dicitur : ita tamen quod Responsoria ferialia non omittantur.

Lectio i. (*Hiere. i.* 17.)

Tu ergo accinge lumbos tuos et surge : et loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides a facie eorum : nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam : et in columnam ferream, et in murum æreum super omnem terram : regibus Juda et principibus ejus et sacerdotibus et omni populo terræ. Et bellabunt adversum te, et non prævalebunt : quia tecum ego sum, ait Dominus, ut liberem te. (*Hiere. ii.*)

Et factum est verbum Domini

ad me dicens; Vade et clama in auribus Hierusalem dicens; Hæc dicit Dominus. Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam et charitatem desponsationis tuæ: quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur. Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus. Omnes qui devorant eum delinquunt: mala venient super eos, dicit Dominus. Hæc dicit.

Lectio ii. [*Hiere. ii.* 4.]

Audite verbum Domini domus Juda, et omnes cognationes domus Israel. Hæc dicit Dominus; Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? Et non dixerunt, ubi est Dominus qui ascendere nos fecit de terra Egypti, qui transduxit nos in desertum per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis et ymaginem mortis, per terram in qua non ambulavit vir neque habitavit homo: et induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus et optima illius. Et ingressi contaminastis terram meam: et hereditatem meam posuistis in abominationem. Hæc dicit.

Lectio iii. [*Hiere. ii.* 8.]

Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus: et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me, et prophetæ prophetaverunt in Baal, et ydola secuti sunt. Propterea adhuc judicio contendam vobiscum, ait Dominus, et cum filiis vestris disceptabo. Transite ad insulas Cethym et videte, et in Cedar mittite et considerate vehementer: et videte si factum est hujusmodi: si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii. Populus vero meus mutavit gloriam suam in ydolum. Obstupescite cæli super hoc: et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ: et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

In Laudibus.

Antiphonæ et Psalmi illius feriæ.

Capitulum. (*Hiere. xi.* 18.)

Domine, demonstrasti michi et cognovi, tu ostendisti michi studia eorum: et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.

Hymnus. Lustra sex [p. dccxxix.].

V. Eripe me de inimicis.

Ant. In die magno festivitatis stabat Jesus et clamabat dicens. Si quis sitit: veniat ad me et bibat.

Ps. Benedictus.

Oratio. Sanctifica, quæsumus, Domine, nostra jejunia: et cunctarum nobis propicius indulgentiam largire culparum. Per.

Ad Primam.

Ant. Animæ impiorum fremebant adversum me, et gravatum est cor meum super eos.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ad Tertiam.

Ant. Judicasti, Domine, causam animæ meæ: defensor vitæ meæ, Domine, Deus meus.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. (*Esai. l.* 6.)

Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me: Domine Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus.

R. Erue a framea.

V. De ore leonis.

Ad Sextam.

Ant. Popule meus, quid feci tibi: aut quid molestus fui, responde michi.

Ps. Defecit in salutare (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (*Esai. l.* 7).

Domine Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus, ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar.

R. De ore leonis.

V. Ne perdas cum impiis.

AD NONAM.

Ant. Nunquid redditur pro bono malum: quia foderunt foveam animæ meæ.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (*Hiere. xvii.* 18).

Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego: paveant illi et non paveam ego; induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos, Domine Deus noster.

R. Principes.

V. Eripe me, Domine, ab homine malo.

Supradictus ordo Hymnorum, Capitulorum et Antiphonarum servetur quotidie usque ad Cenam Domini. Responsoria et Versus ad omnes Horas per ebdomadam tantum dicuntur: Antiphonæ et Capitula usque ad Cenam Domini in ferialibus diebus tantum.

AD VESPERAS.

Antiphonæ et Psalmi feriales.

Capitulum. Judicasti, Domine.

Hoc Capitulum dicitur ad Vesperas usque ad quartam feriam ante Pascha, quando de feria agitur.

R. Usque quo.

Hymnus. Vexilla regis prodeunt.

V. Dederunt in escam meam fel.

Ant. Si quis sitit, veniat et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

Ps. Magnificat.

Oratio. Da, quæsumus, Domine, populo tuo Spiritum veritatis et pacis: ut te tota mente cognoscat, et quæ tibi placita sunt pia devotione exerceat. Per Dominum. ejusdem.

FERIA TERTIA.

Lectio i. (*Hiere. ii.* 14.)

Nunquid servus est Israel, aut vernaculus? Quare ergo factus est in prædam? Super eum rugiebant leones et dederunt vocem suam, posuerunt terram ejus in solitudinem: civitates ejus exustæ sunt, et non est qui habitet in eis. Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem. Nunquid non istud est factum tibi quia dereliquisti Dominum Deum tuum, eo tempore quo ducebat te per viam? Et nunc quid tibi vis in via Egypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum ut bibas aquam fluminis? Arguet te malicia tua: et aversio tua increpabit te. Hæc dicit Dominus.

Lectio ii. [*Hiere. ii.* 19.]

Scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te: dicit Dominus Deus exercituum. A seculo confregisti jugum meum: rupisti vincula mea et dixisti, Non serviam. In omni enim colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conversa es in pravum vinea aliena? Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith: maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus. Hæc dicit.

Lectio iii. [*Hiere. ii.* 23.]

Quomodo dicis, Non sum polluta: post Baalim non ambulavi. Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris. Cursor levis explicans vias

tuas, onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui: nullus avertet eam. Omnes qui quærunt eam non deficient: in menstruis ejus invenient eam. Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti. Et dixisti; Desperavi: nequaquam faciam. Adamavi quippe alienos: et post eos ambulabo. Hæc dicit.

Ant. Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.

Ps. Benedictus.

Oratio. Nostra tibi, Domine, quæsumus, sint accepta jejunia: quæ nos et expiando gratia tua dignos efficiant, et ad remedia perducant æterna. Per Dominum.

Ad Vesperas.

Ant. Vos ascendite ad diem festum hunc: ego non ascendam. quia tempus meum nondum advenit.

Ps. Magnificat.

Oratio. Da nobis, quæsumus, Domine, perseverantem in tua voluntate famulatum: ut in diebus nostris et merito et numero populus tibi serviens augeatur. Per.

Feria quarta.

Lectio i. (*Hiere. ii.* 26.)

Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi et reges eorum, principes, et sacerdotes, et prophetæ eorum, dicentes ligno, pater meus es tu, et lapidi, tu me genuisti. Verterunt ad me tergum et non faciem: et in tempore afflictionis suæ dicent, Surge et libera nos. Ubi sunt dii tui quos fecisti tibi? Surgant et liberent te in tempore afflictionis tuæ. Secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui, Juda. Quid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Frustra percussi filios vestros: disciplinam non receperunt. Devoravit gladius vester prophetas vestros: quasi leo vastator generatio vestra: videte verbum Domini. Hæc dicit.

Lectio ii. [*Hiere. ii.* 31.]

Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? Quare ergo dixit populus meus, recessimus et non veniemus ultra ad te? Nunquid obliviscitur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris. Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem: quæ insuper et malicias tuas docuisti vias tuas: et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum? Non in fossis inveni eos, sed in omnibus quæ supra memoravi. Et dixisti. Absque peccato et innocens ego sum: et propterea avertatur furor tuus a me. Hæc dicit.

Lectio iii. [*Hiere. ii.* 35.]

Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris non peccavi. Quam vilis es facta nimis iterans vias tuas: et ab Egypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. Nam et ab ista egredieris, et manus tuæ erunt super caput tuum: quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, et nichil habebis prosperum. (*Hiere. iii.*)

Vulgo dicitur, Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eum ultra? Nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. Leva oculos tuos in directum: et vide ubi nunc prostrata sis. Hæc dicit.

Ant. Oves meæ vocem meam audiunt : et ego Dominus agnosco eas.

Ps. Benedictus.

Oratio. Sanctificato hoc jejunio, Deus, tuorum corda fidelium miserator illustra : et quibus devotionis præstas affectum, præbe supplicantibus pium benignus auditum. Per Dominum nostrum.

Ad Vesperas.

Ant. Multa bona opera operatus sum vobis, propter quod opus vultis me occidere.

Ps. Magnificat.

Oratio. Adveniat, quæsumus, Domine, misericordia tua sperata supplicibus : et eis cælestis munificentia tribuatur, quatenus et recte petenda postulent, et postulata percipiant. Per.

Feria quinta.

Lectio i. (*Hiere. iii.* 2.)

In viis sedebas expectans eos quasi latro in solitudine : et polluisti terram in fornicationibus tuis et in maliciis tuis. Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluviarum : et serotinus imber non fuit. Frons mulieris meretricis facta est tibi : noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. Nunquid irasceris in perpetuum : aut perseverabis in finem? Ecce locuta es et fecisti mala, et potuisti : et pro verbis pœnitentiæ, verbis superbiæ blasphemasti, et implesti malam cogitationem tuam : et ostendisti contra virum tuum fortitudinem tuam : ut possis facere quod sermone tractasti. Hæc dicit Dominus Deus.

Lectio ii. [*Hiere. iii.* 6.]

Et dixit Dominus ad me in diebus Josiæ regis. Nunquid vidisti quid fecerit aversatrix Israel? Abiit sibimet super omnem montem excelsum et sub omni ligno frondoso, et fornicata est ibi. Et dixi, cum fecisset hæc omnia, ad me revertere, et non est reversa. Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda, quia pro eo quod mœchata esset aversatrix Israel dimisissem eam et dedissem ei libellum repudii: et non timuit prævaricatrix Juda soror ejus, sed abiit et fornicata est etiam ipsa, et facilitate fornicationis suæ contaminavit terram, et mœchata est cum lapide et cum ligno. Et in omnibus his non est reversa ad me prævaricatrix soror ejus Juda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus.

Lectio iii. [*Hiere. iii.* 11.]

Et dixit Dominus ad me; Justificavit animam suam aversatrix Israel, comparatione prævaricationis Juda. Vade et clama sermones istos contra aquilonem : et dices, Revertere, aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis : quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum. Tamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es : et dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, et vocem meam non audisti, ait Dominus.

Ant. Quid molesti estis huic mulieri : opus enim bonum operata est in me.

Ps. Benedictus.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata medicinalis parsimoniæ studio reformetur. Per.

Ad Vesperas.

Ant. Mittens hæc mulier in corpus meum hoc unguentum : ad sepeliendum me fecit.

Ps. Magnificat.

Oratio. Esto, quæsumus, Domine, propicius plebi tuæ : ut quæ tibi non placent respuentes, tuorum po-

tius repleantur delectationibus mandatorum. Per Dominum.

Feria sexta.

Lectio i. (*Hiere. iii.* 14.)

Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus : quia ego vir vester. Et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Syon. Et dabo vobis pastores juxta cor meum : et pascent vos scientia et doctrina. Cunque multiplicati fueritis et creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus : non dicent ultra, Archa testamenti Domini, neque ascendet super cor neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra. In tempore illo vocabunt Hierusalem solium Domini : et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Hierusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi. Hæc dicit.

Lectio ii. [*Hiere. iii.* 18.]

In diebus illis ibit domus Juda ad domum Israel, et venient simul de terra aquilonis ad terram quam dedi patribus vestris. Ego autem dixi; Quomodo ponam te in filiis, et tribuam tibi terram desiderabilem, hereditatem præclaram exercituum gentium? Et dixi, Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum : sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus. Vox in viis audita est, ploratus et ululatus filiorum Israel : quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui.

Lectio iii. [*Hiere. iii.* 22.]

Convertimini, filii revertentes : et sanabo aversiones vestras. Ecce nos venimus ad te : tu enim es Dominus Deus noster. Vere mendaces erant colles, multitudo montium. Vere in Domino Deo nostro salus Israel. Confusio comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra : greges eorum et armenta eorum, filios eorum et filias eorum. Dormiemus in confusione nostra : et operiet nos ignominia nostra : quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos et patres nostri ab adolescentia nostra usque ad hanc diem, et non audivimus vocem Domini Dei nostri. Hæc dicit.

Ant. Appropinquabat autem dies festus, et quærebant principes sacerdotum quomodo Jesum interficerent; sed timebant plebem.

Ps. Benedictus.

Oratio. Cordibus nostris, quæsumus, Domine, auxilium gratiæ tuæ benignus infunde : ut peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes temporaliter potius maceremur quam suppliciis deputemur æternis. Per.

Ad Vesperas.

Ant. Principes sacerdotum consilium fecerunt ut Jesum occiderent, dicebant autem, non in die festo : ne forte tumultus fieret in populo.

Ps. Magnificat.

Oratio. Concede nobis, quæsumus, Domine, veniam peccatorum, et religionis augmentum : atque ut in nobis tua dona multiplices, tuis fac mandatis promptiores. Per.

Sabbato.

Lectio i. (*Hiere. iiii.* 1.)

Si converteris, Israel (ait Dominus), ad me convertere. Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. Et jurabis, vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justicia : et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. Hæc enim dicit Dominus viro Juda et

habitatori Hierusalem. Novate vobis novale : et nolite serere super spinas. Circuncidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda et habitatores Hierusalem : ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat, propter maliciam cogitationum vestrarum. Hæc dicit Dominus.

Lectio ii. [*Hiere. iiii.* 5.]

Annunciate in Juda et in Hierusalem auditum facite : loquimini et canite tuba in terra, clamate fortiter et dicite; Congregamini et ingrediamur civitates munitas, levate signum in Syon. Confortamini, nolite stare : quia malum ego adduco ab aquilone, et contritionem magnam. Ascendet leo de cubili suo : et prædo gentium se levabit. Egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in desolationem. Civitates tuæ vastabuntur : remanentes absque habitatore. Super hoc accingite vos ciliciis, plangite et ululate : quia non est aversa ira furoris Domini a vobis. *Et erit in die illa, dicit Dominus, peribit cor regis et cor principum : et obstupescent sacerdotes, et prophetæ consternabuntur. Et dixi; Heu, heu, heu, Domine Deus. Ergone decepisti populum istum et Hierusalem, dicens: pax erit vobis, et ecce pervenit gladius usque ad animam? Hæc dicit Dominus.

Lectio iii. [*Hiere. iv.* 11.]

In tempore illo dicetur populo huic et Hierusalem, Ventus urens in viis quæ sunt in deserto, viæ filiæ populi mei : non ad ventilandum et ad purgandum. Spiritus plenus ex his veniet michi. Et nunc ego : sed loquar judicia mea cum eis. Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus : velociores aquilis equi ejus. Væ nobis quoniam vastati sumus. Lava a malicia cor tuum, Hierusalem : ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Vox enim annunciantis a Dan : et notum facientis ydolum de monte Effraim. Concitate gentes : ecce auditum est in Hierusalem custodes venire de terra longinqua, et dare super civitates Juda vocem suam. Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro : quia me ad iracundiam provocavit, ait Dominus. Viæ tuæ et cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi : ista malicia tua quia amara : quia tetigit cor tuum. Hæc dicit.

Ant. Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.

Ps. Benedictus.

Oratio. Proficiat, quæsumus, Domine, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu : ut sacris actionibus erudita, quanto majestati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per Dominum.

* 'Et erit. In die illa'...*Chevallon.*

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM*.

1. A. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festum Annunciationis differatur usque ad v. Feriam post Octavas Paschæ.

2. A. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali. Ad i. vesperas, quæ erunt de Dominica, et fiat sollennis memoria de Annunciatione B. Mariæ, licet Festum Loci fuerit.

3. A. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festum S. Richardi differatur usque ad translationem ejus.
Feria iii. de S. Ambrosio. Capitulum *Ecce Sacerdos.*
Dominica dicuntur Exequiæ Mortuorum cum ix lectionibus et cum missa in crastino.

4. A. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali et ceteris Feriis de Jejunio, et nichil de Martyribus [Tiburtio et Valeriano], nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

5. A. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum cum ix lectionibus, cum missa in crastino.

1. B. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festum Annunciationis differatur usque ad v. Feriam post Octavas Paschæ.

2. B. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum cum ix lectionibus, cum missa in crastino.

3. B. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festum S. Richardi differatur usque ad Translationem ejus.
Secundæ vesperæ in Dominica erunt de Festo [S. Ambrosii] et solennis memoria de Dominica.

4. B. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum cum ix lectionibus.

5. B. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
Festum S. Georgii differatur in ix. diem mensis Maii : sed cave de Translatione S. Nicolai, quia, ubi celebratur, tunc Festum S. Georgii differatur usque ad xi. diem Maii.

1. C. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali. Et Festum Annunciationis differatur usque ad v. Feriam post Octavas Paschæ.

2. C. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum cum ix lectionibus. Festum S. Richardi differatur usque ad Translationem.

3. C. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festum S. Ambrosii differatur in crastinum. Secundæ vesperæ in Dominica erunt de Festo [S. Ambrosii] et solennis memoria de Dominica.

* Istius Dominicæ nomen non nisi continuis litteris scriptum ordinavit Chevallonius. (Vide ante Psalterium nostrum, p. xvi.) Wynandus vero de Worde non longe antea (quod hic et alibi nos fecimus) duo intersciderat vocabula.

4. C. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
In iv. Feria fiat memoria de Martyribus [Tiburtio et Valeriano], ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

5. C. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festum S. Georgii differatur ad v. diem Maii.

1. D. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festa Sanctorum [Edwardi, Cuthberti, et Benedicti] differantur usque ad Translationes.

2. D. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
Feria iv. de Annunciatione. Secundæ vesperæ erunt de Cena Domini et solennis memoria de Annunciatione.

3. D. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festum S. Richardi differatur usque ad Translationem, et Festum S. Ambrosii differatur usque ad Feriam v. post Octavas Paschæ.

4. D. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali. Ad i. vesperas quæ erunt de Dominica fiat solennis memoria de S. Ambrosio.

5. D. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum cum ix lectionibus, cum missa in crastino.

1. E. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festa SS. Edwardi, Cuthberti, et Benedicti differantur usque ad Translationes eorum.

2. E. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
In Dominica dicuntur Exequiæ Mortuorum cum ix lectionibus.
Feria iii. Festum Annunciationis, et solennis memoria de Jejunio.

3. E. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festum S. Richardi differatur usque ad Translationem ejus, et Festum S. Ambrosii differatur usque ad iii. Feriam post Octavas Paschæ.

4. E. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum cum ix lectionibus, cum missa in crastino.

5. E. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum cum ix lectionibus, et cum missa in crastino.

1. F. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festa Sanctorum [Edwardi, Cuthberti, et Benedicti] differantur usque ad Translationes.

2. F. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de Annunciatione et solennis memoria de Dominica.

3. F. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et nichil de S. Richardo usque ad Translationem, et Festum S. Ambrosii differatur usque ad iii. Feriam post Octavas Paschæ.

4. F. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum, cum missa in crastino.

5. F. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.
Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum, cum missa in crastino.

1. G. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festa Sanctorum ix lectionum [Edwardi, Cuthberti, et Benedicti] differantur usque ad Translationes eorum.

2. G. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali. Festum Annunciationis differatur in crastinum; et ii. vesperæ erunt de Annunciatione, et solennis memoria de Dominica.

Feria ii. de Annunciatione.

Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum cum ix lectionibus et cum missa in crastino.

3. G. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali, et Festum S. Richardi differatur usque ad Translationem.

Feria iv. de S. Ambrosio, Cap. *Ecce Sacerdos*, et solennis memoria de Jejunio. Secundæ vesperæ erunt de Cena Domini, et solennis memoria de Dominica.

4. G. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.

Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum, cum missa in crastino.

5. G. Dominica in Ramispalmarum de servitio dominicali.

Feria iii. dicuntur Exequiæ Mortuorum cum ix lectionibus et cum missa in crastino.

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

Ad Vesperas.

Ant. Benedictus.

Ps. *Ipsum* (*cxliii.* p. 215).

Capitulum. (*Philip. ii.* 5.)

Hoc, fratres, sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.

R. Circundederunt, *ut supra in ebdomada proxima præcedente. Hoc Responsorium dicitur quotidie ad Vesperas usque ad Cenam Domini : nisi in secundis Vesperis hujus Dominicæ.*

Hymnus. Vexilla regis.

V. Dederunt in escam meam fel.

Ant. Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret.

Ps. Magnificat.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Salvatorem nostrum carnem sumere et crucem subire fecisti : concede propicius ut patientiæ ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eundem.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Ipsi vero non cognoverunt vias meas. Quibus juravi in ira mea si introibunt in requiem meam.

Ps. Venite.

Hymnus. Pange lingua.

In primo Nocturno hæc sola Antiphona dicitur super omnes Psalmos.

Ant. Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.

Ps. Beatus vir [*i.* p. 5].

Lectiones in primo Nocturno de prophetia Hieremiæ per ordinem legantur.

Lectio i. (*Hiere. xi.* 1.)*

Verbum quod factum est ad Hie-

* '*Hiere.* i.' *Chevallon.*

remiam a Domino dicens; Audite verba pacti hujus, et loquimini ad viros Juda et ad habitatores Hierusalem : et dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus Israel. Maledictus vir qui non audierit verba pacti hujus quod præcepi patribus vestris in die qua eduxi eos de terra Egypti, de fornace ferrea, dicens; Audite vocem meam, et facite omnia quæ præcipio vobis, et eritis michi in populum et ero vobis in Deum : ut suscitem juramentum quod juravi patribus vestris daturum me eis terram fluentem lacte et melle, sicut est dies hæc. Hæc dicit.

R. 1. In die qua invocavi te, Domine, dixisti, noli timere. Judicasti causam meam : et liberasti me, Deus meus.

V. In die tribulationis meæ clamavi ad te quia exaudisti me.

Judicasti.

Lectio ii. [*Hiere. xi.* 5.]

Et respondi, et dixi; Amen, Domine. Et dixit Dominus ad me; Vociferare omnia verba hæc in civitatibus Juda, et foris Hierusalem, dicens; Audite verba pacti hujus, et facite illa : quia contestans contestatus sum patres vestros in die qua eduxi eos de terra Egypti, usque ad diem hanc. Mane consurgens contestatus sum, et dixi, Audite vocem meam. Et non audierunt nec inclinaverunt aurem suam : sed abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali : et induxi super eos omnia verba pacti hujus, quod præcepi ut facerent et non fecerunt. Hæc dicit.

R. 2. Fratres mei elongaverunt a me, et noti mei Quasi alieni recesserunt a me.

V. Amici mei et proximi mei Quasi alieni.

Lectio iii. [*Hiere. xi.* 9.]

Et dixit Dominus ad me; Inventa est conjuratio in viris Juda, et in habitatoribus Hierusalem. Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores : qui noluerunt audire verba mea. Et hi ergo abierunt post deos alienos ut servirent eis. Irritum fecerunt domus Israel et domus Juda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum. Quamobrem hæc dicit Dominus; Ecce ego inducam super eos mala de quibus exire non poterunt : et clamabunt ad me, et non exaudiam eos. Et ibunt civitates Juda et habitatores Hierusalem : et clamabunt ad eos quibus libant, et non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum. Secundum numerum civitatum tuarum erant dii tui Juda : et secundum numerum viarum Hierusalem posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim.

R. 3. Dominus Jesus ante sex dies Paschæ venit Bethaniam : ubi fuerat Lazarus mortuus. Quem suscitavit Jesus.

V. Convenerunt autem ibi multi Judeorum : ut Lazarum viderent.

Quem.

Repetatur Responsorium. Dominus Jesus.

In secundo Nocturno.

Ant. Mittens hæc mulier in corpus meum hoc unguentum : ad sepeliendum me fecit.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. De ore leonis libera me, Domine.

Mediæ Lectiones de sermone beati Maximi episcopi. (*Ambros. Sermo* 3.)*

* Chevallonius addit in margine 'De serm. beati maximi epi. Ambros. sermo. 3.' (*Maximi* Homiliæ Hyemales, Dominica in Ramis Palmarum, super illud Psalmi, Deus, Deus meus, respice. *Opera* p. 209.)

Lectio iiii. Psalmi vicesimiprimi qui lectus est seriem decursuri, diligenter prius debemus intendere quid in superscriptione contineat : ut cognita ejus origine intelligentiam ipsius facilius consequamur, et manifestato capite possint rectius membra distribui. Inscribitur enim ita ; In finem pro susceptione matutina : Psalmus ipsi David. Nisi fallor, susceptio matutina solis ortum semper antevenit, et priusquam orbem radiorum clarus splendor illuminet ; matutinum noctium tenebris terminum ponit, ac resoluta sensim caliginum cæcitate rebus cunctis facies quædam ac lumen infunditur. Et cum veluti sub una macerie tenebrarum mundus in confusione jacuerit, interveniente matutino diversa specierum varietate distinguitur. Hoc est, cum omnia cæca ante fuerint, oculi omnium reparantur. Nox enim quodammodo aufert oculos mundo : aurora restituit. Atque ita ante matutina susceptione perfruimur, ut gloriosius postmodum solis splendore potiamur. Sed quoniam, sicut dicit Apostolus, lex spiritualis est, et spiritalibus spiritalia comparanda sunt ; solem hic justiciæ arbitror designari, hoc est, Christum Dominum, qui nobis ignorantiæ tenebris et peccatorum cæcitate submersis cælestis doctrinæ suæ lumen infudit. Et quos non habebamus oculos cordis inseruit, et velut radios quosdam apostolos suos misit, qui nos de nocte teterrima delinquentiæ liberarent, et paulatim resolutis in nobis tenebris peccatorum, matutina susceptione consuescerent, ut perfecti facilius possemus tolerare solis ardorem : hoc est primum nos præceptis simplicioribus erudirent, quo capaciores efficerent cælestium secretorum. Hujus itaque solis justiciæ matutino peccatorum caligo tota perimitur : sicut ipse propheta ait ex persona Domini, In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Hoc est, oriente in nobis sole justiciæ, qui habitaculum Domini sumus, omnis cogitatio iniqua subvertitur. Tu.

R. 4. Insurrexerunt in me viri iniqui absque misericordia quæsierunt me interficere, et non pepercerunt in faciem meam spuere : et lanceis suis vulneraverunt me : et concussa sunt omnia ossa mea. Ego autem æstimabam me tanquam mortuum super terram.

V. Et dederunt in escam meam fel : et in siti mea potaverunt me aceto.

Ego autem.

Lectio v. Totus autem hic Psalmus digestus est ex persona Domini Salvatoris : quippe cum plura de eo in novo sint posita Testamento. Dicit itaque ; Deus, Deus meus, respice in me : et reliqua. Quare assumpti hominis agit causam, ut interrogare quodammodo videatur, dicens, Deus omnium, qui es Deus meus, cur me dereliquisti ? Nichil enim michi conscius sum. Secundum enim prophetam nesciebat peccatum, nec erat dolus in ore ejus. Hæc autem dicit, ut manifestaret propter nos se esse derelictum quorum peccata portabat, ac videntes disceremus et nos pro ipso sancto et justo mori, cum pro peccato nostro ipse moreretur. Denique hac voce in passione usus est, sicut in Evangelio legimus. Hely Hely lamazabathani ? Hoc est, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti ? Hac, inquam, voce usus est, ut quod prophetia annunciaverat rei exitus hoc probaret. Et quoniam sequentia pæne manifestata sunt, illum inspiciamus versiculum in quo ait, Ego autem sum vermis et non homo. Quare totius Dominus creaturæ vermiculo se voluit comparari ? Possumus hoc quidem humilitati primitus assignare (quæ sanctorum virtus est maxima) sicut Moyses ante Deum animal se irrationale profitetur,

David se pulicem sæpe commemorat. Sed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinsecus admixtione alieni corporis, sed de sola et pura terra procreatur : ideo comparatum Domino, quoniam et ipse Salvator de sola et pura Maria generatur.

R. 5. Noli esse michi, Domine, alienus, parce michi in die mala, confundantur omnes qui me persequuntur. Et non confundar ego.

V. Confundantur omnes inimici mei, qui quærunt animam meam ut auferant eam.

Et non confundar ego.

Lectio vi. Legimus etiam in libris Moysi de manna vermiculos procreatos. Digna plane et justa comparatio. Siquidem de manna vermiculus gignitur, et Dominus Christus de virgine procreatur, quin potius ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suavis, et virgo. Quæ velut cælitus veniens cunctis ecclesiarum populis cibum melle dulciorem defluxit. Quem qui edere ac manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait; Nisi quis manducaverit meam carnem et biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso. Sed potius ipse cibus in judicium ei convertetur : sicut Apostolus dicit; Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit. Quod filiis Israel subtiliter prophetatum est in veteri testamento. Manna enim illis contra divina præcepta tractantibus vermes effecti sunt; id est contumaciæ ultores et vindices, quæ similitudo Christum indicat Deum. Quem qui suavem cibum et dulcem potum haurire neglexerit, judicem patietur, sicut ipse ait. Neque enim Pater judicat quemquam : sed omne judicium dedit Filio. Quod autem dicit, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem : hoc factum in evangelio reperimus, quod milites quatuor qui crucifixerunt Salvatorem in quatuor partes ejus sibi diviserunt vestimenta. Vestimentum vero ejus quod consutum non erat, sed erat desuper contextum, sorte perceperunt. Quæ igitur ista vestimenta sunt videamus, qui milites, quodve etiam vestimentum. Vestimenta esse puto prophetias, vel scripturarum cælestium lectiones, quibus Christi Domini annunciatum est sacramentum. Quas prophetias unum canentes, et unum per omnia nunciantes, adversarii Salvatoris, hoc est perversi hæretici qui quotidie in illo tanquam milites manus impias ingerunt : hoc pro sua sibi dividunt voluntate, et unius corporis vestimenta per varia membra distribuunt, atque spoliantes Dominum sua falsa dogmata vestiunt. Vestimentum autem ejus quod non erat consutum sapientiam ejus cælestem possumus approbare, quia erat de superiore contextum. Nostra enim sapientia, hoc est humana, consuitur. Assuitur enim cum liberos damus ad studia, grammaticis tradimus, philosophis erudimus : ut sapientia in illis quæ non erat acquiratur. Domini autem sapientia non assuta est, non quæsita. Non enim didicit a magistro, sicut ipsi Judei dicunt; Quomodo hic litteras novit, cum non didicerit? Et ipse dicit, Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Hoc est quod ait de superiore contextum. Quo vestimento vel quibus omnibus vestimentis ecclesia catholica semper amicta est : sicut propheta ait; Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato.

R. 6. Cogitaverunt autem principes sacerdotum : ut et Lazarum interficerent. Propter quem multi veniebant et credebant in Jesum.

V. Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo quando La-

zarum vocavit de monumento et suscitavit eum a mortuis.

Propter quem.

Repetatur Responsorium.

In tertio Nocturno.

Ant. Magister dicit, tempus meum prope est : apud te facio pascha cum discipulis meis.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 5).

V. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.

Secundum Matheum xxi. [1—9].

In illo tempore, Cum appropinquasset Jesus Hierosolimis et venisset Bethphage ad montem Oliveti : tunc misit duos discipulos dicens illis, Ite in castellum quod contra vos est : et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea. Solvite, et adducite michi. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbiteri. (24. *lib.* 1. *Omeliarum*.*)

Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui pro humani generis salute passurus de cælo descendit ad terras, appropinquante hora passionis, appropinquare voluit loco passionis : ut per hoc etiam clarescerct, quia non invitus sed sponte pateretur. In asino venire, et a turbis rex appellari ac laudari voluit, ut etiam per hoc eruditus quisque agnosceret ipsum esse Christum quem sic illo venturum prophetia olim præmissa signaverat. Ante quinque dies paschæ venire voluit, sicut ex Johannis evangelio didicimus, ut etiam per hoc ostenderet se esse agnum immaculatum, qui peccata tolleret mundi. Tu autem.

R. 7. Attende, Domine, ad me et audi voces adversariorum meorum : Nunquid redditur pro bono malum : quia foderunt foveam animæ meæ.

V. Recordare quod steterim in conspectu tuo ut loquerer pro eis bonum et averterem indignationem tuam ab eis.

Nunquid.

Lectio viii. Agnus quippe paschalis, cujus immolatione populus Israel est ab Egyptiaca servitute liberatus, ante quinque dies paschæ, id est decima luna jussus est tolli, et quarta decima luna ad vesperum jussus est immolari : significans eum qui nos suo sanguine erat redempturus, ante quinque dies paschæ, id est hodierno die, magno præcedentium sequentiumque populorum gaudio ac laudatione deductus venit in templum Dei, et erat quotidie docens in illo. Qui quinta demum peracta die veteris paschæ sacramenta eatenus observata consummavit, ac novi deinceps observanda discipulis sacramenta contradidit. Egressus in montem Oliveti tentus est a Judeis : et mane crucifixus. Ipsa nos die a dæmoniaca dominatione redemit, qua antiquus ille Hebreorum populus per immolationem agni jugum Egyptiæ servitutis abjecit. Tu autem.

R. 8. Conclusit vias meas inimicus, insidiator factus est michi, sicut leo in abscondito replevit et inebriavit me amaritudine, deduxerunt in lacum mortis vitam meam : et posuerunt lapides contra me. Vide, Domine, iniquitates illorum : et judica causam animæ meæ defensor vitæ meæ.

V. Factus sum in derisum omni populo meo : canticum eorum tota die.

Vide.

Lectio ix. Ergo Dominus ad instar agni paschalis ante quinque dies quam pati inciperet locum passionis adiit, ut se insinuaret esse illum de quo prædixit Esaias ; Sicut ovis ad occisionem ducetur : et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum. Et paulo superius ; Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras : et livore ejus

* *Bedæ* Homiliæ Quadragesimales. *Opera* VII. 261. Cf. *Missale Sarum*, p. 261.

sanati sumus. Sed invidorum corda principum in cunctis quæ provide gessit eum persequi, quam in eum credere, maluerunt. Et multum miseri vitæ auctorem morti potius dare, quam per eum vivificari, studebant. Verum nos perfidorum cæcitate declinata eorum magis exempla qui fideliter Dominum laudavere sequamur : et iter ejus mysticum mystica ut decet interpretatione scrutemur. Asina et pullus, quibus sedens Hierosolymam venit, utriusque populi, Judei videlicet et gentilis, simplicia corda designant, quibus ipse præsidens quæque a noxia libertate suo frenans imperio ad visionem supernæ pacis perducit. Hierosolyma etenim visio pacis interpretatur. Tu autem.

R. Cum audisset turba quia venit Jesus Hierosolymam. Cum ramis palmarum processerunt ei obviam.

V. Et cum appropinquasset ad descensum montis Oliveti, omnes turbæ gaudentes et Deum voce magna collaudantes.

Cum ramis.

Repetatur Responsorium. Cum audisset.

R. Ingrediente Domino in sanctam civitatem : Hebreorum pueri resurrectionem vitæ pronunciantes. Cum ramis palmarum Osanna clamabant in excelsis.

V. Cunque audissent quia venit Jesus Hierosolymam : exierunt obviam ei.

Cum ramis.

Hoc prædictum Responsorium non dicitur ad has Matutinas, sed ad Processionem hujus Dominicæ, scilicet in introitu ecclesiæ.

Versus ante Laudes, Intende animæ meæ.

IN LAUDIBUS.

Ant. Domine Deus auxiliator meus : et ideo non sum confusus.

Ps. Miserere mei (*l.* p. 85).

Ant. Circundantes circundederunt me, et in nomine Domini vindicabor in eis.

Ps. Confitemini (*cxvii.* p. 43).

Ant. Judica causam meam : defende quia potens es, Domine.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Confundantur qui me persequuntur : et non confundar ego, Domine, Deus meus.

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Cum angelis et pueris fideles inveniantur triumphatori mortis clamantes Osanna in excelsis.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. Hoc fratres sentite.

Hymnus. Lustra sex.

V. Eripe me de inimicis.

Ant. Turba multa quæ convenerat ad diem festum clamabat Domino : benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.

Ps. Benedictus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus.

AD PRIMAM.

Ant. Osanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel : Osanna in excelsis.

Ps. Deus Deus meus, respice (*xxi.* p. 37).

AD TERTIAM.

Ant. Pueri Hebreorum vestimenta prosternebant in via : et clamabant dicentes Osanna Filio David : benedictus qui venit in nomine Domini.

Ps. Legem pone (*cxxiii.* 33, p. 57).

Capitulum. Hoc fratres.

R. Fratres

Chorus prosequatur totum mei elongaverunt a me, et noti mei Quasi alieni recesserunt a me.

Clericus dicat V. Amici mei et proximi mei

Quasi alieni.

Repetatur Responsorium, Fratres.
V. Erue a framea.

Ad Sextam.

Ant. Pueri Hebreorum tollentes ramos olivarum obviaverunt Domino clamantes et dicentes Osanna in excelsis.
Ps. Defecit in salutare (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (*Philipp. ii.* 8.)

Humiliavit semetipsum Christus pro nobis factus obediens usque ad mortem : mortem autem crucis.
R. Attende.
Chorus prosequatur totum Responsorium.
Clericus, V. Recordare.
Require hoc Responsorium supra ad Matutinas, vii. [p. dcclvii.].
V. De ore leonis.

Ad Nonam.

Ant. Omnes collaudant nomen tuum et dicunt, benedictus qui venit in nomine Domini : Osanna in excelsis.
Ps. Mirabilia testimonia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (*Philipp. ii.* 9.)

Deus Pater exaltavit Christum suum : et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium terrestrium et infernorum.
R. Salvum me fac,
Chorus prosequatur, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam : non avertas faciem tuam a me. Quoniam tribulor, exaudi me, Deus meus.
Clericus, V. Intende animæ meæ et libera eam : propter inimicos meos eripe me.
Quoniam,
Repetatur Responsorium.
V. Ne perdas cum impiis.

Ad Vesperas.

Ant. Sede a dextris.
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Capitulum. Hoc fratres.
R. Cogitaverunt [*vi.* p. dcclvi.].
V. Testimonium.
Repetatur Responsorium.
Hymnus. Vexilla.
V. Dederunt in escam.
Ant. Occurrunt turbæ cum floribus et palmis Redemptori obviam : et victori triumphanti digna dant obsequia Filio Dei, ore gentes prædicant et in laudem Christi voces tonant per nubila Osanna.
Ps. Magnificat.
Oratio. Omnipotens sempiterne Deus.

Feria secunda.

Invitatorium. Adoremus.
Ps. Venite.
Hymnus. Pange lingua gloriosi.

Ad Nocturnum.

Antiphonæ et Psalmi feriales.
V. Erue a framea, Deus, animam meam.

Lectio i. (*Hiere. xi.* 14.)

Tu ergo noli orare pro populo hoc, et ne assumas pro eis laudem et orationem : quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ? Nunquid carnes sanctæ auferent a te malicias tuas in quibus gloriata es ? Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum. Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt frutecta ejus. Et Dominus exercituum qui plantavit te locutus est super te malum pro malis domus Israel et domus Juda : quæ fecerunt sibi ad irritandum me, libantes Baalim. Hæc dicit Dominus.

R. 1. Synagoga populorum circundedit me : et non reddidi retribuentibus michi mala. Consumetur, Domine, nequitia peccatorum et diriges justum.

V. Judica me, Domine, secundum justiciam meam : et secundum innocentiam meam super me.

Consumetur.

Lectio ii. [*Hiere. xi.* 18.]

Tu autem, Domine, demonstrasti michi, et cognovi : tu ostendisti michi studia eorum. Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam : et non cognovi quia cogitaverunt consilia super me dicentes; Mittamus lignum in panem ejus : et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius. Tu autem, Domine sabaoth, qui judicas juste et probas renes et corda: videam ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam. Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathot, qui quærunt animam tuam et dicunt, Non prophetabis in nomine Domini : et non morieris in manibus nostris. Propterea hæc dicit Dominus exercituum; Ecce ego visitabo super eos. Juvenes morientur in gladio, filii eorum et filiæ eorum morientur in fame: et reliquiæ eorum non erunt ex eis. Hæc dicit.

R. 2. Opprobrium factus sum nimis inimicis meis: viderunt me et moverunt capita sua. Adjuva me, Domine Deus meus.

V. Locuti sunt adversum me lingua dolosa et sermonibus odii circundederunt me.

Adjuva me.

Lectio iii. [*Hiere. xi.* 23.]

Inducam enim malum super viros Anathot : annum visitationis eorum. *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum : veruntamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? Bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt. Plantasti eos et radicem miserunt : proficiunt et faciunt fructum. Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum. Et tu, Domine, nosti me : vidisti me et probasti cor meum tecum. Congrega eos quasi gregem ad victimam : et sanctifica eos in die occisionis. Usquequo lugebit terra, et herba omnis regionis siccabitur? Propter maliciam habitantium in ea consumptum est animal et volucre : quoniam dixerunt, non videbit novissima nostra. Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis? Cum autem in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Jordanis? Nam et fratres tui et domus patris tui etiam ipsi pugnaverunt adversum te. Hæc dicit Dominus.

R. 3. Viri impii dixerunt, opprimamus virum justum injuste : et deglutiamus eum tanquam inferi vivum, auferamus memoriam ejus de terra: et de spoliis ejus sortem mittamus inter nos, ipsi enim homicidæ thesaurizaverunt sibi malum : insipientes et maligni oderunt sapientiam. Et rei facti sunt in cogitationibus suis.

V. Hæc cogitaverunt et erraverunt : excæcavit enim illos malicia eorum.

Et rei facti.

V. Intende (p. dcclix.).

IN LAUDIBUS.

Ant. Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Ant. Framea suscitare adversus eos qui dispergunt gregem meum.

Ps. Verba (*v.* p. 8).

Ant. Appenderunt mercedem meam triginta argenteis : quos appreciatus sum ab eis.

* *Hiere. xii.* 1—6.

Ps. Deus Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Inundaverunt aquæ super caput meum, dixi perii, invocabo nomen tuum, Domine Deus.

Ps. Confitebor (*Esai. xii.* p. 87).

Ant. Labia insurgentium et cogitationes eorum vide, Domine.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. Domine, demonstrasti.

Hymnus. Lustra sex.

V. Eripe me de inimicis.

Ant. Non haberes in me potestatem nisi de super tibi datum fuisset.

Ps. Benedictus.

Oratio. Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficimus : intercedente Unigeniti Filii tui passione respiremus. Qui tecum vivit et regnat.

Ad Primam.

Ant. Animæ impiorum.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ad Tertiam et ad alias Horas *dicuntur Antiphonæ et Capitula sicut in præcedentibus feriis proximæ ebdomadæ : Responsoria et Versus, sicut in Dominica Palmarum. Et sic fiat quotidie usque ad Cenam Domini, quando de feria agitur. Cetera omnia sicut in feriis præcedentibus proximæ ebdomadæ.*

Ad Vesperas.

Ant. Potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam.

Ps. Magnificat.

Oratio. Adjuva nos, Deus salutaris noster : et ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per Dominum nostrum.

Feria tertia.

V. De ore leonis libera me.

Lectio i. (*Hiere. xii.* 6.)

Et clamaverunt post te plena voce. Ne credas eis cum locuti fuerint tibi in bona. Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam : dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus. Facta est michi hereditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem, ideo odivi eam. Nunquid avis discolor hereditas mea michi ? Nunquid avis tincta per totum ? Venite et congregamini omnes bestiæ terræ : properate ad devorandum. Hæc dicit.

R. Salvum me fac. *Quære folio præcedenti* [p. dcclxi.].

Lectio ii. [*Hiere. xii.* 10.]

Pastores multi demoliti sunt vineam meam : conculcaverunt partem meam. Dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis : posuerunt eam in dissipationem, luxitque super me. Desolatione desolata est omnis terra : quia non est qui recogitet corde. Super omnes vias deserti venerunt omnes vastatores terræ : quia gladius Domini devorabit ab extremo terræ usque ad extremum ejus. Non est pax universæ carni. Seminaverunt triticum : et spinas messuerunt. Hereditatem acceperunt : et non eis proderit. Confundemini a fructibus vestris, propter iram furoris Domini. Hæc dicit Dominus adversum omnes vicinos meos pessimos : qui tangunt hereditatem quam distribui populo Israel. Hæc dicit Dominus.

R. Deus Israel, propter te sustinui improperium, operuit reverentia faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis : et hospes filiis matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me.

V. Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.

Quoniam zelus.

Lectio iii. [*Hiere. xii.* 14.]

Ecce ego evellam eos de terra eorum : et domum Juda evellam de medio eorum. Et cum evulsero eos, convertar et miserabor eorum. Et reducam eos virum ad hereditatem suam, et virum in terram suam. Et erit : Si eruditi didicerint vias populi mei ut jurent in nomine meo, vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum jurare in Baal : ædificabuntur in medio populi mei. Quod si non audierint, evellam gentem illam evulsione et perditione, ait Dominus. (*Hiere. xiii.*). Hæc dicit Dominus ad me. Vade et posside tibi lumbare lineum : et pones illud super lumbos tuos, et in aquam non inferes illud. Et possedi lumbare juxta verbum Domini, et posui circa lumbos meos. Et factus est sermo Domini secundo ad me dicens ; Tolle lumbare quod possedisti, quod est circa lumbos tuos : et surgens vade ad Euphraten, et absconde illud in foramine petræ. Et abii et abscondi illud in Euphrate : sicut præceperat michi Dominus. Hæc dicit Dominus.

R. 3. Dixerunt impii apud se non recte cogitantes, circunveniamus justum quoniam contrarius est operibus nostris, promittit se scientiam Dei habere : Filium Dei se nominat et gloriatur Patrem se habere Deum : videamus si sermones illius veri sint, et si est verus Filius Dei : liberet illum de manibus nostris, morte turpissima condemnemus eum.

V. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo : et abstinet se a viis nostris tanquam ab immundiciis : et profert novissima justorum.

Promittit.

Repetatur Responsorium.

Ante Laudes V. Intende animæ meæ.

In Laudibus.

Ant. Vide Domine, et considera quoniam tribulor velociter exaudi me.

Ps. Miserere mei (*l.* p. 85).

Ant. Discerne causam meam, Domine, ab homine iniquo et doloso eripe me.

Ps. Judica me, Deus (*xlii.* p. 99).

Ant. Dum tribularer clamavi ad Dominum de ventre inferi, et exaudivit me.

Ps. Deus Deus (*lxii.* p. 30).

Ant. Domine, vim patior, responde pro me : quia nescio quid dicam inimicis meis.

Ps. Ego dixi (*Esai. xxxviii.* p. 110).

Ant. Dixerunt impii, opprimamus virum justum quoniam contrarius est operibus nostris.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. Domine demonstrasti michi.

Hymnus. Lustra sex.

V. Eripe me de inimicis meis.

Ant. Nemo tollet a me animam meam : sed ego pono eam et iterum sumo eam.

Ps. Benedictus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, da nobis ita Dominicæ passionis sacramenta peragere, ut indulgentiam percipere mereamur. Per eundem.

Ad Vesperas.

Ant. Quotidie apud vos eram in templo docens, et non me tenuistis : et ecce flagellatum ducitis ad crucifigendum.

Ps. Magnificat.

Oratio. Tua nos misericordia, Deus, et ab omni surreptione vetustatis expurget : et capaces sanctæ novitatis efficiat. Per.

Hac die dicuntur Vigiliæ Mortuorum cum novem Lectionibus in conventu solenniter, et cum Missa in crastino : nisi aliquod duplex Festum in quarta feria impedierit ;

et tunc fiat prædictum servitium in aliqua feria præcedente istius ebdomadæ, videlicet in Dominica vel in secunda feria. Et sic compleatur Servitium Mortuorum usque ad Octavas Paschæ: nisi corpus forte præsens fuerit, ut supra dictum est in prima Dominica Adventus Domini.

FERIA QUARTA.

V. Ne perdas cum impiis.

Lectio i. (*Hiere. xiii.* 6.)

Et factum est post dies plurimos dixit Dominus ad me; Surge, vage ad Euphraten: et tolle inde lumbare quod præcepi tibi ut absconderes illud ibi. Et abii ad Euphraten et fodi: et tuli lumbare de loco ubi absconderam illud. Et ecce computruerat lumbare: ita ut nulli usui aptum esset. Hæc dicit.

R. 1. Dominus mecum est tanquam bellator fortis, propterea persecuti sunt me et intelligere non potuerunt. Domine, probans renes et corda, Tibi revelavi causam meam.

V. Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti.

Tibi revelavi.

Lectio ii. [*Hiere. xiii.* 8.]

Et factum est verbum Domini ad me dicens; Hæc dicit Dominus. Sic computrescere faciam superbiam Juda, et superbiam Hierusalem multam: populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, et ambulant in pravitate cordis sui. Abieruntque post Deos alienos ut servirent eis, et adorarent eos. Et erunt sicut* lumbare istud quod nulli usui aptum est. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi michi omnem domum Israel et omnem domum Juda, dicit Dominus: ut esset michi in populum et in nomen et in laudem et in gloriam; et non audierunt. Hæc dicit Dominus.

R. 2. Noli esse michi. *Require in Dominica Ramis Palmarum. v.*

Lectio iii. (*Hiere. xiii.* 12.)

Dices ergo ad eos sermonem istum. Hæc dicit Dominus Deus Israel. Omnis laguncula implebitur vino. Et dicent ad te; Nunquid ignoramus quia omnis laguncula implebitur vino? Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus. Ecce ego implebo omnes habitatores terræ hujus, et reges de stirpe David qui sedent super thronum ejus, et sacerdotes, et prophetas, et omnes habitatores Hierusalem ebrietate: et dispergam eos virum a fratre suo, et patres et filios pariter, ait Dominus. Non parcam, et non concedam, neque miserebor, ut non disperdam eos. Hæc dicit Dominus.

R. 3. Contumelias et terrores passus sum ab eis qui erant pacifici mei et custodientes latus meum dicentes; Decipiamus eum et prævaleamus illi; sed tu, Domine, mecum es tanquam bellator fortis, cadent in opprobrium sempiternum, et videam vindictam in eis, quia tibi revelavi causam meam.

V. Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala michi: verbum iniquum mandaverunt adversum me dicentes,

Decipiamus.

Repetatur Responsorium, Contumelias.

Ante Laudes V. Intende animæ meæ.

IN LAUDIBUS.

Ant. Libera me de sanguinibus, Deus Deus meus: et exultabit lingua mea justiciam tuam.

Ps. Miserere mei Deus (*l.* p. 85).

Ant. Contumelias et terrores

* 'simul' *Chevallon.*

passus sum ab eis : et Dominus mecum est tanquam bellator fortis.

Ps. Te decet (*lxiiii.* p. 121).

Ant. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam : introibunt in inferiora terræ.

Ps. Deus, Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Omnes inimici mei audierunt malum meum : Domine, lætati sunt quoniam tu fecisti.

Ps. Exultavit (1 *Regum, ii.* p. 126).

Ant. Alliga, Domine, in vinculis nationes gentium : et reges eorum in compedibus.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. Domine, demonstrasti.

Hymnus. Lustra sex.

V. Eripe me de inimicis meis.

Ant. Symon dormis : non potuisti una hora vigilare mecum?

Ps. Benedictus Dominus.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui pro nostris excessibus incessanter affligimur, per Unigeniti tui passionem liberemur. Qui tecum.

Si aliquod Festum duplex in aliqua prædictarum feriarum istius ebdomadæ contigerit, nichilominus ordo feriarum de Responsoriis, et Antiphonis in Laudibus, et super Psalmum Benedictus, *et* Magnificat, *servabitur in sequenti feria ; et tunc Responsoria et Antiphonæ super Laudes illius feriæ, in qua scilicet hujusmodi duplex Festum contigerit, in illo anno omnino non dicuntur, nisi Antiphonæ super Psalmum* Benedictus *et* Magnificat, *quæ dicuntur solenniter ad Memoriam de Jejunio : Versus tamen ante Lectiones dicuntur per ordinem.*

Hac die ad Vesperas, et sic usque ad Missam in crastino, pulsentur campanæ ut in Dominicis : et tunc post pulsationem ad Missam non pulsentur usque ad Gloria in excelsis *in Vigilia Paschæ: nec ab hinc usque ad Completorium in eadem Vigilia.* Luminaria ut in Dominicis accendantur. Omnes Antiphonæ super Psalmos ad has Vesperas in secunda forma incipiantur : præter Antiphonam super Psalmum* Magnificat, *quæ in superiori gradu incipitur.*

AD VESPERAS.

Ant. Beatus vir.

Ps. Nisi Dominus (*cxxvi.* p. 202): *et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio.*

Capitulum. (*Esai. liii.* 6.)

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam† declinavit, et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum : oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum.

R. Circumdederunt *ut supra : (quære sabbato Passionis.)*

Et dicitur in secunda forma ab uno solo Puero ex parte chori : loco nec habitu mutato.

Hymnus. Vexilla regis.

V. Dederunt in escam.

Ant. Tanto tempore vobiscum eram docens vos in templo, et non me tenuistis : modo flagellatum ducitis ad crucifigendum.

Ps. Magnificat.

Ad has Vesperas non incensetur altare : nec preces dicantur, nec fiat prostratio : nec ulla fiat Memoria, propter solennitatem Cenæ : nisi aliquod duplex Festum hac quarta feria celebratum fuerit. Sacerdos vero executor Officii ad Orationem dicendam habitu non mutato et absque cappa serica ad gradum chori incedat : nullis sibi astantibus ceroferariis, sed solo Puero sibi librum cum lumine more solito ministrante : quia chorus non regitur.

Oratio. Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam : pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi

* Nescio an rectius interpungit Portif. 1556, '*Pasch. Nec abhinc...eadem Vigilia luminaria ut*' Sed cum Brev. 1531. Portif. 1525-6.

† 'a via sua' *Chevallon.*

nocentium, et crucis subire tormentum. Qui tecum.

Hæc Oratio dicatur ad omnes Horas in his tribus diebus sequentibus, nisi ad Completorium hac die, et nisi ad Vesperas in Cena Domini, et ad Vesperas in Vigilia Paschæ.

Hac die non dicuntur Vesperæ de sancta Maria in conventu, nec cetera quæ dici solent, nisi tantum servitium diei, usque in crastinum post Octavas Paschæ.

Si Festum Annunciationis beatæ Mariæ, vel aliquod aliud Festum duplex hac die forte contigerit, licet Festum loci vel Dedicationis Ecclesiæ fuerit, ibi solenniter celebretur : Vesperæ tamen de feria supradicto modo dicuntur, et solennis Memoria de Festo. Si vero ab hac die usque ad Octavas Paschæ aliquod duplex Festum contigerit, differatur usque post Octavas Paschæ, et ubi convenientius possit celebrari celebretur, scilicet ubi potest habere utrasque Vesperas.

Ad Completorium.

Ant. Miserere.
Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 222).
Capitulum. Tu in nobis.
R. In manus tuas.
Hymnus. Cultor Dei memento.
V. Custodi nos.
Ant. O Rex gloriose inter.
Ps. Nunc dimittis servum.

Deinde dicuntur tres Versus qui sequuntur in secunda forma.

Preces et cetera omnia more solito dicuntur, ut supra, absque prostratione, et sine Psalmo Miserere mei Deus : *propter solennitatem Cenæ non dicitur Psalmus* Ad te levavi, *nec abhinc usque ad inceptionem Hystoriæ* Deus omnium.

FERIA QUINTA IN CENA DOMINI.

Ad Matutinas.

xxiiii Candelæ ante altare præparentur juxta numerum duodecim prophetarum et duodecim apostolorum, et ante Matutinas accendantur : quarum singulæ ad inceptionem uniuscujusque Antiphonæ et Responsorii extinguantur, quia totidem candelæ sunt quot Antiphonæ et Responsoria in Hystoria, et significant crudelitatem Judeorum in prophetis et in apostolis. Similiter fiat in sexta feria et in Sabbato.

Ad has Matutinas, et deinceps usque in diem Paschæ, non dicitur Domine labia, *nec* Deus in adjutorium, *neque Invitatorium, neque Hymnus : sed in superiori gradu incipiatur Antiphona sine genuflexione hac die propter solennitatem Cenæ. Omnes Antiphonæ usque ad Laudes in superiori gradu incipiantur. Singuli Versiculi a singulis Pueris loco nec habitu mutato dicantur. Lectiones vero et Responsoria cum suis Versiculis juxta ordinem Clericorum ut in Dominicis dicuntur.* Gloria Patri *tamen omnino taceatur usque ad Vesperas in Vigilia Paschæ : nisi post septem Psalmos pœnitentiales in die Cenæ, et post Officium Missæ illius diei, si Episcopus celebraverit.*

In primo Nocturno.

Ant. Zelus domus tuæ comedit me : et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Ps. Salvum me fac *ii.* (*lxviii.* p. 128).

Ant. Avertantur retrorsum et erubescant : qui cogitant michi mala.

Ps. Deus in adjutorium (*lxix.* p. 131).

Ant. Deus meus, eripe me de manu peccatoris.

Ps. In te, Domine, speravi. *ii.* (*lxx.* p. 131).

Versus sine neuma dicantur et respondeantur.

V. Exurge, Domine.

Et respondeatur his tribus noctibus hoc modo:

Et judica causam meam.

Sequatur Pater noster, *et* Ave Maria.

Non dicitur Et ne nos, *nec clerici accipiant benedictionem ante Lectiones in his tribus noctibus.*

Tres primæ Lectiones de Lamentationibus Hieremiæ fiant, quæ a singulis tribus Pueris per se cantantibus legantur hoc modo.

Lamentatio. Hier. Treno. i.

Aleph. Quomodo sedet sola civitas plena populo : facta est quasi vidua : domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.

Beth. Plorans ploravit in nocte : et lachrymæ ejus in maxillis ejus. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam : et facti sunt inimici.

Et cum hac clausula terminentur tres primæ Lectiones hac nocte et in duabus noctibus sequentibus, videlicet hoc modo:* Hierusalem, Hierusalem : convertere ad Dominum Deum tuum.

R. 1. In monte Oliveti oravi ad Patrem ; Pater, si fieri potest transeat a me calix iste : spiritus quidem promptus est : caro autem infirma. Fiat voluntas tua.

V. Veruntamen non sicut ego volo : sed sicut tu vis.

Fiat voluntas tua.

Lectio ii.

Gymel. Migravit Judas propter afflictionem et multitudinem servitutis : habitavit inter gentes nec invenit requiem.

Deleth. Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. Viæ Syon lugent : eo quod non sint qui veniant ad solennitatem. Omnes portæ ejus destructæ : sacerdotes ejus gementes. Virgines ejus squalidæ : et ipsa oppressa amaritudine.

He. Facti sunt hostes ejus in capite : inimici illius locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam, propter multitudinem iniquitatum ejus. Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem : ante faciem tribulantis.

Hierusalem, Hierusalem : convertere.

R. 2. Tristis est anima mea usque ad mortem. sustinete hic et vigilate mecum. nunc videbitis turbam quæ circundabit me. Vos fugam capietis. et ego vadam immolari pro vobis.

V. Ecce appropinquabit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Vos fugam.

Lectio iii.

Vau. Egressus est a filia Syon omnis decor ejus : facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

Zai. Recordata est Hierusalem dierum afflictionis suæ, et prævaricationis omnium desiderabilium suorum quæ habuerat a diebus antiquis : cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator.

Heth. Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est. Omnes qui glorificabant eam spre-

* '*causula*' Chevallon.

verunt illam : quia viderunt ignominiam ejus*.

Teth. Sordes ejus in pedibus ejus : nec recordata est finis sui. Deposita est vehementer : non habens consolatorem. Vide, Domine, afflictionem meam : quoniam erectus est inimicus.

Hierusalem.

R. 3. Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem. aspectus ejus in eo non est. hic peccata nostra portavit : et pro nobis dolens. ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras. Cujus livore sanati sumus.

V. Vere languores nostros ipse abstulit : et infirmitates nostras ipse portavit.

Cujus livore.

Repetatur Responsorium Ecce.

In secundo Nocturno.

Ant. Liberavit Dominus pauperem a potente : et inopem cui non erat adjutor.

Ps. Deus judicium (*lxxi.* p. 132).

Ant. Cogitaverunt impii et locuti sunt nequitiam : iniquitatem in excelso locuti sunt.

Ps. Quam bonus Israel (*lxxii.* p. 134).

Ant. Exurge, Domine, et judica causam meam.

Ps. Ut quid, Deus, repulisti (*lxxiii.* p. 135).

V. Deus meus, eripe me.

R. De manu peccatoris.

Tres mediæ Lectiones de expositione Psalmi lxiii. fiant : et legantur sine Jube, *et sine pronunciatione* Et ne nos.

De expositione Augustini episcopi†.

Lectio iiii. Exaudi, Deus, orationem meam cum tribulor : a timore inimici eripe animam meam. Noverit sanctitas vestra, dilectissimi, caput nostrum esse Dominum Jesum Christum : omnesque illi cohærentes membra esse illius capitis : ejusque vocem jam habetis notissimam quoniam non ex solo capite, sed etiam ex corpore loquitur. Dicamus ergo et nos; Exaudi, Deus, orationem meam cum tribulor : a timore inimici eripe animam meam. Sævierunt inimici in martyres. Quid orabat ista vox corporis Christi? Hoc orabat ut eruerentur ab inimicis, et non eos possent occidere inimici.

Non dicatur Tu. *sed ex verbis Lectionis finem faciant.*

R. 4. Unus ex discipulis meis tradet me hodie. væ illi per quem tradar ego. Melius illi erat si natus non fuisset.

V. Qui intingit mecum manum in parapside : hic me traditurus est in manus peccatorum.

Melius illi.

Lectio v. Ergo exauditi non sunt, quia occisi sunt : et deseruit Deus contritos corde servos suos, et sperantes in se despexit? Absit. Exaudiebantur ergo, et occidebantur : et tamen ab inimicis eruebantur. Ergo hoc orat vox martyrum; A timore inimici eripe animam meam. Non videlicet ut me non occidat inimicus : sed ut non timeam occidentem inimicum. Erue a timore inimici : et subde timori tuo. Non timeam eum qui corpus occidit : sed timeam eum qui habet potestatem et corpus et animam mittere in gehennam ignis. Non enim a timore volo esse immunis : sed a timore inimici liber, sub timore Domini servus.

R. 5. Judas mercator pessimus osculo petiit Dominum. ille ut agnus innocens non negat Judæ osculum. Denariorum numero Christum Judeis tradidit.

V. Avariciæ inebriatus veneno

* 'ipsa autem gemens conversa est retrorsum.' *addendum cum Portiforiis.*

† *Augustini* Enarratio in Ps. lxiii.. *Opera* IV. 617 ed. Benedict.

dum sitit lucrum : pervenit ad laqueum.

Denariorum.

Lectio vi. Protexisti me a conventu malignantium : a multitudine operantium iniquitatem. Jam ad ipsum caput nostrum intueamur. Multi martyres talia passi sunt : sed nichil sic elucet quomodo caput martyrum. Ibi melius intuemur quod illi experti sunt. Protectus enim est a multitudine malignantium protegente se Deo, protegente carnem suam ipso Filio et hominem quem gerebat : quia Filius hominis est, et Filius Dei est. Filius Dei propter formam Dei : Filius hominis propter formam servi, habens in potestate ponere animam suam, et iterum recipere eam.

R. 6. Una hora non potuistis vigilare mecum qui exhortabamini mori pro me. Vel Judam non videtis quomodo non dormit sed festinat tradere me Judeis.

V. Dormite jam et requiescite : ecce appropinquabit qui me traditurus est.

Vel Judam.

Repetatur Responsorium Una.

In tertio Nocturno.

Ant. Dixi iniquis : nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Ps. Confitebimur (*lxxiiii.* p. 136).

Ant. Terra tremuit et quievit : dum resurgeret in judicio Deus.

Ps. Notus in Judea (*lxxv.* p. 137).

Ant. In die tribulationis meæ : Deum exquisivi manibus meis.

Ps. Voce mea. *i.* (*lxxvi.* p. 138).

V. Homo pacis meæ.

R. Ampliavit adversum me supplantationem.

Tres ultimæ Lectiones de Epistola Pauli supradicto modo legantur et terminentur.

Lectio vii. (1 *Corin. xi.* 20.)

Fratres : convenientibus vobis in unum jam non est Dominicam Cenam manducare. Unusquisque enim suam cenam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit : alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos : in hoc non laudo.

R. 7. Seniores populi consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Cum gladiis et fustibus exierunt tanquam ad latronem.

V. Cogitaverunt* iniquitatem sibi : et egrediebantur foras.

Cum gladiis.

Lectio viii. [1 *Cor. xi.* 23.]

Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis : quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem et gratias agens fregit et dixit; Accipite et manducate: hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cenavit dicens; Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : hoc facite quotienscunque sumitis, in meam commemorationem. Quotienscunque enim manducabitis hunc panem et calicem bibetis : mortem Domini annunciabitis donec veniat.

R. 8. O Juda, qui dereliquisti consilium pacis et cum Judeis consiliatus es : triginta argenteis vendidisti sanguinem justum. Et pacis osculum ferebas quam in pectore non habebas.

V. Os tuum abundavit malicia : et lingua tua concinnabat† dolos.

Et pacis.

Lectio ix. [1 *Cor. xi.* 27.]

Itaque quicunque manducaverit hunc panem, vel biberit calicem

* 'Cōgregaverūt' *Chevallon.*

† 'concinabat' *Chevallon.*

Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles: et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum autem judicamur a Domino corripimur: ut non cum hoc mundo damnemur.

R. 9. Revelabunt cæli iniquitatem Judæ et terra adversus eum consurget: et erit manifestum peccatum illius in die furoris Domini. Cum eis qui dixerunt Domino Deo, recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus,

V. In diem perditionis servabitur: et ad diem ultionis ducetur.

Cum eis qui.

Repetatur Responsorium Revelabunt.

Et non dicatur Versus ante Laudes, sed statim inchoetur Antiphona super Laudes: et similiter in duabus noctibus sequentibus. Omnes vero Antiphonæ super Laudes in secunda forma incipiantur: præter Antiphonam super Psalmum Benedictus, *quæ in superiori gradu incipitur.*

IN LAUDIBUS.

Ant. Justificeris, Domine, in sermonibus tuis et vincas cum judicaris.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Ant. Dominus tanquam ovis ad victimam ductus est: et non aperuit os suum.

Ps. Domine, refugium factus (*lxxxix.* p. 158).

Ant. Contritum est cor meum: in medio mei contremuerunt omnia ossa mea.

Ps. Deus, Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Exhortatus es in virtute tua: et in refectione sancta tua, Domine.

Ps. Cantemus (*Exodi xv.* p. 147).

Ant. Oblatus est quia ipse voluit: et peccata nostra ipse portavit.

Ps. Laudate Dominum (*cxlviii.* p. 32).

Dum iste Psalmus canitur, lumen ubi videri nequeat abscondatur.

Finita Antiphona super Laudes omnia luminaria per ecclesiam extinguantur.

Ant. Traditor autem dedit eis signum dicens: quem osculatus fuero ipse est, tenete eum.

Ps. Benedictus.

Et ab excellentiore persona Antiphona prædicta incipiatur. Sicque Psalmus Benedictus, *et cetera omnia quæ sequuntur in tenebris dicantur.*

Finita Antiphona post Psalmum Benedictus, *duo Clerici de secunda forma ante altare ad chorum conversi, habitu non mutato, dicant tribus vicibus,*

Kyrieleyson.

Deinde duo Dyaconi de secunda forma, habitu non mutato, ante introitum chori stantes ad altare conversi dicant,

Domine, miserere.

Chorus prosequatur,

Christus Dominus factus est obediens: usque ad mortem.

Item duo Clerici ante altare una vice dicant,

Christe eleyson.

Postea duo seniores ante gradum chori stantes, habitu non mutato, ad altare conversi dicant Versum,

Qui passurus advenisti propter nos.

Item Clerici ante altare dicant,

Christe eleyson.

Item seniores dicant Versum,

Qui expansis in cruce manibus: traxisti omnia ad te secula.

Item Clerici ante altare dicant,

Christe eleyson.

Item seniores dicant Versum,

Qui prophetice prompsisti: ero mors tua, O mors.

Item Diaconi ante introitum chori dicant,

Domine, miserere.

Chorus prosequatur,

Christus Dominus, *ut supra.*

Item Clerici ante altare tribus vicibus dicant,

*Christe eleyson, *ut supra.*

Deinde ante introitum chori dicant,

Domine, miserere nobis.

Chorus prosequatur,

Christus Dominus, *ut supra.*

Quo finito, Puerulus cum sincera voce dicat hunc Versum ex parte chori ad altare conversus, loco non mutato, hoc modo,

Mortem autem crucis.

Tunc prosternent se omnes, et unusquisque per se dicat Pater noster, *et* Ave Maria.

Deinde bini et bini dicant Psalmum Miserere *sine* Gloria, *cum Oratione* Respice, quæsumus, Domine, *similiter privatim sine* Dominus vobiscum *ante Orationem, sed cum* Oremus, *et cum* Qui tecum, *sed sine* Dominus vobiscum, *et sine* Benedicamus Domino *post Orationem.*

Et seniore percutiente manum super librum tribus vicibus, omnes surgant osculando formulas : et lumen proferatur.

Hac die ad Horas non prosternant se Clerici in choro propter solennitatem Cenæ, nisi post Matutinas tantum, ut supradictum est.

AD PRIMAM, ET AD ALIAS HORAS, *non dicatur* Deus in adjutorium, *nec Hymnus, sed statim post* Pater noster *incipiatur in superiori gradu*

Antiphona. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem : mortem autem crucis.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ps. Beati immaculati (*cxviii.* 1, p. 44).

Ps. Retribue (*cxviii.* 17, p. 45).

Finitis Psalmis absque Gloria Patri, *tota dicatur Antiphona : qua dicta, absque* Kyrie eleyson, *et Precibus sine Psalmo* Miserere, *propter sollennitatem Cenæ, dicat Sacerdos,* Dominus vobiscum, *et* Oremus, *cum Oratione* Respice, quæsumus, Domine *cum nota, more dominicali : ita consummando Horas :* Qui tecum, *et cum* Dominus vobiscum, *et* Benedicamus Domino.

Hic ordo servetur ad omnes Horas hujus diei, scilicet ad Primam, Tertiam, Sextam, et Nonam.

Finita Oratione post Primam intrent Capitulum, Letania† *et Tabula more solito legantur, et post primam Lectionem, scilicet de Martirologio, dicat Sacerdos Versum* Preciosa est in conspectu Domini, *cum hac Oratione* Sancta Maria mater, *et cetera cum* Dominus vobiscum, *et* Benedicamus. *Et sic Capitulum quotidie finiatur usque ad Octavas Paschæ, excepto quod in sexta feria et in Sabbato sancto Paschæ non eatur in Capitulum : Tabula tamen quotidie dicatur.*

Hac die Hora Tertia, Sexta, et Nona in choro ante Missam dicantur : cantando supradicto modo.

VESPERÆ *etiam hac die semel*‡ *in choro festive cantantur, sine* Deus in adjutorium, *et sine* Gloria Patri, *et sine regimine chori. Cantata Communione, incipiatur in superiori gradu hoc modo, ut sequitur,*

Antiphona. Calicem salutaris accipiam : et nomen Domini invocabo.

Ps. Credidi propter (*cxv.* p. 197).

Ant. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus : cum loquebar illis impugnabant me gratis.

Ps. Ad Dominum cum tribularer (*cxix.* p. 197).

Ant. Ab hominibus iniquis libera me, Domine.

Ps. Eripe me, Domine (*cxxxix.* p. 211).

Ant. Custodi me a laqueo quem statuerunt michi : et ab scandalis operantium iniquitatem.

* *Legendum potius cum Portiforiis* 'Kyrie eleyson.'

† '*et lec.*' *Chevallon.*

‡ '*simul*' *Chevallon.*

Ps. Domine, clamavi (*cxl.* p. 212).

Ant. Considerabam ad dexteram et videbam : et non erat qui cognosceret me.

Ps. Voce mea. *ii.* (*cxli.* p. 213).

Finitis Antiphonis et Psalmis, statim incipiatur

Antiphona. Cenantibus autem accepit Jesus panem : benedixit, ac fregit, dedit discipulis suis.

Ps. Magnificat.

His itaque peractis, dicat Sacerdos ad populum conversus, Dominus vobiscum, *et* Oremus : *deinde Postcommunionem*

Refecti vitalibus alimentis, quæsumus, Domine Deus noster : ut quod tempore nostræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum : *more solito.*

Qua finita, dictoque Dominus vobiscum *a Sacerdote, dicat Diaconus,* Benedicamus Domino.

Si vero Episcopus celebraverit, dicat Diaconus, Ite missa est.

Et sic Missa et Vesperæ simul finiantur.

Post prandium *peractis his quæ ad Mandatum pertinent, chorum intrent, et Completorium sine nota secrete dicant. In primis ab Executore Officii inchoetur*

Antiphona. Christus factus est.

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 222).

Ps. In te, Domine, speravi (*xxx.* p. 222).

Ps. Ecce nunc (*cxxxiii.* p. 224).

Ps. Nunc dimittis.

Post Psalmos finitos sine Gloria, *tota dicatur Antiphona.*

Deinde dicat Sacerdos, Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Respice, quæsumus, Domine.

Et terminetur cum Qui tecum, *et* Dominus vobiscum, *et* Benedicamus Domino.

Et sic compleatur totum servitium hujus diei.



Feria sexta in die Parasceves *ad Matutinas, et in* sabbato sancto Paschæ, *idem modus et ordo in Antiphonis incipiendis, et Lectionibus legendis, et Versiculis et Responsoriis cum suis Versibus cantandis servetur per omnia, qui in prima nocte. Ita tamen quod incipiente seniore primam Antiphonam omnes prostrationes faciant, osculantes formulas resurgendo. Similiter fiat in inceptione primæ Antiphonæ super Laudes, et ad unumquemque Versiculum, nisi in sabbato ante pronunciationem Evangelii tantum.*

In primo Nocturno.

Ant. Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum : adversus Dominum et adversus Christum ejus.

Ps. Quare fremuerunt (*ii.* p. 7).

Ant. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Ps. Deus, Deus meus, respice (*xxi.* p. 37).

Ant. Insurrexerunt in me testes iniqui : et mentita est iniquitas sibi.

Ps. Dominus illuminatio (*xxvi.* p. 69).

V. Diviserunt sibi

R. Vestimenta mea.

Tres primæ Lectiones de Lamentationibus Hieremiæ cantando supradicto modo legantur.

Lectio i. (*Treno. i.*)

Joth. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus : quia vidit gentes ingressas sanctuarium tuum de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam.

Caph. Omnis populus ejus gemens et quærens panem : dederunt preciosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide, Domine, et considera : quoniam factus sum vilis.

Lamech. O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus : quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die furoris sui.

Hierusalem, Hierusalem.

R. 1. Omnes amici mei dereliquerunt me, et prævaluerunt insidiantes michi. tradidit me quem diligebam : et, terribilibus oculis plaga crudeli percutientes, Aceto potabant me.

V. Et dederunt in escam meam fel : et in siti mea Aceto potabant me.

Lectio ii.

Mem. De excelso misit ignem in ossibus meis : et erudivit me. Expandit rhete pedibus meis, convertit me retrorsum. Posuit me desolatam : tota die mærore confectam.

Nun. Vigilavit jugum iniquitatum mearum in manu ejus : convolutæ sunt et impositæ collo meo. Infirmata est virtus mea : dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.

Samech. Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei : vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos. Torcular calcavit Dominus : virgini filiæ Juda.

Hierusalem, Hierusalem.

R. 2. Tradiderunt me in manus impiorum : et inter iniquos projecerunt me : et non pepercerunt animæ meæ : congregati sunt adversum me fortes. Et sicut gygantes steterunt contra me.

V. Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum.

Et sicut.

Lectio iii.

Ayn. Idcirco ego plorans et oculus meus deducens aquam : quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam. Facti sunt filii mei perditi : quoniam invaluit inimicus.

Phe. Expandit Syon manus suas : et non est qui consoletur eam. Justus est Dominus : quia os ejus ad iracundiam provocavit. Audite ergo universi populi : et videte dolorem meum. Virgines meæ et juvenes mei : abierunt in captivitatem.

Coph. Vocavi amicos meos : et ipsi deceperunt me. Sacerdotes mei et senes mei in urbe consumpti sunt : quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam.

Hierusalem.

R. 3. Caligaverunt oculi mei a fletu meo : quia elongatus est a me qui consolabatur me : videte, omnes populi, Si est dolor similis sicut dolor meus.

V. O vos omnes qui transitis per viam : attendite et videte

Si est dolor.

Repetatur Responsorium, Caligaverunt.

In secundo Nocturno.

Ant. Vim faciebant qui quærebant animam meam.

Ps. Domine, ne in furore. *ii.* (*xxxvii.* p. 83).

Ant. Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam ut auferant eam.

Ps. Expectans (*xxxix.* p. 96).

Ant. Alieni insurrexerunt in me : et fortes quæsierunt animam meam.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

V. Ab insurgentibus in me

R. Libera me.

Tres mediæ Lectiones de expositione Psalmi supradicto modo legantur. (*Augustin. super* 3. *vers. Psalmi* LXIII.)*

Lectio iiii. Exacuerunt tanquam gladium linguas suas : intenderunt arcum rem amaram. Judei enim propterea Jesum dederunt judici Pylato : ut quasi ipsi a morte ejus viderentur immunes. Nam cum dixisset eis Pylatus, vos eum occidite : responderunt; Nobis non licet interficere quemquam. Iniquitatem facinoris sui in judicem hominem refundere voluerunt. Sed nunquid Deum judicem fallebant? Non plane.

R. 4. Vinea mea electa ego te plantavi. Quomodo conversa es in amaritudinem : ut me crucifigeres et Barrabam dimitteres.

V. Ego quidem plantavi te vinea mea electa omne semen verum.

Quomodo conversa es.

Lectio v.

Quod fecit Pylatus in eo ipso quod fecit aliquantulum particeps fuit : sed in comparatione Judeorum multo ipse innocentior. Institit enim quantum potuit : ut illum ex eorum manibus liberaret. Nam propterea flagellatum produxit ad eos. Non persequendo Jesum flagellavit : sed illorum furori satisfacere volens ut vel sic jam mitescerent et desinerent eum velle occidere cum flagellatum viderent. Sed illi exacuerunt ut gladium linguas suas : clamantes, crucifige, crucifige.

R. 5. Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me : quotidie apud vos eram in templo docens : et non me tenuistis : et ecce flagellatum ducitis. Ad crucifigendum.

V. Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo : vae autem homini illi per quem tradetur.

Ad crucifigendum.

Lectio vi. Non est prætermittendum quod quidam evangelista dicit hora sexta crucifixum Dominum : et quidam hora tertia. Etiam incipiente hora sexta dicitur Pylatus sedisse pro tribunali, et revera quando levatus est Dominus in lignum, hora sexta erat. Sed alius evangelista intuens animum Judeorum, quia volebant se immunes videri a morte Domini, narrando eos ostendit reos dicens Dominum hora tertia crucifixum. Considerantes autem ordinem lectionis quanta agi potuerunt : cum apud Pylatum Dominus accusaretur ut crucifigeretur : invenimus horam tertiam esse potuisse quando illi clamaverunt, crucifige, crucifige.

R. 6. Jesum tradidit impius summis principibus sacerdotum et senioribus populi. Petrus autem sequebatur a longe, Ut videret finem.

V. Et ingressus est in atrium principis sacerdotum, Ut videret finem.

Repetatur Responsorium, Jesum tradidit impius.

In tertio Nocturno.

Ant. Ab insurgentibus in me libera me, Domine, quia occupaverunt animam meam.

Ps. Eripe me *i.* (*lviii.* p. 117).

* *Augustin.* in Ps. lxiii. § 4, *Opera* IV. 883 ed. Paris 1835.

Ant. Longe fecisti notos meos a me : traditus sum et non egrediebar.

Ps. Domine, Deus salutis (*lxxxvii.* p. 155).

Ant. Captabunt in animam justi : et sanguinem innocentem condemnabunt.

Ps. Deus ultionum (*xciii.* p. 162).

V. Locuti sunt adversum me

R. Lingua dolosa.

Tres ultimæ Lectiones de Epistola Pauli supradicto modo legantur.

Lectio vii. (*De epistola Pauli Hebr. iv.* 11.)

Fratres, festinemus ingredi in illam requiem : ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Vivus est enim sermo Dei et efficax : et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis : et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus : ad quem nobis sermo.

R. 7. Barrabas latro dimittitur : et innocens Christus occiditur; nam et Judas armis doctus sceleris, qui per pacem didicit facere bellum, Osculando tradidit Dominum Jesum Christum.

V. Ecce turba et qui vocabatur Judas venit : et, dum appropinquaret ad Jesum,

Osculando tradidit.

Lectio viii. [*Ad Hebr. iv.* 14.]

Habentes ergo pontificem magnum qui penetravit cælos Jesum Filium Dei : teneamus confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus : ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio oportuno.

R. 8. Velum templi scissum est et omnis terra tremuit. latro de cruce clamabat dicens, Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.

V. Amen dico tibi quia hodie mecum eris in paradiso.

Memento.

Lectio ix. [*Ad Hebr. v.* 1.]

Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus : pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum : ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit his qui ignorant et errant : quoniam et ipse circundatus est infirmitate. Et propterea debet quemadmodum et pro populo, ita et pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumat sibi honorem : sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.

R. 9. Tenebræ factæ sunt dum crucifixissent Jesum Judei. Et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Et inclinato capite emisit spiritum, tunc unus ex militibus lancea latus ejus perforavit : et continuo exivit sanguis et aqua.

V. Cum ergo accepisset Jesus acetum : dixit, consummatum est.

Et inclinato.

Repetatur Responsorium, Tenebræ.

In Laudibus.

Ant. Proprio Filio suo non pepercit Deus : sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Ant. Anxiatus est in me spiritus meus : in me turbatum est cor meum.

Ps. Domine, exaudi. *ii.* (*cxlii.* p. 165).

Ant. Ait latro ad latronem : nos quidem digna factis recipimus : hic

autem quid fecit? memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.

Ps. Deus, Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Dum conturbata fuerit anima mea. Domine, misericordiæ memor eris.

Ps. Domine audivi (*Abacuc. iii.* p. 166).

Ant. Memento mei, Domine Deus, dum veneris in regnum tuum.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Ant. Posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Jesus Nazarenus rex Judeorum.

Ps. Benedictus.

Finita Antiphona super Psalmum Benedictus, *ordo de præcedenti nocte servetur, cum his tribus Versibus, scilicet,*

V. Agno miti basia cui lupus dedit venenosa.

V. Vita in ligno moritur: infernus et mors lugens spoliatur.

V. Teque vinciri voluisti, nosque a mortis vinculis eripuisti.

Ita tamen quod in fine Orationis Respice, quæsumus, Domine, *non dicatur* Qui tecum : *nec in sabbato.*

Hac die conveniant Clerici ad ecclesiam, et Horas diei sub silentio in choro hoc modo dicant.

Ad Primam *incipiat Sacerdos Antiphonam* Christus factus est : *et interim una cum* Choro fiat genuflectio osculando formulas.*

Ant. Christus factus est.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ps. Beati immaculati (*cxviii.* 1, p. 44).

Ps. Retribue (*cxviii.* 17, p. 45).

Finitis Psalmis sine Gloria Patri, *tota dicatur Antiphona : deinde dicatur* Pater noster, *et* Ave Maria *in prostratione cum Psalmo* Miserere, *sine* Gloria Patri, *et statim sequatur Oratio in prostratione, sine* Dominus vobiscum, *et sine* Oremus, *sic inchoando* Respice, quæsumus, Domine, *sine* Qui tecum, *et sine* Dominus vobiscum, *et sine* Benedicamus Domino. *Et sic surgant omnes a prostratione, osculantes formulas.*

Hic modus servetur ad omnes Horas, scilicet ad Primam, Tertiam, Sextam, et Nonam hac die et in sabbato in Vigilia Paschæ. Ita tamen quod in inceptione cujuslibet Horæ dicitur Pater noster†. *Post Psalmos usque post Orationem fiat prostratio super formulas surgendo, easdem osculando. Similiter fiat ad Completorium hujus diei.*

Ad Primam non eatur in Capitulum hac die, nec in sabbato in Vigilia Paschæ : nec ulla Lectio de martirologio legatur. Tamen Versus Preciosa est *cum Oratione* Sancta Maria *dicatur, et finiatur cum* Dominus vobiscum, *et* Benedicamus, *loco nec habitu mutato.*

Vesperas *etiam hac die‡non cantando sed privatim dicendo, alternatim a Choro stando coram altari, dicant hoc modo.*

Ant. Calicem.

Ps. Credidi propter (*cxv.* p. 197).

Et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis ut in die Cenæ : et Antiphona super Psalmum Magnificat, *scilicet* Cenantibus. *Quae tamen omnia privatim dicantur.*

Finita Antiphona post Psalmum Magnificat *dicatur* Pater noster, *et* Ave Maria : *deinde Ps.* Miserere *similiter privatim sine* Gloria, *in prostratione. Quo finito statim dicat Sacerdos in audientia sed sine nota Orationem* Respice, quæsumus, Domine, *sine* Dominus vobiscum, *et sine* Oremus, *et sine* Qui tecum. *Et sic Missa et Vesperæ simul finiantur : non dicitur* Benedicamus, *nec* Ite missa est.

Ad Completorium *incipiat Sacerdos Antiphonam* Christus factus est : *et interim cum toto Choro fiat genuflectio.*

* '*una in*' Chevallon.

† '*cujuslibet Horæ, et ex quo dicitur* Pater noster *post*' legendum cum Port. 1525-6.

‡ 'Benedicamus. *Loco nec habitu mutato fiunt Vesperæ in hac die.*' melius Port. 1556.

Ant. Christus factus est.

Et cetera omnia fiant sicut in die Cenæ, sine Dominus vobiscum, *et sine* Oremus : *sed post Psalmos et Antiphonam dicitur* Pater noster, *et* Ave Maria, *et Ps.* Miserere *sine* Gloria Patri, *cum prostratione, et sic finiatur Completorium, Sacerdote dicente Orationem* Respice, quæsumus, Domine, *sine* Dominus vobiscum, *et sine* Oremus, *et sine* Qui tecum, *et sine* Benedicamus : *et sic compleatur servitium hujus diei.*

SABBATO IN VIGILIA PASCHÆ.

AD MATUTINAS, *seniore incipiente Antiphonam omnes se prosternent.*

In primo Nocturno.

Ant. In pace in idipsum dormiam et requiescam.

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 8).

Ant. Habitabit in tabernaculo tuo : requiescet in monte sancto tuo.

Ps. Domine, quis habitabit (*xiiii.* p. 17).

Ant. Caro mea requiescet in spe.

Ps. Conserva me, Domine (*xv.* p. 17).

V. In pace in idipsum

R. Dormiam et requiescam.

Tres primæ Lectiones de Lamentationibus Hieremiæ cantandæ supradicto modo legantur.

Lectio i. (*De Lamentationibus Hieremiæ Treno. ii.*)

Aleph. Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Hierusalem : cui exæquabo te et consolabor te, virgo filia Syon. Magna enim velut mare contritio tua : quis medebitur tui?

Beth. Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta : nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.

Gimel. Viderunt autem tibi assumptiones vanas et ejectiones. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam : sibilaverunt et moverunt capita sua super filiam Hierusalem.

Hierusalem.

R. 1. Sepulto Domino signatum est monumentum volventes lapidem ad ostium monumenti, Ponentes milites qui custodirent illud,

Versus. Ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum et dicant plebi surrexit a mortuis.

Ponentes.

Lectio ii.

Deleth. Fecit Dominus quæ cogitavit : complevit sermonem suum quem præceperat a diebus antiquis. Destruxit et non pepercit : et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum.

He. Clamavit cor eorum ad Dominum : super muros filiæ Syon. Deduc quasi torrentem lachrymas per diem et per noctem. Non des requiem tibi : neque taceat pupilla oculi tui.

Hierusalem.

R. 2. Recessit pastor noster fons aquæ vivæ, ad cujus transitum sol obscuratus est; nam et ille captus est qui captivum tenebat primum hominem. Hodie portas mortis et seras pariter Salvator noster dirupit.

V. Ante cujus conspectum mors fugit, ad cujus vocem mortui resurgunt : videntes autem eum portæ mortis confractæ sunt.

Hodie portas.

Lectio iii.

Zai. Jacuerunt in terra foris puer et senex. Virgines meæ et juvenes mei ceciderunt in gladio : interfecisti in die furoris tui, percussisti nec misertus es.

Joth. Vocasti quasi ad diem solennem qui contererent me in circuitu : et non fuit in die furoris Domini qui effugeret et relinqueretur. Quos educavi et enutrivi : inimicus meus consumpsit eos. Vetustam

fecit pellem meam et carnem meam : contrivit ossa mea. (*Treno. iii.*)

Lamech. Ædificavit in gyro meo : et circumdedit me felle et labore. In tenebrosis collocavit me : quasi mortuos sempiternos.

Hierusalem.

Responsorium 3. Agnus Dei
Christus immolatus est
' pro salute mundi : nam,
de parentis prothoplasti
fraude facta condolens,
quando pomi noxialis
morte morsu corruit :
ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

V. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem : mortem autem crucis,

Damna.

Repetatur Responsorium Agnus.

In secundo Nocturno.

Ant. Elevamini, portæ æternales : et introibit rex gloriæ.

Ps. Domini est terra (*xxiii.* p. 40).

Ant. Credo videre bona Domini in terra viventium.

Ps. Dominus illuminatio (*xxvi.* p. 69).

Ant. Domine, abstraxisti ab inferis animam meam.

Ps. Exaltabo te *i.* (*xxix.* p. 72).

V. Tu, autem, Domine.

R. Miserere mei.

Tres mediæ Lectiones de quodam sermone beati Pauli.

Lectio iiii. Admonet nos, dilectissimi, tanta ista et tam sancta solennitas, exhortari nos ad vigilandum et orandum. Dimicat enim fides nostra in hujus seculi nocte, ne interiores oculi nostri in nocte cordis obdormiant. In quod malum ne incidamus, oremus illa voce qua legimus, et dicamus Deo nostro, Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte : nequando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

R. 4. Sicut ovis ad occisionem ductus est : et dum male tractaretur non aperuit os suum : traditus est ad mortem, Ut vivificaret populum suum.

V. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra,

Ut vivificaret.

Lectio v. Hic ille inimicus est qui adversus Dominum nostrum Jesum Christum insanos Judeos velut propria arma et vasa commovit : sed non prævaluit adversus eum. Visi sunt sibi quidem prævaluisse carnales inimici : sed spiritualis in eis superatus est hostis. Victima enim mundæ carnis immundus victus est spiritus : et eo ipso quo inflammavit homines palam facere quod voluit, occulte passus est ipse quod noluit. Nam Christum occidendo sanguinem fudit, quo reviviscerent quos occidit : sed nec ullum* possidet in mortuis. Sociatos quippe doluit resurgentes, quibus voluit sociare morientem.

R. 5. Ecce quomodo moritur justus et nemo percipit corde : viri justi tolluntur et nemo considerat : a facie iniquitatis ablatus est justus, Et erit in pace memoria ejus.

V. In pace factus est locus ejus : et in Syon habitatio ejus.

Et erit in.

Lectio vi. Hujus ergo mortem, fratres, in ista vita celebramus, cujus vitam post istam mortem expectamus. Ergo humilitate nostra humilitatem Domini in memoriam revocemus : humiliter vigilemus, humiliter oremus, piissima fide, firmissima spe, ferventissima charitate, cogitantes qualem nostra claritas habitura sit diem, si nostra humilitas noctem vertat in diem. Deus itaque qui dixit de tenebris lumen clarescere, clarescat in cordibus nostris, ut aliquid intus simile faciamus, quale in domo hac oratio-

* 'illum' *Chevallon. cum Leg.* 1518.

nis accensis luminaribus fecimus. Habitaculum vero Dei, nostram scilicet conscientiam, justiciæ luminaribus exornemus : non autem nos, sed gratia Dei nobiscum.

Responsorium 6. Hierusalem luge et exue te vestibus jocunditatis : induere cinere et cilicio, Quia in te occisus est salvator Israel.

V. Deduc quasi torrentem lachrimas per diem et noctem : et non taceat pupilla oculi tui.

Quia in te.

Repetatur Responsorium, Hierusalem.

In tertio Nocturno.

Ant. Deus adjuvat me : et Dominus susceptor est animæ meæ.

Ps. Deus in nomine tuo (*liii.* p. 42).

Ant. In pace factus est locus ejus : et in Syon habitatio ejus.

Ps. Notus in Judea (*lxxv.* p. 137).

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

Ps. Domine Deus salutis (*lxxxvii.* p. 155).

V. Collocavit me

R. In obscuris.

Hic non fiat genuflectio propter pronunciationem Evangelii : et pronuncietur sine titulo, hoc modo,*

Vespere autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati : venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulchrum. Et reliqua.

Tamen titulus de Omelia pronuncietur more solito sic :

†Omelia venerabilis Bedæ presbiteri. (*Omelia i. secundi libri.*)‡

Vigilias nobis hujus sacratissimæ noctis, sicut ex lectione evangelica, fratres charissimi, audivimus, resurrectio Domini et Salvatoris nostri dedicavit. Juste etenim hanc pro ejus amore vigiliis celebramus et hymnis, qui pro nostro amore in ea dormire in morte, ac de morte voluit excitari. Nam sicut Apostolus ait : mortuus est propter delicta nostra : et resurrexit propter justificationem nostram.

R. 7. Plange quasi virgo plebs mea et ululate pastores in cinere et cilicio. Quia veniet dies Domini magna et amara valde.

V. Ululate pastores et clamate : aspergite vos cinere.

Quia veniet.

Lectio viii. Quod autem in lectione evangelica dictum est, quia mulieres sanctæ vespere sabbati quæ lucescit in prima sabbati venerunt videre sepulchrum, ita intelligendum est : quia vespere quidem venire cœperunt, sed lucescente mane in prima sabbati ad sepulchrum pervenerunt. Id est, vespere aromata quibus corpus Domini ungere desiderabant paraverunt : sed parata vespere aromata mane ad sepulchrum detulerunt. Quod Mattheus quidem brevitatis causa obscurius posuit : sed Evangelistæ alii quo ordine sit factum evidentius ostendunt.

R. 8. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

V. Posuerunt me in lacu inferiori : in tenebrosis et in umbra mortis.

Factus sum.

Lectio ix. Sepulto namque sexta feria Domino, reversæ a monumento mulieres paraverunt aromata quamdiu operari licebat : et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum, sicut Lucas aperte designat. Cum autem transisset sabbatum, vespereque adveniente tempus operandi redisset : mox prompte ad devotionem emerunt quæ minus paraverant aromata (sicut Marcus commemorat) ut venientes ungerent eum. Et valde

* Notatur tamen in margine '*Matt.* xxviii.'

† *litteris italicis* verba 'Omelia' &c., ut sæpius, minus apte scribit *Chevallon.*

‡ *Bedæ* Homiliæ Æstivales de Tempore, *Opera* VII. 1.

mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole.

R. [9.] O vos omnes qui transitis per viam attendite, et videte, Si est dolor similis sicut dolor meus.

V. Attendite universi populi, et videte,

Si est dolor.

Repetatur Responsorium, O vos omnes.

In Laudibus.

Ant. O mors ero mors tua : morsus tuus ero inferne.

Ps. Miserere (*l.* p. 85).

Ant. Attendite universi populi et videte dolorem meum.

Ps. Bonum est confiteri (*xci.* p. 160).

Ant. O vos omnes qui transitis per viam : attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.

Ps. Deus, Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. A porta inferi erue, Domine, animam meam.

Ps. Ego dixi (*Esai. xxxviii.* p. 110).

Ant. Plangent eum quasi unigenitum : quia innocens Dominus occisus est.

Ps. Laudate Dominum de cælis (*cxlviii.* p. 32).

Ant. Mulieres sedentes ad monumentum : lamentabantur flentes Dominum.

Ps. Benedictus.

Kyrie eleyson, *et cetera omnia sicut in prima nocte dicantur, et etiam Versus* Mortem autem crucis : *excepto quod in fine Orationis non dicatur hac die* Qui tecum.

Hac die ornetur ecclesia solenniter per omnia sicut in Festis principalibus : exceptis ymaginibus et crucibus quæ non discooperiantur usque post resurrectionem Dominicam in die Paschæ, quia cum Christo surrexerunt omnes sancti.

Horæ diei, scilicet Prima, Tertia, Sexta, et Nona, privatim dicuntur hac die, sicut in sexta feria in die Parasceves.

Officium hujus diei sic incipiatur quatenus post Horam nonam dictam Missa dicatur, Sacerdote sic dicente, Pax Domini sit semper vobiscum, *et Choro respondente,* Et cum spiritu tuo. *Non dicatur* Agnus Dei, *nec pax detur. Sed facto intervallo,* AD VESPERAS *sine regimine chori alta voce in superiori gradu incipiatur Ant.* Alleluya *quater.*

Ps. Laudate Dominum omnes gentes (*cxvi.* p. 197).

Finito Psalmo cum Gloria Patri *et* Sicut erat, *tota dicitur Antiphona.*

Deinde statim ab excellentiore persona ex parte chori incipiatur Ant. Vespere autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati : venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulchrum. Alleluya.

Ps. Magnificat *cum* Gloria, *et* Sicut erat.

Dicta Antiphona, ad complendum omne servitium hujus diei, dicat Sacerdos ad populum conversus Dominus vobiscum ; *et reversus ad altare dicat,*

Oremus.

Postcommunio. Spiritum in nobis, Domine, tuæ caritatis infunde : ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum nostrum Jesum Christum *et cetera.* In unitate ejusdem. *et cetera more solito.*

Et postea iterum dicat Sacerdos, Dominus vobiscum.

Deinde dicat Diaconus, Ite missa est.

Et Chorus respondeat, Deo gratias.

Et sic Missa et Vesperæ simul finiantur.

COMPLETORIUM *hac die hoc modo dicatur. Pulsatis signis bina vice incipiat Sacerdos,*

Deus in adjutorium meum intende, *cum* Gloria, *et cetera more solito, sine* Converte nos.

Ant. Alleluya *quater, ut supra ad Vesperas : et incipiatur in superiori gradu.*

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 222).

Ps. In te, Domine, speravi (*xxx.* p. 222).

Ps. Ecce nunc (*cxxxiii.* p. 224).

Ps. Nunc dimittis (*Lucæ ii.* p. 225).

Et dicuntur hi Psalmi prædicti sub una voce, nullum Psalmum exaltando. Quod etiam observatur quotidie usque ad Octavas Paschæ ad Completorium.

Finitis Psalmis cum Gloria Patri, *tota dicitur Antiphona.*

Deinde dicitur Dominus vobiscum, *et* Oremus, *cum Oratione, scilicet* Spiritum in nobis, *cum* Dominus vobiscum, *et* Benedicamus Domino, *sine* Alleluya. *Et ab Executore Officii hæc omnia dicuntur. Et sciendum est quod hæc Oratio* Spiritum *dicitur quotidie ad Completorium usque ad Octavas Paschæ.*

Cereus Paschalis a tempore quo illuminatur ardebit continue usque post Completorium in die Paschæ. Item ardebit per tres dies sequentes ad Matutinas, Missas, Vesperas, et Completorium. Item die sabbati et in Dominica in Octavis Paschæ, sicut in prædictis tribus diebus. Item in Festo Annunciationis beatæ Mariæ, si in tempore Paschæ celebratum fuerit : et in Festo Inventionis sanctæ Crucis : sicut in prædictis primis tribus diebus. Item in Festo Ascensionis Domini ad Matutinas, Missam, et utrasque Vesperas, et ad Completorium. Item in Festo Apostolorum Philippi et Jacobi, et Sancti Marci evangelistæ : et in omnibus Dominicis ad Missam tantum. Et in die Veneris, videlicet in crastino Ascensionis Domini, dictus Cereus Paschalis mane deponetur.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

1. A. In Die Paschæ et per totam ebdomadam totum servitium fiat de solennitate Festi.

2. A. In Die Paschæ et per totam ebdomadam totum servitium fiat de Festo, et Festum S. Richardi differatur usque ad Translationem ejus, et Festum S. Ambrosii differatur usque ad iii. Feriam post Octavas Paschæ.

3. A. In Die Paschæ et per ebdomadam totum servitium fiat de solennitate festi; et nichil de Martyribus [Tiburtio et Valeriano].

4. A. In Die Paschæ et per ebdomadam totum servitium de Festo, et nichil de S. Alphego.

5. A. In Die Paschæ et per ebdomadam totum servitium de Festo, et nichil de S. Vitale. Festum S. Georgii differatur usque ad ix. diem Maii. Festum verò S. Marci differatur usque ad xi. diem Maii.

1. B. In Die Paschæ et per ebdomadam totum servitium de solennitate festi, [et Festum Annunciationis differatur usque ad v. Feriam post Octavas Paschæ. *Portif.* 1525-6.]

2. B. In Die Paschæ et per ebdomadam totum servitium de solennitate festi, et nichil de S. Richardo, et Festum S. Ambrosii differatur usque ad iii. Feriam post Octavas Paschæ.

3. B. In Die Paschæ et per ebdomadam totum servitium de solennitate festi.

4. B. In Die Paschæ et per ebdomadam totum servitium de solennitate festi, et Festum S. Georgii differatur usque in iv. Feriam post Octavas Paschæ.

5. B. In Die Paschæ et per ebdomadam totum servitium de solennitate festi, et Festum S. Georgii differatur usque ad ix. diem Maii, et Festum S. Marci differatur usque ad xi. diem Maii. Tamen ubi celebratur Translatio S. Nicolai tunc Festum Georgii differatur usque ad xi. diem Maii, et Festum S. Marci differatur usque ad xiii. diem Maii.

1. C. In Die Paschæ totum servitium de solennitate festi, et nichil de S. Richardo.

2. C. In Die Paschæ totum servitium de solennitate festi, et Festum S. Ambrosii differatur usque ad iii. Feriam post Octavas Paschæ.

3. C. In Die Paschæ totum servitium de solennitate festi, et nichil de Martyribus [Tiburtio et Valeriano et Maximo].

4. C. In Die Paschæ totum servitium de solennitate festi, et Festum S. Georgii differatur usque ad xi. diem Maii.

5. C. In Die Paschæ et per ebdomadam totum servitium de solennitate festi, et nichil de S. Vitale. Festum S. Marci differatur usque post xi. diem Maii. Festum vero Apostolorum Jacobi et Philippi differatur usque ad xiii. diem Maii.

1. D. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et Festum Annunciationis differatur usque ad iii. Feriam post Octavas Paschæ.

2. D. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et Festum S. Ambrosii differatur usque ad iii. Feriam post Octavas Paschæ.

3. D. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi.

4. D. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et nichil de Martyribus [Tiburtio Valeriano et Maximo].

5. D. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et nichil de S. Alphego et Festum S. Georgii differatur ad xxix. diem Aprilis et Festum S. Marci differatur usque ad v. diem Maii.

1. E. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et Festum Annunciationis differatur usque in iii. Feriam post Octavas Paschæ.

2. E. In Die Paschæ &c. ut supra, et nichil de S. Richardo, et Festum S. Ambrosii differatur usque ad iii. Feriam post Octavas Paschæ.

3. E. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi.

4. E. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi.

5. E. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et Festum S. Georgii differatur usque ad viii. diem Maii, et Festum S. Marci differatur usque ad xiii. diem Maii.

1. F. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et Festum Annunciationis differatur usque ad ix. diem Aprilis.

2. F. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et nichil de S. Richardo, et Festum S. Ambrosii differatur usque ad iii. Feriam post Octavas Paschæ.

3. F. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi.

4. F. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi.

5. F. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et Festum S. Georgii differatur usque ad ix. diem Maii, et Festum S. Marci differatur usque ad xiv. diem Maii.

1. G. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et Festum Annunciationis differatur usque ad vi. diem Aprilis.

2. G. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et Festum S. Ambrosii differatur usque ad x. diem Aprilis.

3. G. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi.

4. G. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et nichil de S. Alphego.

5. G. In Die Paschæ et per ebdomadam de solennitate festi, et Festum S. Georgii differatur usque ad ix. diem Maii, et Festum S. Marci differatur usque ad xi. diem Maii, et nichil de S. Vitale.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

In die sancto Paschæ ante Matutinas et ante campanarum pulsationem conveniant Clerici ad ecclesiam, et accendantur luminaria per totam ecclesiam. Tunc duo excellentiores Presbyteri in superpelliceis cum duobus Ceroferariis, et duobus thuribulis, et clero ad sepulchrum accedant : et incensato a prædictis duobus Presbyteris prius sepulchro cum magna veneratione, videlicet genuflectendo, statim post thurificationem corpus Dominicum super altare privatim deponant : iterum accipientes crucem de sepulchro, choro et populo interim genuflectente, incipiat excellentior persona

Ant. Christus resurgens,

Et Chorus prosequatur totam Antiphonam sic, ex mortuis jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur : quod enim vivit, vivit Deo. Alleluya. Alleluya.

Et tunc dum canitur Antiphona, eat processio per ostium australe presbyterii incedens et per medium chori regrediens cum prædicta cruce de sepulchro inter prædictos duos Sacerdotes super eorum brachia venerabiliter portata, cum thuribulis et Ceroferariis præcedentibus, per ostium presbyterii boreale exeundo, ad unum altare ex parte boreali ecclesiæ, Choro sequente, habitu non mutato, minoribus præcedentibus : ita tamen quod prædicti duo excellentiores in fine processionis subsequantur, corpore Dominico super altare in pixide dimisso et sub Thesaurarii custodia, qui illud statim in prædicta pixide in tabernaculo deponat : et tunc pulsentur omnes campanæ in classicum.

Finita Antiphona prædicta, sequatur a toto Choro

V. Dicant nunc Judei quomodo milites custodientes sepulchrum perdiderunt regem ad lapidis positionem. quare non servabant petram justiciæ : aut sepultum reddant : aut resurgentem adorent nobiscum dicentes,

Alleluya Alleluya.

Finita autem Antiphona cum suo Versu a toto Choro, dicat excellentior persona in sua statione ad altare conversus hunc Versum.

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

R. Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluya.

Oremus.

Oratio. Deus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem : concede nobis fa-

mulis tuis ut in resurrectionis ejus gaudiis semper vivamus. Per Christum Dominum nostrum.

Et terminetur sub Dominicali tono ad processionem : nec præcedat nec subsequatur Dominus vobiscum.

Finita Oratione omnes cum gaudio genuflectent ibidem et ipsam crucem adorent, in primis digniores, et tunc secrete sine processione in chorum redeant.

His itaque gestis discooperiantur ymagines et cruces per totam ecclesiam : et interim pulsentur campanæ, sicut in Festis principalibus, ad Matutinas more solito.

RESURRECTIO DOMINI : DUPLEX FESTUM PRINCIPALE.

AD MATUTINAS *dicitur.*

Domine, labia mea aperies.

Deus, in adjutorium, *etc.*

Invitatorium. Alleluya. Alleluya. Christus hodie surrexit. Alleluya. Alleluya.

Ps. Venite.

Hac die non dicitur Hymnus, nec ulla die per totam ebdomadam, sed statim post ultimam repetitionem Invitatorii, in superiori gradu inchoetur.

Ant. Ego sum qui sum, et consilium meum non est cum impiis : sed in lege Domini voluntas mea est. Alleluya.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).

Ant. Postulavi patrem meum alleluya. dedit michi gentes alleluya in hereditatem alleluya.

Ps. Quare fremuerunt (*ii.* p. 7).

Ant. Ego dormivi et somnum cepi : et exurrexi quia Dominus suscepit me. Alleluya. Alleluya.

Ps. Domine quid multiplicati (*ii.* p. 7).

Tres primæ Antiphonæ prædictæ incipiantur sicut tres primæ Antiphonæ ad Matutinas in die Natalis Domini, ut supradictum est ad primas Vesperas ejusdem Festi.

V. Resurrexit Dominus.

R. Sicut dixit vobis. Alleluya.

Ab hac die usque ad Festum sanctæ Trinitatis omnes Responsiones Versuum cum Alleluya *finiantur in servitio diei : nisi ad Primam cum dicitur Versus* Exurge, Domine, adjuva nos *post Responsorium* Jesu Christe : *et in Capitulo, cum dicitur Versus* Preciosa est : *et ad Completorium, cum dicitur Versus* Custodi nos : *et post aspersionem aquæ benedictæ in Dominicis, cum dicitur Versus* Ostende nobis Domine.

Hac die legantur tres Lectiones, et sua Responsoria cantentur, sicut in tertio Nocturno in die Natalis Domini supradictum est.

Hac die non thurificetur altare ad Matutinas, nisi ad Te Deum *et Psalmum* Benedictus : *tunc enim a duobus Sacerdotibus, ut supradictum est in die Natalis Domini ad primas Vesperas, altare thurificetur.*

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum ultimo. (*xvi.* 1—7.)

In illo tempore. Maria Magdalene et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata : ut venientes ungerent Jesum. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. (*xxi.*)*

Audistis, fratres charissimi, quod sanctæ mulieres, quæ Dominum fuerant secutæ, cum aromatibus ad monumentum veniunt, et ei quem viventem dilexerant etiam mortuo studio humanitatis obsequuntur. Sed res gesta aliquid in sancta ecclesia signat gerendum. Sic quippe necesse est ut audiamus quæ facta sunt, quatenus cogitemus etiam quæ nobis sunt ex eorum imitatione facienda. Et nos ergo in eum qui est mortuus credentes, si odore virtutum refecti cum opinione bonorum ope-

* *Gregorii* in Evangelia, Lib. II. Hom. xxi., *Opera* I. 1526, ed. Bened.

rum Dominum quærimus, ad monumentum profecto illius cum aromatibus venimus. Illæ autem mulieres angelos vident, quæ cum aromatibus venerunt : quia videlicet illæ mentes supernos aspiciunt cives, quæ cum virtutum odoribus ad Deum per sancta desideria proficiscuntur. Notandum vero nobis est, quidnam sit quod in dextris sedere angelus cernitur. Quid namque per sinistram nisi vita præsens : quid vero per dexteram nisi perpetua vita signatur? Unde scriptum est, Læva ejus sub capite meo : et dextera illius amplexabitur me. Quia igitur redemptor noster jam præsentis vitæ corruptionem transierat, recte angelus qui nunciare perennem ejus vitam venerat in dextera sedebat. Qui stola candida coopertus apparuit, quia festivitatis nostræ gaudia nunciavit. Candor etenim vestis splendorem nostræ denunciat solennitatis. Nostræ dicemus an suæ? Sed ut verius fateamur : et suæ dicamus et nostræ. Tu.

R. 1. Angelus Domini descendit de cælo : et accedens revolvit lapidem et super eum sedit : et dixit mulieribus, nolite timere, scio enim quia crucifixum quæritis. Jam surrexit, venite et videte locum ubi positus erat Dominus. Alleluya.

V. Angelus Domini locutus est mulieribus dicens, quem quæritis : an Jesum quæritis?

Jam surrexit.

Lectio ii. Illa quippe Redemptoris nostri resurrectio et nostra festivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit, et angelorum festivitas extitit, quia nos revocando ad cælestia eorum numerum implevit. In sua ergo ac nostra festivitate angelus albis vestitus apparuit : quia dum nos per resurrectionem Dominicam ad superna reducimur, cælestis patriæ damna reparantur. Sed, quid venientes feminas affatur, audiamus. Nolite expavescere, Ac si aperte dicat, Paveant illi qui non amant adventum supernorum civium : pertimescant qui carnalibus desideriis pressi ad eorum se societatem pertingere posse desperant. Vos autem cur pertimescitis, quæ vestros concives videtis? Unde et Matheus angelum apparuisse describens ait, Erat autem aspectus ejus sicut fulgur : et vestimenta ejus sicut nix. In fulgure etenim terror timoris est : in nive autem blandimentum candoris. Quia vero omnipotens Deus et terribilis est peccatoribus, et blandus justis : recte testis resurrectionis ejus angelus et in fulgure vultus et in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie et terreret reprobos et mulceret pios. Unde recte quoque populum per deserta gradientem columna ignis in nocte et columna nubis præibat in die. In igne enim terror est, in nube autem visionis lene blandimentum. Dies vero vita justi, et nox accipitur vita peccatoris. Unde et conversis peccatoribus Paulus dixit, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

R. 2. Angelus Domini locutus est mulieribus dicens, quem quæritis? an Jesum quæritis? jam surrexit. Venite et videte. Alleluya. Alleluya.

V. Jesum quem quæritis Nazarenum crucifixum : surrexit, non est hic.

Venite et videte.

Lectio iii. In die ergo per nubem columna monstrata est, et in nocte per ignem, quia omnipotens Deus et blandus justis et terribilis apparebit injustis. Justos in judicium veniens per lenitatis mansuetudinem demulcet : illos vero per justiciæ districtionem terret. Sed jam quid angelus subjungat audiamus. Jesum quæritis Nazarenum. Jesus in Latino eloquio, salutaris, id est Salva-

tor, interpretatur. At vero multi tunc Jesus dici poterant : non tamen substantialiter, sed nuncupative. Ideo et locus subjungitur, ut de quo Jesu dictum sit manifestetur, Nazarenum. Et causam protinus subdit; Crucifixum. Atque addidit: Surrexit, non est hic. Non est hic, dicitur per præsentiam corporis : qui tamen nusquam deerat per præsentiam majestatis. Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galileam. Quærendum nobis est cur nominatis discipulis Petrus designetur ex nomine. Sed si hunc angelus nominatim non exprimeret, quia magistrum negaverat, venire inter discipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione. Qua in re considerandum nobis est, cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ ecclesiæ præferendum disposuerat, ancillæ vocem pertimescere et seipsum negare permisit. Quod nimirum magnæ esse actum pietatis dispensatione cognoscimus : ut is qui futurus erat pastor ecclesiæ in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset. Prius itaque eum ostendit sibi, et tunc præposuit ceteris : ut ex sua infirmitate cognosceret quam misericorditer aliena infirma tolleraret. Bene autem de Redemptore nostro dicitur : præcedet vos in Galileam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Galilea namque transmigratio facta interpretatur. Jam quippe Redemptor noster a passione ad resurrectionem, a morte ad vitam, a pœna ad gloriam, a corruptione ad incorruptionem transmigraverat. Et prius post resurrectionem in Galilea bene a discipulis videtur, quia resurrectionis ejus gloriam post læti videbimus, si modo a vitiis ad virtutum celsitudinem transmigremus. Qui ergo in sepulchro nunciatur, in transmigratione ostenditur : quia is qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratione mentis videtur. Tu.

R. 3. Dum transisset sabbatum : Maria Magdalene et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, Ut venientes ungerent Jesum. Alleluya. Alleluya.

V. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum : orto jam sole.

Ut venientes*. Gloria Patri. Alleluya.

Hoc tertium Responsorium a tribus excellentioribus personis ad gradum chori in superpelliciis. Et hoc Responsorium sit tertium Responsorium singulis diebus per hanc ebdomadam: similiter in omnibus Dominicis usque ad Ascensionem Domini, quando de Dominica agitur tantum.

Executor Officii in stallo suo in capa serica alta voce, finito Responsorio cum suo Versu prædicto, incipiat Psalmum Te Deum (p. 27).

Ante Laudes V. In resurrectione tua, Christe,

R. Cæli et terra lætentur. Alleluya.

In Laudibus.

Ant. Angelus autem Domini descendit de cælo : et accedens revolvit lapidem et sedebat super eum. Alleluya. Alleluya.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. Et ecce terræmotus factus est magnus : angelus autem Domini descendit de cælo. Alleluya.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur : vestimenta ejus sicut nix. Alleluya. Alleluya.

Ps. Deus, Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes : et facti sunt velut mortui. Alleluya.

* 'Et ve.' *Chevallon.*

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Respondens autem angelus dixit mulieribus. nolite timere. scio enim quod Jesum quæritis. Alleluya.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Non dicitur Capitulum, nec Hymnus, per totam hanc ebdomadam : sed statim post Antiphonam duo Pueri in superpelliciis dicant

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

R. Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluya.

Ant. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole. Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti : vota nostra quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eundem.

Et dicitur Benedicamus Domino *a duobus Clericis de secunda forma, vel de superiori gradu, cum uno tantum* Alleluya. *Quandocunque enim dicetur* Benedicamus Domino *a duobus, semper dicetur cum* Alleluya. *Et respondeatur a Choro* Deo gratias *ejusdem cantus cum* Alleluya, *usque ad Festum sanctæ Trinitatis.*

Ad Primam, *post* Deus in adjutorium, *non dicitur Hymnus : sed statim incipiatur in superiori gradu Antiphona super Psalmos. Similiter fiat ad omnes alias Horas hujus diei, et totius ebdomadæ sequentis.*

Ant. Angelus autem Domini.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ps. Confitemini (*cxvii.* p. 43) *hac die tantum dicitur.*

Ps. Beati immaculati (*cxviii.* 1, p. 44).

Ps. Retribue (*cxviii.* 17, p. 45).

Non dicitur Ps. Quicunque *per totam hanc ebdomadam, sed post Psalmos et Antiphonam statim inchoetur Graduale a Precentore, scilicet*

Hæc dies quam fecit Dominus : exultemus et lætemur in ea.

Et percantetur a Choro sine Versu et sine neuma : et sic fiat per totam ebdomadam ad Primam et ad omnes Horas, usque ad sabbatum, præterquam ad Matutinas tantum. Tamen ad Vesperas dicitur cum Versu sine neuma.

Finito Graduali dicat Sacerdos, hunc Versum :

Resurrexit Dominus.

R. Sicut dixit vobis. Alleluya.

Sacerdos dicat, Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Oratio. Deus, qui hodierna die.

Et finiatur sic, Per eundem Dominum. *et cetera.*

Chorus respondet, Amen.

Sacerdos dicit, Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Benedicamus Domino, *sine* Alleluya.

Deo gratias, *sine* Alleluya.

Hæc Oratio dicitur singulis diebus ad Primam per ebdomadam. Et hoc modo dicitur Prima, excepto Psalmo Confitemini, *per totam septimanam, nisi in sabbato.*

Ceteræ etiam Horæ eodem modo per totam septimanam cum propriis Orationibus de die dicantur et finiantur. Capitulum quotidie finiatur sicut in die cenæ prænotatum est.*

Ad Tertiam, *dicat Sacerdos* Deus in adjutorium, *ut supra ad Primam : non dicitur Hymnus, sed*

Ant. Et ecce terræmotus.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Gradale. Hæc dies.

V. Surrexit Dominus vere.

R. Et apparuit Symoni. Alleluya.

Sacerdos. Dominus vobiscum.

Oremus.

Oratio. Deus, qui hodierna die.

* '*dicuntur*' Chevallon.

Ad Sextam.

Ant. Erat autem.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Gradale. Hæc dies.

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

R. Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluya.

Sacerdos. Dominus vobiscum.

Oremus.

Oratio. Deus, qui hodierna die.

Ad Nonam.

Ant. Præ timore autem.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Gradale. Hæc dies.

V. In resurrectione tua, Christe,

R. Cælum et terra lætentur. Alleluya.

Sacerdos. Dominus vobiscum.

Oremus.

Oratio. Deus, qui hodierna.

Ad secundas Vesperas *non dicitur* Deus in adjutorium : *sed Rectores ex parte chori conversi ad chorum incipiant Vesperas hac die, et per totam ebdomadam usque ad sabbatum, cum* Kyrie eleyson *super cantum de* Lux et origo.

Kyrie eleyson. *ter.*

Christe eleyson. *ter.*

Kyrie eleyson. *ter.*

Deinde in superiori gradu ab excellentiore post illum qui exequitur Officium hujus diei ex parte chori, incipiatur

Ant. Alleluya *quater, ut supra in Vigilia Paschæ ad Vesperas.*

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Ps. Confitebor (*cx.* p. 192).

Ps. Beatus vir (*cxi.* p. 193).

Hi prædicti Psalmi cum prædicta Antiphona dicuntur ad Vesperas per totam ebdomadam.

Post repetitionem vero Antiphonæ post Psalmos, duo Clerici de secunda forma tantum in superpelliciis ad gradum chori simul incipiant Gradale Hæc dies. *Chorus prosequatur totum Gradale.*

V. Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in seculum misericordia ejus.

Et sic quotidie dicitur Gradale ad Vesperas a duobus ad gradum chori ex illis qui illud cantaverunt ad Missam, et cum eodem Versu qui dicebatur ad Missam, usque ad sabbatum. In primis videlicet quatuor diebus a duobus de secunda forma in superpelliciis. In ceteris vero diebus a duobus pueris in simili habitu.

Postea vero duo seniores, ex illis qui cantaverunt Alleluya *ad Missam, in superpelliciis tantum ad gradum chori simul cantent* Alleluya, *cum hoc Versu,* Epulemur in azimis sinceritatis et veritatis. *Deinde repetatur* Alleluya *sine neuma. Eodem modo dicitur* Alleluya *de die cum suo Versu ad Vesperas per totam ebdomadam.*

His dictis dicitur a duobus pueris in superpelliciis ad gradum chori hic Versus, Resurrexit Dominus. *Huc usque non mutatur ordo prædictorum ad Vesperas per totam ebdomadam.*

Excellentior persona ex parte Chori incipiat

Ant. Et respicientes viderunt revolutum lapidem : erat quippe magnus valde. Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui resurrectionis Dominicæ solennia colimus, innovatione Spiritus tui a morte animæ resurgamus. Per eundem Dominum. In unitate ejusdem.

Finita Oratione cum Benedicamus Domino *a duobus Clericis de secunda forma, procedat processio per ostium presbyterii australe ad Fontes cum oleo et chrysmate, ordinata processione ad gradum altaris hoc ordine : cum Accolito in albis crucem deferente, deinde duo Ceroferarii, et post illos Thuribularii, omnes in albis, deinde oleum et chrisma a duobus Dyaconibus de secunda forma deferantur, qui*

induti sint albis cum amictibus, deinde Puer ferens librum superpellicio indutus, deinde executor Officii in capa serica, et post illum Rectores secundarii, nisi episcopus præsens fuerit : tunc enim in fine processionis eat, et post illum rectores secundarii : deinde Rectores principales, Choro itaque sequente. Nulla vero die præcedat cereus paschalis nec subsequatur, secundum usum Sarum ecclesiæ, ad Vesperas nec ad Matutinas.

Rectores vero in medio processionis incedentes Antiphonam sequentem incipiant in choro, hoc modo :

Alleluya.

Chorus prosequatur totam Antiphonam antequam procedat processio, hoc modo :

Alleluya. Alleluya. Alleluya.

Qua finita Rectores ex parte chori intonent

Ps. Laudate pueri (*cxii.* p. 193)

Et percantetur versus ab illa parte Chori antequam procedat processio, hoc modo :

Laudate nomen Domini. Alleluya. *et cetera.*

Hic procedat processio ad Fontes.

Deinde dicatur alius versus ex alia parte chori :

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in seculum. Alleluya.

Et tunc dicitur totus Psalmus cum Gloria *et* Sicut erat *in eundo ad Fontes in latere australi ecclesiæ : et semper post unumquemque versum ex utraque parte Chori repetatur primum* Alleluya *post suum versum semel dicendo non alternando, sed modo superius annotato ut patet.*

Finito Psalmo, reincipiatur Antiphona a Rectoribus Chori, et percantetur a toto Choro.

Hoc *modo fiat statio ad Fontes usque ad Orationem.*

In primis Cruciferarius, deinde duo Ceroferarii, deinde Thuribularius, deinde oleum et chrisma ferentes, deinde Rectores secundarii : post illos vero tres Pueri cantantes Alleluya, *et versum* Laudate pueri Dominum : laudate nomen Domini : *deinde ad gradum Fontis orientalem Puer ferens librum, deinde ad gradum Fontis occidentalem executor Officii : post illum vero duo Rectores principales.*

Ad Fontes vero thurificandos accedat Thuribularius ad executorem Officii : quo facto redeat ad stationem suam. Similiter ad Versum et Orationem dicendam accedant Ceroferarii ad Sacerdotem et Puer tenens librum : deinde dicta Oratione resumant locum suum.

Eodem vero ordine consequenter fiat statio ante crucem : exceptis Rectoribus secundariis, qui stabunt proximi post Sacerdotem executorem Officii, et exceptis tribus Pueris qui cantaverunt Alleluya.

Finita Antiphona post Psalmum Laudate pueri, *tres Pueri in ipsa statione cantent* Alleluya.

V. Laudate pueri Dominum : laudate nomen Domini. *Post repetitionem* Alleluya *sine neuma, incensatis prius Fontibus, dicat Sacerdos*

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

R. Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluya.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui resurrectionis Dominicæ solennia colimus, ereptionis nostræ læticiam suscipere mereamur. *Quæ terminetur* Per eundem Christum Dominum. *Nec præcedat nec subsequatur* Dominus vobiscum.

Deinde in eundo ante crucem omnes Rectores Chori simul incipiant Antiphonam Alleluya : *quæ licet sit brevis, finiatur a toto Choro : scilicet* Alleluya.

Postea Rectores Chori incipiant Psalmum In exitu Israel de

Egypto (*cxiii.* p. 194) *et percantetur totus versus ex illa parte Chori qua incipiebatur, et cetera.*

Hic procedat processio, et dicatur alius versus ex altera parte Chori : et sic percantetur totus Psalmus, cum Gloria *et* Sicut erat, *cum uno* Alleluya *tantum post unumquemque versum, ut supra dictum est.*

Sacerdos executor in fine Psalmi In exitu, *scilicet ad istum versum,* Cælum cæli Domino, *accedat ante Cruciferarium ad thurificandum crucifixum : quo facto redeat ad locum suum, ubi dicet Versum cum Oratione de cruce. Et hoc modo faciat Sacerdos per totam ebdomadam ad Vesperas et ad Matutinas.*

Finito Psalmo reincipiatur Antiphona ab omnibus Rectoribus Chori, et finiatur a toto Choro, ut supra : qua finita dicat Sacerdos

V. Dicite in nationibus,

R. Quia Dominus regnavit a ligno. Alleluya.

Quo dicto accedant Ceroferarii ad Sacerdotem, et Puer tenens librum : deinde dicta Oratione resumant locum suum : quod etiam observetur per totam hanc ebdomadam ad processionem ad Vesperas, et ad Matutinas, et etiam ad Fontes. Sacerdos sic

Oremus.

Oratio. Deus, qui nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem : concede nobis famulis tuis ut in resurrectionis ejus gaudiis semper vivamus. *Quæ terminetur sic* Per eundem Christum Dominum. *Nec præcedat nec subsequatur* Dominus vobiscum, *et cetera.*

In introitu chori dicitur ista Antiphona de S. Maria, *videlicet* Alma Redemptoris : *et terminetur cum* Alleluya : *quam Antiphonam omnes Rectores Chori simul incipiant : quære hanc Antiphonam in Nativitate beatæ Mariæ post secundas Vesperas.*

V. Sancta Dei genitrix virgo semper Maria.

R. Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Alleluya.

Oremus.

Oratio. Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde : ut qui angelo annunciante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem. *et cetera.*

Finita Oratione et dicto Dominus vobiscum, *dicant duo Pueri in superpelliciis ad gradum chori* Benedicamus Domino *cum* Alleluya.

R. Deo gratias *cum* Alleluya.

Sciendum est quod omnia Invitatoria, et omnes Antiphonæ, et omnia Responsoria, Officia, Offertoria, Communiones, ab hac die usque ad Festum sanctæ Trinitatis debent terminari cum Alleluya *in Servitio de die. Similiter fiat in Commemorationibus tempore prædicto contingentibus.*

Ad Completorium.

Deus in adjutorium.

Ant. Alleluya, *ut supra in Vigilia Paschæ ad Vesperas.*

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 222).

Ps. In te, Domine, speravi (*xxx.* p. 222).

Ps. Ecce nunc (*cxxxiii.* p. 224).

Ps. Nunc dimittis (*Lucæ ii.* p. 225).

Et incipiatur praedicta Antiphona in superiori gradu. Repetita Antiphona post Psalmos, statim incipiatur a cantore Gradale, scilicet Haec dies, *et percantetur a Choro sine neuma : deinde dicat Sacerdos, loco nec habitu mutato, sed ad altare conversus, hunc Versum,*

In resurrectione tua, Christe,

R. Cæli et terra lætentur. Alleluya.

Dominus vobiscum, Et cum.

Oremus.

Oratio. Spiritum in nobis. *cum* Dominus vobiscum *post Orationem :*

et Benedicamus Domino *sine* Alleluya.

Hoc eodem modo dicitur Completorium per totam ebdomadam, usque ad sabbatum.

FERIA SECUNDA EBDOMADÆ PASCHÆ:

Festum minus duplex.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Surrexit Dominus vere. Alleluya.

Ps. Venite.

Et dicitur a quatuor Rectoribus Chori in capis sericis albis : similiter in tertia et quarta feria sequente.

Non dicitur Hymnus : sed super Psalmos dicitur hæc sola Antiphona, et incipiatur in superiori gradu,

Resurrexit Dominus. Alleluya : sicut dixit vobis. Alleluya.

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 8).

Ps. Verba (*v.* p. 8).

Ps. Domine ne in furore. *i.* (*vi.* p. 9.)

V. Surrexit Dominus vere,

R. Et apparuit Symoni. Alleluya.

Lectiones et Responsoria in superiori gradu legantur : et cantentur in superpelliciis.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam, ultimo. (*xxiv.* 13—35.)

In illo tempore. Exeuntes duo ex discipulis Jesu ibant ipsa die in castellum quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab Hierusalem nomine Emaus. Et ipsi loquebantur adinvicem, de his omnibus quæ acciderant. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. (*xxiii.*)*

In quotidiana solennitate vobis laborantibus pauca loquenda sunt : et forte hæc utilius proderunt. Quia sæpe et alimenta quæ minus sufficiunt avidius sumuntur. Lectionis ergo evangelicæ summatim sensum statui non per singula verba discutere, ne dilectionem vestram valeat sermo prolixior expositionis onerare. Ecce audistis, fratres charissimi, quia duobus discipulis ambulantibus in via, non quidem credentibus, sed tamen de se loquentibus Dominus apparuit ; sed eis speciem quam recognoscerent non ostendit. Hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi namque apud semetipsos intus et amabant et dubitabant. Eis autem Dominus foris et præsens aderat : et quis esset non ostendebat. Tu autem.

R. 1. Maria Magdalene et altera Maria ibant diluculo ad monumentum : Jesum quem quæritis non est hic : surrexit sicut locutus est. Præcedet vos in Galileam : ibi eum videbitis. Alleluya. Alleluya.

V. Cito euntes dicite discipulis ejus et Petro : quia surrexit Dominus.

Præcedet vos.

Lectio ii. De se ergo loquentibus præsentiam exhibuit : sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem abscondit. Verba quidem contulit, duriciam intellectus increpavit, scripturæ sacræ mysteria quæ de ipso erant aperuit : et tamen quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat a fide, ire se longius finxit. Fingere namque componere dicimus : unde et compositores luti figulos appellamus. Nichil ergo simplex Veritas per duplicitatem fecit : sed talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente. Probandi autem erant, si hi qui eum etsi necdum ut Deum diligerent, saltem ut peregrinum amare potuissent. Sed quia esse extranei a charitate non poterant hi cum quibus Veritas gradiebatur, eum ad hospitium quasi peregrinum vocant. Cur autem dicimus, vocant : cum illic scriptum sit, et coegerunt

* *Gregorii* in Evangelia, Lib. II. Hom. xxiii., *Opera* I. 1538, ed. Bened.

eum? Ex quo nimirum exemplo colligitur, quia peregrini ad hospitium non solum invitandi sunt, sed etiam trahendi. Mensam ponunt, cibos offerunt : et Deum, quem in scripturæ sacræ expositione non cognoverant, in panis confractione cognoscunt. Tu autem, Domine.

R. 2. Congratulamini michi omnes qui diligitis Dominum : quia quem quærebam apparuit michi. Et dum flerem ad monumentum vidi Dominum meum. Alleluya.

V. Recedentibus discipulis non recedebam : sed amoris ejus igne accensa ardebam desiderio.

Et dum flerem.

Lectio iii. Audiendo ergo præcepta Dei illuminati non sunt : faciendo illuminati sunt : quia scriptum est, Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Quisquis ergo vult audita intelligere, festinet ea quæ jam intelligere potuit opere implere. Ecce Dominus non est cognitus cum loqueretur : et dignatus est cognosci dum pascitur. Hospitalitatem ergo, fratres charissimi, diligite : charitatis opera amate. Hinc enim per Paulum dicitur, Charitas fraternitatis maneat* in vobis : et hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis. Hinc Petrus ait, Hospitales invicem : sine murmuratione. Hinc ipsa Veritas dicit, Hospes fui, et suscepistis me. Pensate, fratres, quanta hospitalitatis virtus sit. Ad mensas vestras Christum suscipite, ut vos ab eo suscipi ad convivia æterna valeatis. Præbete modo peregrino Christo hospitium, ut vos in judicio non quasi peregrinos nesciat, sed ut proprios recipiat ad regnum, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen. Tu autem.

R. 3. Dum transisset. *Et dicitur a tribus, ut supra in die Paschæ iii.*

Ps. Te Deum.

Ante Laudes V. In resurrectione tua, Christe.

Iste Versus dicitur quotidie ante Laudes usque ad Ascensionem Domini, quando de temporali agitur.

IN LAUDIBUS *quotidie per ebdomadam dicitur hæc sola Antiphona,* Angelus autem *i. de Laudibus, et incipiatur in superiori gradu.*

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29), *et ceteri Psalmi consueti dicantur.*

Non dicitur Hymnus, sed Versus, Surrexit Dominus de sepulchro.

Supradictus ordo Versuum et Antiphonarum cum Invitatorio prædicto servetur per totam ebdomadam.

Ant. Qui sunt hi sermones quos confertis adinvicem ambulantes et estis tristes. alleluya. respondens unus cui nomen Cleophas : dixit ei, tu solus peregrinus es in Hierusalem : et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus, alleluya : quibus ille dixit, quæ? et dixerunt, de Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo, alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui solennitate paschali mundo remedia contulisti : populum tuum, quæsumus, cælesti dono prosequere, ut et perfectam libertatem consequi mereatur, et ad vitam proficiat sempiternam. Per Dominum.

Hac die et ceteris diebus sequentibus per ebdomadam, post primum Benedicamus Domino *ad Matutinas, fiat Processio ad Crucifixum per medium chori et ostium occidentale, cum Accolito crucem deferente in albis cum Ceroferariis et Turibulariis et Puero deferente librum ante Sacerdotem in superpellicio, qui omnes sint in eodem habitu quo ad Vesperas in die Paschæ, cantando in eundo, Rectoribus Chori incipientibus,* Christus resur-

* 'manet' *Chevallon.*

gens : *et sic fiat statio ante crucem, sicut ad Vesperas, præter oleum et chrisma, ut supra.*

V. Dicant nunc Judei.

Et dicitur iste Versus hac die a duobus de superiori gradu in superpelliciis ante introitum chori ad Clerum conversis. Sequentibus vero duobus diebus a duobus Clericis de secunda forma, loco et habitu supradicto. Cantetur tamen in v. vi. et sabbato prædicta Antiphona, sed sine Versu.

Incensata prius cruce dicitur

V. Dicite in nationibus.

Hic accedant Ceroferarii ad Sacerdotem, et Puer deferens librum : et dicat Sacerdos,

Oremus.

Oratio. Deus, qui pro nobis Filium.

Finita Oratione dicti Ceroferarii et Puer deferens librum resumant locum suum : et hoc eodem modo faciant et accedant ad Sacerdotem per totum annum.

In introitu chori dicitur Antiphona de Sancta Maria.

Ave regina cælorum,
ave domina angelorum.
salve radix sancta
ex qua mundo lux est orta :
gaude gloriosa
super omnes speciosa.
vale valde decora
et pro nobis semper Christum exora. Alleluya.

V. Post partum.

Oratio. Gratiam tuam. *ut supra.*

Ad Primam *omnia sicut in die Paschæ, præterquam quod Psalmus* Confitemini *non dicitur. Et sic fiat quotidie usque ad sabbatum. Similiter hac die, et quotidie per ebdomadam usque ad sabbatum,* Horæ *Tertia, Sexta et Nona dicuntur sicut in die Paschæ, cum Oratione de die : tamen in Sabbato dicatur Versus* Hæc dies *cum* Alleluya, *et cetera.*

Notandum est etiam quod si in hac ebdomada Paschæ Letania Major vel aliud Festum evenerit nichil in eo anno fiat de jejunio : nec de processione, neque de Festo fiet ibidem : quia cum Christo surrexerunt omnes sancti in Christo resuscitati, et Festum Resurrectionis commune est omnibus sanctis : ideo in ebdomada Paschæ nichil fit de Festo alicujus sancti, nisi forte in Octava Paschæ contigerit : tunc enim potest differri in crastinum, et ibi fiant inde tres Lectiones cum regimine chori. Ita ut Festum sancti Richardi episcopi, quando in Octava Paschæ contigerit, tunc differatur in tertiam feriam sequentem. Tamen si duplex Festum fuerit, quod infra ebdomadam Paschæ vel Octavas Paschæ, vel in tribus diebus præcedentibus ante Pascha contigerit : servitium fiat de eodem Festo post Octavas prædictas, ubi convenientius fieri poterit, videlicet ubi potest habere utrasque Vesperas. Si autem simplex Festum fuerit, illo anno omnino prætermittatur, nisi in Octava Paschæ forte contigerit. Hoc idem servetur in Vigilia Penthecostes et in sequenti ebdomada.

Ad Vesperas, *dicitur* Kyrie eleyson, *ut supra.*

Ant. Alleluya *quater.*

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191) *cum ceteris Psalmis, ut in die Paschæ.*

Gradale. Hæc dies quam*.

V. Dicat nunc Israel quoniam bonus : quoniam in secula misericordia ejus. Alleluya.

V. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu dum loqueretur nobis in via.

V. Resurrexit Dominus.

Ant. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis : de Jesu dum loqueretur nobis in via. Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Concede, quæsumus, om-

* 'Hec dies quem.' *Chevallon.*

nipotens Deus : ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, a cunctis malis imminentibus per hæc festa paschalia liberemur. Per.

Tunc eat processio ad Fontes eodem modo et ordine quo in die Paschæ ad Vesperas, cum oleo et chrismate, et cruce, ceroferariis, thuribulariis, et puero librum deferente : cantando Antiphonam quæ a rectoribus chori incipiatur, videlicet,

Ant. Sedit angelus ad sepulchrum Domini : stola claritatis coopertus. videntes eum mulieres nimio terrore perterritæ astiterunt a longe : tunc locutus est angelus et dixit eis, Nolite metuere dico vobis quia illum quem quæritis mortuum jam vivit : et vita hominum cum eo surrexit. Alleluya.

V. Crucifixum in carne laudate : et sepultum propter vos glorificate : resurgentemque de morte adorate.

Nolite metuere.

Finita Antiphona sine Versu, incensatis prius Fontibus, dicat Sacerdos

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

R. Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluya.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus : ut hæc festa paschalia quæ venerando colimus, etiam vivendo teneamus. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Deinde in eundo ante crucem omnes Rectores chori incipiant Antiphonam Christus resurgens, *quæ dicitur sine Versu. Sacerdos vero incensata prius cruce dicat Versum* Dicite in nationibus.

Oratio. Deus, qui pro nobis Filium.

In introitu chori dicat Antiphonam de S. MARIA, *scilicet* Anima mea; *et finiatur cum* Alleluya.

V. Sancta Dei genitrix.

Oratio. Gratiam tuam.

Hic ordo servetur quotidie ad Vesperas et ad Matutinas usque ad sabbatum, cum propriis Orationibus ad Fontes et ante crucem, cum diversis Antiphonis de Sancta Maria in introitu chori.

FERIA TERTIA.

Festum minus duplex.

Invitatorium, Antiphona, sicut in præcedenti secunda feria.

Ps. Domine Deus meus, in te speravi (*vii.* p. 10).

Ps. Domine Deus noster (*viii.* p. 11).

Ps. In Domino confido (*x.* p. 14).

V. Surrexit Dominus vere.

Hic Versus cum prædicta Antiphona super Psalmos et Invitatorium dicuntur ad Matutinas quotidie per ebdomadam.

Lectiones et Responsoria legantur et cantentur, sicut in feria secunda prædictum est.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam, ultimo. (*xxiv.* 36—47.)

In illo tempore : Stetit Jesus in medio discipulorum suorum : et dixit eis, Pax vobis. Ego sum : nolite timere. Et reliqua.

*Omelia venerabilis Bedæ presbyteri (tertia secundi libri)**.

Primo notandum est, diligenterque memoriæ commendandum, quod de se loquentibus discipulis Dominus astare in medio, et præsentiam suæ visionis revelare dignatus est. Hoc est enim quod fidelibus cunctis alibi promisit dicens, Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo : ibi sum in medio eorum. Ad confirmandam namque fidei nostræ constantiam, quod semper agit præsentia divinæ pietatis, aliquando etiam præsentiam † voluit ostendere visionis corporalis. Nam et de nobis, quamvis porro infra apostolorum pedes jacentibus, hoc ipsum ejus misericordia fieri

* *Bedæ* Homiliæ Æstivales de Tempore, *Opera* VII. 9. † 'presentia' *Chevallon.*

confidere debemus, ipsum videlicet esse in medio nostri, quotienscunque venientes in nomine illius congregamur. Nomen quippe illius Jesus est, id est salvator. Et cum de acquisitione perpetuæ salutis locuturi convenimus, constat nimirum quia in nomine Jesu congregamur. Nec dubitare phas est de his quæ ipse amat, conferentibus nobis eum esse præsentem. Et tanto utique verius, quanto ea quæ ore proferimus perfectiori corde retinemus. Tu autem.

R. 1. Virtute magna reddebant apostoli Testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri. Alleluya. Alleluya.

V. Repleti quidem Spiritu Sancto : loquebantur cum fiducia.

Testimonium.

Lectio ii. Deinde videndum est quod apparens Salvator discipulis pacis eis gaudia mandat, id ipsum celebrata immortalitatis gloria iterans, quod ad passionem mortis iturus, quasi pignus eis speciale salutis ac vitæ commendaverat, dicens, Pacem relinquo vobis : pacem meam do vobis. Cujus gratiam muneris eo quoque nato visi mox pastoribus angeli prædicabant, laudantes Deum et dicentes, Gloria in excelsis Deo : et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quia nimirum tota Redemptoris nostri in carne dispensatio mundi est reconciliatio. Ad hoc quippe incarnatus, ad hoc passus, ad hoc est resuscitatus a mortuis : ut nos qui peccando in iram Dei incidimus, ipse reconciliando ad Dei pacem reduceret. Unde recte et a propheta pater futuri seculi, princeps pacis nominatur. Et Apostolus de eo scribens his qui ex gentibus crediderant ait, Et veniens evangelizavi vobis pacem qui longe fuistis, et pacem his qui prope : quoniam per ipsum habemus ambo accessum in uno Spiritu ad Patrem. Tu autem.

R. 2. Surgens Jesus Dominus noster stans in medio discipulorum suorum dixit, Pax vobis. Alleluya. gavisi sunt discipuli viso Domino. Alleluya.

V. Una ergo sabbatorum cum fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati : stetit Jesus in medio et dixit eis,

Pax.

Lectio iii. Apparente autem sibi Domino, conturbati et conterriti discipuli existimabant se spiritum videre : agnoscentes quidem Dominum esse qui apparuit, sed putantes quia non in corporis eum sed in spiritus sui substantia viderent. Id est quia non corpus illius, quod defunctum et sepultum noverant, jam resuscitatum a morte conspicerent : sed spiritum potius quam relicto corpore in manus Patris commendaverat præ oculis haberent. Sed hunc eorum errorem quo ad novam incognitamque visionem fuerant perculsi, benigna magister piissimus gratia consolationis et admonitionis abstergere curavit, Quid, inquiens, turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum. Non autem sine causa manus suas potius ac pedes, quam vultum quem æque noverant, eos videre ac recognoscere jubet : sed ut visis clavorum signis quibus cruci erat affixus, non solum corpus esse quod videbant, sed ipsum Domini sui corpus esse quod crucifixum noverant, intelligere possent.

R. 3. Dum transisset. *Et dicitur a tribus, ut supra in die Paschæ iii.*

Ad Laudes.

Ant. Stetit Jesus in medio discipulorum suorum et dixit eis : pax vobis. Alleluya. Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui ecclesiam tuam novo semper fetu multiplicas : concede famulis tuis ut sacramentum

vivendo teneant quod fide perceperunt. Per Dominum.

Ad Processionem ut supra in secunda feria.

In redeundo, de S. MARIA

Ant. Beata Dei genitrix Maria virgo perpetua : templum Domini, sacrarium Spiritussancti, sola sine exemplo placuisti Domino Jesu Christo : ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu. Alleluya.

AD VESPERAS.

Kyrie eleyson.

Ant. Alleluya *quater.*

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Gradale. Hæc dies.

V. Dicant nunc qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici : de regionibus congregavit eos. Alleluya.

V. Surgens Jesus Dominus noster stetit in medio discipulorum suorum et dixit pax vobis.

V. Resurrexit Dominus.

Ant. Videte manus meas et pedes meos : quia ego ipse sum. Alleluya, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui paschalis festivitatis solennia colimus, in tua semper sanctificatione vivamus. Per Dominum.

Ad Fontes,

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut per hæc festa paschalia quæ colimus, devoti semper in tua laude vivamus. Per Christum.

In redeundo, de S. MARIA

Ant. Descendi. *Et finiatur cum* Alleluya.

FERIA QUARTA.

Festum minus duplex.

AD MATUTINAS.

Ps. Salvum me fac (*xi.* p. 15).

Ps. Usquequo (*xii.* p. 15).

Ps. Dixit insipiens (*xiii.* p. 16).

Lectiones et Responsoria legantur et cantentur ut supra in secunda feria.

Secundum Johannem. Ultimo. (*Joh. xxi.* 1—14.)

In illo tempore : Manifestavit se iterum Jesus discipulis suis, ad mare Tyberiadis. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. (*xxiv.*)*

Lectio sancti Evangelii quæ modo in auribus vestris lecta est, fratres mei, quæstione animum pulsat, sed pulsatione sua vim discretionis indicat. Quæri enim potest, cur Petrus, qui piscator ante conversionem fuit, post conversionem ad piscationem rediit. Et cum Veritas dicat, nemo mittens manum suam in aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei, cur repetiit quod dereliquit? Sed si virtus discretionis inspicitur, citius videtur : quia nimirum negocium quod ante conversionem sine peccato extitit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit. Nam piscatorem Petrum, Mattheum vero thelonearium scimus. Sed post conversionem suam Petrus ad piscationem rediit : Matheus vero ad thelonei negocium non resedit. Quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud thelonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negocia, quæ sine peccatis exerceri aut vix aut nulla tenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat.

R. 1. Ecce vicit leo de tribu Juda radix David aperire librum et solvere septem signacula ejus. Alleluya. Alleluya. Alleluya.

V. Et unus de senioribus dixit michi : ne fleveris, dignus est Agnus

* *Gregorii* in Evangelia, lib. II. Homil. xxiv., *Opera* I. 1540.

qui occisus est accipere virtutem et fortitudinem.

Alleluya.

Lectio ii. Quæri etiam potest, cur discipulis in mari laborantibus post resurrectionem suam Dominus in littore stetit : qui ante resurrectionem suam coram discipulis in fluctibus maris ambulavit. Cujus rei ratio festine dinoscitur, si ipsa quæ tunc inerat causa pensetur. Quid enim mare nisi præsens seculum signat, quod se causarum tumultibus et undis vitæ corruptibilis illidit? Quid per soliditatem littoris, nisi illa perpetuitas quietis æternæ figuratur? Quia igitur discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant. Quia autem Redemptor noster jam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat. Ac si ipsum resurrectionis suæ mysterium rebus discipulis loqueretur, dicens, Jam vobis in mari non appareo, quia vobiscum in perturbationis fluctibus non sum. Hinc est enim quod in alio loco post resurrectionem suam eisdem discipulis dicit, Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum. Neque enim cum ipsis non erat, quibus præsens corporaliter apparebat. Sed tamen jam se esse cum ipsis denegat, a quorum mortali corpore carnis immortalitate distabat. Quod illic enim ipsis positus fatetur non se esse cum ipsis, hoc quoque situ corporis indicat, cum adhuc eis navigantibus esse se jam in littore demonstrat.

R. 2. Isti sunt agni novelli qui annunciaverunt, alleluya. Modo venerunt ad fontes, repleti sunt claritate. Alleluya. Alleluya.

V. In conspectu Agni amicti stolis albis : et palmæ in manibus eorum.

Modo.

Lectio iii. Facta est autem discipulis piscationis magna difficultas : ut Magistro veniente fieret admirationis magna sublimitas, qui protinus dixit, Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Bis in sancto Evangelio legitur, quia Dominus jussit ut ad piscandum retia mitterentur. Ante passionem videlicet, et post resurrectionem. Sed priusquam Redemptor noster pateretur et resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum jubet : sed utrum in dexteram an in sinistram mitti debuisset non jubet. Post resurrectionem vero discipulis apparens mitti in dexteram jubet. In illa piscatione tanti capti sunt, ut retia rumperentur. In ista autem et multi capti sunt, et retia rupta non sunt. Quis vero nesciat bonos dextera, et malos sinistra figurari? Illa ergo piscatio in qua specialiter in quam partem mitti rete debeat non jubetur, præsentem ecclesiam designat, quæ bonos simul ac malos colligit, nec eligit quos trahat, quia et quos eligere possit ignorat. Hæc autem piscatio post Domini resurrectionem facta in solam dexteram missa est : quia ad videndum claritatis ejus gloriam sola electorum ecclesia pertingit, quæ de sinistro opere nichil habebit. Tu autem.

R. 3. Dum transisset. *Et dicitur a tribus ut supra in die Paschæ iii.* (p. dcccxiii. dcccxiv.)

Ad Laudes, *ut supra.*

Ant. Mittite in dexteram navigii rete et invenietis. Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui nos resurrectionis Dominicæ annua solennitate lætificas : concede propitius ut per temporalia festa quæ agimus pervenire ad gaudia æterna mereamur. Per eundem.

Ad Processionem, ut supra.

In redeundo, de SANCTA MARIA *dicitur*

Ant. Speciosa facta es et suavis

in deliciis virginitatis sancta Dei genitrix : quam videntes filiæ Syon vernantem in floribus rosarum et liliis convallium beatissimam prædicaverunt, et reginæ laudaverunt eam. Alleluya.

AD VESPERAS.

Kyrie eleyson.

Ant. Alleluya *quater.*

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Gradale. Hæc dies.

V. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. Alleluya.

V. Surrexit Dominus, et occurrens mulieribus ait, avete. tunc accesserunt et tenuerunt pedes ejus.

V. Resurrexit Dominus.

Ant. Hoc jam tertio manifestavit se Jesus postquam resurrexit a mortuis. Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut hujus festivitatis paschalis mirabile sacramentum et temporalem nobis tribuat tranquillitatem, et vitam conferat sempiternam. Per.

Ad Fontes,

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui festa paschalia agimus, cælestibus desideriis accensi fontem vitæ sitiamus Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. *R.* Amen.

In redeundo de S. MARIA *dicitur Antiphona* Alma Redemptoris, *ut supra in die Paschæ ad Vesperas, et finiatur cum* Alleluya.

FERIA QUINTA.

AD MATUTINAS, *duo Rectores chori dicant simul Invitatorium, ut supra, in capis sericis ad gradum chori. Similiter fiat in sexta feria et in sabbato. Hac die et duobus diebus sequentibus ad Matutinas super Psalmos Antiphona in superiori gradu incipiatur, et omnes Lectiones a Clericis de superiori gradu legantur in superpelliciis ad gradum chori. Omnia Responsoria ad Matutinas a duobus dicuntur in superpelliciis ad gradum chori : ita tamen quod primum Responsorium et secundum a Clericis de secunda forma dicuntur, et tertium a duobus Clericis de superiori gradu dicitur.*

Ps. Domine, quis habitabit (*xiiii.* p. 17).

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

Ps. Exaudi, Domine, justiciam (*xvi.* p. 19).

Versus ut supra.

Secundum Johannem, xx. cap. [11—18].

In illo tempore : Maria stabat ad monumentum foris plorans. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. (*xxv.*)*

Maria Magdalene, quæ fuerat in civitate peccatrix, amando Veritatem lavat lachrymis maculas criminis : et vox Veritatis impletur qua dicitur, Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quæ enim prius peccando frigida remanserat, postmodum amando fortiter ardebat. Nam postquam venit ad monumentum, ibique corpus Dominicum non invenit, sublatum credidit, atque discipulis nunciavit. Qui venientes viderunt, atque ita esse ut mulier dixerat crediderunt. Et de eis protinus scriptum est, Abierunt ergo discipuli ad semetipsos. Ac deinde subjungitur, Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Tu autem.

R. 1. Maria Magdalene. *Require in secunda feria proxima præcedente i.*

Lectio ii. Pensandum est hujus mulieris mentem quanta vis amoris

* *Gregorii* in Evangelia, lib. II. Homil. xxv., *Opera* I. 1514.

accenderat : quæ a monumento Domini etiam discipulis recedentibus non recedebat. Exquirebat quem non invenerat : flebat inquirendo : et amoris sui igne succensa ejus quem ablatum credidit ardebat desiderio. Unde contigit ut eum sola tunc videret, quæ remansit ut quæreret. Quia nimirum virtus boni operis perseverantia est. Et voce Veritatis dicitur, Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et præcepto legis cauda hostiæ in sacrificio jubetur offerri. In cauda quippe finis est corporis. Et ille bene immolat, qui sacrificium boni operis usque ad finem debitæ perducit actionis. Hinc Joseph inter reliquos fratres talarem tunicam habuisse describitur. Tunica quippe usque ad talum est opus bonum usque ad consummationem. Tu autem, Domine.

R. 2. Tulerunt Dominum meum et nescio ubi posuerunt eum. ait ei angelus, Noli flere, Maria, surrexit sicut dixit : præcedet vos in Galileam, ibi eum videbitis. Alleluya. Alleluya.

V. Dum ergo fleret : inclinavit se et prospexit in monumentum et vidit duos angelos in albis sedentes qui dicunt ei,

Noli.

*Lectio iii.** Maria cum fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum. Certe jam monumentum vacuum viderat : jam sublatum Dominum nunciaverat. Quid est quod iterum se inclinat, iterum videre desiderat? Sed amanti semel aspexisse non sufficit : quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Quæsivit igitur prius, et minime invenit. Perseveravit ut quæreret : unde et contigit ut inveniret. Actumque est ut desideria dilata crescerent, et crescentia caperent quod invenissent. Ista itaque quæ sic amat, quæ se ad monumentum quod perspexerat iterum inclinat, videamus quo fructu vis amoris in ea ingeminat opus inquisitionis. Sequitur, Vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Quid est quod in loco Dominici corporis duo angeli videntur, unus ad caput et alius ad pedes sedens, nisi quod Latina lingua angelus nuncius dicitur, et ille ex passione sua nunciandus erat, qui et Deus est ante secula et Homo in fine seculorum? Quasi ad caput sedet angelus, cum per apostolum Johannem prædicatur, quia in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et quasi ad pedes sedet angelus, cum dicit : Verbum caro factum est : et habitavit in nobis.

R. 3. Dum transisset. *ut supra in die Paschœ iii.* (p. dcccxiii.)

AD LAUDES, *ut supra.*

Ant. Maria stabat ad monumentum plorans : vidit duos angelos in albis sedentes, et sudarium quod fuerat super caput ejus. Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui diversitatem gentium in confessione tui nominis adunasti : da ut renatis fonte baptismatis una sit fides mentium et pietas actionum. Per Dominum.

Ad Processionem, ut supra, sed sine Versu Dicant nunc.

In redeundo, de SANCTA MARIA *dicitur Antiphona* Ave regina, *ut supra, feria secunda.*

AD VESPERAS.

Kyrie eleyson.

Ant. Alleluya *quater.*

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Gradale. Hæc dies.

V. Lapidem quem reprobaverunt

* '*Lectio secunda.*' Chevallon, per incuriam.

ædificantes : hic factus est in caput anguli . a Domino factum est : et est mirabile in oculis nostris. Alleluya.

V. In die resurrectionis meæ dicit Dominus : præcedam vos in Galileam.

V. Resurrexit Dominus.

Ant. Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum . si tu sustulisti eum dicito michi. Alleluya : et ego eum tollam. Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui nobis ad celebrandum paschale sacramentum liberiores animos præstitisti : doce nos et metuere quod irasceris, et amare quod præcipis. Per Dominum nostrum.

Primum vero Benedicamus *dicitur a duobus Clericis de secunda forma ad gradum chori : secundum vero a duobus Pueris dicatur.*

Ad Fontes,

Oratio. Da, quæsumus, omnipotens Deus : ut ecclesia tua et suorum firmitate membrorum, et nova semper fecunditate lætetur. Per Christum.

In redeundo, de SANCTA MARIA *dicitur Antiphona* Anima mea, *et finiatur cum* Alleluya.

FERIA SEXTA.

AD MATUTINAS.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

Ps. Exaudiat te Dominus (*xix.* p. 25).

Ps. Domine in virtute (*xx.* p. 26).

V. Surrexit Dominus vere.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum, ultimo. [*xxviii.* 16—20.]

In illo tempore. Undecim discipuli abierunt in Galileam, in montem ubi constituerat illis Jesus : et videntes eum adoraverunt. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri (iv. secundi libri).*

Evangelica lectio, fratres charissimi, quam modo audivimus, et juxta hystoriam gaudio plena refulget, quia triumphum Redemptoris nostri simul et redemptionis nostræ dona plano sermone describit; et si hanc enucleatius pertractare velimus, gratiorem in littera fructum spiritualis sensus inditum esse comperiemus. Sermo etenim Dei aromatum more quo subtilius quasi terendo et discernendo discutitur, eo majorem internæ suavitatis fragrantiam reddit. Planum namque est et dulce ad audiendum piis, quod discipuli abierunt in Galileam in montem ubi constituerat illis Jesus : et videntes eum adoraverunt. Sed non vacat a mysterio, quod Dominus in Galilea post resurrectionem, vel in monte discipulis apparuit. Tu autem.

R. 1. Virtute magna. *Require hoc Responsorium in feria tertia proxima præcedente i.*

Lectio ii. In monte etenim Dominus apparuit : ut significaret quia corpus, quod de communi humani generis terra nascendo susceperat, resurgendo jam super terrena omnia sublevatum cælesti virtute induerit. In monte apparuit : ut admoneret fideles, si illic celsitudinem resurrectionis ejus cupiunt videre, hic ab infimis cupiditatibus ad superna studeant desideria transire. Nomen vero Galileæ quid mysterii salutaris contineat, crebra patrum expositione notissimum est. Sed non ab re est sæpius verbo repetere, quod semper necesse est animo retinere. Galilea quippe transmigratio facta, vel revelatio dicitur. Utraque autem interpretatio nominis ad unum finem respicit. Siquidem supra legimus, dixisse angelum mulieribus, Ite, dicite discipulis ejus quia surrexit,

* *Bedæ* Homiliæ Æstivales de Tempore, *Opera* VII. 12.

et ecce præcedet vos in Galileam : ibi eum videbitis. Et nunc evangelista narrante cognovimus quia abierunt discipuli in Galileam : et videntes eum adoraverunt.

R. 2. Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio. etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in Domino. Alleluya.

V. Non in fermento maliciæ et nequitiæ : sed in azimis sinceritatis et veritatis.

Itaque.

Lectio iii. Quid est ergo quod Jesus præcedit discipulos in Galileam ut videatur ab eis, sequuntur illi et videntes adorant : nisi quia Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, sequuntur autem hi qui sunt Christi, et ipsi in suo ordine ad vitam de morte transmigrant. Ibique eum videntes adorant : quia in specie suæ divinitatis contemplantes sine fine collaudant? Cui visioni congruit illud, quod Galilea etiam revelatio interpretatur. Tunc enim revelata facie (sicut Apostolus attestatur) gloriam Dei speculantes in eandem imaginem transformamur, quicunque modo revelamus ad eum viam nostram, ejusque vestigia fide sequimur non ficta. Et videntes, inquit, eum adoraverunt : quidam autem dubitaverunt. Videntes autem Dominum cognoscunt, et quia hunc Deum esse didicerant, demissis in terram vultibus adorant. Sed inerat mentibus eorum non contemnenda dubietas : quia se non corpus in quo passus est resuscitatum, sed spiritum quem finita passione tradidit solum videre putabant. Unde confestim Magister pius et eos qui jam crediderunt in fide confortat, et eos qui adhuc dubitaverunt ad fidei gratiam convocat : omnibus scilicet intimans ad quantam gloriæ magnificentiam assumpta pro hominibus et morti data humanitas resurgendo pervenerit. Data est michi (inquit) omnis potestas in cælo et in terra. Non enim hic de coæterna Patris divinitate, sed de assumpta loquitur humanitate : quam suscipiendo minoratus est paulominus ab angelis, et in qua resurgendo a mortuis gloria et honore coronatus est, et constitutus super opera manuum Patris, omniaque subjecta sunt pedibus ejus. Tu autem, Domine.

R. 3. Dum transisset. *ut supra in die Paschæ iii.* (*p.* dccccxiv.)

AD LAUDES, *ut supra.*

Ant. Undecim discipuli in Galilea videntes Dominum adoraverunt. Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui paschale sacramentum in reconciliationis humanæ fœdere contulisti : da mentibus nostris ut quod professione* celebramus imitemur effectu. Per Dominum.

Ad Processionem, ut supra, sed sine Versu.

In redeundo, de S. MARIA *dicitur Antiphona,* Beata Dei genitrix. *Finiatur cum* Alleluya.

AD VESPERAS.

Kyrie eleyson.

Ant. Alleluya *quater.*

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Gradale. Hæc dies.

V. Benedictus qui venit in nomine Domini : Deus Dominus et illuxit nobis. Alleluya.

V. Dicite in gentibus quia Dominus regnavit a ligno.

V. Resurrexit Dominus.

Ant. Data est michi omnis potestas in cælo et in terra. Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, per quem nobis et redemptio venit et præstatur adoptio : respice ad opera misericordiæ

* 'profectione' *Chevallon.*

tuæ, ut in Christo renatis et æterna tribuatur hereditas, et vera libertas. Per eundem Dominum.

Ad Fontes,

Oratio. Adesto, quæsumus, Domine, familiæ tuæ et dignanter impende : ut quibus fidei gratiam contulisti, et coronam largiaris æternam. Per Dominum.

In redeundo, de S. MARIA *dicitur Antiphona* Descendi. *Et finiatur cum* Alleluya.

SABBATO.

AD MATUTINAS.

Ps. Dominus regit (*xxii.* p. 39).

Ps. Domini est terra (*xxiii.* p. 40).

Ps. Judica me, Domine (*xxv.* p. 41).

Versus ut supra.

Secundum Johannem, xx. (1—9).

In illo tempore : una sabbati Maria Magdalene venit mane cum adhuc tenebræ essent ad monumentum : et vidit lapidem sublatum a monumento. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. (*xxii.*)*

Lectio sancti Evangelii, quam modo, fratres, audistis, valde in superficie hystoriæ est aperta : sed ejus nobis sunt mysteria sub brevitate requirenda. Maria Magdalene cum adhuc tenebræ essent venit ad monumentum. Juxta hystoriam notatur hora : juxta intellectum vero mysticum requirentis signatur intelligentia. Maria autem auctorem omnium quem in carne viderat mortuum quærebat in monumento. Et quia hunc minime invenit, furto ablatum credidit. Adhuc ergo erant tenebræ, cum venit ad monumentum. Cucurrit citius : discipulis nunciavit. Sed illi præ ceteris cucurrerunt qui præ ceteris amaverunt, videlicet Petrus et Johannes.

R. 1. Ecce vicit. *Require hoc Responsorium in feria quarta proxima præcedente.*

Lectio ii. Currebant autem duo simul : sed Johannes præcucurrit citius Petro. Venit prior Johannes ad monumentum, sed ingredi non præsumpsit. Venit ergo posterior Petrus, et intravit. Quid, fratres, quid cursus iste significat? Nunquid non hæc tam subtilis evangelistæ descriptio a mysteriis vacare credenda est? Minime. Neque enim se Johannes et præisse et non intrasse diceret, si in ipsa sua trepidatione mysterium defuisse credidisset. Quid ergo per Johannem nisi synagoga? quid per Petrum nisi ecclesia designatur? Nec mirum esse videatur, quod per juniorem synagoga, per seniorem vero signari ecclesia perhibetur. Quia et si ad Dei cultum prior est synagoga quam ecclesia gentium, ad usum tamen seculi prior est multitudo gentium quam synagoga: Paulo attestante qui ait, Quia non prius quod spiritale est, sed quod animale.

R. 2. De ore prudentis procedit mel. Alleluya. dulcedo mellis est lingua ejus. Alleluya. Favus distillans labia ejus. Alleluya. Alleluya.

V. Sapientia requiescit in corde ejus et prudentia in sermone oris illius.

Favus.

Lectio iii. Per seniorem ergo Petrum significatur ecclesia gentium, et per juniorem Johannem synagoga Judeorum. Cucurrerunt ambo simul, quia ab ortus sui tempore usque ad occasum pari et communi via, etsi non pari et communi sensu, gentilitas cum synagoga cucurrit. Venit synagoga prior ad monumentum, sed minime intravit : quia legis

* *Gregorii* in Evangelia, lib. II. Homil. xxii., *Opera* I. 1530.

quidem mandata percepit, prophetias de incarnatione ac passione Dominica audivit, sed credere in mortuum noluit. Vidit enim Johannes posita lintheamina, non tamen introivit : quia videlicet synagoga et Scripturæ sacramenta agnovit, et tamen ad fidem passionis Dominicæ credendo intrare distulit. Quem diu longeque prophetavit, præsentem vidit et recipere renuit. Hominem esse despexit : Deum carnem mortalem factum credere noluit. Quid ergo est nisi quia et citius cucurrit, et tamen ante monumentum vacua stetit? Venit ergo Symon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum. Quia secuta posterior ecclesia gentium mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum et cognovit carne mortuum, et viventem credidit Deum.

R. 3. Dum transisset. *iii. ut supra in die Paschæ.* (*p.* dcccxiii.)

AD LAUDES *ut supra.*

Ant. Currebant duo simul : et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro : et venit prior ad monumentum. Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui festa paschalia venerando egimus, per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur. Per Dominum.

Processio ut supra, sed sine Versu.

In redeundo, de S. MARIA *dicitur Antiphona* Speciosa facta. *Et finiatur cum* Alleluya.

Hac die non dicitur Gradale ad Horas, sed loco ejus dicitur a toto Choro Cantore incipiente sine repetitione Alleluya.

V. Hæc dies quam fecit Dominus : exultemus et lætemur in ea. *Et dicitur sine neuma in fine Versus : deinde repetatur* Alleluya, *similiter sine neuma.*

DOMINICA IN OCTAVIS PASCHÆ.

1. A. DOMINICA PRIMA POST PASCHA, QUÆ DICITUR IN ALBIS, minus duplex, totum servitium fiat de Dominica. Ad i. vesperas fiat processio ante Crucem sine cruce; ad matutinas fiat memoria de Resurrectione, et missa de Resurrectione et nulla memoria de Dominica. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de S. Richardo cum pleno servitio in crastino, et deinde fiat memoria solennis de Resurrectione.

Feria ii. de S. Richardo et memoria de Resurrectione. Secundæ vesperæ erunt de S. Ambrosio et memoria de S. Richardo cum Ant. *Lux perpetua,* major. (*p.* 358), et de Resurrectione.

Feria iii. de S. Ambrosio, Capitulum *Ecce Sacerdos* (p. 409).

Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo in ii. Feria.

Feria v. de Annunciatione, et solennis memoria de Resurrectione.

2. A. Dominica in Albis, de Dominica. Ad i. vesperas et ad matutinas et ad missam ut supra 1. *A.*

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria ii. de Feria cum R. de eadem Feria, cum missa dominicali.

Feria iii. de S. Ambrosio, Capitulum *Ecce Sacerdos.*

3. A. Dominica i. post Pascha ad i. vesperas, ad matutinas, et ad missam, ut supra.
Feria iii., v., et Sabbato, de commemorationibus.
Feria ii. et vi. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis; et missa dominicalis dicitur in ii. Feria.

4. A. Dominica i. post Pascha totum servitium fiat de Dominica. Ad i. vesperas et ad matutinas et ad missam ut supra ad 1. *A.* Ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Georgio, cum pleno servitio in crastino, fiat solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria iii. de S. Marco. Ad i. vesperas, quae erunt de S. Marco, fiat solennis memoria de S. Georgio et de Resurrectione.
Feria iv., v., et Sabbato de Commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo in iv. Feria.

5. A. Dominica i. post Pascha ad i. vesperas et ad matutinas et ad missam ut supra ad 1. *A.* Secundæ vesperæ erunt de Festo Apostolorum [Philippi et Jacobi], et solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria iii., v., et vi. de commemorationibus, cum missa dominicali in iii. Feria in capitulo.
Feria iv. de Sancta Cruce : ad matutinas memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio] cum Ant. *Lux perpetua* minor. (*p.* 355.)

1. B. Dominica Prima post Pascha ad i. vesperas ad matutinas et ad missam ut supra ad 1. *A.*, et Festum S. Richardi differatur usque in iii. Feriam. Secundæ vesperæ in Dominica erunt de S. Ambrosio et solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria v. de Annunciatione, et solennis memoria de Resurrectione.
Et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

2. B. Dominica i. post Pascha ad i. vesperas, matutinas, et ad missam ut supra ad 1. *A.*
Feria ii. de Feria, cum R. ejusdem Feriæ, cum missa dominicali.
Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iii. de S. Ambrosio.

3. B. Dominica i. post Pascha ut supra.
Feria iv., v., et vi. de commemorationibus.
Feria ii. de Feria cum R. ejusdem Feriæ, et cum missa dominicali.

4. B. Dominica i. post Pascha patet. Secundæ vesperæ erunt de S. Marco et solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria iv. de S. Georgio.
Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus cum missa dominicali in capitulo in iii. Feria.

5. B. Dominica i. post Pascha patet, et Festum Apostolorum [Philippi et Jacobi] differatur usque in crastinum. Secundæ vesperæ erunt de Apostolis et solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria ii. de Apostolis et solennis memoria de Resurrectione. Secundæ vesperæ erunt de Sancta Cruce, et solennis memoria de Apostolis [Philippi et Jacobi], de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], et processio; sed nulla memoria de Resurrectione.

Feria iii. de Sancta Cruce, et solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio] cum Ant. *Lux perpetua* minor. (*p.* 355.).
Feria iv. et v. de commemoratione.
Sabbato de S. Johanne de Beverlaco; omnia de communi.

1. C. Dominica Prima post Pascha, quæ dicitur in Albis, patet, et Festum S. Ambrosii differatur in crastinum. Secundæ vesperæ erunt de S. Ambrosio et solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria v. de Annunciatione, et solennis memoria de Resurrectione.
Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iii. de Feria cum R. de ii. Feria, et cum missa dominicali.

2. C. Dominica i. post Pascha patet.
Feria ii. de Feria cum R. ejusdem Feriæ, et cum missa dominicali.
Feria iii. de S. Ambrosio, Capitulum *Ecce sacerdos* (p. 409.).
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

3. C. Dominica i. post Pascha patet.
Feria iii. de Feria cum R. de ii. Feria, et cum missa dominicali.
Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

4. C. Dominica i. post Pascha patet, et Festum S. Marci differatur usque in crastinum. Secundæ vesperæ erunt de S. Marco, et solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria iii., v., et vi. de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

5. C. Dominica i. post Pascha patet. Secundæ vesperæ erunt de Sancta Cruce, et solennis memoria de Dominica et de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], et processio, et nulla memoria de Resurrectione.
Feria ii. de Cruce, et solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], cum Ant. *Lux perpetua* minor. (*p.* 355.).
Feria iii. et Sabbato de commemoratione.
Feria iv. de S. Georgio.
Feria vi. de S. Johanne de Beverlaco, omnia de communi; Secundæ vesperæ erunt de Sancto [Johanni de Beverlaco], et solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam* (p. lxxi.), et de Resurrectione cum missa dominicali in capitulo in iii. Feria.

1. D. Dominica Prima post Pascha, quæ dicitur in Albis, patet.
Feria iii. de Annunciatione, et solennis memoria de Resurrectione.
Feria ii., iv. et v. de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo in ii. Feria.
Sabbato de S. Ambrosio; Cap. *Ecce Sacerdos.*

2. D. Dominica i. post Pascha patet.
Feria ii. et iv. de Feria, cum R. ii. et iii. Feriarum, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iii. de Sancto Ambrosio, duplex festum.

3. D. Dominica i. post Pascha patet.
Feria ii. de Feria cum R. ejusdem Feriæ et cum missa dominicali.
Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria v. de S. Ambrosio; Cap. *Ecce sacerdos.*

4\. D. Dominica i. post Pascha patet, et nichil de S. Alphego.
Feria ii. de Feria, cum R. ejusdem Feriæ, et cum missa dominicali.
Feria iii., iv., et vi. de commemorationibus.

5\. D. Dominica i. post Pascha patet.
Feria ii., v., et Sabbato de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo in ii. Feria.
Feria iv. de S. Georgio; Cap. *Beatus vir qui in sapientia* (p. 386.). Ad i. vesperas fiat memoria de S. Vitale cum Ant. *Lux perpetua* major.; et de Resurrectione solenniter.

1\. E. Dominica i. post Pascha patet.
Feria ii., iv., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iii. de Annunciatione, et missa dominicalis dicitur in capitulo* in ii. Feria.
Feria v. de S. Richardo. Ad vesperas S. Ambrosii memoria de S. Richardo cum Ant. *Lux perpetua* major. (*p.* 358.).
Feria vi. de S. Ambrosio; Capitulum *Ecce sacerdos* (p. 409.).

2\. E. Dominica i. post Pascha patet.
Feria iii. de S. Ambrosio.
Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, et cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria v. vi., et Sabbato de commemorationibus.

3\. E. Dominica i. post Pascha patet.
Feria iii. de S. Ambrosio.
Feria iv. de Feria cum R. de ii. Feria et cum missa dominicali.
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

4\. E. Dominica i. post Pascha patet.
Feria ii. de Feria cum R. ejusdem Feriæ et cum missa dominicali.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

5\. E. Dominica i. post Pascha patet. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de S. Vitàle, et de Resurrectione.
Feria iii., iv., et vi. de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo in ii. Feria.

1\. F. Dominica Prima post Pascha patet.
Feria ii. de Feria cum R. ejusdem Feriæ et cum missa dominicali.
Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

2\. F. Dominica i. post Pascha patet.
Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iii. de S. Ambrosio; Cap. *Ecce sacerdos* (p. 409.).

3\. F. Dominica i. post Pascha patet, et nichil de Martyribus [Tiburtio et Valeriano].
Feria ii. de Feria cum R. ejusdem Feriæ et cum missa dominicali.
Feria iii. de S. Ambrosio; Capitulum *Ecce sacerdos* (p. 409.).
Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

* 'in capitulum.' *Chevallon.*

4. F. Dominica i. post Pascha patet.
Feria ii. de Feria* cum R. ejusdem Feriæ, cum missa dominicali.
Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.

5. F. Dominica i. post Pascha patet. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de S. Vitale, et de Resurrectione.
Feria ii. de S. Vitale, iii. lectionum cum regimine chori.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus, cum missa dominicali in capitulo† in iii. Feria.

1. G. Dominica Prima post Pascha patet.
Feria ii., v., et Sabbato de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in ii. Feria.
Feria vi. de Annunciatione, et solennis memoria de Resurrectione.
Feria iv. de S. Ambrosio; Capitulum *Ecce sacerdos.*

2. G. Dominica i. post Pascha patet.
Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, et cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii. de S. Ambrosio; Cap. *Ecce sacerdos* (p. 409.).
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

3. G. Dominica post Pascha patet.
Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria v. de S. Alphego. Invitatorium duplex sine regimine chori.

4. G. Dominica i. post Pascha patet. Secundæ vesperæ erunt de S. Georgio cum pleno servitio in crastino; et solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria iii., v. et vi. de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

5. G. Dominica Prima post Pascha patet.
Feria ii. de Feria cum R. ejusdem Feriæ, cum missa dominicali.
Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.

DOMINICA IN OCTAVIS PASCHÆ.

Festum minus duplex.

AD PRIMAS VESPERAS.

Super Psalmos Antiphona, Alleluya. Alleluya. Alleluya.

Ps. Benedictus (*cxliii.* p. 215) *et ceteri Psalmi feriales.*

Capitulum. (*Rom. vi.* 9.)

Christus resurgens ex mortuis jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur : quod enim vivit, vivit Deo.

Non dicitur Responsorium.

Hymnus.

Chorus novæ Hierusalem
Novam meli dulcedinem
Promat, colens cum sobriis
Paschale festum gaudiis.

Quo Christus invictus leo
Dracone surgens obruto,
Dum voce viva personat
A morte functos excitat.

Quam devorarat improbus
Prædam refudit tartarus:
Captivitate libera
Jesum sequuntur agmina.

* 'fest.' *Chevallon.*

† 'capitulum.' *Chevallon.*

Triumphat ille splendide
Et dignus amplitudine,
Soli polique patriam
Unam facit rempublicam.
Ipsum canendo supplices
Regem precemur milites,
Ut in suo clarissimo
Nos ordinet palatio.
Per secla metæ nescia
Patri supremo gloria
Honorque sit cum Filio
Et Spiritu paraclito. Amen.

V. Mane nobiscum, Domine.

R. Quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Alleluya.

Hic ordo servetur omni die Sabbati ad Vesperas usque ad Ascensionem Domini, scilicet de Antiphona super Psalmum, et de Capitulo et Hymno, et de Versu, quando de Dominica agitur.

Ant. Surgens Jesus mane prima sabbati : apparuit primo Mariæ Magdalenæ : de qua ejecerat septem dæmonia : alleluya.

Ps. Magnificat. *p.* 221.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui festa paschalia peregimus, hæc te largiente moribus et vita teneamus. Per Dominum.

Processio jam non fiat ad Fontes cum oleo et chrismate sicut in præcedentibus diebus : sed tantum ante crucem, cum Ceroferariis et Thuribulariis in albis, et Puero ferente librum ante Sacerdotem in superpellicio, et sine cruce, cantando Antiphonam Christus resurgens, *Rectoribus chori simul incipientibus. Duo Clerici de superiori gradu, ante introitum chori in superpelliciis ad clerum conversi, hac die et in proxima Dominica ante Ascensionem Domini, simul cantent Versum* Dicant nunc. *Similiter fiat in Festis duplicibus in Dominicis contingentibus vel in sabbatis. Mediis autem diebus Dominicis, a duobus de secunda forma dicitur, loco et habitu prædicto. Deinde dicat Sacerdos, post thurificationem crucifixi,*

V. Dicite in nationibus.

Oratio. Deus, qui pro nobis Filium tuum.

In introitu chori de S. Maria *dicatur Antiphona* Alma Redemptoris. *Quære in die Paschæ ad secundas Vesperas. Et finiatur cum* Alleluya.

V. Sancta Dei genitrix.

Oratio. Gratiam tuam, quæsumus.

Et hoc in sabbatis omnium Dominicarum observetur ad Vesperas, vel in procedendo et introeundo chorum, usque ad Ascensionem Domini, sive de Dominica sive de Festis Sanctorum cum regimine chori fit servitium, sive de Festis duplicibus, nisi in Inventione sanctæ crucis ad utrasque Vesperas, quod si in sabbato contigerit, tunc nulla fiat processio ad secundas Vesperas, quæ erunt de Cruce.

Ad Completorium *omnia fiant ut in Psalterio prænotantur. Preces, et cetera quæ ad Completorium pertinent, more duplicis Festi expleantur. Hoc Completorium non mutatur usque ad Ascensionem Domini, de quocunque fit servitium: nisi quando dicitur de sancta Maria, ut prædictum est: ita tamen quod Antiphona super Psalmos dicitur usque ad Festum sanctæ Trinitatis.*

Ad Matutinas.

Invitatorium. Alleluya. Surrexit Dominus vere. Venite adoremus. Alleluya.

Ps. Venite.

Hoc Invitatorium dicitur singulis Dominicis usque ad Ascensionem Domini, quando de Dominica agitur.

Hymnus.

Aurora lucis rutilat,
Cælum laudibus intonat,
Mundus exultans jubilat,
Gemens infernus ululat.

Cum rex ille fortissimus,
Mortis confractis viribus,
Pede conculcans tartara
Solvit a pœna miseros.
Ille qui clausus lapide
Custoditur sub milite,
Triumphans pompa nobili
Victor surgit de funere.
Solutis jam gemitibus
Et inferni doloribus:
Quia surrexit Dominus
Resplendens clamat angelus.
Tristes erant apostoli
De nece sui Domini:
Quem pœna mortis crudeli
Servi damnarant impii.
Quæsumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis:
Cum Patre et Sancto Spiritu,
In sempiterna secula. Amen.

Isti duo ultimi versus dicantur in fine omnium Hymnorum ejusdem metri, usque ad Ascensionem Domini, de quocunque fit servitium, nisi in Hymno Chorus novæ Hierusalem, *et in Hymno* Impleta sunt quæ concinit, *videlicet in Inventione sanctæ crucis, et quando fit plenum servitium de sancta Maria: tunc enim dicitur post versum* Quæsumus, auctor, *versus*

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine (p. lxxii).

Ant. Ego sum. *Et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis ut in die Paschæ.*

V. Resurrexit Dominus.

Secundum Johannem, xx. (19—31).

In illo tempore: Cum esset sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judeorum: venit Jesus, et stetit in medio eorum, et dixit eis, Pax vobis. Et reliqua.

*Omelia beati Gregorii papæ. (xxvi.)**

Prima lectionis hujus evangelicæ quæstio animum pulsat: quomodo post resurrectionem corpus Dominicum verum fuit, quod clausis januis ad discipulos ingredi potuit. Sed sciendum nobis est quod divina operatio si ratione comprehenditur non est admirabilis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa Redemptoris nostri opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim corpus Domini intravit ad discipulos januis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero virginis. Tu autem.

Responsoria sicut in die Paschæ dicuntur.

Lectio ii. Quid ergo mirum si post resurrectionem suam clausis januis in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto utero virginis exivit? Sed quia ad illud corpus quod videri poterat fides intuentium dubitabat, ostendit eis protinus manus et latus. Palpandam carnem præbuit, quam januis clausis introduxit. Qua in re duo mira et juxta humanam rationem sibi valde contraria ostendit, dum post resurrectionem corpus suum et incorruptibile et tamen palpabile demonstravit. Nam et corrumpi necesse est quod palpatur, et palpari non potest quod non corrumpitur. Sed miro modo atque inæstimabili Redemptor noster et incorruptibile post resurrectionem, et palpabile corpus exhibuit: ut monstrando incorruptibile invitaret ad

* *Gregorii* in Evangelia, lib. II. Homil. xxvi., *Opera* I. 1552.

præmium, præbendo palpabile formaret ad fidem. Et incorruptibilem se ergo et palpabilem demonstravit, ut profecto esse post resurrectionem suam ostenderet corpus suum et ejusdem naturæ et alterius gloriæ.

Lectio iii. Dicit ergo eis, Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Id est, sicut misit me Pater Deus Deum, et ego mitto vos homo homines. Pater Filium misit : qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quem videlicet in mundum venire ad passionem voluit : sed tamen amavit Filium quem ad passionem misit. Electos vero discipulos Dominus non ad mundi gaudia, sed, sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo et Filius a Patre amatur, et tamen ad passionem mittitur : ita et discipuli a Domino amantur, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum. Itaque recte dicitur, Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Id est, ea vos charitate diligo cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit. Quamvis mitti etiam juxta naturam Divinitatis possit intelligi. Eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur. Nam Sanctum quoque Spiritum, qui cum sit coæqualis Patri et Filio non tamen incarnatus est, idem Filius mittere se perhibet, dicens, Cum venerit Paraclytus quem ego mittam vobis a Patre. Tu autem.

Ante Laudes, V. In resurrectione tua, Christe.

In Laudibus.

Ant. Angelus autem.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29), *et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, sicut in die Paschæ dicuntur. Require prædictam Antiphonam in die Paschæ ad Laudes.*

Capitulum. (1 *Joh. v.* 4.)
Omne quod natum est ex Deo vincit mundum : et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.

Hymnus.

Sermone blando angelus
Prædixit mulieribus :
In Galileam Dominus
Videndus est quantotius.
Illæ dum pergunt concitæ
Apostolis hoc dicere :
Videntes eum vivere
Osculantur pedes Domini.
Quo agnito discipuli
In Galileam propere
Pergunt videre faciem
Desideratam Domini.
Claro paschali gaudio
Sol mundo nitet radio :
Cum Christum jam apostoli
Visu cernunt corporeo.
Ostensa sibi vulnera
In Christi carne fulgida
Resurrexisse Dominum
Voce fatentur publica.
Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside :
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.
Quæsumus auctor (*p.* dccclix).
Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis.

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

Ant. Cum esset sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati : stetit Jesus in medio et dixit eis, pax vobis. Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus.

Deinde fiat Memoria de Resurrectione *cum hac Antiphona* Et valde, *ut in die Paschæ.*

V. Surrexit Dominus vere.

Oratio. Deus, qui per unigenitum tuum.

Si in hac Dominica, vel in proxima Dominica ante Ascensionem Domini, simplex Festum cum regimine chori evenerit, differatur usque ad proximam feriam vacantem. Si vero Festum duplex in proxima Dominica ante Ascensionem Domini evenerit, non differatur, sed fiat servitium de Festo, et Memoria de Dominica et de Resurrectione solenniter. Tamen si Festum duplex in hac Dominica videlicet Octava Paschæ contigerit semper differatur, licet Festum loci vel Dedicationis ecclesiæ fuerit. Si autem in mediis Dominicis quodcunque Festum simplex cum regimine chori contigerit, non differatur, sed fiat servitium de Festo.

Ad Primam.

Deus in adjutorium.

Hymnus. Jam lucis, *cum nota de Hymno* Chorus novæ Hierusalem.

Ant. Angelus autem.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ps. Beati immaculati (*cxviii.* 1, p. 44).

Ps. Retribue (*cxviii.* 17, p. 45).

Ant. Gratias tibi Deus.

Ps. Quicunque. *Et finiatur prædicta Antiphona cum* Alleluya, *ut in Psalterio* (p. 49).

Capitulum. Regi seculorum.

R. Jesu Christe, *cum* Alleluya, *sicut in die Natalis Domini* (p. cxcii).

V. Qui surrexisti a mortuis. *Et dicitur in secunda forma, ut supradictum est in Psalterio.*

Iste versus Qui surrexisti *dicitur quotidie ad Primam usque ad Ascensionem Domini : nisi quando dicitur de sancta Maria.*

Preces et cetera quæ ad Primam pertinent expleantur more solito.

Ad Tertiam.

Hymnus. Nunc sancte nobis Spiritus.

Ant. Et ecce terræmotus.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. Omne quod natum est.

R. Resurrexit Dominus. Alleluya. Alleluya.

V. Sicut dixit vobis. Alleluya. Alleluya. Gloria.

Resurrexit.

V. Surrexit Dominus vere.

R. Et apparuit Symoni. Alleluya.

Oratio ut supra.

Ad Sextam.

Hymnus. Rector potens.

Ant. Erat autem.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (1 *Johan.* v. 5.)

Quis est, fratres, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei : hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus.

R. Surrexit Dominus vere Alleluya. Alleluya.

V. Et apparuit Simoni. Alleluya. Gloria.

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

R. Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluya.

Oratio ut supra.

Ad Nonam.

Hymnus. Rerum Deus.

Ant. Præ timore.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (1 *Johan.* v. 7.)

Tres sunt qui testimonium dant in terra : spiritus, aqua, et sanguis.

R. Surrexit Dominus de sepulchro. Alleluya. Alleluya.

V. Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluya. Gloria.

V. In resurrectione tua, Christe.

R. Cæli et terra lætentur. Alleluya.

Oratio ut supra.

AD SECUNDAS VESPERAS, *super Psalmos dicitur Ant.* Alleluya *quater, sicut in Vigilia Paschae.*

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191), *et ceteri Psalmi Dominicales.*

Capitulum. Omne quod natum.

Non dicitur Responsorium.

Hymnus.

Ad cenam Agni providi
Et stolis albis candidi,
Post transitum maris rubri
Christo canamus principi.
Cujus corpus sanctissimum
In ara crucis torridum
Cruore ejus roseo
Gustando vivimus Deo.
Protecti Paschae vespere
A devastante angelo :
Erepti de durissimo
Pharaonis imperio.
Jam Pascha nostrum Christus est,
Qui immolatus agnus est.
Sinceritatis azima
Caro ejus oblata est.
O vere digna hostia,
Per quam fracta sunt tartara,
Redempta plebs captivata,
Reddita vitæ præmia.
Consurgit Christus tumulo,
Victor redit de baratro,
Tyrannum trudens vinculo
Et reserans paradisum.
Quæsumus, auctor (*p.* dccclix).
Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti.

Versus Mane nobiscum, Domine.

Hic ordo hujus diei, scilicet Hymnorum et Versiculorum, ad omnes Horas servetur quotidie usque ad Ascensionem Domini, tam in feriis quam in Dominicis, quando de temporali agitur.

Hæc sequens Antiphona incipiatur ab excellentiore persona.

Ant. Post dies octo januis clausis ingressus est Dominus et dixit eis, pax vobis. Alleluya. Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio Præsta, quæsumus, omnipotens Deus.

Memoria fiat de RESURRECTIONE *cum Antiphona* Et respicientes.

V. Resurrexit Dominus.

Oratio. Deus qui per unigenitum tuum.

Ad has Vesperas nulla Memoria fiat de Festo sine regimine chori in crastino contingente.

Et sciendum est quod prædictæ Memoriæ de Resurrectione ad Matutinas et ad Vesperas dicentur omnibus Dominicis usque ad Ascensionem Domini, sive de Dominica fit servitium, sive de aliquo Festo cum regimine chori, nisi in Inventione sanctæ crucis.

Si vero aliquod duplex Festum in crastino Octavarum Paschæ celebretur, secundæ Vesperæ in Dominica erunt de Festo, et solennis Memoria de Dominica, et postea de Resurrectione.

Hæ sequentes Antiphonæ dicantur per ebdomadam super Psalmum Benedictus, *et* Magnificat, *cum repetitione earundem si necesse fuerit : quando de feria agitur tantum.*

Ant. Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt et crediderunt. Alleluya.

Ant. Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum Alleluya quæ non sunt scripta in libro hoc Alleluya.

Ant. Hæc autem scripta sunt : ut credatis quia Jesus est Filius Dei : et ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius Alleluya.

Sciendum est quod in omnibus Festis Sanctorum in quibus chorus regitur, nisi in Inventione sanctæ crucis tantum, dicantur hæ sequentes Antiphonæ solenniter ad Memoriam de RESURRECTIONE *ad Vesperas et ad Matutinas, usque ad Ascensionem Domini : nisi in Dominicis ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas : licet Festum loci vel*

Dedicationis ecclesiæ infra tempus prædictum contigerit. Et etiam sequentes Antiphonæ dicuntur in Commemoratione BEATÆ MARIÆ *et* FESTI LOCI *infra tempus prædictum.*

Ad utrasque Vesperas Ant. Surrexit Dominus de sepulchro qui pro nobis pependit in ligno. Alleluya. Alleluya. Alleluya.

V. Resurrexit Dominus.

Oratio. Deus, qui per Unigenitum.

Ad Matutinas cum hac Antiphona, Cito euntes dicite discipulis ejus et Petro quia surrexit Dominus. Alleluya.

V. Surrexit Dominus vere.

Oratio. Deus, qui per Unigenitum tuum.

FERIA SECUNDA POST OCTAVAS PASCHÆ.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Alleluya. Alleluya. Alleluya.

Ps. Venite.

Hoc Invitatorium dicitur in omnibus feriis usque ad Ascensionem Domini quando de feria agitur.

Hymnus. Aurora lucis rutilat.

Super Psalmos dicitur hæc sola Antiphona, Alleluya. Alleluya. Alleluya.

Ps. Dominus illuminatio. Gloria Patri (*xxvi.* p. 69).

Ps. Ad te, Domine, clamabo. Gloria Patri (*xxvii.* p. 71).

Ps. Afferte Domino. Gloria Patri (*xxviii.* p. 71).

V. Resurrexit Dominus.

Hac die incipiatur Apocalipsis, nisi aliquod Festum impediat : et tunc in proxima feria vacante incipiatur : et legatur per hanc ebdomadam, et duabus ebdomadis sequentibus, quando de feria agitur.

Non dicuntur Benedictiones feriales ante Lectiones in feriis hujus temporis : sed tres Benedictiones de his quæ dicuntur in Festis ix Lectionum, scilicet Benedictione perpetua, *et ceteræ per ordinem : et postea* Omnipotens Dominus, *alternando.*

Lectio i. (*Apoc. i.* 1.)

Apocalipsis Jesu Christi quam dedit illi Deus palam facere servis suis quæ oportet fieri cito, et significavit mittens per angelum suum servo suo Johanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi in his quæcunque vidit. Beatus qui legit et qui audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim prope est. Tu autem.

R. 1. Dignus es, Domine, accipere librum et aperire signacula ejus : quoniam occisus es et redemisti nos Deo, In sanguine tuo. Alleluya.

V. Fecisti enim nos Deo nostro regnum et sacerdotes. In sanguine.

Lectio ii. [*Apoc. i.* 4.]

Johannes septem ecclesiis quæ sunt in Asia. Gratia vobis et pax ab eo qui est et qui erat et qui venturus est. Et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt : et a Jesu Christo qui est testis fidelis primogenitus mortuorum et princeps regum terræ, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. Ipsi gloria et imperium in secula seculorum. Amen. Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt : et plangent se super eum omnes tribus terræ etiam amen. Ego sum alpha et oo, principium et finis : dicit Dominus Deus qui est et qui erat et qui venturus est omnipotens. Tu autem.

R. 2. Ego sicut vitis fructificavi suavitatem odoris. Alleluya. Transite ad me omnes qui concupiscitis me et a generationibus meis adimplemini. Alleluya. Alleluya.

V. Ego diligentes me diligo : et qui mane vigilaverint ad me invenient me.

Transite.

Lectio iii. [*Apoc. i.* 9.]

Ego Johannes frater vester et particeps in tribulatione et regno et patientia in Jesu Christo : fui in insula quæ appellatur Pathmos propter verbum Dei et testimonium Jesu Christi. Fui in Spiritu in Dominica die : et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis, Quod vides scribe in libro et mitte septem ecclesiis quæ sunt in Asia : Epheso, et Smirnæ, et Pergamo, et Thiatiræ, et Sardis, et Philadelphiæ, et Laodiciæ. Et conversus sum : ut viderem vocem quæ loquebatur mecum.

R. 3. Audivi vocem de cælo tanquam vocem tonitrui magni Alleluya. Regnabit Deus noster in æternum Alleluya quia facta est salus et virtus et potestas Christi ejus. Alleluya. Alleluya.

V. Vidi angelum Dei volantem per medium cæli : voce magna clamantem et dicentem,

Regnabit. Gloria. Alleluya.

Ista prædicta Responsoria, scilicet Dignus es, *R.* Locutus, *R.* Vidi portam, *cum ceteris Responsoriis subsequentibus, dicantur alternis vicibus per singulas ebdomadas usque ad quartam Dominicam.*

Non dicitur Ps. Te Deum *in feriis, quando de feria agitur, per totum annum.*

Ante Laudes V. In resurrectione tua, Christe.

IN LAUDIBUS.

Ant. Alleluya. Alleluya.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Et dicitur hæc sola prædicta Antiphona quotidie in Laudibus usque ad Ascensionem Domini, quando de feria agitur.

Capitulum. Omne quod natum.

Et dicuntur Capitula de Dominicis per singulas ebdomadas usque ad Ascensionem Domini: nisi in secunda feria in Rogationibus tantum ad Matutinas.

Hymnus. Sermone blando.

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

Super Psalmum Benedictus *dicatur una de prædictis Antiphonis.*

Oratio Dominicalis quotidie dicitur, quando de feria agitur, usque ad Vigiliam Ascensionis Domini: nisi in secunda feria Rogationum ad Matutinas tantum.

Sciendum est quod inter Pascha et Penthecosten, et ultra usque ad Deus omnium, *nullæ fiant Preces in ferialibus diebus ad Vesperas neque ad Matutinas, nec ad alias Horas, nisi ad Primam et Completorium : tunc dicantur Preces consuetæ sine prostratione more solito.*

Memoria de CRUCE *fiat cum hac Antiphona,* Crucifixus surrexit a mortuis : redemit nos, Alleluya, Alleluya.

Versus. Dicite in nationibus.

Oratio. Deus, qui pro nobis Filium tuum.

Memoria de sancta MARIA *cum hac Antiphona,* Paradisi porta per Evam cunctis clausa est : et per Mariam virginem iterum patefacta est, Alleluya.

V. Post partum.

Oratio. Gratiam tuam. *Require in die Paschæ post secundas Vesperas.*

Memoria de OMNIBUS SANCTIS *fiat cum una istarum Antiphonarum sequentium ; videlicet,*

Ant. Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, Alleluya, et sicut odor balsami erunt ante te, Alleluya.

Vel hæc Ant. Sancti et justi in Domino gaudete, Alleluya, vos elegit Deus in hereditatem sibi, Alleluya.

Vel hæc Ant. In velamento clamant sancti tui, Domine, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

V. Vox læticiæ et exultationis.

R. In tabernaculis justorum, Alleluya.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut in resurrectione Domini nostri Jesu Christi Filii tui cum omnibus sanctis percipiamus veraciter portionem. Qui tecum.

Sequantur Matutinæ de sancta Maria in Conventu : et cetera ut in Servitio beatæ Mariæ notatur. Tamen quando fiunt Memoriæ de Omnibus Sanctis ad Vesperas et ad Matutinas de sancta Maria, fiant cum Antiphonis, Versibus, et Orationibus quæ huic feriæ intitulantur, usque ad Vigiliam Ascensionis Domini.

AD PRIMAM.

Ant. Alleluya, Alleluya, Alleluya, Alleluya, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ps. Beati immaculati (*cxviii.* 1, p. 44).

Ps. Retribue (*cxviii.* 17, p. 45).

Ant. Gloria tibi Trinitas.

Ps. Quicunque.

Capitulum. Domine miserere.

R. Jesu Christe, *cum* Alleluya.

V. Qui surrexisti a mortuis.

Et cetera quæ ad Primam pertinent, absque prostratione.

AD TERTIAM.

Ant. Alleluya, Alleluya, Alleluya, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum de Dominica.

R. Resurrexit Dominus.

AD SEXTAM.

Ant. Alleluya, Alleluya, Alleluya.

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum de Dominica.

R. Surrexit Dominus vere.

AD NONAM.

Ant. Alleluya, Alleluya.

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum de Dominica.

R. Surrexit Dominus de sepulchro.

V. In resurrectione tua, Christe.

Hæ prædictæ Antiphonæ et Responsoria cum suis Versiculis dicuntur in omnibus feriis usque ad Ascensionem Domini, quando de feria agitur.

AD VESPERAS, *super Psalmos dicitur hæc sola Antiphona,* Alleluya, Alleluya, Alleluya.

Ps. Dilexi (*cxiiii.* p. 196), *et ceteri Psalmi feriales.*

Capitulum de Dominica.

Hymnus. Ad cenam Agni.

V. Mane nobiscum Domine.

Super Psalmum Magnificat *dicatur una de prædictis Antiphonis.*

Oratio Dominicalis.

Memoria de CRUCE *fiat cum hac Antiphona,*

Crucem sanctam subiit
qui infernum confregit :
accinctus est potentia
surrexit die tertia, Alleluya.

V. Dicite in nationibus.

Oratio. Deus qui pro nobis.

Memoria de sancta MARIA *cum hac Antiphona,* Paradisi porta.

V. Sancta Dei genitrix.

Oratio. Gratiam tuam, quæsumus.

Memoria de OMNIBUS SANCTIS *fiat cum hac Antiphona,* In cælestibus regnis sanctorum habitatio est, Alleluya. et in æternum requies eorum, Alleluya.

V. Vox læticiæ et exultationis.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus.

Hic ordo Memoriarum ad Vesperas et ad Matutinas hujus feriæ servetur usque ad Ascensionem Domini, tam in feriis quam in Festis sine regimine chori.

FERIA TERTIA POST OCTAVAS PASCHÆ.

AD MATUTINAS.

Antiphona super Psalmos, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

Ps. Dixi, custodiam (*xxxviii.* p. 95).

Ps. Expectans expectavi (*xxxix.* p. 96).

Ps. Beatus qui intelligit (*xl.* p. 98).

V. Surrexit Dominus vere.

Lectio i. (*Apoc. i.* 12.)

Et conversus vidi septem candelabra aurea : et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea. Caput autem ejus et capilli erant candidi tanquam lana alba et tanquam nix : et oculi ejus velut flamma ignis, et pedes ejus similes auricalco sicut in camino ardenti. Et vox illius : tanquam vox aquarum multarum. Et habebat in dextera sua stellas septem, et de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat : et facies ejus sicut sol lucens in virtute sua.

R. 1. Locutus est ad me unus de septem angelis dicens ; veni ostendam tibi novam nuptam sponsam Agni. Et vidi Hierusalem descendentem de cælo ornatam monilibus suis, Alleluya. Alleluya, Alleluya.

V. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum.

Et vidi Hierusalem.

Lectio ii. [*Apoc. i.* 17.]

Et cum vidissem eum : cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me dicens, Noli timere. Ego sum primus et novissimus, et vivus et fui mortuus : et ecce sum vivens in secula seculorum. Et habeo claves mortis et inferni. Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt : et quæ oportet fieri post hæc. Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea : et septem candelabra aurea. Septem stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum : et candelabra septem, septem ecclesiæ sunt.

R. 2. Audivi vocem in cælo angelorum multorum dicentium, Timete Dominum et date claritatem illi : et adorate eum qui fecit cælum terram mare et fontes aquarum Alleluya Alleluya.

V. Et exivit vox magna de templo a throno dicens,

Timete.

Lectio iii. (*Apoc. ii.* 1.)

Et angelo Ephesi ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua : qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. Scio opera tua et laborem et patientiam tuam : et quia non potes sustinere malos. Et tentasti eos qui se dicunt apostolos, et non sunt : et invenisti eos mendaces. Et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum et non defecisti, sed habeo adversus te quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam et prima opera fac. Sin autem : venio tibi et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Sed hoc habes bonum quia odisti facta Nicholaitarum, quæ et ego odi. Qui habet aures audiendi audiat, quid spiritus dicat ecclesiis. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

R. 3. Ostendit michi angelus fontem aquæ vivæ et dixit ad me Alleluya. Hic Deum adora. Alleluya, Alleluya, Alleluya.

V. Postquam audissem et vidissem : cecidi ut adorarem ante pedes angeli qui michi hæc ostendebat : et dixit michi.

Hic Deum. Gloria. Alleluya.

Ad Vesperas, *super Psalmos Antiphona,* Alleluya, Alleluya, Alleluya.

Ps. Lætatus (*cxxi.* p. 199), *et ceteri Psalmi illius feriæ.*

Feria Quarta.

Ad Matutinas.

Antiphona super Psalmos, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

Ps. Dixit insipiens (*lii.* p. 112).

Ps. Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris (*liiii.* p. 113).

Ps. Miserere mei, Deus, quoniam (*lv.* p. 114).

V. Resurrexit Dominus.

Lectio i. (*Apoc. ii.* 8.)

Et angelo Smirnæ ecclesiæ scribe : Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit. Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, sed dives es, et blasphemaris ab his qui se dicunt Judeos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Sathanæ. Nichil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est dyabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem : et dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis. Qui vicerit : non lædetur a morte secunda.

R. 1. Vidi portam civitatis ad orientem positam et apostolorum nomina et Agni super eam scripta. Et super muros ejus angelorum custodiam Alleluya.

V. Vidi civitatem sanctam Hierusalem descendentem de cælo ornatam tanquam sponsam viro suo.

Et super.

Lectio ii. [*Apoc. ii.* 12.]

Et angelo Pergami ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui habet rumpheam, ex utraque parte acutam. Scio ubi habitas ubi sedes est Sathanæ : et tenes nomen meum : et non negasti fidem meam. Et in diebus illis, Antiphas testis meus fidelis qui occisus est apud vos : ubi Sathanas habitat. Sed habeo adversus te pauca : quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari. Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicholaitarum. Similiter pœnitentiam age. Si quominus, veniam tibi cito : et pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis. Vincenti dabo manna absconditum, et dabo ei calculum candidum et in calculo nomen novum scriptum : quod nemo scit nisi qui accipit. Tu autem.

R. 2. Vidi Hierusalem descendentem de cælo ornatam auro mundo. Et lapidibus preciosis intextam, Alleluya, Alleluya.

V. Abintus in fimbriis aureis circumamicta varietate.

Et lapidibus.

Lectio iii. [*Apoc. ii.* 18.]

Et angelo Thyatiræ ecclesiæ scribe: Hæc dicit Filius Dei qui habet oculos tanquam flammam ignis : et pedes ejus similes auricalco. Novi opera tua et fidem et charitatem et ministerium et patientiam tuam : et opera tua novissima plura prioribus. Sed habeo adversum te : quia permittis mulierem Jezabel quæ se dicit prophetem docere, et seducere servos meos, fornicari et manducare de ydolotitis : et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere a fornicatione sua. Et ecce mitto eam in lectum, et qui mœchantur cum ea in tribulationem maximam, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis : et filios ejus interficiam in mortem. Et scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda : et dabo unicuique vestrum secundum opera vestra. Tu autem.

R. 3. In dyademate capitis Aaron lapides preciosi fulgebant, Dum perficeret opus Dei. Alleluya, Alleluya, Alleluya.

V. Corona aurea super caput ejus expressa signo sanctitatis.

Dum perficeret. Gloria Patri. Alleluya.

AD VESPERAS.

Ant. Alleluya *ter.*

Ps. Nisi Dominus ædificaverit (*cxxvi.* p. 202) *et ceteri Psalmi feriales.*

FERIA QUINTA.

AD MATUTINAS.

Super Psalmos Ant. Alleluya *ter.*

Ps. Salvum me fac *ii.* (*lxviii.* p. 128).

Ps. Deus in adjutorium (*lxix.* p. 131).

Ps. In te, Domine, speravi *ii.* (*lxx.* p. 131).

V. Surrexit Dominus vere.

Responsoria dicuntur quæ in secunda feria præcedenti dicebantur.

AD VESPERAS.

Super Psalmos Ant. Alleluya *ter.*

Ps. Memento, Domine (*cxxxi.* p. 204) *et ceteri Psalmi feriales.*

FERIA SEXTA.

AD MATUTINAS.

Super Psalmos Ant. Alleluya *ter.*

Ps. Exultate Deo adjutori (*lxxx.* p. 149).

Ps. Deus stetit (*lxxxi.* p. 150).

Ps. Deus quis similis (*lxxxii.* p. 151).

V. Resurrexit Dominus.

Responsoria quæ in tertia feria præcedente dicuntur.

Si aliquod Festum in aliqua die prædictarum feriarum contigerit, unde fieri debeat servitium, deinceps non servetur ordo feriarum in Versiculis et Responsoriis cantandis : sed ordo Versiculorum et Responsoriorum in feriis subsequentibus : quod etiam observetur per singulas ebdomadas usque ad Ascensionem Domini, videlicet ab una Dominica usque ad aliam Dominicam tantum : non tamen semper in dicendo prædicta Responsoria, sed alias alia Responsoria dicuntur, sicut in feriis patebit. Ita tamen quod Responsoria de quarta feria non omittantur : si tot feriæ vacaverint ab Octavis Paschæ usque ad quartam Dominicam post Pascha.*

Supradictus ordo Antiphonarum super Psalmos ad Vesperas et ad Matutinas servetur usque ad Festum Ascensionis Domini, quando de feria agitur. De quocunque etiam fit servitium in feriis usque ad Ascensionem Domini, nulla fiat Memoria de feria, nisi in secunda feria Rogationum, et in Vigilia Ascensionis Domini : tunc enim de quocunque fit servitium, fiat solennis Memoria de Jejunio ad Matutinas tantum : licet Dedicatio ecclesiæ fuerit ipso die.

Quando fit PLENUM SERVITIUM *de sancta* MARIA *in tempore Paschali, scilicet ab Octavis Paschæ usque ad Penthecosten :*

AD VESPERAS, *super Psalmos dicatur Antiphona* Post partum, *et finiatur cum* Alleluya.

Psalmi feriales.

Capitulum. Beata es Maria.

Hymnus. Ave maris stella.

V. Sancta Dei genitrix.

Ant. Sancta Maria, succurre miseris.

Ps. Magnificat.

Et finiatur prædicta Antiphona cum Alleluya.

Oratio. Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine.

Memoria, si habeatur de aliquo Sancto, fiat ; et postea de Resurrectione : sicut in aliis Festis cum regimine chori.

COMPLETORIUM *de temporali non mutatur, nisi quod in fine Hymni* Jesu Salvator seculi *dicetur Versus,*

* Legendum '*tertia*' cum Portiforiis.

Gloria tibi, Domine, Qui natus es de virgine : cum Patre *et cetera, post versum* Quæsumus, auctor omnium.

Ad Matutinas. *Invitatorium.* In honore beatissimæ, *et finiatur cum* Alleluya. (p. 297.)

Ps. Venite : *et dicatur a duobus Rectoribus chori.*

Hymnus. Quem terra. (p. 286.)

Hæc sola Antiphona dicatur super Psalmos, videlicet Ant. Benedicta tu, *et finiatur cum* Alleluya.

Ps. Domine Dominus noster (*viii.* p. 11).

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

Ps. Domini est terra (*xxiii.* p. 40).

V. Sancta Dei genitrix virgo semper Maria.

Hi prædicti Psalmi cum prædicta Antiphona et Versiculo dicuntur quotiens fit Plenum Servitium de sancta Maria usque ad Penthecosten, et non alii Psalmi, nec alia Antiphona, nec alius Versiculus.

Lectio i. (*Augustin. super Johannem, Tractat.* 119.)*

Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Hæc nimirum est illa hora, de qua Jesus aquam conversurus in vinum dixerat matri, Quid michi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere moriturus de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis sed infirmitatis matrem velut incognitam reprehendebat : nunc autem humana jam patiens, ex qua factus fuerat homo, affectu commendabat humano. Tunc enim qui Mariam creaverat innotescebat virtute : nunc vero quod Maria pepererat pendebat in cruce. Moralis igitur insinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, et exemplo suo suos instruxit præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus : tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis. Tu.

R. 1. Sancta et immaculata, *et finiatur cum* Alleluya. (p. 298.)

Lectio ii. Ex hac doctrina sana didicerat Paulus apostolus quod docebat, quando dicebat, Si quis autem suis et maxime domesticis non providet, fidem negat, et est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum quam parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque saluberrimi præcepti ipse magister sanctorum de seipso constituebat exemplum : quando non ut famulæ Deus quam creaverat et regebat, sed ut matri homo de qua natus fuerat, et quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat. Nam cur hoc fecerit, quod sequitur indicat. Ait enim evangelista, Ex illa hora accepit eam discipulus in sua : de seipso dicens. Sic quippe commemorare se solet, quod eum diligebat Jesus. Qui utique omnes, sed ipsum præ ceteris et familiarius diligebat : ita ut in convivio super pectus suum discumbere faceret, credo ut istius evangelii, quod per eum fuerat prædicaturus, divinam excellentiam hoc modo altius commendaret. Sed in quæ sua Johannes matrem Domini accepit? Nunquid enim non ex eis erat qui dixerunt ei, Ecce nos re-

* *Augustini Opera* III. 2439.

linquimus omnia, et secuti sumus te? Sed ibi quoque audierant, Quicunque ista dimiserit propter me, accipiet in hoc seculo centies tantum. Tu.

R. 2. Beata es Maria, *et finiatur cum* Alleluya, Alleluya. (p. 299.)

Lectio iii. Habebat ergo ille discipulus centupliciter plura quam dimiserat: in quae susceperat ejus matrem qui illa donaverat. Sed in ea societate beatus Johannes receperat centuplum, ubi nemo dicebat aliquid suum, sed erant illis omnia communia: sicut in Actibus Apostolorum scriptum est. Sic enim erant apostoli quasi nichil habentes et omnia possidentes. Quomodo ergo matrem magistri et domini sui discipulus et famulus accepit in sua, ubi aliquid suum nemo dicebat? An, quia paulopost in eodem libro legitur, Quotquot possessores prædiorum vel domorum erant, vendentes afferebant precia illorum et ponebant ante pedes apostolorum, distribuebatur autem unicuique prout cuique opus erat, intelligendum est sic distributum fuisse huic discipulo quod opus erat, ut illic etiam beatæ Mariæ tanquam matris ejus portio poneretur? Magisque sic debemus accipere quod dictum est, Ex illa hora accepit eam discipulus in sua, ut ad ejus curam quicquid ei esset necessarium pertineret. Suscepit eam igitur in sua, non prædia quæ nulla proprie possidebat, sed officia quæ propria dispensatione exequenda curabat. Tu autem.

R. Felix namque es, [sacra virgo Maria, et omni laude dignissima, Quia ex te ortus est Sol Justiciæ, Christus Deus noster.

V. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum levamen, quicunque celebrant tuam commemorationem.

Quia ex te. Gloria.] *et finiatur cum* Alleluya.

Ps. Te Deum.

Ante Laudes V. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

In Laudibus, *haec sola Ant.* O admirabile, *et finiatur cum* Alleluya.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29), *et ceteri Psalmi consueti.*

Capitulum. Ab initio et.

Hymnus. O gloriosa femina*.

V. Elegit eam Deus.

R. Habitare, *et finiatur cum* Alleluya.

Ant. O gloriosa genitrix
[virgo semper Maria
quæ Dominum omnium
meruisti portare,
Regem angelorum
sola virgo lactare;
nostris precibus
pie memorare,
et pro nobis Christum
semper deprecare;
ut tuis suffulti
patrociniis
ad cælestia regna
mereamur pervenire,
Per Christum.] *et finiatur cum* Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Concede nos famulos.

Memoria de aliquo Sancto fiat, ut supradictum est ad Vesperas.

Ad Primam.

Ant. O admirabile.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ps. Beati immaculati (*cxviii.* 1, p. 44).

Ps. Retribue (*cxviii.* 17, p. 45).

Ant. Te jure laudant, *et finiatur cum* Alleluya.

Ps. Quicunque vult.

R. Jesu Christe, *cum* Alleluya.

V. Qui de virgine: *et dicatur cum eodem cantu quo in die Natalis Domini.*

* *Hymnus de Laudibus in festo Annunciationis B. Mariæ Virginis.*

Ad Tertiam.

Ant. Quando natus es.
Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).
Capitulum. Ab initio.
R. Sancta Dei genitrix, *cum* Alleluya.
V. Post partum.
R. Dei genitrix, *et finiatur cum* Alleluya.
Oratio, ut supra.

Ad Sextam.

Ant. Rubum quem viderat, *et finiatur cum* Alleluya.
Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).
Capitulum. Et sic in Syon.
R. Post partum, *et finiatur cum* Alleluya.
V. Speciosa.
R. In deliciis : *et finiatur cum* Alleluya.
Oratio, ut supra.

Ad Nonam.

Ant. Germinavit, *et finiatur cum* Alleluya.
Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).
Capitulum. Et radicavi.
R. Speciosa facta es, *cum* Alleluya.
V. Elegit eam Deus.
R. Habitare facit, *et finiatur cum* Alleluya.
Oratio, ut supra.
Et cetera omnia fiant sicut in servitio beatæ Mariæ notatur : ita tamen quod in fine omnium Hymnorum dicetur versus, Quæsumus, Auctor omnium, *et versus* Gloria tibi, Domine, Qui natus.

[DOMINICA SECUNDA.]

1. A. Dominica Secunda post Pascha de servitio dominicali. Ad i. vesperas fiat processio. Ad Matutinas et ad ii. vesperas fiat memoria de Resurrectione. iii. R. cantetur a duobus. In laudibus una Ant. et missa de Resurrectione, et nulla memoria de Dominica.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.

2. A. Dominica ii. post Pascha patet, ut supra ad 1. *A.*

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria ii. et vi. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.

3. A. Dominica ii. post Pascha de S. Georgio. Ad i. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et processio. ii. *Alleluya* ad Missam erit unum de ix per ordinem, et non de Dominica. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.

Feria ii. de Feria, cum R. de iv. Feria, et cum missa dominicali.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

4. A. Dominica ii. post Pascha patet. iii. R. a duobus cantetur. Secundæ vesperæ erunt de Apostolis [Philippo et Jacobo], et solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.

* 'Do. ii. post octa. pas.' (*quasi diceret* Dominica quæ præcedit Hebdomadam ii. post Octavas Paschæ) *Chevallonius. Versum folium tamen ab eodem verius intitulatur,* 'Dnica ii. post pascha.'

Feria iii., v., et vi. de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

5. A. Dominica ii. post Pascha servitium erit de S. Johanne Beverlaco, Episcopo; omnia de communi. Ad i. vesperas memoria de Apostolo [Johanne ad Port. Latin.], de Dominica, et processio ad matutinas; iii. R. cantetur ab uno, et memoria de Dominica et de Resurrectione.

Feria ii., iv., et Sabbato de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo infra ebdomadam.

Feria iii. de S. Georgio.

Feria v. de S. Marco. Nulla fiat processio neque jejunium.

1. B. Dominica Secunda post Pascha de servitio dominicali. iii. R. a duobus cantetur.

Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, et cum missa dominicali in ii. Feria.

Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Feria v. de S. Tyburtio.

2. B. Dominica ii. post Pascha patet.

Feria ii. de Feria, cum R. de iii. Feria, et cum missa dominicali.

Feria iv. v., et vi. de commemorationibus.

3. B. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Georgio, fiat solennis memoria de Dominica et processio. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et de Resurrectione; et sic ista Dominica carebit utrisque vesperis.

Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iii. de Feria, cum R. de eadem Feria, et cum missa dominicali.

4. B. Dominica ii. post Pascha de Festo Apostolorum [Philippi et Jacobi]. Ad i. vesperas fiat solennis memoria de Dominica, et processio ad matutinas et ad ii. vesperas solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.

Feria ii., iv., et v. de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in ii. Feria.

5. B. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de S. Georgio et solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.

Feria ii. de S. Georgio.

Feria iv. de S. Marco.

Feria iii., vi.. et Sabbato de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo.

1. C. Dominica Secunda post Pascha de servitio dominicali.

Feria ii. et vi. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. de S. Tiburtio; invitatorium duplex.

2. C. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali. Ad ii. vesperas fiat memoria de Sancto [Alphego] et de Resurrectione.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. de Feria, cum R. de iii. Feria, et cum missa dominicali.

3. C. Dominica ii. post Pascha de S. Marco. Ad i. vesperas fiat solennis memoria de dominica, et processio; ad matutinas et ad ii. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.

Feria ii. de Feria, cum R. de iii. Feria, et cum missa dominicali.
Feria iii., v., et vi. de commemorationibus.

4. C. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali. Ad i. vesperas quæ erunt de Apostolis [Philippo et Jacobo] fiat solennis memoria de Dominica, et processio; et ad ii. vesperas solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio] de Dominica, et processio; et nulla memoria de Resurrectione, et sic ista dominica carebit utrisque vesperis.
Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

5. C. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iii. de S. Marco: nulla fiat processio nec jejunium, sed solennis memoria de Resurrectione. Ad ii. vesperas primo fiat memoria de Martyribus [Nereo Achileo et Pancratio] sub silentio, deinde solennis memoria de Resurrectione.
Feria v. de Apostolis [Philippo et Jacobo], et solennis memoria de Resurrectione.

1. D. Dominica Secunda* post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii., iv., et vi. de Feria, et R. dicuntur suo ordine, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

2. D. Dominica ii.* post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii.† et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iii. de Sancto [Tiburtio]. Invitatorium duplex.

3. D. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali, et memoria de Sancto [Alphego], et processio.
Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus.
Feria vi. de Feria, cum R. de iii. Feria, et cum missa dominicali.

4. D. Dominica ii.* post Pascha de servitio dominicali. Ad i. vesperas, quæ erunt de Festo [S. Marci], fiat solennis memoria de Dominica et processio.
Feria ii. de Feria, cum R. de iii. Feria, cum missa dominicali.
Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

5. D. Dominica ii. post Pascha de S. Cruce. Ad i. vesperas solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio] de Dominica et processio, sed nulla memoria de Resurrectione.
Feria ii., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iii. de S. Marco: et missa dominicalis dicitur in capitulo in ii. Feria.

1. E. Dominica Secunda post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii., iv., et vi. de Feria, et R. dicuntur suo ordine, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

2. E. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iv. et vi. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, et cum missa dominicali in iv. Feria.

* 'Do. 5. post pa.' *Chevallon.* † 'Feria 5.' *Chevallon.*

3. E. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.
Feria v. de Feria, cum R. de iii. Feria, et cum missa dominicali.
Feria iv. de S. Georgio.
Feria vi. de S. Marco.

4. E. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria iii., iv., et vi. de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo* in Dominica.

5. E. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali. Ad i. vesperas, quæ erunt de Cruce, fiat solennis memoria de Dominica, sed nulla memoria de Resurrectione, nec processio.
Feria ii., vi., et Sabbato de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo.
Feria v. de S. Georgio.

1. F. Dominica Secunda post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii. de Annunciatione, et solennis memoria de Resurrectione.
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

2. F. Dominica ii.† post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, et cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.
Feria vi. de Sancto [Alphego].

3. F. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii., iv. et Sabbato de commemorationibus.
Feria vi. de Feria, cum R. de iii. Feria, et cum missa dominicali.

4. F. Dominica ii.† post Pascha de S. Vitale: memoria de dominica et processio. 3 R. ab uno solo cantetur.
Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.
Feria v. de Feria, cum R. de iii. Feria, cum missa dominicali.

5. F. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in iv. Feria.
Feria v. de S. Georgio, et solennis memoria de Resurrectione.

1. G. Dominica Secunda post Octavas Paschæ de servitio dominicali.
Feria ii., iv., et vi. de Feria, cum R. ferialibus suo ordine, et cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

2. G. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii. et vi. de Feria, cum R. de ii. et iv. Feria, et cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

* 'capitulum' *per abbreviationem usitatam* 'capm.' *Chevallonius, in exemplari saltem apud Coll.* Exon. Oxon. *Typographus nimirum in prelo mendam inter imprimendum vidit, et correxit in reliquis schedis, qualem continet exemplar in* Bibl. Acad. Cantab. *conservatum.*

† 'Do. 5. post pascha.' *Chevallon.*

3. G. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali. Secundæ vesperæ erunt de S. Georgio: et solennis memoria de Dominica et Resurrectione.
Feria iii., v., et vi. de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in processione in die S. Marci.

4. G. Dominica ii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii., iv. et Sabbato de commemorationibus.
Feria vi. de Feria, cum R. de ii. Feria, et cum missa dominicali.

5. G. Dominica ii. post Pascha de S. Johanne Apostolo.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iv. de S. Georgio.
Feria vi. de S. Marco: et missa dominicalis dicitur in capitulo in vi. Feria.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

Ad Vesperas, *omnia fiant sicut in Dominica præcedente usque ad Antiphonam super Psalmum* Magnificat, *quæ erit Ant.* Dignus es, Domine, Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem: quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt: salus Deo nostro qui sedet super thronum et Agno, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti: fidelibus tuis perpetuam concede læticiam, ut quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudiis facias sempiternis perfrui. Per eundem Dominum.

Processio fiat ut supra.

In redeundo, de sancta Maria, *Ant.* Ave regina cælorum *cum Versiculo et Oratione ut supra in Octavis Paschæ ad primas Vesperas.*

Hæ sequentes Antiphonæ dicuntur usque ad Ascensionem Domini, quando in introitu chori dicetur de sancta Maria, *scilicet,*

Ant. Alma Redemptoris*.

Ant. Ave regina (p. dcccxxvii.)*.

Ant. Anima mea [liquefacta est, ut dilectus locutus est: quæsivi et non inveni illum, vocavi et non respondit michi; invenerunt me custodes civitatis, percusserunt me et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum custodes murorum. Filiæ Hierusalem, nunciate dilecto quia amore langueo. Alleluya].

Ant. Beata Dei genitrix (*p.* dccexxxiiii.)*.

Ant. Descendi in ortum [meum ut viderem poma convallium et inspicerem si floruissent vineæ et germinassent mala punica: revertere, revertere Sunamitis: revertere, revertere ut intueamur te. Alleluya].

Ant. Speciosa (p. lxxii.).

Et dicuntur per ordinem. Quibus dictis, reincipitur Ant. Alma Redemptoris, *si necesse fuerit.*

Versiculus, et Oratio, ut supra in Octavis Paschæ.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Alleluya. Surrexit Dominus vere.

Ps. Venite. *Et dicatur a duobus Rectoribus chori, in capis sericis albis.*

Hymnus. Aurora lucis rutilat.

Super Psalmos dicatur hæc sola Antiphona, Resurrexit Dominus.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).

* *Requiras Antiphonas* Alma, Ave, *et* Beata *in Sanctorali post ii. Vesperas de* Nativitate B. Mariæ (viii. Septembris).

Ps. Quare fremuerunt (*ii.* p. 7).
Ps. Domine, quid multiplicati (*iii.* p. 7).
Versus. Surrexit Dominus vere.
Hæc prædicta Antiphona cum suis Psalmis et Versu dicatur omnibus Dominicis diebus usque ad Ascensionem Domini, quando de Dominica agitur.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem, x. capitu. (11—16.)

In illo tempore; Dixit Jesus discipulis suis, Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. (*xiv.*)*

Audistis, fratres charissimi, ex lectione evangelica eruditionem vestram: audistis et periculum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidenti dono sed essentialiter bonus est, dicit, Ego sum pastor bonus. Atque ejusdem bonitatis formam quam nos imitemur adjungit dicens, Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Fecit quod monuit: ostendit quod jussit. Bonus pastor pro ovibus suis animam suam posuit: ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves quas redemerat carnis suæ alimento saciaret.

R. [1.] Dignus es, Domine, accipere librum et aperire signacula ejus: quoniam occisus es et redemisti nos Deo, In sanguine tuo Alleluya.
V. Fecisti enim nos Deo nostro regnum et sacerdotes.
In sanguine.

Lectio ii. Ostensa est nobis de contemptu mortis via quam sequamur: apposita est forma cui imprimamur. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ovibus ejus impendere: postremum vero si necesse sit etiam mortem nostram pro eisdem ovibus ministrare. A primo hoc minimo pervenitur ad postremum majus. Sed cum incomparabiliter longe sit melior anima qua vivimus quam terrena substantia quam exterius possidemus: qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? Et sunt nonnulli qui dum plus terrenam substantiam quam oves diligunt, merito nomen pastoris perdunt. De quibus protinus subditur, Mercennarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem et dimittit oves et fugit. Tu autem, Domine.

R. [2.] Ego sicut vitis fructificavi suavitatem odoris Alleluya. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini, Alleluya, Alleluya.
V. Ego diligentes me diligo: et qui vigilaverint ad me invenient me.
Transite ad me.

Lectio iii. Non pastor sed mercennarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercennarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit. Terrenis commodis inhiat: honore prælationis gaudet. Temporalibus lucris pascitur: impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur. Istæ sunt etenim mercedes mercennarii, ut pro eo quod in regimine laborat hic quod quærit inveniat, et ab hereditate gregis in posterum alienus existat. Utrum vero pastor sit an mercennarius cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Tranquillitatis enim plerumque tempore ad gregis custodiam sicut verus pastor, sic etiam mercennarius stat.

* *Gregorii*, in Evangelia, lib. I. Homil. xiv., *Opera* I. 1484.

Sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Tu autem.

R. 3. Dum transisset *ut supra in die Paschæ iii. et dicatur a duobus de superiori gradu in superpelliciis ad gradum chori : quando de Dominica agitur tantum.*

Ante Laudes V. In resurrectione tua, Christe.

In Laudibus *dicitur hæc sola Antiphona*, Angelus autem.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Et dicatur hac die, et duabus sequentibus Dominicis, quando de Dominica agitur.

Quando vero fit ultimo servitium de Dominica ante Ascensionem Domini : tunc omnes Antiphonæ super Laudes dicuntur ut in Octavis Paschæ.

Capitulum. (1 *Pet. ii.* 21.)

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus : qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

Hymnus. Sermone blando.

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

Ant. Ego sum pastor bonus qui pasco oves meas et pro ovibus meis pono animam meam, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui in Filii tui.

Memoria de Resurrectione, ut supra.

Ad Primam.

Ant. Angelus autem.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ps. Beati immaculati (*cxviii.* 1, p. 44).

Ps. Retribue (*cxviii.* 17, p. 45).

Ant. Te jure.

Ps. Quicunque.

Ad Tertiam, et ad omnes alias Horas, *Antiphonæ, Responsoria, et Versus sicut in Octavis Paschæ dicuntur. Et sic fiat omnibus Dominicis usque ad Ascensionem Domini, quando de Dominica agitur.*

Ad Tertiam, *Capitulum.* Christus passus est.

Ad Sextam, *Capitulum.* (1 *Pet. ii.* 23.)

Tradebat autem judicanti se injuste : qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : cujus livore sanati sumus.

Ad Nonam, *Capitulum.* (1 *Pet. ii.* 25.)

Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

Ad secundas Vesperas.

Ant. Alleluya *quater.*

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 38), *et ceteri Psalmi Dominicales.*

Capitulum. Christus passus est.

Hymnus. Ad cenam Agni providi.

V. Mane nobiscum, Domine.

Ant. Ego sum pastor ovium, ego sum via et veritas, ego sum pastor bonus : et cognosco meas et cognoscunt me meæ. Alleluya, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio ut supra.

Hæ sequentes Antiphonæ dicuntur per ebdomadam super Psalmos Magnificat *et* Benedictus, *cum repetitione earundem si necesse fuerit, quando de feria agitur.*

Ant. Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis, Alleluya.

Ant. Sicut novit me Pater et ego agnosco Patrem : et animam meam pono pro ovibus meis, Alleluya.

Ant. Mercennarius est cujus non sunt oves propriæ : videt lupum venientem et dimittit oves et fugit : et lupus rapit et dispergit oves, Alleluya.

Ant. Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere et vocem meam audient : et fiet unum ovile et unus pastor, Alleluya.

Quotidie per hanc ebdomadam, et per ebdomadam sequentem, dicuntur Versus et Responsoria sicut in feriis præcedentis ebdomadæ.

Feria Secunda ebdomadæ II. Post Octavas Paschæ.

Ad Matutinas.

Ps. Exaltabo (*xxix.* p. 72).
Ps. In te, Domine, speravi, (*xxx.* p. 73).
Ps. Beati quorum (*xxxi.* p. 75).

Lectio i. [*Apoc. ii.* 24.]

Vobis autem dico ceteris qui Thiatiræ estis : quicunque non habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt altitudinem Sathanæ, quemadmodum dicunt : non mittam super vos aliud pondus, tamen id quod habetis tenete donec veniam. Et qui vicerit et qui custodierit usque in finem opera mea : dabo illi potestatem super gentes, et reget illas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo : et dabo illi stellam matutinam. Qui habet aures audiat : quid Spiritus dicat ecclesiis.

Lectio ii. (*Apoca. iii.* 1.)

Et angelo ecclesiæ Sardis scribe : Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei et septem stellas. Scio opera tua : quia nomen habes quod vivas et mortuus es. Esto vigilans : et confirma cetera quæ moritura erant. Non enim inveni opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis et audieris : et serva, et pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris : veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te. Sed habes pauca nomina in Sardis, qua non inquinaverunt vestimenta sua : et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ : et confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram angelis ejus. Qui habet aures audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis.

Lectio iii. [*Apoc. iii.* 7.]

Et angelo Philadelphiæ ecclesiæ scribe : Hæc dicit sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit : claudit et nemo aperit. Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere : quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum. Ecce dabo tibi de synagoga Sathanæ qui dicunt se Judeos esse et non sunt : sed mentiuntur. Ecce faciam illos ut veniant et adorent ante pedes tuos, et scient quia ego dilexi te : quoniam servasti verbum patientiæ meæ. Et ego te servabo ab hora tentationis quæ ventura est in orbem universum, tentare habitantes in terra. Ecce venio cito. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit faciam eum columnam in templo Dei mei : et foras non egredietur amplius. Et scribam super eum nomen Dei mei : et nomen civitatis Dei mei novæ Hierusalem, quæ descendit de cælo a Deo meo, et nomen meum novum. Qui habet aures audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis.

Feria Tertia.

Lectio i. (*Apoca. iii.* 14.)

Et angelo Laodiciæ ecclesiæ scribe : Hæc dicit Amen testis fidelis et verus : qui est principium creaturæ Dei. Scio opera tua : quia neque frigidus es neque calidus. Utinam

frigidus esses aut calidus : sed quia tepidus es et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo : quia dicis quod dives sum et locupletatus et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis et pauper et cæcus et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris et non appareat confusio nuditatis tuæ : et collyrio inunge oculos tuos ut videas. Ego quos amo arguo et castigo. Æmulare ergo et pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium et pulso : si quis audierit vocem meam et aperuerit januam, introibo ad illum et cenabo cum illo et ipse mecum. Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus. Qui habet aures audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis.

Lectio ii. (*Apoc. iv.* 1.)

Post hæc vidi, et ecce ostium apertum in cælo. Et vox prima quam audivi : tanquam tubæ loquentis mecum, dicens, Accede huc : et ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc. Statim fui in Spiritu : et ecce sedes posita erat in cælo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis iaspidis et sardinis*. Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. Et in circuitu sedis sedilia vigintiquatuor, et super thronos vigintiquatuor seniores sedentes circumamicti vestimentis albis : et in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedunt fulgura et voces et tonitrua. Et septem lampades ardentes ante thronum : quæ sunt septem Spiritus Dei. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile cristallo : et in medio sedis et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro.

Lectio iii. [*Apoc. iv.* 7.]

Et animal primum : simile leoni. Et secundum animal : simile vitulo. Et tertium animal : habens faciem quasi hominis. Et quartum animal : simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas : et in circuitu et intus plena sunt oculis. Et requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus. sanctus. sanctus. Dominus Deus omnipotens : qui erat et qui est et qui venturus est. Et cum darent illa quatuor animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum viventi in secula seculorum : procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno : et adorabant viventem in secula seculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes, Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem : quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt. Tu autem.

Feria Quarta.

Lectio i. (*Apoca. v.* 1.)

Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus et foris : signatum sigillis septem. Et vidi angelum fortem : clamantem voce magna, Quis est dignus aperire librum et solvere signacula ejus? Et nemo poterat neque in cælo neque in terra neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quia nemo dignus inventus est aperire librum nec videre eum. Et unus de senioribus dixit michi, Ne fleveris. Ecce vicit leo de tribu Juda, Radix David, aperire librum et solvere septem signacula ejus. Tu autem.

Lectio ii. [*Apoc. v.* 6.]

Et vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium et in medio

* 'sardini.' *Chevallon.*

seniorum Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram. Et venit et accepit de dextera sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum : quatuor animalia et vigintiquatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum quæ sunt orationes sanctorum. Et cantabant canticum novum dicentes, Dignus es, Domine Deus, accipere librum, et solvere signacula ejus, quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione : et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes : et regnabimus super terram.

Lectio iii. [*Apoc. v.* 11.]

Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium et seniorum : et erat numerus eorum milia milium, voce magna dicentium, Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam : et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam quæ in cælo est et quæ super terram et subtus terram et in mari et quæ in eo sunt : omnes audivi dicentes, Sedenti in throno et Agno, Benedictio et honor et gloria et potestas in secula seculorum. Et quatuor animalia dicebant amen. Et vigintiquatuor seniores ceciderunt in facies suas : et adoraverunt viventem in secula seculorum. Tu autem.

Si vero aliquod Festum vel Commemoratio in aliqua prædictarum feriarum contigerit, unde fieri debeat servitium, deinceps non ordo servetur feriarum sed Psalterii.

[DOMINICA TERTIA POST PASCHA.]

1. A. DOMINICA TERTIA POST PASCHA de servitio dominicali. Ad i. vesperas fiat processio; ad matutinas et ad ii. vesperas fiat memoria de Resurrectione.

Feria ii. et vi. de Feria cum R. de ii. et iv. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

2. A. Dominica iii. post Pascha de S. Georgio. Ad i. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et processio; ad matutinas et ad ii. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.

Feria ii. de Feria et cum R. de iv. Feria et cum missa dominicali.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de Sancto [Vitale], Cap. *Beatus vir qui in sapientia* [p. 372.].

3. A. Dominica iii. post Pascha de Dominica. Secundæ vesperæ erunt de Apostolis [Philippo et Jacobo], et solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.

Feria iii., v., et vi. de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

4\. A. Dominica iii. post Pascha de S. Johanne de Beverlaco, Episcopo et Confessore, omnia de communi. Ad i. vesperas memoria de Apostolo [Johanne ante Port. Latin.], de Dominica et processio; ad matutinas et ad ii. vesperas fiat memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.
Feria vi. de Feria cum R. de ii. Feria, et cum missa dominicali. Et R. de iii. et iv. Feriis prætermittantur.

5\. A. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iii. Feria; et R. de iv. Feria prætermittantur; cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

1\. B. Dominica Tertia post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii. de Feria cum R. de iv. Feria, et cum missa dominicali.
Feria iv., v., et vi. de commemorationibus.

2\. B. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali. Ad i. vesperas, quæ erunt de Festo [S. Georgii], fiat solennis memoria de Dominica et processio. Ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Marco, fiat solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria iii. de Feria cum R. de iv. Feria et cum missa dominicali.
Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.

3\. B. Dominica iii. post Pascha de Festo Apostolorum [Philippi et Jacobi]. Ad i. vesperas solennis memoria de Dominica et processio.
Feria ii., iv., et v. de commemorationibus. Missa dominicalis dicitur in capitulo, in ii. Feria; et R. de iv. Feria prætermittantur.

4\. B. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii. de Feria cum R. de ii. Feria, cum missa dominicali.
Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus; et R. de iii. et iv. Feriis prætermittantur.

5\. B. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii. et vi. de Feria cum R. de ii. et iii. Feria cum missa dominicali in ii. Feria; et R. de iv. Feria prætermittantur.
Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

1\. C. Dominica Tertia post Pascha de servitio dominicali.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iv. de Feria cum R. de eadem Feria, cum missa dominicali.

2\. C. Dominica iii. post Pascha de S. Marco. Ad i. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et processio ad matutinas. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria ii. de Feria cum R. de iv. Feria [et] cum missa dominicali.
Feria iii., v., et vi. de commemorationibus.

3\. C. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali. Ad i. vesperas, quæ erunt de Apostolis [Philippo et Jacobo], fiat solennis memoria de Dominica et processio; ad matutinas memoria de Resurrectione; ad ii. vesperas fiat solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], de Dominica, et processio; sed nulla memoria de Resurrectione.
Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus; et R. de iv. Feria prætermittantur, et missa dominicalis dicitur in capitulo [Feria iii.].

4. C. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria iii. de S. Georgio.
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in ii. Feria, et omnia R. ferialia prætermittantur.

5. C. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii. et v. de Feria cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus; et R. de iv. Feria prætermittantur.
In v. Feria dicuntur Epistola et Evangelium de iv. Feria.

1. D. Dominica Tertia post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

2. D. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali; et memoria de Sancto [Alphego], et processio.
Feria ii. de Feria cum R. de iv. Feria et cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., iv., et vi. ['Sabbato,' 1525-6.] de commemorationibus.

3. D. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Marco, fiat solennis memoria de Dominica, et processio.
Feria ii. de Feria cum R. de iv. Feria et cum missa dominicali.
Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

4. D. Dominica iii. post Pascha de Cruce. Ad i. vesperas fiat solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], de Dominica, et processio; sed nulla fiat memoria de Resurrectione.
Feria ii. de Feria cum R. de iv. Feria et cum missa dominicali.
Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

5. D. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus; et R. de iv. Feria prætermittantur.

1. E. Dominica Tertia post Pascha de servitio dominicali.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iv. et vi. de Feria cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in iv. Feria.

2. E. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.
Feria v. de Feria cum R. de iv. Feria, cum missa dominicali.

3. E. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.
Feria iii., iv., et vi. de commemorationibus; et R. de iv. Feria prætermittantur; et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

4. E. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Cruce, fiat solennis memoria de Dominica, nulla processio nec ulla memoria de Resurrectione.

Feria ii. de Feria cum R. de iii. Feria et cum missa dominicali; et R. de iv. Feria prætermittantur.

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

5. E. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.

Feria ii. de Martyribus [Nereo Achilleo et Pancratio].

Feria iii. de S. Marco.

Feria iv. de Feria cum R. de ii. Feria cum missa dominicali; et R. de iii. et iv. Feriis prætermittantur.

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

1. F. Dominica Tertia post Pascha de servitio dominicali, et memoria de Martyribus [Tiburtio Valeriano et Maximo], et de Resurrectione.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iv. Feria cum missa dominicali in ii. Feria.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

2. F. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.

Feria ii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de Feria cum R. de iv. Feria, cum missa dominicali.

3. F. Dominica iii. post Pascha de S. Vitale; memoria de Dominica et processio; ad matutinas iii. R. cantetur ab uno solo.

Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.

Feria v. de Feria cum R. de iv. Feria, et cum missa dominicali.

4. F. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus. Missa dominicalis dicitur in capitulo in iv. Feria, et R. de iv. Feria prætermittatur.

5. F Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali; memoria de Martyribus [Nereo Achilleo et Pancratio], et processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur : ad processionem ante missam *Sedit angelus* cum V. [*p.* dccccxxix.].

Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.

Feria iii. de sancto Marco.

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus; et R. de iv. Feria prætermittantur.

1. G. Dominica Tertia post Pascha de servitio dominicali, et processio.

Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feria cum missa dominicali in ii. Feria.

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

2 G. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.

Feria iii., v., et vi. de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

3. G. Dominica iii. post Pascha de servitio dominicali.

Feria ii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. de Feria, cum R. de eadem Feria et cum missa dominicali.

4. G. Dominica iii. post Pascha de Apostolo [Johanne ante Port. Latin.] : memoria de Dominica et processio. Ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Johanne Beverlaco, fiat solennis memoria de Apostolo de Dominica et de Resurrectione.

* 'DOMINICA III. POST OCTA. PASCHE.' *Chevallon.*

Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de Feria cum R. de iii. Feria, et cum missa dominicali; et R. de iv. Feria prætermittatur.

5. G. Dominica iii. post Pascha de Dominica.

Feria ii. et iv. de Feria†, cum R. de iii. Feria et de iv., cum missa dominicali in ii. Feria.

Feria iii., v., et vi. de commemorationibus.

DOMINICA TERTIA.

Ad Primas Vesperas *omnia fiant sicut in Octavis Paschæ, usque ad Antiphonam super Psal.* Magnificat, *quæ erit Ant.* Ego sum Alpha et Oo, primus et novissimus, stella matutina : ego clavis David Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui errantibus, ut in viam possint redire justiciæ, veritatis tuæ lumen ostendis : da cunctis qui Christiana professione censentur et illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, et ea quæ sunt apta sectari. Per Dominum nostrum.

Processio fiat ut supra. In revertendo, ut supra in Secunda Dominica post Pascha, videlicet de sancta Maria, dicitur una de supranotatis Antiphonis per ordinem.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, et Versus, ut supra in proxima Dominica præcedenti.

Secundum Johannem, xvi. cap. [16—22.]

In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis; Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me : quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. (5. II. *libri.*)‡

Læta Domini ac Salvatoris nostri promissa, fratres charissimi, læto cordis auditu percipere debemus, sedulaque intentione persistere, quatenus ad hæc contingere mereamur. Quid est enim quod merito lætius audiatur, quam pervenire posse ad gaudium quod nunquam possit auferri? Notandum autem quod tota lectionis hujus evangelicæ series illis convenit, qui eam præsentes audierunt a Domino. Pars autem illius etiam nobis, qui post passionem et resurrectionem Dominicam ad fidem venimus, aptissime congruit. Quod ergo ait, Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me quia vado ad Patrem : ad eos specialiter pertinet qui ejus discipulatui prædicantis in carne adhærere, et post tristiciam passionis visa resurrectione et ascensione ejus lætificari meruerunt.

Responsoria sicut in Dominica præcedenti.

Lectio ii. Nam quia hæc illa qua tradebatur nocte locutus est : modicum erat, id est ejusdem noctis et diei sequentis tempus usque ad horam qua illum non videre in-

* 'POST OCTA. PASCHE.' *Chevallon.*

† 'de fest.' *Chevallon.*

‡ *Bedæ* Homiliæ Æstivales de Tempore, *Opera* VII. 16.

ciperent. Tentus enim nocte illa a Judeis et in crastino crucifixus, cum sero factum esset depositus est de cruce, et intra septa sepulchri ab humanis seclusus obtutibus. Et iterum modicum erat usque dum illum viderent. Resurrexit enim tertia die : et apparuit eis in multis argumentis per dies quadraginta. Quare autem modicum esset et non viderent eum, et iterum modicum et viderent eum, annectit causam dicens : quia vado ad Patrem. Acsi aperte dicat, Ideo post modicum a vestris aspectibus in monumenti claustris abscondor, et iterum post modicum a destructo mortis imperio vobis videndus appareo : quia tempus est ut expleta dispensatione assumptæ mortalitatis cum resurrectionis triumpho jam revertar ad Patrem.

Lectio iii. Potest et aliter intelligi quod ait, Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me. Modicum quippe tempus erat futurum quo eum non viderent : illud scilicet triduum quo erat quieturus in monumento. Et iterum modicum erat futurum quo viderent eum : illi videlicet quadraginta dies in quibus eis post passionem suam sæpius usque ad tempus ascensionis apparuit. Quod autem subjunxit, quia vado ad Patrem : juxta hunc sensum ad illud specialiter respicit quod præmisit, et iterum modicum et videbitis me. Acsi aperte diceret, Propterea me resuscitatum a mortuis modico tempore videbitis : quia non semper in terra corporaliter mansurus, sed per humanitatem quam assumpsi jam sum ascensurus in cælum.

Ad Laudes.

Capitulum. (1 *Petri ii.* 11.)

Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam.

Hymnus. Sermone blando.

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

Ant. Modicum et non videbitis me, dicit Dominus : iterum modicum et videbitis me quia vado ad Patrem, Alleluya, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui errantibus.

Ad Tertiam.

Capitulum. Obsecro vos.

Ad Sextam.

Capitulum. (1 *Petri ii.* 13.)

Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum : sive regi quasi præcellenti : sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.

Ad Nonam.

Capitulum. (1 *Pet. ii.* 15.)

Voluntas Dei est ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

Ad secundas Vesperas.

Ant. Alleluya *quater.*

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191), *ut supra in Octavis Paschæ.*

Capitulum. Obsecro vos.

Hymnus. Ad cenam Agni.

V. Mane nobiscum, Domine.

Ant. Quid est hoc quod dicit modicum Alleluya : nescimus quid loquitur Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui errantibus.

Hæ sequentes Antiphonæ dicuntur per ebdomadam super Ps. Benedictus, *et* Magnificat, *cum repetitione earundem si necesse fuerit, cum de feria agitur.*

Ant. Amen Amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos, mundus

autem gaudebit, vos autem contristabimini : sed tristicia vestra vertetur in gaudium, Alleluya.

Ant. Tristicia implevit cor vestrum : et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, Alleluya, Alleluya.

Ant. Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum : et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, Alleluya.

Feria Secunda.

Lectio i. (*Apoca. vi.* 1.)

Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis : et audivi unum de quatuor animalibus dicens tanquam vocem tonitrui, Veni et vide. Et vidi. Et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum : et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret. Et cum aperuisset sigillum secundum : audivi secundum animal dicens, Veni et vide. Et exivit alius equus rufus; et qui sedebat super eum datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant : et datus est ei gladius magnus.

Lectio ii. [*Apoc. vi.* 5.]

Et cum aperuisset sigillum tertium : audivi tertium animal dicens, Veni et vide. Et ecce equus niger : et qui sedebat super eum habebat stateram in manu ejus*. Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentem, Bilibris tritici denario uno, et tres bilibres ordei denario uno : et vinum et oleum ne læseris. Et cum aperuisset sigillum quartum : audivi vocem quarti animalis dicentis, Veni et vide. Et ecce equus pallidus : et qui sedebat super eum nomen illius mors, et infernus sequebatur eum. Et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio et fame et morte : et bestiis terræ. Tu autem.

Lectio iii. [*Apoc. vi.* 9.]

Et cum aperuisset sigillum quintum : vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant : et clamabant voce magna dicentes, Usquequo, Domine, sanctus et verus, non judicas et non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Et datæ sunt eis singulis stolæ albæ : et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum : donec impleatur numerus conservorum eorum et fratrum eorum qui interficiendi sunt sicut illi.

Feria Tertia.

Lectio i. (*Apoc. vi.* 12.)

Et vidi cum aperuisset sigillum sextum : et ecce terræmotus factus est magnus. Et sol factus est niger sicut saccus cilicinus, et luna facta est sicut sanguis : et stellæ cæli ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur. Et cælum recessit sicut liber involutus : et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt. Et omnes reges terræ et principes et tribuni et divites et fortes, et omnis servus et liber absconderunt se in speluncis et petris montium : et dicunt montibus et petris, Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni : quoniam venit dies magnus iræ ipsorum. Et quis poterit stare? Tu autem.

Lectio ii. (*Apoc. vii.* 1.)

Post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei

* 'eis' *Chevallon.*

vivi : et clamavit voce magna quatuor angelis quibus datum est nocere terræ et mari, dicens, Nolite nocere terræ et mari neque arboribus : quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

Lectio iii. [*Apoc. vii.* 4.]

Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor milia signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Juda : duodecim milia signati. Ex tribu Ruben : duodecim milia signati. Ex tribu Gad : duodecim milia signati. Ex tribu Aser : duodecim milia signati. Ex tribu Neptalim : duodecim milia signati. Ex tribu Manasse : duodecim milia signati. Ex tribu Symeon : duodecim milia signati. Ex tribu Levi : duodecim milia signati. Ex tribu Ysachar : duodecim milia signati. Ex tribu Zabulon : duodecim milia signati. Ex tribu Joseph : duodecim milia signati. Ex tribu Benjamin : duodecim milia signati.

Feria Sexta.

Lectio i. (*Apoc. vii.* 9.)

Post hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, stantes ante thronum et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum, et clamabant voce magna dicentes, Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni et seniorum et quatuor animalium : et ceciderunt in conspectu throni in facies suas et adoraverunt Deum dicentes, Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro : in secula seculorum Amen. Tu.

Lectio ii. [*Apoc. vii.* 13.]

Et respondit unus de senioribus dicens michi, Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt? Et dixi illi, Domine mi tu scis. Et dixit mihi*, Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei : et serviunt ei die ac nocte in templo ejus : et qui sedet in throno habitat super illos. Non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol neque ullus æstus : quoniam Agnus qui in medio throni est reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Et absterget Dominus omnem lachrymam ab oculis eorum. Tu autem.

Lectio iii. (*Apoca. viii.* 1.)

Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo quasi media hora. Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei : et datæ sunt illis septem tubæ. Et alius angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum : et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum : de manu angeli coram Deo. Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris et misit in terram : et facta sunt tonitrua et voces et fulgura et terræmotus magnus. Et septem angeli qui habebant septem tubas præparaverunt se ut tuba canerent. Tu autem, Domine.

* 'mihi' *Chevallon.*, *non* michi *in hoc loco.*

[DOMINICA QUARTA POST PASCHA.]

1. A. Dominica Quarta post Pascha de S. Georgio, inferius duplex. Ad i. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et processio; et fiat memoria de Dominica et de Resurrectione ad matutinas et ad ii. vesperas.
Feria ii. de Feria, cum R. de eadem Feria et cum missa dominicali.
Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

2. A. Dominica iv. post Pascha de Dominica. Secundæ vesperæ erunt de Apostolis [Philippo et Jacobo]: et solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria iii., v., et vi. de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria, et R. de iii. et iv. Feriis prætermittantur.

3. A. Dominica iv. post Pascha de S. Johanne Beverlaco Episcopo et Confessore, omnia de communi. Ad i. vesperas fiat memoria de Apostolo [Johanne ante Port. Latin.], de Dominica et processio: ad matutinas fiat memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria ii. de Feria cum R. de eadem Feria, cum missa dominicali.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

4. A. Dominica iv. post Pascha de Dominica, et processio.
Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de ii. et iii. Feriis, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

5. A. Dominica iv. post Pascha de Dominica.
Feria ii. de Feria cum missa dominicali.
Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus.
Feria vi. de S. Augustino. Ad i. vesperas fiat memoria de S. Aldelmo cum Ant. *Lux perpetua* major. [p. 358.].

1. B. Dominica Quarta post Pascha de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Georgio, fiat solennis memoria de Dominica et processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Ad processionem ante missam *Sedit angelus* cum V. Ista Dominica carebit utrisque vesperis. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria iv., vi., ['iii., iv.,' 1525—6.] et Sabbato de commemorationibus.
Feria iii. ['vi.' 1525—6.] de Feria cum R. de ii. Feria, cum missa dominicali.

2 B. Dominica iv. post Pascha de Apostolis [Philippo et Jacobo], et solennis memoria de Dominica et processio. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria ii., iv., et v. de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in ii. Feria.

3. Γ. Dominica iv. post Pascha de Dominica: ad i. vesperas memoria de S. Johanne [Beverlaco], et processio.
Feria ii. de Feria cum R. de eadem Feria, cum missa dominicali.
Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.

4. B. Dominica iv. post Pascha de Dominica.
Feria ii. et vi. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

5. B. Dominica iv. post Pascha de Dominica.
Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.
Feria vi. de Feria, cum R. de ii. Feria et cum missa dominicali.

1. C. Dominica Quarta post Pascha de S. Marco. Ad i. vesperas fiat solennis memoria de Dominica et processio ad matutinas et ad ii. vesperas solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.
Feria ii. de Feria, cum R. de ii. Feria et cum missa dominicali.
Feria iii., v., et vi. de commemorationibus.

2. C. Dominica iv. post Pascha de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de Apostolis [Philippo et Jacobo], fiat solennis memoria de Dominica et processio. Ad matutinas memoria de Resurrectione. Ad ii. vesperas solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], de Dominica, et processio: nulla fiat memoria de Resurrectione.
Feria iii. iv. et Sabbato de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

3. C. Dominica iv. post Pascha de servitio dominicali.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.
Feria vi. de Feria cum R. de ii. Feria, cum missa dominicali.

4. C. Dominica iv. post Pascha de Dominica.
Feria ii. et v. ['iv.' 1525-6.] de Feria, cum R. de ii. et iii. Feriis, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

5. C. Dominica iv. post Pascha de Dominica.
Feria ii., v., et Sabbato de commemorationibus; cum missa dominicali in capitulo in ii. Feria.

1. D. Dominica Quarta post Pascha de Dominica, memoria de Sancto [Alphego] et de Resurrectione.
Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus.
Feria vi. de Feria cum R. de ii. Feria, cum missa dominicali.

2. D. Dominica iv. post Pascha de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Marco, fiat solennis memoria de Dominica et processio. In laudibus omnes antiphonæ.
Feria ii. de Feria cum R. de ii. Feria et cum missa dominicali.
Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

3. D. Dominica iv. post Pascha de Cruce, et solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], de Dominica et processio: nulla fiat memoria de Resurrectione.
Feria ii. de Feria cum R. de ii. Feria, et cum missa dominicali.
Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

4. D. Dominica iv. post Pascha de Dominica, memoria de Martyribus [Gordiano et Epimacho] et processio.
Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iii. Feria, cum missa dominicali in ii. Feria.

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

5. D. Dominica iv. post Pascha de Dominica, et processio.
Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria v., vi.*, et Sabbato de commemorationibus.

1. E. Dominica Quarta post Pascha de Dominica. Ad i. vesperas fiat processio.
Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus. Feria v. de Feria cum R. de ii. Feria cum missa dominicali.

2. E. Dominica iv. post Pascha de Dominica. Ad i. vesperas fiat processio.
Feria iii., iv., et vi. de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

3. E. Dominica iv. post Pascha de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de Cruce, fiat solennis memoria de Dominica, sed nulla processio.
Feria ii. de Feria cum R. de eadem Feria et cum missa dominicali.
Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

4. E. Dominica iv. post Pascha de Dominica. Ad i. vesperas fiat processio.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iv. et vi. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis, cum missa dominicali in iv. Feria.

5. E. Dominica iv. post Pascha de Dominica. Secundæ vesperæ erunt de S. Dunstano; et memoria de S. Potentiana, de Dominica, et de Resurrectione.
Feria iv. et vi. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis, cum missa dominicali in iv. Feria.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

1. F. Dominica Quarta post Pascha de Dominica, et processio.
Feria ii., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iv. de Feria cum R. de ii. Feria cum missa dominicali.

2. F. Dominica iv. post Pascha de S. Vitale, memoria de Dominica, et processio. 3. R. ab uno solo cantetur.
Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.
Feria v. de Feria, cum R. de ii. Feria, cum missa dominicali.

3. F. Dominica iv. post Pascha de Dominica, et processio.
Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus, et missa dominicalis dicitur in capitulo in vi. Feria.

4. F. Dominica iv. post Pascha de Dominica, et memoria de Martyribus [Nereo Achilleo et Pancratio] et processio.
Feria ii., iv., et vi. de Feria, cum R. de ii., iii., et iv. Feriis, et cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

5. F. Dominica iv. post Pascha de S. Dunstano, memoria de S. Potentiana, de Dominica, et processio. 3. R. ab uno solo cantetur.
Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis, cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., v., et vi. de commemorationibus.

* 'Fe. 5. 9.' *Chevallon.*

1. G. Dominica Quarta post Pascha de Dominica. Ad i. vesperas processio. Ad matutinas memoria de Resurrectione. Secundæ vesperæ erunt de S. Georgio, et solennis memoria de Dominica et Resurrectione.

Feria iii., v., et vi. de commemoratione, et missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

2. G. Dominica iv. post Pascha de Dominica et processio.
Feria ii., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iv. de Feria cum R. de ii. Feria et cum missa dominicali.

3. G. Dominica iv. post Pascha de S. Johanne Apostolo, et memoria de Dominica, et processio.
Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.
Feria iv. de Feria cum R. de ii. Feria et cum missa dominicali.

4. G. Dominica iv. post Pascha de Dominica, et processio.
Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis, et cum missa dominicali in ii. Feria.
Feria iii., v., et vi. de commemorationibus.

5. G. Dominica iv. post Pascha de Dominica, et processio.
Feria ii. de Feria cum R. de eadem Feria, et cum missa dominicali.
Feria iii., iv., et v. de commemorationibus†.

DOMINICA QUARTA.

Ad primas Vesperas *omnia fiant sicut in Octavis Paschæ, usque ad Antiphonam super Psalmum* Magnificat, *quæ erit Ant.* Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, justæ et veræ viæ tuæ, rex seculorum : quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum : quia tu solus pius quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo quoniam judicia tua justa sunt Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis : da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis : ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint‡ corda, ubi vera sunt gaudia. Per Dominum nostrum.

Processio fiat ut supra. In redeundo, de sancta Maria dicatur una de supranotatis Antiphonis per ordinem.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, et Versus, ut supra in Dominica Secunda post Pascha.

Secundum Johannem, xvi. [5—15.]

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Vado ad eum qui me misit : et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis. Et reliqua.

* 'DN̄ICA IIII. POST OCTA. PASCHE.' *Chevallon.*
† 'commemoratione.' *Chevallon.*
‡ 'sunt' *Chevallon.*, in exemplari Bibl. Coll. Exon. per rasuram emendatum.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. (vi. *Secundi libri.*)*

Sicut ex lectione evangelica audivimus, fratres charissimi, Dominus ac Redemptor noster, imminente suæ passionis articulo, discipulis et gloriam ascensionis, qua ipse post mortem et resurrectionem erat glorificandus, et adventum Spiritussancti quo illi erant illustrandi patefecit. Quatinus instante hora passionis ejusdem minus pro illius morte dolerent, quem post mortem sublimandum ad cælum non dubitarent : minus de sua desolatione trepidarent, qui, abeunte licet Domino, Spiritussancti gratia consolandos se esse sperarent.

R. 1. Si oblitus fuero tui, Alleluya, obliviscatur me dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis si non meminero tui, Alleluya, Alleluya.

V. Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus : dum recordaremur tui, Syon.

Adhæreat.

Lectio ii. Vado (inquit) ad eum qui me misit : et nemo ex vobis interrogat me quo vadis. Acsi aperte dicat, Revertor ascendendo ad eum qui me incarnari constituit. Et tanta tamque manifesta erit ejusdem ascensionis claritas, ut nemini vestrum opus sit interrogare quo vadam, videntibus cunctis quia ad cælos pergam. Bene autem cum de ascensione sua dixisset, Vado ad eum qui me misit, addidit, Et nemo ex vobis interrogat me quo vadis. Superius namque cum de sua passione protestaretur dicens, Quo ego vado vos non potestis venire : interrogavit eum Petrus et ait, Domine, quo vadis? Responsumque est ei, Quo ego vado non potes me modo sequi : sequeris autem postea. Quia nimirum passionis mortisque mysterium necdum intelligere, necdum poterant imitari : majestatem vero ascensionis statim ut videre cognoverunt, totisque animi votis ut sequi mererentur optabant. Tu.

R. 2. Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ et timuerunt. Multitudo sonitus aquarum vocem dederunt nubes, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

V. Illuxerunt choruscationes tuæ orbi terræ, commota est et contremuit terra.

Multitudo.

Lectio iii. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristicia implevit cor vestrum. Sciebat Dominus ipse quid hæc sua verba in discipulorum cordibus agerent : quia videlicet tristiciam magis de abscessu suo quo eos desereret, quam de ascensu suo quo Patrem peteret læticiam generarent. Unde benigne consolando subjungit, Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam. Expedit ut forma servi vestris subtrahatur aspectibus : quatinus amor divinitatis artius vestris infigatur mentibus. Expedit ut notam vobis formam cælo inferam, quatinus majore per hoc desiderio illuc suspiretis : sicque suspensis ad cælestia cordibus vestris ad accipienda Sancti Spiritus dona capaces fiatis.

R. 3. Dum transisset, *ut supra in die Paschœ* [p. dccccxiv.].

Ad Laudes.

Capitulum. (*Jacobi i.* 17.)

Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

Hymnus. Sermone blando angelus (*p.* dccclxii.).

* *Bedæ* Homiliæ Æstivales de Tempore, *Opera* vii. 18.

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

Ant. Vado ad eum qui misit me : sed quia hæc locutus sum vobis : tristicia implevit cor vestrum, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui fidelium.

Ad Primam *dicatur per omnia ut in Dominica Octavarum Paschæ.*

Ad Tertiam.

Capitulum. Omne datum optimum.

Ad Sextam.

Capitulum. (*Jacobi i.* 19.)

Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram.

Ad Nonam.

Capitulum. (*Jacobi i.* 21.)

Abjicientes omnem immunditiam et abundantiam maliciæ : in mansuetudine suscipite insitum verbum : quod potest salvare animas vestras.

Ad secundas Vesperas.

Ant. Alleluya *quater.*

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191) *et ceteri Psalmi Dominicales.*

Capitulum. Omne datum optimum.

Hymnus. Ad cenam Agni providi (p. dccclxv.).

V. Mane nobiscum, Domine.

Ant. Ego veritatem dico, expedit vobis ut ego vadam : nisi ego abiero, Paraclytus non veniet, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus qui fidelium.

Hæ sequentes Antiphonæ dicantur per ebdomadam super Psalmos Benedictus *et* Magnificat, *cum repetitione earundem si necesse fuerit, quando de feria agitur.*

Ant. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo . cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, Alleluya.

Ant. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem : et quæ ventura sunt annunciabit vobis, Alleluya.

Ant. Ille me clarificabit quia de meo accipiet et annunciabit vobis, Alleluya.

Feria ii. ebdomadæ quartæ.

Incipiantur Epistolæ canonicales, si a Festo vacaverit, sinautem tunc in proxima feria : et legantur per totam ebdomadam in feriis, quando de feria agitur.

V. Resurrexit Dominus.

Lectio i. (*Jacobi i.* 1.)

Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi servus : duodecim tribubus quæ sunt in dispersione salutem. Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet : ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia : postulet a Deo qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide : nichil hæsitans. Qui autem hæsitat : similis est fluctui maris qui a vento movetur et circunfertur. Non ergo æstimet homo ille : quod accipiat aliquid a Domino. Vir duplex animo : inconstans est in omnibus viis suis. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua : quoniam sicut flos feni transibit. Exortus est enim sol cum ardore et arefecit fenum : et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit. Ita et dives in itineribus suis marcescet. Tu autem, Domine.

R. 1. Narrabo nomen tuum fratribus meis, Alleluya : in medio ecclesiæ Laudabo te, Alleluya, Alleluya.

V. Confitebor tibi in ecclesia magna : in populo gravi.

Laudabo te.

Lectio ii. [*Jacobi i.* 12.]

Beatus vir qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est. Ipse enim neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua : abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit : parit peccatum. Peccatum cum consummatum fuerit : generat mortem. Tu autem.

R. 2. In toto corde meo, Alleluya, exquisivi te Alleluya. Ne repellas me a mandatis tuis, Alleluya, Alleluya.

V. In corde meo abscondi eloquia tua : ut non peccem tibi.

Ne repellas.

Lectio iii. [*Jacobi i.* 16.]

Nolite itaque errare, fratres dilectissimi. Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est descendens a Patre luminum : apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis : ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Scitis† fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri : justiciam Dei non operatur. Tu.

R. 3. In ecclesiis benedicite Deo, Alleluya. Domino de fontibus Israel, Alleluya, Alleluya.

V. Cantate Domino canticum novum : cantate Domino omnis terra.

Domino. Gloria Patri. Alleluya.

FERIA TERTIA.

Versus. Surrexit Dominus vere.

Lectio i. (*Jacobi i.* 21.)

Propter quod abjicientes omnem immundiciam et abundantiam maliciæ : in mansuetudine suscipite insitum verbum quod potest salvare animas vestras. Estote autem factores verbi et non auditores tantum : fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi et non factor : hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se et abiit : et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis : hic beatus in facto suo erit.

R. 1. Hymnum cantate nobis, Alleluya. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena, Alleluya, Alleluya.

V. Illic interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos : verba cantionum.

Quomodo.

Lectio ii. [*Jacobi i.* 26.]

Si quis autem putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum : hujus vana est religio. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est : visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc seculo.

R. 2. Deus, canticum novum can-

* 'abumbratio' *Chevallonius in libris quibusdam, scilicet apud* Coll. D. Johannis Cantab. *et* Coll. Exoniense Oxon. *Exemplar tamen in* Bibliotheca Academica Cantabrigiensi *conseruatum textum hic* (*sicut et ad p.* dccclxxxvii. 4. E.), *ex opera fortasse ipsius typographi, habet emendatiorem.*

† 'Sitis' *Chevallon.*

tabo tibi, Alleluya. In psalterio decem chordarum psallam tibi, Alleluya, Alleluya.

V. Qui das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum : de gladio maligno eripe me.

In psalterio.

Lectio iii. (*Jacobi ii.* 1.)

Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida : introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei, Tu sede hic bene, pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum? Audite, fratres mei dilectissimi. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites autem in fide, et heredes regni quod repromisit diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos : et ipsi trahunt vos ad judicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos? Tu autem, Domine.

R. 3. Alleluya, audivimus eam in Effrata : invenimus eam in campis silvæ. Introibimus in tabernaculum ejus : adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. Alleluya, Alleluya.

V. Surge, Domine, in requiem tuam : tu et archa sanctificationis tuæ.

Introibimus. Gloria. Alleluya.

Feria Quarta.

V. Resurrexit Dominus.

Lectio i. (*Jacobi ii.* 8.)

Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas, diliges proximum tuum sicut teipsum : bene facitis. Si autem personas accipitis : peccatum operamini redarguti a lege tanquam transgressores. Qui autem totam legem servaverit, offendat autem in uno : factus est omnium reus. Qui enim dixit, non mœchaberis : dixit et non occides. Quod si non mœchaberis, occidas autem : factus es transgressor legis. Sic loquimini et sic facite : sicut per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim sine misericordia : illi qui non facit misericordiam. Superexaltat autem misericordia judicium.

R. 1. Deduc me in semitam * mandatorum tuorum, Alleluya : quoniam ipsam volui †, Alleluya. Inclina cor meum in testimonia tua, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

V. Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.

Inclina cor meum in.

Lectio ii. [*Jacobi ii.* 14.]

Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid fides poterit salvare eum? Si autem frater aut soror nudi sint et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis de vobis illis, Ite in pace, calefacimini, et saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides si non habeat opera : mortua est in semetipsa.

R. 2. Cantate Deo, Alleluya. Psalmum dicite ei, Alleluya.

V. Date gloriam laudi ejus.

Psalmum dicite.

Lectio iii. [*Jacobi ii.* 18.]

Sed dicet quis, Tu fidem habes : et ego opera habeo. Ostende michi fidem tuam sine operibus : et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est Deus : benefacis. Et dæmones credunt : et contremiscunt. Vis autem scire, O homo inanis, quia fides sine operibus ociosa est? Abraham pater

* 'in semita' *Chevallon.*

† 'voluit' *Chevallon.*

noster nonne ex operibus justificatus est, offerens filium suum Ysaac super altare? Vides ergo quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est, et suppleta est Scriptura dicens, Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justiciam : et amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus homo justificatur : et non ex fide tantum. Similiter autem et Raab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuncios et per aliam viam eos ejiciens? Sicut enim corpus sine spiritu emortuum est : ita et fides sine operibus mortua est.

R. 3. Bonum est confiteri Domino, Alleluya. Et psallere, Alleluya.

V. Ad annunciandum mane misericordiam tuam : et veritatem tuam per noctem.

Et psallere. Gloria. Alleluya.

Feria quinta et sexta *dicantur Versus et Responsoria per ordinem Versiculorum et Responsoriorum.*

Si aliquod Festum in aliqua prædictarum feriarum contigerit, unde debeat fieri servitium : deinceps non servetur ordo feriarum in Versiculis et Responsoriis cantandis in feriis sequentibus, sed servetur ordo Versiculorum et Responsoriorum. Ita videlicet quod si in hac ebdomada quattuor vel quinque feriæ non vacaverint, Responsorium Dicant nunc *in ebdomadam sequentem differatur.*

[DOMINICA QUINTA POST PASCHA.]

1. A. Dominica Quinta post Pascha, de Dominica, et processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Apostolis [Philippo et Jacobo], fiat solennis memoria de Dominica et de Resurrectione.

Feria ii. ad matutinas fiat solennis memoria de Jejunio primò, deinde de Resurrectione, et missa de Jejunio in processione dicitur. Ad ii. vesperas solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam*; et de Resurrectione.

Feria iii. de S. Maria, et memoria de Resurrectione. Missa dominicalis dicitur in processione ubi fiat statio.

Feria iv. de Cruce. Ad i. vesperas solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], et processio, sed nulla memoria de Resurrectione. Ad matutinas fiat solennis memoria de Martyribus [Alexandro &c.] cum Ant. *Lux perpetua* minor., et deinde solennis memoria de Jejunio. Missa de Vigilia dicitur in processione. Ad i. vesperas de Ascensione fiat solennis memoria de Cruce.

2. A. Dominica v. post Pascha, de Dominica; et Festum S. Johannis differatur in crastinum. Ad i. vesperas in Dominica fiat memoria de Apostolo [Johanne ante Port. Latin.] et processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. de S. Johanne Episcopo et Confessore; omnia de communi. Ad matutinas fiat solennis memoria de Jejunio et de Resurrectione. Et missa de Jejunio dicitur in processione.

Feria iii. de S. Maria.

Feria iv. de Feria cum R. de ii. Feria : et R. de iii. et iv. Feriis prætermittantur : nulla fiat memoria de Martyribus [Gordiano et Epimacho] nisi ad vesperas, et ad matutinas de S. Maria. Missa dominicalis dicitur in processione.

3. A. Dominica v. post Pascha, de Dominica: processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de iii. et iv. Feriis. R. *Dicant nunc* in eodem anno prætermittatur. Ad ii. vesperas de Ascensione fiat memoria de S. Dunstano et de Virgine [Potentiana] sub silentio.

4. A. Dominica v. post Pascha, de servitio dominicali. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. In processione ante missam *Sedit angelus* cum versiculo.

Feria ii. de Feria cum R. de iv. Feria.

Feria iii. de S. Maria; et in iv. Feria dicantur R. de ii. Feria cum R. *Dicant nunc.*

Feria v. de Ascensione, et nichil de S. Vrbano. Festum S. Aldelmi differatur usque in Sabbatum. Ad ii. vesperas de Ascensione fiat solennis memoria de S. Augustino, cum pleno servitio in crastino. Ad ii. vesperas S. Augustini fiat memoria de S. Aldelmo et de Octava.

5. A. Dominica v. post Pascha, de Dominica, et memoria de Sancto [Germano], et processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria iii. de S. Maria.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de iii. et iv. Feriis et R. *Dicant nunc* prætermittitur. In ii. Feria dicitur missa de Jejunio in processione, et nichil de S. Petronilla, nisi ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

1. B. Dominica Quinta post Pascha, de Apostolis [Philippo et Jacobo]*: solennis memoria de Dominica, et processio.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de iii. et iv. Feriis. Ad ii. vesperas Ascensionis fiat memoria sub silentio de S. Johanne Apostolo, cum pleno servitio in crastino.

Sabbato de S. Johanne Beverlaco Episcopo et Confessore, omnia de communi. Ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Johanne, memoria de Ascensione, et nichil de Dominica, neque processio.

2. B. Dominica v. post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis, et R. de iv. Feria prætermittantur. Missa de Jejunio dicitur in processione.

Feria iii. de S. Maria.

3. B. Dominica v. post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de iii. et iv. Feriis, et R. *Dicant nunc* prætermittitur.

Feria v. de Ascensione et nichil de S. Potentiana: et Festum S. Dunstani differatur in crastinum. Ad ii. vesperas de Ascensione fiat memoria sub silentio de S. Dunstano.

4. B. Dominica v. post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. de Feria cum R. de iv. Feria, et R. *Dicant nunc* prætermittitur.

Feria iii. de S. Maria.

Feria iv. de S. Aldelmo. Ad i. vesperas fiat memoria de S. Vrbano et de Resurrectione. Ad matutinas fiat memoria de Sancto et de Jejunio tantum. Ad vesperas Ascensionis fiat memoria sub silentio de S. Aldelmo.

* 'de apostolo.' *Chevallon.*

Feria v. de Ascensione. Ad ii. vesperas solennis memoria de S. Augustino cum pleno servitio in crastino et solennis memoria de Octava Ascensionis.

5. B. Dominica v. post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de iii. et iv. Feriis.

Feria iii. de S. Maria, et memoria de S. Petronilla et de Resurrectione.

Feria iv. nichil fiat de Sancto nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria; et R. *Dicant nunc* prætermittitur.

1. C. Dominica Quinta post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Ad i. vesperas, quæ erunt de Apostolis [Philippo et Jacobo], fiat solennis memoria de Dominica, et processio. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Cruce, fiat solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], de Dominica, et processio: nulla memoria de Resurrectione.

Feria ii. de Cruce; ad matutinas fiat solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio] et de Jejunio tantum; et missa de Jejunio dicitur in processione. Ad ii. vesperas solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria iii. de S. Maria.

Feria iv. de Feria cum R. de iii. Feria, et R. de iv. Feria prætermittantur. Missa dominicalis in processione.

Feria v. de Ascensione; et Festum S. Johannis Evangelistæ differatur usque in Sabbatum. Ad ii. vesperas de Ascensione fiat memoria de S. Johanne Beverlaco sub silentio, cum pleno servitio in crastino; omnia de communi.

2. C. Dominica v. post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Ad ii. vesperas de Dominica, nichil de Martyribus [Gordiano et Epimacho], nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria; sed memoria de Resurrectione solenniter.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis, et R. de iv. Feria prætermittantur.

Feria iii. de S. Maria.

3. C. Dominica v. post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. de Feria cum R. de iii. Feria.

Feria iii. de S. Maria, et R. de iv. Feria prætermittantur.

Feria iv. de S. Dunstano: ad matutinas memoria de S. Potentiana et de Vigilia tantum: et nulla fiat memoria de Resurrectione. Ad i. vesperas de Ascensione fiat memoria de S. Dunstano sub silentio.

4. C. Dominica v. post Pascha in laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. de Feria cum R. de iv. Feria, et missa dominicalis dicitur in processione.

Feria iii. et iv. de Sanctis [Aldelmo et Augustino]. In iv. Feria ad matutinas fiat solennis memoria de Jejunio, et non de Resurrectione, et missa de Vigilia dicitur in processione. Ad i. vesperas de Ascensione fiat solennis memoria de S. Augustino.

5. C. Dominica v. post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur: nichil fiat de S. Petronilla, neque de Martyribus [Marcellino et Petro] in iv. Feria, nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis; et R. de iv. Feria prætermittantur.

Feria iii. de S. Maria et memoria de Sancto [Nichomede] et de Resurrectione.

1. D. Dominica Quinta post Pascha, de Dominica. Ad i. vesperas de S. Marco fiat solennis memoria de Dominica, et processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de iii. et iv. Feriis.

Feria iii. de S. Vitale cum regimine chori; et memoria de Resurrectione.

Feria v. de Ascensione. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de Apostolis [Philippo et Jacobo] cum pleno servitio in crastino.

2. D. Dominica v. post Pascha, de Cruce. Ad i. vesperas solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], de Dominica, et processio: nulla fiat memoria de Resurrectione.

Feria ii. de Feria cum R. de iii. Feria; et R. iv. Feriæ prætermittantur.

Feria iii. de S. Maria.

Feria iv. de Apostolo [Johanne ante Portam Latinam]. Ad matutinas fiat memoria de Vigilia tantum.

Feria v. de Ascensione. Ad i. vesperas fiat memoria sub silentio de Apostolo. Ad ii. vesperas fiat memoria sub silentio de S. Johanne Beverlaco Episcopo et Confessore.

Feria vi. de S. Johanne Beverlaco, omnia de communi.

3. D. Dominica v. post Pascha, de Dominica, et memoria de Martyribus [Gordiano et Epimacho], et processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de iii. et iv. Feriis; et R. *Dicant nunc* prætermittatur.

Feria iii. de S. Maria et memoria de Martyribus [Nereo Achilleo et Pancratio] et de Resurrectione.

4. D. Dominica v. post Pascha, de Dominica, et processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. de Feria cum R. de iv. Feria; et in iv. Feria dicuntur R. de ii. Feria cum R. *Dicant nunc.*

5. D. Dominica v. post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. de S. Aldelmo et memoria de Sancto [Urbano], de Jejunio, et de Resurrectione. Ad missam non fiat memoria de Jejunio, sed missa de Jejunio dicatur in processione. Ad vesperas, quæ erunt de S. Augustino, fiat memoria de S. Aldelmo, cum Ant. *Lux perpetua* major., et de Resurrectione.

Feria iv. de Vigilia cum R. de iv. Feria; et R. *Dicant nunc* prætermittatur.

1. E. Dominica Quinta, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Secundæ vesperæ erunt de S. Vitale: et memoria de Dominica et de Resurrectione.

Feria ii. ad matutinas de Sancto [Vitale] fiat memoria de Jejunio et de Resurrectione: missa de Jejunio dicitur in processione in ii. Feria.

Feria iii. de S. Maria.

Feria iv. de Vigilia cum R. de iii. Feria.

2. E. Dominica v. post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Ad i. vesperas, quæ erunt de Cruce, fiat solennis memoria de Dominica; nulla memoria de Resurrectione, nec processio.

Feria ii. de Feria cum R. de ii. Feria; et R. de iii. et iv. Feriis prætermittantur.

Feria iii. et iv. de Sanctis [Johanne Apostolo ante Portam Latinam, et Johanne de Beverlaco Episcopo]. Feria iv. ad matutinas fiat memoria de Jejunio, et nulla memoria de Resurrectione, et missa de Vigilia dicitur in processione. Ad i. vesperas de Ascensione fiat memoria sub silentio de S. Johanne Episcopo.

3. E. Dominica v. post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de iii. et iv. Feriis, et nichil de Sanctis [Nereo Achilleo et Pancratio], nisi ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

Feria iii. de S. Maria.

4. E. Dominica v. post Pascha, de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur; et vesperæ erunt de S. Dunstano, et memoria de S. Potentiana: de Dominica, et de Resurrectione.

Feria ii. ad matutinas memoria de Virgine [Potentiana], de Jejunio et de Resurrectione; missa de Jejunio dicitur in processione.

Feria iii. de S. Maria.

Feria iv. de Feria cum R. de iv. Feria.

5. E. Dominica v. post Pascha, de Dominica. Ad matutinas fiat memoria de S. Vrbano: cum Ant. *Lux perpetua* minor.; et de Resurrectione. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Ad i. vesperas memoria de S. Vrbano cum Ant. *Filiæ Hierusalem;* processio; et Festum S. Aldelmi differatur usque in iii. Feriam.

Feria ii. ad matutinas de S. Augustino, fiat solennis memoria de Jejunio, deinde de Resurrectione. Missa de Jejunio dicitur in processione. Ad ii. vesperas, S. Augustini, fiat solennis memoria de S. Aldelmo et de Resurrectione.

Feria iv. de Vigilia cum R. de iv. Feria, et nichil de Sancto [Germano], nisi memoria ad vesperas et matutinas de S. Maria.

1. F. Dominica Quinta* post Pascha, de Dominica, et Festum S. Vitalis differatur in crastinum. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. de S. Vitale, memoria de Jejunio et de Resurrectione. Missa de Jejunio in processione dicitur.

Feria iii. de S. Maria, et missa dominicalis dicitur in processione.

Feria iv. de Apostolis [Philippo et Jacobo]. Ad matutinas fiat solennis memoria de Jejunio, sed non de Resurrectione. Missa de Vigilia dicitur in processione. Ad i. vesperas de Ascensione fiat solennis memoria de Apostolis.

Feria v. de Ascensione. Ad ii. vesperas de Ascensione fiat solennis memoria de Cruce, procedendo ad crucem antiphona *O Crux gloriosa.* In redeundo antiphona de S. Maria cum oratione *Concede quæsumus:* nulla memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio] ad vesperas.

* 'Do. 3.' *Chevallon.*

Feria vi de Cruce, et solennis memoria de Martyribus [Alexandro &c.] et de Octava.

2. F. Dominica v. post Pascha de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. de Apostolo [Johanne ante Portam Latinam]: et memoria de Jejunio, et missa de Jejunio dicitur in processione.

Feria iii. de S. Johanne Beverlaco, omnia de communi.

Feria iv. de Vigilia : R. de iii. Feria et R. de iv. Feria prætermittantur. Missa dominicalis dicitur in processione in iv. Feria.

3. F. Dominica v. post Pascha de Dominica, et memoria de Martyribus [Nereo Achilleo et Pancratio], et processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis ; et R. de iv. Feria prætermittantur.

Feria iii. de S. Maria.

4. F. Dominica v. post Pascha de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur, et memoria de S. Potentiana, et de Resurrectione. Secundæ vesperæ erunt de S. Dunstano, et memoria de Dominica et de Resurrectione.

Feria ii. de S. Dunstano, et memoria de Jejunio, et de Resurrectione. Missa de Jejunio dicitur in processione.

Feria iii. de S. Maria.

Feria iv. de Vigilia, cum R. de ii. Feria et cum R. *Dicant nunc.*

5. F. Dominica v. post Pascha de S. Augustino. Ad i. vesperas fiat solennis memoria de S. Aldelmo, de Dominica, et processio.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de iv. Feria; in ii. et in iv. Feriis dicuntur R. de ii. Feria cum R. *Dicant nunc.*

1. G. Dominica Quinta post Pascha de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Ad i. vesperas fiat solennis memoria de S. Vitale : et processio.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de ii. et iii. Feriis; et R. de iv. Feria prætermittantur.

Feria v. de Ascensione, et nichil de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio]. Ad ii. vesperas procedat processio ante crucem cum antiphona *O crux gloriosa.* In redeundo, de S. Maria cum oratione *Concede quæsumus.*

Feria vi. de Cruce, et memoria de Ascensione.

2. G. Dominica v. post Pascha de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur, et Festum S. Johannis differatur usque in iii. Feriam. Secundæ vesperæ erunt de S. Johanne Beverlaco et memoria de Dominica, et de Resurrectione.

Feria ii. de S. Johanne Beverlaco Episcopo : omnia de communi; et memoria de Jejunio, et de Resurrectione. Missa de Jejunio dicitur in processione. Ad vesperas de Apostolo [Johanne ante Port. Lat.] memoria de S. Johanne Episcopo cum Ant. *Filiæ Hierusalem.* V. *Gaudete.*

Feria iii. de Apostolo [Johanne]; memoria de Resurrectione.

Feria iv. de Feria, cum R. de iii. Feria; et R. de iv. Feria prætermittantur : et missa dominicalis dicitur in processione.

Feria v. de Ascensione et nichil de Martyribus [Gordiano et Epimacho].

3. G. Dominica v. post Pascha de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et iv. de Feria cum R. de iii. et iv. Feriis.

Feria iii. de S. Maria et R. *Dicant nunc* prætermittatur.

4. G. Dominica v. post Pascha de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et iv. de Feria. In ii. Feria dicuntur R. de iv. Feria, et in iv. Feria dicuntur R. de ii. Feria cum R. *Dicant nunc.*

Feria v. de Ascensione. Ad ii. vesperas fiat memoria de Sanctis [Aldelmo atque Urbano], sub silentio.

Feria iii. de S. Maria.

5. G. Dominica v. post Pascha de Dominica. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Ad i. vesperas, quæ erunt de Festo [S. Augustini Anglorum Apostoli], fiat solennis memoria de Dominica et processio.

Feria ii. et iv. de Feria, cum R. de iii. et iv. Feriis, et nichil de S. Germano nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

DOMINICA QUINTA.

Ad primas Vesperas *omnia fiant sicut in Octavis Paschæ, usque ad Antiphonam super Psalmum* Magnificat, *quæ erit Ant.* Magna et mirabilia, *ut supra in Dominica proxima præcedente super Psalmum* Magnificat.

Sequatur Oratio Deus a quo bona cuncta procedunt : largire supplicibus tuis ut cogitemus te inspirante quæ recta sunt, et te gubernante eadem faciamus. Per Dominum.

Processio fiat ut supra. In redeundo dicatur aliqua Antiphona de sancta Maria per ordinem ut supra.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, et Psalmi, et Versiculi, ut supra in Dominica Secunda post Pascha.

Lectio i. Secundum Johannem, xvi. [23—30.]

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Amen, Amen dico vobis, Si quid petieritis Patrem in nomine meo : dabit vobis. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. (vii. Secundi libri.) †

Potest infirmos movere auditores, quomodo in capite lectionis hujus evangelicæ discipulis Salvator promittat, Si quid, inquiens, petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis : cum non solum nostri similes multa quæ Patrem in Christi nomine videntur petere non accipiant, verum etiam ipse apostolus Paulus tertio Dominum rogaverit, ut a se angelus Sathanæ a quo tribulabatur abscederet, nec impetrare potuerit. Sed hujus motio quæstionis antiqua jam

* 'DO. V. POST OCTA. PAS.' *Chevallon.*

† *Bedæ* Homiliæ Æstivales de Tempore, *Opera* VII. 22.

patrum explanatione sererata* est, qui veraciter intellexerunt eos solum in nomine Salvatoris petere, qui ea quæ ad perpetuam salutem pertinent petunt. Ideoque apostolum non nomine Salvatoris petisse dicunt, ut tentatione careret, quam ob custodiam humilitatis acceperat : quia si hac caruisset, salvus esse non potuisset, ipso affirmante cum ait, Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est michi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ qui me colaphizet.

Responsoria sicut in Dominica præcedente.

Lectio ii. Quotienscunque ergo petentes non exaudimur, ideo fit quia vel contra auxilium salutis nostræ petimus, ac propterea a misericordiæ Patre beneficii gratia nobis quod inepte petimus negatur, quod eidem apostolo contigisse probatur : cui ter petenti responsum est, Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. Vel utilia quidem et quæ ad veram salutem pertinent petimus, sed ipsi male vivendo auditum a nobis justi judicis avertimus : incidentes in illud Salomonis, Qui avertit aurem suam ne audiat legem : oratio ejus erit execrabilis. Vel dum pro peccantibus quibusdam ut resipiscant oramus, et si salubriter petimus, atque ex nostro merito digni sumus auditu : ipsorum tamen perversitas ne impetremus obsistit. Tu autem, Domine.

Lectio iii. Fit etiam aliquando ut salutaria prorsus et precibus solicitis ȇt devotis quæramus actionibus, nec tamen statim quæ petimus obtineamus : sed in futurum petitionis nostræ differatur effectus. Sicut cum genibus flexis quotidie rogamus Patrem dicentes, Adveniat regnum tuum : idem tamen regnum non mox oratione finita, sed congruo tempore sumus accepturi. Quod pia provisione nostri Conditoris constat actitari : ut videlicet desideria nostræ devotionis dilatione crescant, et incremento quotidiano magis magisque provecta, tandem perfectius capiant gaudia quæ requirunt. Inter quæ notandum quia cum pro peccantibus oramus : et si eorum salvationem impetrare nequimus, nequaquam tamen fructu precis nostræ privamur. Quia et si illi non sunt digni salvari, nos tamen amoris quem illis impendimus mercede donabimur. Sicque in tali quoque petitione implebitur nobis illa Domini promissio qua ait, Si quid petieritis Patrem in nomine meo : dabit vobis. Intuendum enim quia non ait simpliciter, Dabit : sed Dabit, inquit, vobis. Quia et si non eis pro quibus petimus dabit, nobis tamen, cum pro aliorum erratibus misericorditer intervenimus, præmium nostræ benignitatis restituet.

Ante Laudes V. In resurrectione tua, Christe.

In Laudibus.

Ant. Angelus autem, *et aliæ Antiphonæ quæ sequuntur cum suis Psalmis hac die dicuntur.*

Capitulum. (*Jacobi i.* 22.)

Estote factores verbi, et non auditores tantum fallentes vosmetipsos, quia si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo.

Hymnus. Sermone blando.

V. Surrexit Dominus de sepulchro.

Ant. Usque modo non petistis quicquam : petite et accipietis, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, a quo bona cuncta procedunt.

Memoria de Resurrectione fiat, ut supra.

* 'serenata' *Chevallon.*

Ad Primam.

Ant. Angelus autem.
Ps. Deus in nomine tuo (*liii.* p. 42) *et ceteri Psalmi.*
Ant. Te jure laudant.
Ps. Quicunque.

Ad Tertiam.

Capitulum. Estote factores.

Ad Sextam.

Capitulum. (*Jacobi i.* 25.)
Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.

Ad Nonam.

Capitulum. (*Jacobi i.* 27.)
Religio munda et immaculata apud Deum Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum : et immaculatum se custodire ab hoc seculo.

Ad Secundas Vesperas.

Super Psalmos Antiphona Alleluya *quater.*
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).
Capitulum. Estote factores verbi.
Hymnus. Ad cenam Agni.
Versus. Mane nobiscum Domine.
Ant. Petite et accipietis : ut gaudium vestrum plenum sit; ipse enim Pater amat vos quia vos me amastis et credidistis, Alleluya.
Ps. Magnificat.
Oratio ut supra.
Si vero Festum simplex cum regimine chori hac die contigerit, differatur usque ad proximam feriam vacantem, ut supra dictum est in Octavis Paschæ. Si Festum sancti Aldelmi hac die contigerit, differatur usque ad tertiam feriam vacantem : et tunc nulla Commemoratio beatæ Mariæ fiet in hac ebdomada. Et quando Festum sic differtur : tunc fiet Memoria in Dominica de sancto Urbano ad primas Vesperas et ad Missam : et sic de consimilibus.

Feria II. in Rogationibus.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ et Psalmi, et Versus illius feriæ, ut supra, dicuntur.
Evangelium. Secundum Lucam, xi. [5—13.]
In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda michi tres panes : quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum. Et reliqua.
Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. (*Super Lucam, libro iii. cap.* 46.)*
Rogatus a discipulis Salvator non modo formam orationis sed instantiam frequentiamque tradidit orandi. Amicus ergo, ad quem media nocte venitur, ipse Deus intelligitur, cui in media tribulatione supplicare, et tres panes, id est intelligentiam Trinitatis, qua præsentis vitæ consolentur labores, efflagitare debemus. Amicus, qui venit de via, ipse noster est animus. Qui totiens a nobis recedit, quotiens ad appetenda terrena et temporalia foris vagatur. Tu autem Domine.
Responsoria sicut in feria secunda ebdomadæ præcedentis.
Lectio ii. Redit vero, cælestique alimonia refici desiderat, cum in se reversus superna cœperit ac spiritualia meditari. De quo pulchre qui petierat adjungit, non se habere quod ponat ante illum. Quoniam animæ post seculi tenebras Deum suspiranti nichil præter eum cogitare, ni-

* *Bedæ* Hom. Æstivales de Tempore, *Opera* VII. 26.

chil loqui, nichil libet intueri. Solum quod recognovit summæ Trinitatis gaudium contemplari, atque ad hoc plenius intuendum pervenire satagit. Et ille de intus dicat, noli michi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili : non possum surgere et dare tibi. Ostium amici divini est intelligentia sermonis : quod sibi apostolus orat aperiri ad loquendum mysteria Christi. Clausumque est tempore famis verbi, cum intelligentia non datur. Et illi, qui evangelicam sapientiam tanquam panem erogantes per orbem terræ prædicaverunt, pueri patrisfamilias jam sunt in secreta quiete cum Domino.

Lectio iii. Et tamen orando efficitur, ut accipiat desiderans intellectum ab ipso Deo, etiam si homo desit per quem sapientia prædicetur. Et ille si perseveraverit pulsans : dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego vobis dico, Petite et dabitur vobis. Quærite et invenietis. Pulsate et aperietur vobis. Comparatio est a minore. Si ergo amicus homo surgit a lecto et dat, non amicitia sed tædio compulsus : quanto magis dat Deus, qui sine tædio largissime donat quod petitur? Dominus enim et Salvator noster ad cælestis regni gaudia pervenire nos desiderans, et nos eadem gaudia a se petere docuit, et nobis petentibus se hæc daturum esse promisit.

Si autem hæc prædicta Responsoria in præcedente ebdomada dicta fuerint, et R. Hymnum cantate, *R.* Deus, canticum novum, *et R.* Alleluya, audivimus *dicta non fuerint : tunc hac die dicantur, quia non omittantur.*

Ad Laudes.

Capitulum. (*Jacobi* v. 16.)

Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua.

Hoc Capitulum dicatur ad has Matutinas tantum.

Ant. Petite et dabitur vobis : quærite et invenietis : pulsate et aperietur vobis, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra omnia adversa tua semper protectione muniamur. Per Dominum.

Hæc Oratio dicatur ad has Matutinas tantum. Ad omnes vero alias Horas Capitula et Orationes de Dominica dicuntur.

Si aliquod Festum sine regimine chori hac die vel in Vigilia Ascensionis Domini contigerit, nichil fiat de Festo. Feria secunda et quarta in Rogationibus totum fiat servitium de feria, si a Festo cum regimine chori vacaverit : et in hac ebdomada nihil fiet de Commemoratione Festi loci, nisi Festum loci fuerit de sancta Maria.

Si autem Festum cum regimine chori in hac secunda feria contigerit : totum fiet servitium de Festo, et Memoria de Jejunio ad Matutinas tantum, et Expositio Evangelii, scilicet Quis vestrum, *eo anno omnino prætermittatur : et post Sextam dicatur Missa in choro de Festo cum regimine chori. Missa vero de Jejunio, et Processio post Nonam more solito dicantur.*

Hac die erunt Vesperæ de sancta Maria, cum Pleno Servitio in crastino si a Festo cum regimine chori vacaverit, et nulla Memoria de feria, sed de aliquo Sancto trium Lectionum si habeatur, et de Resurrectione more solito.

Et si Festum cum regimine chori

in tertia feria evenerit, tunc nulla die per hanc ebdomadam fiat plenum servitium de sancta Maria.

Feria Tertia.

Ad Vesperas.

Ant. Ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis : nunc scimus quia scis omnia et non est opus tibi ut quis te interroget, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio Dominicalis.

Feria Quarta in Vigilia Ascensionis Domini.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ et Psalmi illius feriæ, ut supra.

V. Surrexit Dominus vere.

Secundum Johannem, xvii. capi. [1—11.]

In illo tempore, Sublevatis Jesus oculis in cælum, dixit; Pater, venit hora : clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Et reliqua.

Sermo ex commentario beati Augustini episcopi.

(*Super Johannem, Tract. cv.*)*

Clarificatum a Patre Filium secundum formam servi, quem Pater suscitavit a mortuis et ad suam dexteram collocavit, res ipsa indicat, et nullus ambigit Christianus. Sed quoniam non tantum dixit, Pater, clarifica Filium tuum, sed addidit etiam, ut Filius tuus clarificet te : merito quæritur quomodo Patrem clarificaverit Filius, cum sempiterna claritas Patris nec diminuta fuerit in forma humana, nec augeri potuerit in sua perfectione divina, sed in seipsa claritas Patris nec augeri nec minui potest. Apud homines autem proculdubio minor erat : quando in Judea tantummodo Deus notus erat, necdum a solis ortu usque ad occasum laudabant pueri nomen Domini. Tu.

R. Hymnum cantate.

Lectio ii. Hoc autem quia per evangelium Christi factum est, ut per Filium Pater innotesceret gentibus : profecto Patrem clarificavit et Filius. Si autem tantummodo mortuus fuisset Filius nec resurrexisset, proculdubio nec a Patre clarificatus esset, nec Patrem clarificasset. Nunc autem resurrectione clarificatus a Patre resurrectionis suæ prædicatione clarificat Patrem. Hoc quippe aperit ordo ipse verborum. Clarifica, inquit, Filium tuum: ut Filius tuus clarificet te. Tanquam diceret, Resuscita me, ut innotescas toti orbi per me. Deinde magis magisque pandens quomodo clarificet Patrem Filius: Sicut dedisti ei, inquit, potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei det eis vitam æternam. Omnem carnem dixit omnem hominem, a parte totum significans, quemadmodum rursus a parte superiori significatur homo totus; ubi ait Apostolus, Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit. Quid enim dixit omnis anima, nisi omnis homo? Hoc autem quod potestas Christo a Patre data est omnis carnis, secundum hominem intelligendum est. Tu autem, Domine.

R. Deus, canticum.

Lectio iii. Sicut ergo dedisti ei potestatem, inquit, omnis carnis, ita te clarificet Filius, id est notum te faciat omni carni quam dedisti ei. Sic enim dedisti: ut omne quod dedisti ei det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna (inquit) ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Ordo verborum est: ut te et quem misisti Jesum Christum cognoscant solum verum Deum. Consequenter autem et Spiritus Sanctus intelligitur: quia Spiritus est Patris et Filii,

* *Augustini* super Johannem Tract. cv., *Opera* III. 2376.

tanquam charitas substantialis et consubstantialis amborum. Quoniam non duo Dii Pater et Filius, nec tres Dii Pater et Filius et Spiritus Sanctus: sed ipsa Trinitas unus solus verus Deus. Nec idem tamen Pater qui Filius, nec idem Filius qui Pater, nec idem Spiritussanctus qui Pater aut Filius: quoniam tres sunt, Pater et Filius, et Spiritussanctus, sed ipsa Trinitas est unus Deus. Ego te clarificavi super terram: opus consummavi quod dedisti michi ut faciam. Non ait jussisti: sed dedisti, ubi commendatur evidens gratia. Quid enim habet quod non accepit etiam in Unigenito humana natura? Tu autem, Domine.

R. Alleluya: Audivimus. *Require hæc tria Responsoria in præcedenti ebdomada.*

Si hæc tria Responsoria in præcedenti ebdomada dicta fuerint, et Responsorium Dicant nunc *dictum non fuerit, tunc fit tertium Responsorium hac die* Dicant nunc. *Si autem omnia Responsoria ferialia in præcedente ebdomada, et feria secunda Rogationum dicta non fuerint: tunc Responsorium* Dicant nunc *eo anno omnino prætermittatur: quia hoc Responsorium* Dicant nunc *non dicitur antequam omnia Responsoria ferialia dicta fuerint.*

Quod si Festum cum regimine chori in secunda feria Rogationum celebratum fuerit: tunc Versus Resurrexit Dominus, *et R.* Narrabo, *R.* In toto corde, *et R.* Bonum est *hac die dicuntur: nisi Responsorium* Deduc, *R.* Cantate, *et R.* In ecclesiis *in ebdomada præcedenti non fuerint cantata, tunc in hac die cantentur, quia non omittuntur.*

R. Dicant nunc qui redempti sunt Alleluya a Domino. Alleluya.

V. Quos redemit de manu inimici de regionibus congregavit eos.

Alleluya. Gloria Patri. Alleluya.

In Laudibus.

Capitulum. (*Actuum iv.* 32.)

Multitudinis credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

Hymnus, et Versus, ut supra in Dominica præcedente.

Ant. Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret, Alleluya.

Psalmus. Benedictus.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nostræ mentis intentio quo Unigenitus tuus Dominus noster venturæ solennitatis gloriosus auctor ingressus est semper intendat: et quo fide pergit, conversatione perveniat. Per eundem.

Nulla fiat Memoria de cruce ad has Matutinas, nec ab hinc usque ad inceptionem Hystoriæ Deus omnium.

Memoria fiat de Sancta Maria, *cum Antiphona* Paradisi porta.

V. Post partum.

Oratio. Famulorum tuorum, quæsumus.

Vel Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, nos famulos tuos.

Deinceps non dicatur Oratio Gratiam tuam *usque ad Adventum Domini, sed in loco ejus tam ad Completorium de Sancta Maria quam ad Processionem dicetur Oratio* Concede, quæsumus, misericors Deus.

Deinde fiat Memoria de Omnibus Sanctis, *cum Antiphona* Sancti tui.

V. Vox lætitiæ et exultationis.

Oratio. Infirmitatem nostram.

Vel Oratio. Vide, Domine.

ut infra post Hystoriam Deus omnium.

Ad Tertiam.

Capitulum. Multitudinis credentium.

Ad Sextam.

Capitulum. (*Actuum iv.* 33.)
Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Jesu Christi: et gratia magna erat in omnibus illis.

Ad Nonam.

Capitulum. (*Actuum iv.* 34.)
Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant precia eorum quæ vendebantur: et ponebant ante pedes apostolorum: dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.

Si autem aliquod Festum cum regimine chori in hac Vigilia evenerit, non differatur: sed ad Matutinas de Festo tantum fiat Memoria de Vigilia, tamen ad primas Vesperas nulla fiat Memoria de Vigilia. Missa vero de Festo post Sextam dicatur in choro: et Missa de Vigilia ad Processionem dicatur, ubi fiat statio.

In Vigilia Ascensionis Domini.

Ad primas Vesperas.

Super Psalmos Ant. Non vos relinquam orphanos, Alleluya: vado et venio ad vos, Alleluya, et gaudebit cor vestrum, Alleluya.

Ps. Nisi Dominus ædificaverit (*cxxvi.* p. 202) *et ceteri Psalmi feriales.*

Capitulum. (*Actuum i.* 1.)
Primum quidem sermonem feci de omnibus, O Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum quos elegit assumptus est.

R. Non conturbetur cor vestrum, ego vado ad Patrem: et dum assumptus fuero a vobis mittam vobis, Alleluya, Spiritum veritatis, et gaudebit cor vestrum Alleluya.

V. Ego rogabo Patrem et alium Paraclytum dabit vobis.
Spiritum. Gloria. Alleluya.

Et dicatur hoc prædictum responsorium a tribus excellentioribus personis in capis sericis ad gradum chori: et similiter in secundis Vesperis hujus Festi.

Hymnus.

Æterne Rex altissime
Redemptor et fidelium:
Quo mors soluta deperit,
Datur triumphus gratiæ.
Scandens tribunal dexteræ
Patris potestas omnium
Collata est Jesu cælitus
Quæ non erat humanitus.
Ut trina rerum machina,
Cælestium, terrestrium,
Et infernorum condita
Flectant* genu jam subdita
Tremunt videntes angeli
Versa vice mortalium:
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus Dei caro.
Tu esto nostrum gaudium
Qui es futurus præmium,
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper secula.
Gloria tibi, Domine,
Qui scandis supra sidera,
Cum Patre et Sancto Spiritu
In sempiterna secula. Amen.

Isti duo ultimi versus dicuntur semper in fine omnium Hymnorum ejusdem metri usque ad Penthecosten: nisi in Hymno Impleta sunt, *scilicet ad primas Vesperas in Inventione sanctæ crucis quando infra Octavas Ascensionis celebratur: et nisi in Commemoratione beatæ Mariæ: tunc enim dicetur versus*
Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine, *post versum* Tu esto nostrum gaudium.

V. Ascendens Christus in altum.

* 'Flectent' *Chevallon.*

R. Captivam duxit captivitatem Alleluya.

Ant. Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti michi: nunc autem pro eis rogo, non pro mundo, quia ad te vado Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, *ut supra ad Matutinas.*

Ad Completorium *omnia fiant ut in Psalterio notatur.*

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. FESTUM PRINCIPALE.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Alleluya. Christum ascendentem in cælum, Venite adoremus, Alleluya.

Ps. Venite.

Hymnus. Æterne Rex altissime.

Hac die ad Matutinas in Antiphonis incipiendis, et in Lectionibus legendis, et in Responsoriis cantandis idem ordo servetur sicut in die Paschæ.

In Nocturno, Antiphona, Elevata est magnificentia tua super cælos Deus Alleluya.

Ps. Domine, Dominus noster (*viii.* p. 11).

Ant. Dominus in templo sancto suo Dominus in cælo Alleluya.

Ps. In Domino confido (*x.* p. 14).

Ant. A summo cælo egressio ejus: et occursus ejus Alleluya.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

V. Elevata est magnificentia tua.

R. Super cælos Deus Alleluya.

Secundum Marcum, xvi. [14—20.] *Lectio i.*

In illo tempore, Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem illorum et duriciam cordis: quia his qui viderant eum resurrexisse a mortuis non crediderunt. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. (29.)*

Quod resurrectionem Dominicam discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas, quam nostra (ut ita dicam) futura firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est. Quæ dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de illorum dubitatione solidamur? Minus enim michi Maria Magdalene præstitit quæ citius credidit, quam Thomas qui diu dubitavit. Ille etenim dubitando vulnerum cicatrices tetigit, et de nostro pectore dubietatis vulnus amputavit. Ad insinuandam quoque veritatem Dominicæ resurrectionis notandum nobis est quid Lucas referat, dicens, Convescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent. Et post pauca, Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Notate verba: signate mysteria. Convescens elevatus est. Comedit, et ascendit: ut videlicet per effectum comestionis veritas patesceret carnis. Tu.

R. 1. Post passionem suam per dies quadraginta apparens eis loquens de regno Dei Alleluya. Et videntibus illis elevatus est Alleluya, et nubes suscepit eum ab oculis eorum Alleluya.

V. Et convescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent: sed expectarent promissionem Patris.

Et videntibus.

* *Gregorii* in Evangelia lib. II. homil. XXIX., *Opera* I. 1568.

Lectio ii. Marcus vero, priusquam Dominus cælum ascenderet, eum de cordis atque infidelitatis duricia increpasse discipulos commemorat. Qua in re quid aliud considerandum est, nisi quod idcirco Dominus tunc discipulos increpavit cum corporaliter reliquit, ut verba quæ recedens diceret in corde audientium artius impressa remanerent? Increpata igitur eorum duricia, quid admonendo dicat audiamus. Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ. Nunquid, fratres charissimi, sanctum evangelium vel insensatis rebus vel brutis animalibus fuerat prædicandum, ut de eo discipulis dicatur, Prædicate omni creaturæ? Sed omnis creaturæ nomine signatur homo. Sunt namque lapides, sed non vivunt nec sentiunt. Sunt herbæ et arbusta: vivunt quidem, sed non sentiunt. Vivunt, dico, non per animam, sed per viriditatem. Quia et Paulus dicit, Insipiens tu, quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur. Vivit ergo quod moritur, ut vivificetur.

R. 2. Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera: species ejus in nubibus cæli. Et nomen ejus in æternum permanet Alleluya.

Versus. A summo cælo egressio ejus: et occursus ejus usque ad summum ejus.

Et nomen ejus in.

Lectio iii. Lapides itaque sunt, sed non vivunt. Arbusta autem sunt: vivunt, sed non sentiunt. Bruta vero animalia sunt: vivunt, sentiunt, sed non discernunt. Angeli etenim sunt: vivunt, sentiunt, et discernunt. Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Si igitur commune habet aliquid cum omni creatura homo, juxta aliquid, omnis creatura homo. Omni ergo creaturæ prædicatur evangelium, cum soli homini prædicatur. Quia videlicet ille docetur, propter quem omnia in terra creata sunt, et a quo omnia per quandam similitudinem aliena non sunt. Potest etiam omnis creaturæ nomine omnis natio gentium designari. Antea etenim dictum fuerat: In viam gentium ne abieritis. Nunc autem dicitur: Prædicate omni creaturæ. Ut videlicet prius a Judea apostolorum repulsa prædicatio tunc nobis in adjutorium fieret, cum hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. Sed cum discipulos ad prædicandum veritas mittit, quid aliud in mundo facit, nisi grana seminis spargit, et pauca grana mittit in semine, ut multarum messium fruges recipiat ex nostra fide? Neque etenim in universo mundo tanta fidelium messis exurgeret, si de manu Domini in rationalem terram illa electa grana prædicantium non venissent.

R. 3. Viri Galilei, quid admiramini aspicientes in cælum Alleluya. Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum ita veniet. Alleluya, Alleluya, Alleluya.

V. Cunque intuerentur in cælum euntem illum: ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis qui et dixerunt,

Quemadmodum. Gloria. Alleluya.

Ante Laudes V. Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.

R. Deum meum et Deum vestrum Alleluya.

In Laudibus.

Ant. Viri Galilei, quid aspicitis in cælum, hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum: sic veniet, Alleluya.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. Cunque intuerentur in cæ-

lum euntem illum, dixerunt Alleluya.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Elevatis manibus ferebatur in cælum: et benedixit eis Alleluya.

Ps. Deus Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Exaltate regem regum et hymnum dicite Deo Alleluya.

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Videntibus illis elevatus est et nubes suscepit eum in cælo, Alleluya.

Ps. Laudate Dominum (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. Primum quidem.

Hymnus.

Tu Christe nostrum gaudium,
Manens Olimpo præditum,
Mundi regis qui fabricam
Mundana vincens gaudia.
Hinc te precantes quæsumus,
Ignosce culpis omnibus
Et corda sursum subleva
Ad te superna gratia.
Ut cum rubente cœperis
Clarere nube judicis,
Pœnas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.
Tu esto nostrum gaudium.
Gloria tibi, Domine,
Qui scandis. (*p.* dccccclviii.)

V. Ascendit Deus in jubilatione.

R. Et Dominus in voce tubæ, Alleluya.

Ant. Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum: Deum meum et Deum vestrum Alleluya.

Psalmus. Benedictus.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui hodierna die Unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cælos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cælestibus habitemus. Per eundem.

AD PRIMAM.

Ant. Viri Galilei. *i. de Laudibus.*

Ps. Deus, in nomine tuo (*liii.* p. 42) *et ceteri Psalmi consueti.*

Ant. Gratias tibi Deus.

Ps. Quicunque (p. 46).

R. Jesu Christe *cum* Alleluya.

V. Qui sedes ad.

Miserere. Gloria. Jesu Christe.

Et cetera omnia quæ ad Primam pertinent dicuntur.

AD TERTIAM.

Ant. Cunque intuerentur. *ii. de Laudibus.*

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. Primum quidem.

R. Elevata est magnificentia tua. Alleluya, Alleluya.

V. Super cælos Deus.

Alleluya. Gloria. Elevata.

V. Ascendit Deus in jubilatione.

R. Et Dominus in voce tubæ, Alleluya.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus. *ut supra.*

AD SEXTAM.

Ant. Elevatis manibus. *iii. de Laudibus.*

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (*Actuum i.* 4.)

Convescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent: sed expectarent promissionem Patris: quam audistis, inquit, per os meum.

R. Ascendit Deus in jubilatione. Alleluya, Alleluya.

V. Et Dominus in voce tubæ.

Alleluya. Gloria. Ascendit.

V. Ascendens Christus in altum.

R. Captivam duxit captivitatem, Alleluya.

Oratio, ut supra.

AD NONAM.

Ant. Videntibus illis. *v. de Laudibus.*

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (*Actuum i.* 5.)

Johannes quidem baptizavit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.

R. Ascendens Christus in altum, Alleluya, Alleluya,

V. Captivam duxit captivitatem. Alleluya. Gloria. Ascendens.

V. Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum,

R. Deum meum et Deum vestrum, Alleluya.

Oratio, ut supra.

Istæ Horæ dicuntur per totas Octavas, quando de Ascensione agitur, nisi in Dominica sequente.

Ad Secundas Vesperas.

Ant. Viri Galilei.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Ps. Confitebor (*cx.* p. 192).

Ps. Beatus vir (*cxi.* p. 193).

Ps. Laudate pueri (*cxii.* p. 193).

Ps. In exitu (*cxiii.* p. 194).

Hi prædicti Psalmi cum prædicta Antiphona dicuntur singulis diebus per Octavas, quando de Ascensione agitur.

Capitulum. Primum quidem sermonem.

R. Ite in orbem universum et prædicate dicentes, Alleluya, Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

V. Paraclytus autem Spiritussanctus quem mittet Pater in nomine meo : ille omnia vos docebit et suggeret omnia quæcunque dixero vobis.

Qui crediderit. Gloria. Alleluya.

Hymnus. Æterne Rex altissime.

V. Ascendens Christus.

Ant. O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cælos ascendisti : ne derelinquas nos orphanos : sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens.

Completorium, *ut in Psalterio notatum est* [p. 235].

Feria sexta in Crastino Ascensionis Domini, *et quotidie per Octavas.*

Invitatorium, sicut in die Ascensionis Domini, dicatur a duobus Rectoribus in capis sericis albis.

Hymnus sicut in die Ascensionis Domini dicatur.

Ad Matutinas.

Super Psalmos Ant. Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus et psallemus Alleluya.

Ps. Domine, in virtute (*xx.* p. 26).

Ant. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, Alleluya.

Ps. *Ipsum* (*xxix* p. 72).

Ant. Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ, Alleluya.

Ps. Omnes gentes plaudite (*xlvi.* p. 103).

V. Elevata est.

Hac die incipiantur Actus Apostolorum, et legantur quotidie per Octavas, nisi in Dominica infra Octavas Ascensionis, et in octava die quando de feria agitur.

Lectio i. (*Actuum i.* 1.)

Primum quidem sermonem feci de omnibus, O Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem qua præcipiens apostolis per Spiritum Sanctum quos elegit assumptus est. Quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis : et loquens de regno Dei. Et convescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent : sed expectarent promissionem Patris : quam audistis, inquit, per os meum. Quia Johannes quidem baptizavit aqua : vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto non post multos hos dies. Tu autem, Domine.

R. 1. Si enim non abiero Paraclytus non veniet ad vos. Si autem abiero mittam vobis eum. cum autem venerit ille docebit vos Omnem veritatem Alleluya.

V. Non enim loquetur a semetipso : sed quæcunque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annunciabit vobis.

Omnem veritatem.

Lectio ii. [*Actuum i.* 6.]

Igitur qui convenerant interrogabant eum dicentes, Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis, Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos: et eritis michi testes in Hierusalem et in omni Judea et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Et cum hoc dixisset, videntibus illis elevatus est: et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Tu.

R. 2. Ascendens in altum Alleluya captivam duxit captivitatem. Dedit dona hominibus, Alleluya, Alleluya.

V. Ascendit Deus in jubilatione : et Dominus in voce tubæ.

Dedit.

Lectio iii. [*Actuum i.* 10.]

Cumque intuerentur in cælum euntem illum : ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt, Viri Galilei, quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Tunc reversi sunt Hierosolymam a monte qui vocatur Oliveti : qui est juxta Hierusalem sabbati habens iter. Et cum introissent in cenaculum : ascenderunt ubi manebant Petrus et Johannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomeus et Matheus, Jacobus Alphei et Symon Zelotes, et Judas Jacobi. Hi omnes perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus : et Maria matre Jesu et fratribus ejus.

R. 3. Non relinquam vos orphanos Alleluya vado et venio ad vos. Et gaudebit cor vestrum, Alleluya, Alleluya.

V. Pacem meam do vobis : pacem relinquo vobis.

Et. Gloria. Alleluya.

Ante Laudes V. Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.

R. Deum meum.

Iste Versus dicitur quotidie ante Laudes per Octavas, et in Octava quando de Ascensione agitur.

In Laudibus *dicitur hæc sola Antiphona*, Viri Galilei.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29), *et ceteri Psalmi consueti.*

Capitulum, Hymnus, Versus, sicut in die Ascensionis Domini dicantur per Octavas, nisi in Dominica infra Octavas Ascensionis.

Ant. Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ, Alleluya : qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, Alleluya : qui vero non crediderit condemnabitur, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, *ut supra in die Ascensionis Domini.*

Nulla die per Octavas fiat Memoria de cruce, nec de sancta Maria, nec de Omnibus Sanctis, quia chorus regitur.

Si aliquod Festum sine regimine chori infra Octavas contigerit, nichil fiat de Festo nisi tantum Memoria ad Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam de die. Quod si Festum cum regimine chori infra Octavas Ascensionis Domini evenerit : totum fiat servitium de Festo, et Memoria de Ascensione Domini ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam :

etiam in Dominica, et tunc de Dominica nichil fiet præter Memoriam tantum, quæ præcedet Memoriam de Ascensione Domini : nisi in octava die, tunc enim totum servitium fiet de Octava, et Festum differatur in crastinum : nisi in crastino sequatur aliud Festum cum regimine chori, tunc enim primum Festum non differatur, sed in illo anno omnino prætermittatur : nisi duplex Festum fuerit tantum, tunc enim fiet totum servitium de Festo, et de Octava tantum fiet Memoria ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam solenniter : licet Festum loci vel Dedicationis Ecclesiæ fuerit. Si Festum cum regimine chori in Dominica sequenti evenerit, totum fiat servitium de Festo ut supra, et Memoria de Dominica et de Ascensione, cum Missa in Capitulo de Dominica.

Quando vero fit servitium de aliquo Sancto infra Octavas extra Dominicam, nichilominus servetur ordo Antiphonarum et Responsoriorum de Sexta feria et Sabbato et in feriis sequentibus. Ita tamen quod in Feria Secunda dicuntur Antiphonæ et Responsoria de sexta feria si vacaverit, sin autem in proxima feria vacante deinde per ordinem. Quod si de Inventione sanctæ Crucis vel de aliquo Sancto fiat servitium feria sexta præcedente, Antiphonæ, Lectiones et Responsoria de eadem sexta feria dicantur in hoc Sabbato, cum vacaverit a Festo cum regimine chori, præter Antiphonam super Ps. Benedictus, *quæ erit* Nisi abiero. *Ps.* Benedictus. *Oratio ut supra.*

Ad secundas Vesperas.

Ant. Viri Galilei.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191), *et ceteri Psalmi consueti.*

Capitulum. Primum quidem sermonem.

Non dicitur Responsorium.

Hymnus. Æterne Rex altissime.

V. Ascendens Christus in altum.

Ant. Rogabo Patrem meum : et alium Paraclytum dabit vobis, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Concede, quæsumus, *ut supra.*

Hoc eodem ordine ammodo dicuntur Vesperæ quotidie per Octavas, nisi in Dominica, ad secundas Vesperas : ita tamen quod Antiphonæ super Psalmum Magnificat *varientur.*

Sabbato.

Ad Matutinas.

In Nocturno, super Psalmos.

Ant. Nimis exaltatus est, Alleluya, super cælos, Deus, Alleluya.

Ps. Dominus regnavit, exultet (*xcvi.* p. 164).

Ant. Dominus in Syon Alleluya magnus et excelsus Alleluya.

Ps. Dominus regnavit, irascantur (*xcviii.* p. 170).

Ant. Dominus in cælo Alleluya : paravit sedem suam Alleluya.

Ps. Benedic anima mea Domino. i. (*cii.* p. 173).

V. Elevata est magnificentia tua.

R. Super cælos Deus, Alleluya.

Lectio i. (*Actuum ii.* 1.)

Cum complerentur dies Penthecostes : erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Et factus est repente de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis : et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis : seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto : et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Hierusalem habitantes Judei, viri religiosi : ex omni natione quæ sub cælo est. Facta autem hac voce convenit multitudo, et mente confusa est : quoniam audiebat unus-

quisque lingua sua illos loquentes. Tu.

R. 1. Exaltare Domine Alleluya In virtute tua Alleluya.

V. Cantabimus et psallemus. In virtute.

Lectio ii. [*Actuum ii.* 7.]

Stupebant autem omnes : et mirabantur dicentes, Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilei sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus? Parthi et Medi et Elamitæ : et qui habitant Mesopotamiam, Judeam, et Capadociam, Pontum, et Asiam, Frigiam, et Pamphiliam, Egyptum, et partes Lybiæ quæ est circa Cirenen : et advenæ Romani, Judei quoque et proseliti, Cretes et Arabes. Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes et mirabantur adinvicem dicentes, Quidnam vult hoc esse? Alii autem irridebant dicentes : quia musto pleni sunt isti. Tu autem, Domine.

R. 2. Ponis nubem ascensum tuum, Domine. Qui ambulas super pennas ventorum, Alleluya.

V. Qui facis angelos tuos spiritus : et ministros tuos ignem urentem. Qui ambulas.

Lectio iii. [*Actuum ii.* 14.]

Stans autem Petrus cum undecim elevavit vocem suam : et locutus est eis, Viri Judei, et qui habitatis Hierusalem universi : hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia : sed hoc est quod dictum est per prophetam Johel. Et erit, In novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ. Et juvenes vestri visiones videbunt : et seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos et ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo : et prophetabunt. Et dabo prodigia in cælo sursum et signa in terra deorsum : sanguinem et ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem : antequam veniat dies Domini magnus et manifestus. Et erit, Omnis quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit. Tu autem, Domine.

R. 3. Non conturbetur cor vestrum. *Require in Vigilia Ascensionis Domini, ad primas Vesperas.*

AD LAUDES, *ut supra.*

Ant. Nisi ego abiero Paraclytus non veniet : dum assumptus fuero mittam [eum] vobis, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio ut supra.

[DOMINICA INFRA OCTAVAS ASCENSIONIS.]

1. A. DOMINICA INFRA OCTAVAS ASCENSIONIS, de S. Johanne Beverlaco, omnia de communi R. 3. a duobus cantetur. Ad i. vesperas fiat memoria de Apostolo [Johanne ante Port. Latin.], et de Ascensione, nulla memoria de Dominica neque processio. Ad matutinas fiat memoria de Dominica et de Ascensione. Missa dominicalis dicitur in Capitulo cum Alleluya *Regnavit.* Feria vi. de S. Maria.

2. A. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria de Dominica neque processio.

3. A. Dominica infra Octavas Ascensionis Domini, ad i. vesperas nulla memoria neque processio.
Feria v. de Octava Ascensionis. Ad i. vesperas et ad matutinas fiat memoria de S. Urbano, et nichil de S. Aldelmo in hoc anno. Secundæ vesperæ erunt de S. Augustino et memoria de Octava.

4. A. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Aldelmo, fiat memoria de S. Germano et de Ascensione, nulla memoria de Dominica neque processio. Ad matutinas fiat memoria de Sancto [Germano] et de Ascensione. Ad ii. vesperas de Dominica fiat memoria de Ascensione.
Feria v. de Octava Ascensionis, et memoria de Sancto [Nichomede].
Feria vi. de S. Maria, et memoria de Martyribus [Marcellino et Petro].

5. A. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio. Ad matutinas memoria de Ascensione. Ad ii. vesperas memoria de Sanctis [Bonifacio &c.] et de Ascensione.
Feria v. de Octava, et memoria de Confessoribus [Medardo et Gildardo]. Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de S. Edmundo et de Martyribus [Primo et Feliciano].
Feria vi. de S. Edmundo, et memoria de Martyribus [Primo et Feliciano] cum Ant. *Lux perpetua* minor.

1. B. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Johanne, fiat memoria de Ascensione, et nichil de Dominica, neque processio.

2. B. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla fiat memoria, neque processio ad matutinas. Ad ii. vesperas fiat memoria de Ascensione.
Feria v. de Octava Ascensionis, et memoria de S. Potentiana : Festum S. Dunstani differatur in crastinum. Secundæ vesperæ erunt de Octava et memoria de S. Dunstano.

3. B. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica : nulla memoria, neque processio. Ad matutinas et ii. vesperas fiat memoria de Ascensione.
Feria v. de S. Augustino, et memoria de Octava solenniter. Ad ii. vesperas solennis memoria de Ascensione et de S. Maria cum Ant. *Sub tuam*, cum pleno servitio in crastino.

4. B. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio.
Feria v. de Octava et memoria de Martyribus [Marcellino et Petro]. Secundæ vesperæ erunt de Octavis, et memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam*, cum pleno servitio in crastino.

5. B. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas memoria de Martyribus [Bonifacio &c.] sed nulla memoria de Ascensione neque processio. Ad matutinas memoria de Festo et de Ascensione.
Feria v. de Octava et memoria de Martyribus [Primo et Feliciano] tantum; et Festum S. Edmundi* differatur in crastinum. Sabbato de Vigilia, et nichil de Apostolo [Barnaba] eo anno.

* 'esmūdi' *Chevallon.*

1. C. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de Apostolo [Johanne], fiat memoria de Ascensione, sed nichil de Dominica, neque processio.

Feria v. de Octava ad ii. vesperas memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam*, cum pleno servitio in crastino.

2. C. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio. Ad matutinas fiat memoria de Ascensione.

Feria iv. de S. Dunstano, et memoria de S. Potentiana : et de Ascensione. Secundæ vesperæ erunt de Octavis et memoria de Festo. Ad ii. vesperas memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam*, cum pleno servitio in crastino.

3. C. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria de Dominica, neque processio.

Feria iv. de S. Augustino et solennis memoria de Octavis.

Feria v. de Octava. Ad ii. vesperas memoria de S. Maria cum hac Antiphona *Sub tuam.*

4. C. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio.

Feria vi. de S. Maria.

5. C. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio.

Feria iv. de S. Edmundo, et memoria de Martyribus [Primo et Feliciano] et de Octavis. Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de S. Edmundo.

Feria v. de Octava. Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de Apostolo [Barnaba].

Feria vi. de Apostolo [Barnaba].

1. D. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Cruce, et solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], de Ascensione ; et processio. Ad matutinas solennis memoria de Martyribus [Alexandro Eventio et Theodulio], de Dominica et de Ascensione. Missa dominicalis dicitur in Capitulo. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Cruce, solennis memoria de Dominica, et de Ascensione.

Feria v. de Octava. Primæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de Apostolo [Johanne]. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Octava, et memoria de S. Johanne Beverlaco cum pleno servitio in crastino, omnia de communi unius Confessoris.

2. D. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas memoria de Martyribus [Gordiano et Epimacho] tantum, et nulla processio. Ad matutinas memoria de Sanctis et de Ascensione.

Feria v. de Octava. Secundæ vesperæ erunt de Octava et memoria de S. Maria cum Antiphona *Sub tuam.*

3. D. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio. Ad matutinas memoria de Ascensione.

4. D. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad matutinas memoria de Ascensione. Secundæ vesperæ erunt de S. Aldelmo, et memoria de Sancto [Urbano], de Dominica, et de Ascensione.

Feria iii. de S. Augustino. Ad i. vesperas memoria de S. Aldelmo cum Antiphona *Lux perpetua* major., et de Octavis.

Feria vi. de S. Maria.

5. D. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas memoria de S. Petronilla tantum, et nulla processio. Ad matutinas memoria de Virgine [Petronilla] et de Ascensione.

Feria vi. de S. Maria.

1. E. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de Cruce, memoria de Ascensione tantum, et antiphonæ et responsoria de Sabbato hoc anno prætermittantur.

Feria ii. de Octavis. Antiphonæ et responsoria de vi. Feria.

Feria vi. de S. Maria.

2. E. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio. Ad matutinas memoria de Ascensione. Ad ii. vesperas memoria de Martyribus [Nereo Achilleo et Pancratio] et de Ascensione.

3. E. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio. Secundæ vesperæ erunt de S. Dunstano, et memoria de Virgine [Potentiana], et de Dominica et de Ascensione.

Feria vi. de S. Maria.

4. E. Dominica infra Octavas Ascensionis, de S. Aldelmo. Ad i. vesperas memoria de S. Urbano et de Ascensione; nulla processio. Ad matutinas memoria de Sancto [Urbano], de Dominica, et de Ascensione. Missa dominicalis in Capitulo dicitur. Ad altam missam memoria de Sancto [Urbano] et de Ascensione tantum. Ad ii. vesperas quæ erunt de S. Augustino memoria de S. Aldelmo cum antiphona *Lux perpetua* major., et de Ascensione.

Feria vi. de S. Maria.

Sabbato de Vigilia. R. *Tempus est. Ego rogabo.* [et] *Si enim non abiero.*

5. E. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas memoria de Sancto [Nichomede] tantum, et nulla processio. Ad matutinas memoria de Sancto [Nichomede] et de Ascensione.

Feria vi. de S. Maria.

1. F. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio. Ad matutinas memoria de Ascensione. Secundæ vesperæ erunt de Apostolo [Johanne]; memoria de Dominica et de Ascensione.

Feria ii. et iii. de Sanctis [Johanne Evangelista et Johanne Beverlaco], et memoria de Octavis.

Feria iv. Ant. et R. de Sabbato.

2. F. Dominica infra Octavas Ascensionis ad i. vesperas memoria de Martyribus [Nereo Achilleo et Pancratio] tantum, et nulla processio. Ad matutinas memoria de Martyribus et de Ascensione.

Feria vi. de S. Maria.

3. F. Dominica infra Octavas Ascensionis, de S. Dunstano. Ad i. vesperas memoria de S. Potentiana et de Ascensione et nulla processio. 3. R. a duobus cantetur. Ad matutinas memoria de S. Potentiana, de Dominica,

et de Ascensione. Missa dominicalis dicitur in Capitulo. Ad altam missam memoria de S. Potentiana et de Ascensione.

Sabbato de Vigilia. R. *Tempus est. Ego rogabo.* et *Si enim non abiero:* nichil de S. Aldelmo; et Festum S. Augustini differatur usque ad iii. Feriam post Festum Trinitatis.

4. F. Dominica infra Octavas Ascensionis, de S. Augustino. Ad i. vesperas memoria de S. Aldelmo; Ant. *Lux perpetua* major.; et de Ascensione tantum, et nulla processio. Ad matutinas solennis memoria de Dominica et de Ascensione. Missa dominicalis dicitur in Capitulo. Ad altam missam memoria de Ascensione de Omnibus Sanctis tantum. Ad ii. vesperas memoria de Dominica et de Ascensione.

Feria ii. de servitio Octavarum. Antiphonæ et responsoria de vi. Feria.

Feria vi. de S. Maria et memoria de Virgine [Petronilla].

Sabbato de Vigilia. R. *Tempus est. Ego rogabo.* et *Si enim non abiero.*

5. F. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio. Ad matutinas memoria de Ascensione.

Feria vi. de S. Maria.

1. G. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Apostolo [Johanne ante Portam Latinam], et memoria de Ascensione; nulla processio. Ad matutinas memoria de Dominica et de Ascensione. Missa dominicalis dicitur in capitulo. Ad altam missam memoria de Ascensione, et de Omnibus Sanctis. Secundæ vesperæ erunt de S. Johanne Episcopo [et] Confessore, omnia de communi; et memoria de Apostolo [Johanne], de Dominica, et de Ascensione.

Feria ii. de S. Johanne Beverlaco. Omnia de communi.

Feria iii. de servitio Octavarum: Antiphonæ et responsoria de vi. Feria.

Feria vi. de S. Maria.

Sabbato de Vigilia. R. *Tempus est.*

2. G. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio. Ad matutinas memoria de Ascensione.

Feria vi. de S. Maria.

3. G. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de Festo [S. Dunstani], fiat memoria de Ascensione, et nulla memoria de Dominica, neque processio.

Feria ii. de servitio Octavarum. Antiphonæ et responsoria de vi. Feria.

Feria v. de Octava. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de S. Aldelmo et de S. Urbano, cum pleno servitio in crastino. Festum S. Augustini differatur usque ad iii. Feriam post Festum Trinitatis.

4. G. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Augustino, memoria de Ascensione solenniter; sed nulla memoria de Dominica, neque processio. Ad matutinas memoria de Ascensione.

Feria v. de Octava. Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam* et de Martyre [Nichomede].

5. G. Dominica infra Octavas Ascensionis, de Dominica. Ad i. vesperas nulla memoria neque processio.

Feria v. de Octava, et ad ii. vesperas de Octava fiat memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam,* cum pleno servitio in crastino.

DOMINICA INFRA OCTAVAS ASCENSIONIS DOMINI.

Ad primas Vesperas *totum servitium fiat de Ascensione, et nichil de Dominica: nec etiam Memoria.*

Super Psalmos Ant. Viri Galilei.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191), *et ceteri Psalmi Dominicales.*

Capitulum. Primum quidem.

Non dicitur Responsorium.

Hymnus. Æterne Rex altissime.

V. Ascendens Christus in altum.

Ant. Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis ascendit in cælum, et sedet a dextris Dei, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus.

Si Festum cum regimine chori hac die Dominica evenerit, tunc fiant Vesperæ de Festo, et solennis Memoria de Ascensione Domini, ut supra.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, et Versus, sicut in die Ascensionis Domini dicantur.

Evangelium secundum Johannem xv. cap. [26—*xvi.* 4].

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis, Cum venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit: ille testimonium perhibebit de me. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. (10. *secundi libri.*)*

Notandum in primis quod Dominus Spiritum veritatis a se mittendum esse testatur: et eundem mox a Patre procedere subjungit. Non quia idem Spiritus aliter a Patre procedit quam cum a Filio mittitur, aut alio tempore a Patre procedit quam cum a Filio mittitur. Sed ideo Filius eum a se mitti et a Patre dicit procedere, ut aliam Patris, aliam esse suam personam designet, ac in eadem distinctione personarum unam esse operationem ac voluntatem suam cum Patris voluntate ac operatione denunciet. Cum enim ejusdem Spiritus gratia datur hominibus, mittitur profecto Spiritus a Patre, mittitur et a Filio. Procedit a Patre, procedit et a Filio. Quia et ejus missio ipsa processio est, qua ex Patre procedit et Filio. Venit et sua sponte: quia sicut coæqualis est Patri et Filio, ita eandem habet voluntatem cum Patre et Filio communem. Spiritus enim ubi vult spirat. Et sicut apostolus enumeratis donis cælestibus ait, Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Tu autem.

R. 1. Tempus est ut revertar ad eum qui misit me, dicit Dominus, nolite contristari nec conturbetur cor vestrum. Rogo pro vobis Patrem ut ipse vos custodiat, Alleluya, Alleluya.

V. Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis.

Rogo.

Lectio ii. Adveniens autem Spiritus testimonium perhibuit de Domino: quia discipulorum cordibus aspirans omnia quæ de illo erant scienda mortalibus clara illis luce revelavit. Quod videlicet æqualis et consubstantialis erat Patri ante secula: quod consubstantialis † factus est nobis in fine seculorum. Quod de virgine natus sine peccato vixit in mundo: quod quando voluit et qua voluit morte transivit de mundo. Quod veraciter mortem resurgendo destruxit. Veram in qua passus est et resurrexit carnem ad cælos ascen-

* *Bedæ* Homil. Æstivales de Tempore, *Opera* VII. 32.

† 'substātialis' *Chevallon.*

dendo levavit, atque in paternæ gloriæ dextera constituit. Quod omnia prophetarum scripta illi testimonium perhibent: quod confessio nominis ejus usque ad fines erat propaganda terrarum. Ceteraque fidei illius mysteria Sancti Spiritus sunt testimonio reserata discipulis. Neque illis tantummodo: sed omnibus, qui per verbum eorum credunt in Dominum, quicquid recte sapiunt ejusdem Spiritus est munere concessum. Tu autem.

R. 2. Ego rogabo Patrem et alium Paraclytum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum. Spiritum veritatis Alleluya.

V. Si enim non abiero Paraclytus non veniet ad vos: si autem abiero mittam vobis eum.

Spiritum.

Lectio iii. Ille ergo (inquit) testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis. Quia quæ Spiritu intus docente perceperunt, hæc abjecto timore pristino foris loquendo et aliis ministrabant. Ipse nanque Spiritus corda eorum et scientia veritatis illustravit, et ad docenda quæ nossent culmine virtutis erexit. Unde recte apud Esaiam: Spiritus idem fortitudinis et scientiæ nuncupatur. Est enim Spiritus scientiæ: quia per ipsum quæ recte agere vel etiam cogitare debeamus agnoscimus. Est et fortitudinis: quia etiam per ipsum ut quæ bene novimus operemur accipimus: ne adversitate aliqua a bonis quæ cepimus repellamur. Et vos, inquit, testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Cum data Spiritus gratia etiam hoc fiduciam discipulorum juvit, quod ab initio erant cum Domino. Ideoque quæ apud illum viderant et audierant, absque ulla ambiguitate prædicare valebant.

R. 3. Viri Galilei. *Et dicatur a duobus Clericis de superiori gradu in superpelliceis ad gradum chori. Require in die Ascensionis Domini ad Matutinas.*

Ante Laudes V. Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.

R. Deum meum et Deum *etc.*

In Laudibus *dicitur hæc sola Antiphona* Viri Galilei.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29), *et ceteri Psalmi consueti.*

Capitulum. (1 *Pet. iv.* 7.)

Estote prudentes et vigilate in orationibus, ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Hymnus. Tu, Christe, nostrum gaudium.

V. Ascendit Deus in jubilatione.

Ant. Cum venerit Paraclytus quem ego mittam vobis Spiritum veritatis qui a Patre procedit: ille testimonium perhibebit de me, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem, et majestati tuæ sincero corde servire. Per Dominum nostrum.

Memoria fiat de Ascensione Domini *cum Antiphona,* Ascendo ad Patrem.

V. Ascendens Christus in altum.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus.

Ad Primam.

Antiphona. Viri Galilei.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42), *et ceteri Psalmi consueti.*

Ant. Te jure laudant.

Ps. Quicunque.

Ad Tertiam, et ad alias Horas, *Antiphonæ, Responsoria, et Versus sicut in die Ascensionis Domini dicantur, cum hac Oratione* Omnipotens sempiterne Deus, *ut supra.*

Capitulum. Estote prudentes, *ut supra ad Laudes.*

Ad Sextam.

Capitulum. (1 *Pet. iv.* 9.)

Estote hospitales invicem sine murmuratione: unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes: sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

Ad Nonam.

Capitulum. (1 *Pet. iv.* 11.)

Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam amministrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Ad secundas Vesperas.

Ant. Viri Galilei.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191), *et ceteri Psalmi Dominicales.*

Capitulum. Estote prudentes.

Non dicitur Responsorium ad has Vesperas.

Hymnus. Æterne Rex altissime.

V. Ascendens Christus in altum.

Ant. Hæc locutus sum vobis: ut cum venerit hora eorum reminiscamini: quia ego dixi vobis, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus.

Memoria fiat de Ascensione Domini, *cum hac Antiphona* O Rex gloriæ, *ut in die Ascensionis Domini.*

V. Ascendit Deus in jubilatione.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus.

Si Festum alicujus Sancti cum regimine chori in hac die Dominica evenerit, totum fiat servitium de Festo, et etiam secundæ Vesperæ erunt de eodem Festo: et tunc in Vigilia Penthecostes dicitur primum Responsorium Tempus est, *et cetera Responsoria quæ intitulantur. Si vero Festum loci vel Dedicationis Ecclesiæ infra Octavas Ascensionis Domini, vel in Octava forte contigerit: semper fiat solennis Memoria de Ascensione Domini: similiter fiat in aliis Octavis quæ sunt cum regimine chori.*

Feria Secunda.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, Versus, et Responsoria sicut in præcedente feria sexta, licet de Festo alicujus Sancti servitium factum fuerit in præcedente Sabbato.

Lectio i. (*Actuum ii.* 22.)

Stans autem Petrus in medio plebis dixit, Viri Israelitæ, audite verba hæc. Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis virtutibus et prodigiis et signis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri sicut vos scitis: hunc definito concilio et præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis. Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni: juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum, Providebam Dominum coram me semper: quoniam a dextris est michi ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas michi fecisti vias vitæ: replebis me jocunditate cum facie tua. Tu autem.

Lectio ii. [*Actuum ii.* 29.]

Viri fratres, licet audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est et sepultus: et sepulchrum * ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus: providens locutus est de resurrec-

* 'se—sepulchrum' *Chevallon.*

tione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum resuscitavit Deus: cujus omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritussancti accepta a Patre: effudit hunc quem vos videtis et auditis. Non enim David ascendit in cælum. Dicit autem ipse, Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certissime ergo sciat omnis domus Israel: quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis. Tu autem, Domine.

Lectio iii. [*Actuum ii.* 37.]

His auditis compuncti sunt corde: et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos, Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ait ad illos, Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: et accipietis donum Spiritussancti. Vobis enim est repromissio et filiis vestris: et omnibus qui longe sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster. Aliis etiam verbis plurimis testificatus est: et exhortabatur eos dicens, Salvamini a generatione ista prava. Qui ergo receperunt sermonem ejus baptizati sunt: et appositæ sunt in illa die animæ circiter tria milia. Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum: et communicatione fractionis panis et orationibus. Fiebat autem omni animæ timor. Multa quoque prodigia et signa per apostolos fiebant in Hierusalem: et metus erat magnus in universis.

Ad Laudes, *ut supra.*

Ant. Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, Alleluya, Alleluya.

Ps. Benedictus.
Oratio ut supra.

Ad Vesperas.

Ant. Euntes in mundum.
Ps. Magnificat, *ut supra in Feria Sexta præcedente.*
Oratio ut supra.

Feria Tertia.

Ad Matutinas.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, Versus, et Responsoria, sicut in præcedenti Sabbato.

Lectio i. (*Actuum iii.* 1.)

Petrus et Johannes ascendebant in templum: ad horam orationis nonam. Et quidam vir qui erat claudus ex utero matris suæ bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi quæ dicitur speciosa, ut peteret elemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum et Johannem incipientes introire in templum, rogabat ut elemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Johanne, dixit, Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit, Argentum et aurum non est michi: quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Jesu Christi Nazareni: surge et ambula. Tu autem.

Lectio ii. [*Actuum iii.* 7.]

Et apprehensa ejus manu dextera allevavit eum: et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. Et exiliens stetit: et ambulabat. Et intravit cum illis in templum: ambulans et exiliens et laudans Deum. Et vidit eum omnis populus ambulantem et laudantem Deum. Cognoscebant autem illum quoniam ipse erat qui ad elemosynam sedebat: ad speciosam portam templi. Et repleti sunt stupore et extasi: in eo

quod contigerat illi. Cum viderent autem Petrum et Johannem: cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis stupentes. Videns autem Petrus: respondit ad populum, Viri Israelitæ, quid miramini in hoc: aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?

Lectio iii. [*Actuum iii.* 13.]

Deus Abraham, et Deus Ysaac, et Deus Jacob: Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pylati, judicante illo dimitti. Vos autem Sanctum et Justum negastis: et petistis virum homicidam donari vobis. Auctorem vero vitæ interfecistis: quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus: et in fide nominis ejus hunc quem videtis et nostis confirmavit nomen ejus, et fides quæ per eum est dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis: sicut et principes vestri. Deus autem qui prænunciavit per os omnium prophetarum pati Christum suum: implevit sic. Pœnitemini igitur et convertimini: ut deleantur peccata vestra. Ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum qui prædicatus est vobis Jesum Christum, quem oportet quidem cælum suscipere: usque in tempora restitutionis omnium quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum a seculo prophetarum. Tu autem.

AD LAUDES *ut supra.*

Ant. Rogabo Patrem.
Ps. Benedictus.
Require in Sexta Feria proxima præcedenti super Psalmum Magnificat.

* 'vos' *Chevallon.*

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ant. †Nisi ego abiero. *Ps.* Magnificat. *Require prædictam Antiphonam in die Sabbati proxima præcedente ad Laudes super Psalmum* Benedictus.

FERIA QUARTA.

AD MATUTINAS.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, Versus, Responsoria, sicut in præcedente Feria Sexta dicuntur, et cetera.

Lectio i. (*Actuum iv.* 1.)

Loquentibus autem apostolis ad populum, supervenerunt sacerdotes et magistratus templi et Saducei: dolentes quod docerent populum et annunciarent in Jesum resurrectionem ex mortuis, et injecerunt in eos manus et posuerunt eos in custodiam usque in crastinum. Erat enim jam vespera. Multi autem eorum qui audierant verbum crediderunt: et factus est numerus virorum quinque milia. Factum est autem in crastinum ut congregarentur principes eorum et seniores et scribæ in Hierusalem, et Annas princeps sacerdotum et Cayphas et Johannes et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali: et statuentes eos in medio interrogabant, In qua virtute aut in quo nomine fecistis hoc vos? Tu autem.

Lectio ii. [*Actuum iv.* 8.]

Tunc Petrus repletus Spiritusancto dixit ad eos, Principes populi et seniores, audite. Si nos* hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est? Notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israel: quia in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis

† 'Non' *Chevallon.*

sanus. Hic est lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: et non est in aliquo alio salus. Nec enim nomen est aliud sub cælo datum hominibus in quo nos oporteat salvos fieri. Videntes autem Petri constantiam et Johannis: comperto quod homines essent sine litteris et idiotæ, admirabantur: et cognoscebant eos quoniam cum Jesu fuerant. Hominem quoque videntes stantem cum eis qui curatus fuerat: nichil poterant contradicere.

Lectio iii. [*Actuum iv.* 15.]

Jusserunt autem eos foras extra consilium secedere: et conferebant adinvicem dicentes, Quid faciemus hominibus istis? Quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Hierusalem. Manifestum est: et non possumus negare. Sed ne amplius divulgetur in populum: comminemur eis ne ultra loquantur in nomine hoc ulli homini. Et vocantes eos: denunciaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu, Petrus vero et Johannes respondentes dixerunt ad eos, Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum: judicate. Non enim possumus quæ audivimus et vidimus non loqui. At illi comminantes dimiserunt eos, non invenientes quomodo punirent eos propter populum: quia omnes clarificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo in quo factum erat signum istud sanitatis. Tu autem, Domine.

AD LAUDES, *ut supra.*

Ant. Illi autem profecti.

Ps. Benedictus. *Ut supra in Feria Secunda præcedente.*

Oratio ut supra.

In Octava Ascensionis Domini.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ant. Non vos relinquam. *Et incipitur in superiori gradu.*

Ps. Nisi Dominus ædificaverit (*cxxvi.* p. 202), *et ceteri Psalmi feriales.*

Capitulum, Responsorium, et cetera omnia sicut in Vigilia ad primas Vesperas dicuntur: cum hac Oratione Concede, quæsumus, omnipotens Deus, *more Festi novem Lectionum. Ita tamen quod Responsorium dicitur a duobus de superiori gradu in capis sericis albis ad gradum chori.*

AD MATUTINAS.

Invitatorium triplex, et dicitur sicut in Octava Epiphaniæ ut supra, et cetera omnia sicut in prima die, et legantur omnes Lectiones de Expositione Evangelii Recumbentibus undecim discipulis apparuit, *similiter sicut in prima die in superpelliceis.*

IN LAUDIBUS, *omnes Antiphonæ dicuntur.*

Cetera omnia AD PRIMAM, ET AD OMNES ALIAS HORAS, *sicut in die, more Festi novem Lectionum cum Antiphona* Te jure laudant, *Psalmo* Quicunque, *et Oratione* Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus.

AD SECUNDAS VESPERAS *omnia fiant sicut in die, præter Responsorium quod non dicetur.*

Si aliquod Festum simplex cum regimine chori hac die contigerit, differatur in crastinum: nisi Festum sancti Aldelmi fuerit: Vesperæ tunc erunt de Octava, et solennis Memoria de Festo.

Et si duplex Festum in octava die contigerit, totum fiat servitium de Festo, et solennis Memoria de Octava, ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam.

Hac die ad secundas Vesperas, quæ erunt de Octava, fiat solennis Memoria de Sancta MARIA *cum Pleno Servitio in crastino, si a Festo cum regimine chori vacaverit, cum hac Antiphona* Sub tuam. *Et dicitur in fine Hymni* Gloria tibi, Domine, Qui natus, *post versum* Tu esto nostrum gaudium [*p.* dcccclviii.].

FERIA SEXTA, *ubi de feria agitur.*

AD VESPERAS.

Ant. Alleluya *quater.*
Ps. Confitebor (*cxxxvii.* p. 209).
Capitulum, Hymnus, et Versus, sicut in Dominica ad secundas Vesperas.
Ant. Hæc locutus sum.
Ps. Magnificat.
Oratio Dominicalis.

Memoria fiat de Sancta MARIA, *cum Antiphona* Paradisi porta.
V. Sancta* Dei genitrix.
Oratio. Famulorum tuorum.
Vel Oratio. Omnipotens sempiterne Deus.

Deinde fiat Memoria de OMNIBUS SANCTIS.
Ant. In cælestibus regnis.
V. Vox læticiæ.
Oratio. Infirmitatem.
Vel Oratio. Omnium Sanctorum.

Sabbato in Vigilia Penthecostes.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Alleluya, Alleluya, Alleluya.
Ps. Venite.
Hymnus. Æterne Rex altissime.
Ant. Alleluya *ter.*
Ps. Cantate *ii.* (*xcvii.* p. 169).
Ps. Dominus regnavit, irascantur (*xcviii.* p. 170).
Ps. Misericordiam et judicium (*c.* p. 171).
V. Elevata est.

Secundum Johannem xiiii. cap. [15—21.]

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis, Si diligitis me : mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclytum dabit vobis : ut maneat vobiscum inæternum. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. (11. *libri ii.*)†

Quia Sancti Spiritus hodie, fratres charissimi, celebramus adventum, debemus ipsi congruere solennitati quam colimus. Hoc etenim ordine tantæ festivitatis hujus digne gaudia celebramus, si nos quoque Domino opitulante aptos reddiderimus, ad quos Spiritussanctus advenire, et in quibus habitare dignetur. Ea autem solummodo ratione adventui et illustrationi Sancti Spiritus apti existimus, si et corda nostra divino amore repleta, et corpora sint divinis mancipata præceptis. Unde et in exordio lectionis hujus evangelicæ discipulis Veritas ait, Si diligitis me : mandata mea servate. Tu autem.
R. Non conturbetur. *Require in Vigilia Ascensionis Domini ad Vesperas. Tamen quando Responsorium* Tempus est *non dicitur in Dominica præcedente, tunc erit primum Responsorium hac die.*
Et notandum est quod si in Dominica infra Octavas Ascensionis officium cum regimine chori contigerit, totum fiat de Festo : et tunc in Vigilia Penthecostes dicitur primum Responsorium Tempus, *et cetera Responsoria sicut intitulantur.*
Lectio ii. Habebant et prius Paraclytum, ipsum videlicet Dominum secum in carne commorantem :

* 'Sancti' *Chevallon.*
† *Bedæ* Homil. Æstivales de Tempore, *Opera* VII. 38.

cujus et miraculorum dulcedine et ope prædicationis, ne in fidelium persecutione scandalizari possent, erigi et confortari solebant. Verum quia ille post resurrectionem ascendens in cælum eos corporaliter deseruit, quibus tamen divinæ majestatis præsentia nunquam abfuit : recte de hoc Paraclyto id est Spiritusancto subjunxit, Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclytum dabit vobis : ut maneat vobiscum inæternum.

R. Ego rogabo Patrem. *Require in Dominica infra Octavas Ascensionis Domini.*

Lectio iii. In æternum manet Spiritussanctus cum sanctis : quos et in hac vita semper invisibiliter intus illustrat, et in futuro ad contemplandam perpetuo speciem suæ majestatis introducit. Sed et nos, fratres charissimi, si Christum perfecte diligimus, ita ut ejusdem dilectionis veritatem mandatorum ejus observantia probemus, rogabit etiam pro nobis Patrem, et alium Paraclytum dabit nobis Pater. Rogabit Patrem per humanitatem, qui dabit cum Patre per divinitatem. Neque enim putandum est, quia ante passionem suam tantummodo pro ecclesia rogaverit, et non etiam nunc post ascensionem roget, cum dicat de illo Apostolus, Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

R. Si enim non abiero. *Require in crastino Ascensionis Domini.*

Ante Laudes V. Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.

In Laudibus.

Ant. Alleluya, Alleluya.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29), *et ceteri Psalmi consueti.*

Capitulum. (*Actuum xix.* 1.)

Factum est autem cum Apollo esset Corinthi, et Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos : dixitque ad eos, si Spiritum Sanctum accepistis credentes. At illi dixerunt ad eum, sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus.

Hymnus. Tu Christe. Tu esto nostrum gaudium [*p.* dcccclxiii.]*

V. Ascendit Deus in jubilatione.

Ant. Si diligitis me mandata mea servate, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut claritatis tuæ super nos splendor effulgeat : et lux tuæ lucis corda eorum, qui per gratiam tuam renati sunt, Spiritussancti illustratione confirmet. Per Dominum nostrum. In unitate ejusdem.

Hæc Oratio dicitur ad omnes Horas.

Memoriæ de sancta Maria et de Omnibus Sanctis fiant, sicut in Vigilia Ascensionis Domini supra notatum est.

Ad singulas Horas Antiphonæ Alleluyaticæ Paschales dicuntur super Psalmos. Responsoria et Versus de Ascensione Domini dicantur.

Ad Tertiam.

Capitulum. Factum est.

Ad Sextam.

Capitulum. (*Actuum xix.* 4.)

Johannes quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ populum docens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum.

Ad Nonam.

Capitulum. (*Actuum xix.* 8.)

Ingressus Paulus synagogam cum fiducia loquebatur per tres menses : disputans et suadens de regno Dei.

Omnes Horæ dicantur ante Missam.

* '*Hymnus.* Tu esto nostrum gau.' *Chevallon.*

Si in hac Vigilia aliquod Festum evenerit, nichil fiat de Festo nec post nec ante, nec etiam Memoria, nisi duplex Festum fuerit : tunc enim differatur post Festum Sanctæ Trinitatis, videlicet ubi potest habere utrasque Vesperas : et fiant ibi novem Lectiones, ut in Festis duplicibus inter Cenam Domini et Octavas Paschæ contingentibus prænotatum est : vel ut supra dictum est in secunda feria post diem Paschæ.

[IN DIE PENTHECOSTES.]

1. A. In Die Penthecostes et per ebdomadam, totum fiat de solennitate Festi : et nichil in hoc anno de S. Dunstano.

2. A. In die Penthecostes et per ebdomadam, fiat servitium de Festo : et nihil* in hoc anno de S. Aldelmo. Festum S. Augustini differatur usque in iii. Feriam post Festum Trinitatis.

3. A. In die Penthecostes et per ebdomadam, totum servitium de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus.

4. A. In die Penthecostes et per ebdomadam, totum servitium de solennitate Festi, et nichil de Sanctis in hac ebdomada contingentibus.

5. A. In die Penthecostes et per ebdomadam, totum servitium de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus.

1. B. In Die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de S. Dunstano hoc anno.

2. B. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de S. Aldelmo. Festum S. Augustini differatur in iii. Feriam post Festum S. Trinitatis.

3. B. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Martyribus.

4. B. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus.

5. B. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus.

1. C. In Die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus.

2. C. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nihil* de Sanctis : et Festum S. Augustini differatur usque in iii. Feriam post Festum Trinitatis.

3. C. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus.

4. C. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nihil* de Festis ibidem contingentibus.

5. C. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus [viz. Jun. xiii.—xix.].

* 'nihil' *in his locis Chevallonius, qui formam* nichil *alias plerumque usurpat.*

1. D. In Die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus [viz. Mai x.—xvi.].

2. D. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nihil* de S. Dunstano.

3. D. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nihil* de S. Aldelmo, et Festum S. Augustini differatur usque in iii. Feriam post Festum S. Trinitatis.

4. D. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus [viz. Mai xxxi.—Jun. vi.].

5. D. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus [viz. Jun. vii.—xiii.].

1. E. In Die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi.

2. E. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nihil* de S. Dunstano.

3. E. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nihil* de Sanctis in hac ebdomade contingentibus. Festum S. Augustini differatur usque in iii. Feriam post Festum Trinitatis.

4. E. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus.

5. E. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus.

1. F. In Die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis.

2. F. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de S. Dunstano, neque de S. Aldelmo.

3. F. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de S. Aldelmo. Festum S. Augustini differatur usque in iii. Feriam post Festum Trinitatis.

4. F. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis.

5. F. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis.

1. G. In Die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de S. Dunstano hoc anno.

2. G. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de S. Aldelmo. Et Festum S. Augustini differatur usque in iii. Feriam post Trinitatem.

3. G. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus. Et Festum S. Augustini differatur usque in iii. Feriam post Trinitatem.

4. G. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus.

5. G. In die Penthecostes et per ebdomadam, de solennitate Festi, et nichil de Sanctis ibidem contingentibus.

* 'nihil' *Chevallonius, qui* nichil *multo frequentius scribit.*

IN VIGILIA PENTHECOSTES.

AD PRIMAS VESPERAS.

Super Psalmos Antiphona. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende : qui per diversitatem linguarum multarum gentes in unitatem fidei congregasti, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

Ps. Benedictus (*cxliii.* p. 215) *et ceteri Psalmi feriales.*

Capitulum. (*Actuum ii.* 1.)

Dum complerentur dies Penthecostes : erant omnes discipuli pariter in eodem loco.

R. Loquebantur variis linguis apostoli Alleluya. Magnalia Dei Alleluya.

V. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui.

Magnalia. Gloria. Alleluya.

Et dicitur prædictum Responsorium ad primas Vesperas, ut in Vigilia Ascensionis Domini supradictum est.

Hymnus.

Jam Christus astra ascenderat,
Regressus unde venerat,
Promisso Patris munere,
Sanctum daturus Spiritum.

Solennis urgebat dies,
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.

Dum hora cunctis tertia
Repente mundus intonat,
Orantibus apostolis
Deum venisse nunciat.

De Patris ergo lumine
Decorus ignis almus est,
Qui fida Christi pectora
Calore verbi complevit.

Dudum sacrata pectora
Tua replesti gratia,
Dimitte nunc peccamina,
Et da quieta tempora.

Sit laus Patri cum Filio
Sancto simul Paraclyto,
Nobisque mittat Filius
Carisma Sancti Spiritus. Amen.

Isti duo versus, scilicet Dudum sacrata *et* Sit laus *dicuntur in fine omnium Hymnorum per totam ebdomadam, nisi in Hymno* Veni Creator.

V. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.

R. Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis Alleluya.

Ant. Si quis diligit me sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, *ut supra ad Matutinas.*

AD COMPLETORIUM *omnia fiant ut in Psalterio notantur.*

IN DIE PENTHECOSTES.

FESTUM PRINCIPALE.

AD MATUTINAS *hac die idem ordo servetur per omnia sicut in die Ascensionis Domini supra notatum est.*

Invitatorium. Alleluya. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Venite adoremus, Alleluya.

Ps. Venite.

Hymnus. Jam Christus astra.

In Nocturno, *super Psalmos.*

Ant. Factus est repente de cælo sonus advenientis spiritus vehementis, Alleluya, Alleluya.

Ps. Magnus Dominus (*xlvii.* p. 104).

Ant. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo quod est in Hierusalem, Alleluya.

Ps. Exurgat Deus (*lxvii.* p. 124).

Ant. Emitte Spiritum tuum et creabuntur : et renovabis faciem terræ, Alleluya, Alleluya.

Ps. Benedic *ii.* (*ciii.* p. 175).

V. Repleti sunt omnes Spiritusancto.

R. Et cœperunt loqui Alleluya.

Secundum Johannem xiiii. [23—31].

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis, Si quis diligit me : sermonem meum servabit. Et Pater meus diliget eum : et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. (*xxx.*)*

Libet, fratres charissimi, evangelicæ verba lectionis sub brevitate transcurrere, ut post diutius liceat in contemplatione tantæ solennitatis immorari. Hodie namque Spiritussanctus repentino sonitu super discipulos venit, mentesque carnalium in sui amorem permutavit. Et foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia. Quia dum Deum in ignis visione suscipiunt, per amorem intus suaviter arserunt. Ipse namque Spiritussanctus amor est. Unde et Johannes dicit, Deus charitas est. Qui ergo mente integra Deum desiderat, profecto jam habet quem amat. Neque enim quisquam Deum posset diligere, si eum quem diligit non haberet. Sed ecce si unusquisque vestrum requiritur an diligat Deum, tota fiducia et secura mente respondebit, diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis quid Veritas dicit; Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Probatio ergo dilectionis exhibitio est operis. Hinc in epistola sua idem Johannes dicit, Qui dicit diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. Vere enim Deum diligimus, si ad mandata ejus a nostris nos voluptatibus coartamus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit, profecto Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit. Et Pater meus diliget eum : et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

R. 1. Dum complerentur dies Penthecostes erant omnes pariter dicentes Alleluya : et subito factus est sonus de cælo Alleluya. Tanquam spiritus torrens replevit totam domum, Alleluya, Alleluya.

V. Dum ergo essent discipuli in unum congregati propter metum Judeorum, sonus repente de cælo venit super eos,

Tanquam spiritus torrens.

Lectio ii. Pensate, fratres charissimi, quanta sit ista solennitas, habere in cordis hospitio adventum

* *Gregorii* in Evangelia Lib. II. Homil. xxx., *Opera* I. 1574.

Dei. Certe si domum vestram quisquam dives ac præpotens amicus intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, ne forte quid esset quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo sordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis. Sed videte quid Veritas dicat: Veniemus et mansionem apud eum faciemus. In quorundam etenim corda venit, et mansionem non facit : quia per compunctionem quidam Dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hocipsum quod compuncti fuerant obliviscuntur, sicque ad perpetranda peccata redeunt, acsi hæc minime planxissent. Qui ergo Deum vere diligit, et qui ejus mandata custodit, in ejus corde et Dominus venit et mansionem facit : quia sic eum amor divinitatis penetrat, ut ab hoc amore tentationis tempore non recedat. Ille ergo vere amat, cujus videlicet mentem delectatio prava ex consensu non superat. Nam tanto quisque a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur. Unde et adhuc subditur, Qui non diligit me, sermones meos non servat. Ad vosmetipsos, fratres charissimi, redite : si Deum vere amatis exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat, quicquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione Conditoris, lingua, mens, et vita requiratur. Tu autem.

R. 2. Repleti sunt omnes Spiritusancto : et cœperunt loqui prout Spiritussanctus dabat eloqui illis. Et convenit multitudo dicentium Alleluya.

V. Loquebantur variis linguis apostoli : magnalia Dei.
Et convenit multitudo.

Lectio iii. Nunquam est Dei amor ociosus. Operatur enim magna si est. Si vero operari renuit, amor non est. Et sermonem quem audistis non est meus, sed ejus qui misit me Patris. Scitis, fratres charissimi, quia ipse qui loquitur unigenitus Filius Verbum Patris est. Et ideo sermo quem loquitur Filius non est Filii sed Patris : quia ipse Filius Verbum est Patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Quando fuit quod non mansit apud eos, qui ascensurus in cælum promittit dicens, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi? Sed Verbum incarnatum et manet et recedit. Recedit corpore : manet divinitate. Apud eos ergo tunc mansisse se perhibet : quia qui invisibili semper potestate præsens erat, corporali jam visione recedebat. Paraclytus autem Spiritussanctus quem mittet Pater in nomine meo : ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Nostis plurimi fratres mei quod Græca locutione Paraclytus, Latina Advocatus dicitur, vel Consolator. Qui idcirco Advocatus dicitur, quia pro errore delinquentium apud justiciam Patris intervenit. Qui unius substantiæ cum Patre et Filio exorare pro delinquentibus perhibetur, quia eos quos repleverit exorantes facit. Unde et Paulus dicit, Ipse enim Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Minor vero est qui postulat quam qui postulatur. Quomodo ergo Spiritus postulare dicitur, qui minor non est? Sed ipse Spiritus postulat, qui ad postulandum quos repleverit inflammat. Consolator autem idem Spiritus vocatur, quia de peccati perpetratione mærentibus, dum spem veniæ præparat, ab afflictione tristiciæ mentem levat. Tu autem, Domine.

R. 3. Spiritussanctus procedens a throno : apostolorum pectora invisibiliter penetravit, novum sanctificationis signum. Ut in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum. Alleluya.

V. Advenit ignis divinus non

comburens sed illuminans : et tribuit eis carismatum dona.

Ut in. Gloria. Alleluya.

Hoc Responsorium erit tertium, singulis diebus per ebdomadam.

Ante Laudes V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ, Alleluya.

IN LAUDIBUS.

Ant. Dum complerentur dies Penthecostes erant omnes pariter dicentes Alleluya.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, Alleluya.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Repleti sunt omnes Spiritusancto : et cœperunt loqui Alleluya.

Ps. Deus Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Fontes et omnia quæ moventur in aquis : hymnum dicite Deo, Alleluya.

Ps. Benedicite (*Daniel. iii.* p. 31).

Ant. Loquebantur variis linguis apostoli magnalia Dei, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. Dum complerentur.

Hymnus.

Impleta gaudent viscera
Afflata Sancto Spiritu,
Voces diversas intonant,
Fantur Dei magnalia.

Ex omni gente cogniti
Græcis, Latinis, barbaris
Cunctisque admirantibus,
Linguis loquuntur omnium.

Judea tunc incredula,
Vesana torvo spiritu,
Ructare musti crapulam*
Alumnos Christi concrepat.

Sed signis et virtutibus
Occurrit et docet Petrus,
Falsa profari perfidos
Johelis testimonio.

Dudum sacrata pectora. [*p.* mii.]
Sit laus Patri cum Filio.

V. Loquebantur variis linguis apostoli

R. Magnalia Dei, Alleluya.

Ant. Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui hodierna die corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti : da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum. In unitate ejusdem.

AD PRIMAM.

Ant. Dum complerentur. *i. de Laudibus.*

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ant. Gratias tibi Deus.

Ps. Quicunque (p. 46).

R. Jesu Christe, *cum* Alleluya.

V. Qui sedes.

AD TERTIAM, *post aspersionem aquæ benedictæ, et post reversionem processionis in chorum : Choro stante in capis sericis : accedant septem seniores ad gradum chori in capis sericis : et ibi incipiatur* Deus in adjutorium *ab excellentiore persona in medio stante : deinde procedant prædicti septem seniores ad gradum altaris, præcedentibus Ceroferariis et septem thuribulis prius ante gradum chori impletis incenso : et ante supremum gradum altaris omnes simul incipiant hunc Hymnum* Veni Creator *cum genuflectione osculantes gradum altaris. Chorus vero cum eisdem genuflectendo, et osculando formulas resurgendo, ex utraque parte simul totum versum stando prosequatur, et interim thurificent prædicti seniores altare, omnes pariter deosculantes altare.*

Hymnus.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.

* 'crapula' *Chevallon.*

Qui Paraclytus diceris
Donum Dei altissimi,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu rite promissum* Patris
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpetim.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus :
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Sit laus Patri.

Hic ordo servetur per omnes versus totius Hymni hac die tantum. Reliquis vero diebus, videlicet in secunda, tertia, quarta feria dicitur Hymnus Veni Creator *ad Tertiam, loco nec habitu mutato, sine thurificatione, et sine genuflexione : ceteris vero diebus, ut in quinta et sexta feria, et sabbato, dicitur Hymnus* Nunc sancte nobis, *cum cantu de Hymno* Veni Creator. *Et notandum quod hac die cantetur Hora Tertia tantum a toto Choro in capis sericis cum Hymno* Veni Creator, *et non alias per totum annum.*

Finito Hymno, scilicet Veni Creator, *septem seniores prædicti facta inclinatione simul ab altari in chorum redeant in capis sericis.*

Ant. Spiritus Domini. *ii. de Laudibus.*

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. Dum complerentur.

R. Repleti sunt omnes Spiritusancto, Alleluya, Alleluya.

V. Et cœperunt loqui. Alleluya, Alleluya. Gloria.

R. Repleti.

V. Loquebantur variis linguis apostoli

R. Magnalia Dei, Alleluya.

Oratio. Deus, qui hodierna die.

Ad Sextam.

Ant. Repleti sunt. *iii. de Laudibus.*

Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (*Actuum ii.* 2.)

Factus est repente de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis : et replevit totam domum ubi erant apostoli sedentes.

R. Loquebantur variis linguis apostoli. Alleluya, Alleluya.

V. Magnalia Dei Alleluya.

V. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.

R. Et hoc.

Oratio, ut supra.

Ad Nonam.

Ant. Loquebantur. *v. de Laudibus.*

Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (*Actuum ii.* 3.)

Apparuerunt apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis : seditque supra singulos eorum Spiritussanctus.

R. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Alleluya, Alleluya.

V. Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Alleluya.

V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ, Alleluya.

Oratio, ut supra.

Ad secundas Vesperas.

Ant. Dum complerentur. *i. de Laudibus.*

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191, *et ceteri Psalmi Dominicales. Et dicuntur cum prædicta Antiphona per totam ebdomadam ad Vesperas, et* [*notandum*] *quod prædicta Antiphona incipiatur ab excellentiore per-*

* 'promisso' *Chevallon.*

sona ex parte Chori post illum qui exequitur officium illius diei.

Capitulum. (*Actuum ii.* 6.)

Convenit multitudo et mente confusa est : quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.

Hoc Capitulum dicitur per totam ebdomadam ad Vesperas.

R. Spiritussanctus.

Hymnus.

Beata nobis gaudia
Anni reduxit orbita,
Cum Spiritus Paraclytus
Effulsit in discipulos.

Ignis vibrante lumine
Linguæ figuram detulit,
Verbis ut essent proflui
Et caritate fervidi.

Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pavent gentilium :
Musto madere deputant
Quos Spiritus repleverat.

Patrata sunt hæc mystice
Paschæ peracto tempore,
Sacro dierum numero
Quo lege fit remissio.

Te nunc, Deus piisime,
Vultu precamur cernuo :
Illapsa nobis cælitus
Largire dona Spiritus.

Dudum sacrata pectora.
Sit laus Patri. [*p.* mii.]

V. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.

Ant. Hodie completi sunt dies Penthecostes, Alleluya, hodie Spiritussanctus in igne discipulis apparuit et tribuit eis carismatum dona : misit eos in universum mundum prædicare et testificari : qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui hodierna die.

AD COMPLETORIUM *omnia fiant ut in Psalterio notantur : tamen hac die, et in tribus diebus sequentibus, pro Hymno dicitur hæc Sequentia* Alma chorus, *et finiatur sic,* Amen : *reliquis vero diebus per ebdomadam dicitur Hymnus* Salvator mundi.

Feria Secunda in ebdomada Penthecostes.

Hac die et in duobus diebus sequentibus idem ordo servetur qui et in secunda feria ebdomadæ Paschæ, ut supra, in Antiphonis incipiendis, Lectionibus legendis, et Responsoriis cantandis.

Invitatorium, Hymni, Antiphonæ, et Psalmi, et Versus sicut in die Penthecostes dicantur. Similiter fiat singulis diebus per ebdomadam.

Evangelium. Secundum Johannem iii. [16—21].

In illo tempore : Dixit Jesus cuidam principi Phariseorum, Sic Deus dilexit mundum : ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Et reliqua.

Sermo ex commentario beati Augustini episcopi. (*Super Johan. tract. xii. d.*)*

Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit Salvator ad mundum. Quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum ? Salvari non vis ab ipso, ex teipso judicaberis. Vide quid ait : Qui credit in eum non judicabitur. Qui autem non credit : quid dicturum putas ? Jam, inquit, judicatus est. Nondum apparuit judicium : sed jam factum est judicium. Novit enim Dominus qui sunt ejus. Novit qui permaneant ad coronam : et qui permaneant ad

* *Augustini* in Joan. Evangelium Tract. XII., *Opera* III. 1823.

flammam. Novit in area sua triticum, novit paleam, novit segetem, novit zizania.

R. Apparuerunt apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis, Alleluya. Seditque supra singulos eorum Spiritus Sanctus, Alleluya.

V. Loquebantur variis linguis apostoli magnalia Dei.

Seditque.

Lectio ii. Jam judicatus est qui non credit. Quare judicatus? Quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc autem est judicium, quia lux venit in mundum: et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim mala opera eorum. Fratres mei: quorum opera bona invenit Dominus? Nullorum. Omnium mala opera invenit Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, et venerunt ad lucem? Et hoc enim sequitur: Qui autem facit veritatem venit ad lucem: ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta.

R. Loquebantur. *Require in Vigilia Penthecostes, ad primas Vesperas.*

Lectio iii. Quomodo quidam bonum opus fecerunt, ut venirent ad lucem, id est ad Christum? Et quomodo quidam dilexerunt tenebras? Si enim omnes peccatores invenit, et omnes a peccato sanat, et serpens ille in quo figurata est mors Domini eos sanat qui morsi fuerant, et propter morsum serpentis erectus est serpens: id est mors Domini propter mortales homines quos invenit injustos: quomodo intelligitur, Hoc est autem judicium quoniam lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim opera eorum mala? Quid est hoc? Quorum enim erant opera bona? Nonne venisti ut justifices impios? Sed dilexerunt, inquit, magis tenebras quam lucem. Ibi posuit vim. Multi enim dilexerunt peccata sua: multi confessi sunt peccata sua. Qui confitetur peccata sua et accusat ea, jam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua. Si et tu accusas, conjungeris Deo. Tu autem.

R. Spiritussanctus.

Ante Laudes V. Emitte Spiritum tuum. *Iste Versus dicitur quotidie ante Laudes per ebdomadam.*

IN LAUDIBUS *dicitur hæc sola Antiphona* Dum complerentur, *et quotidie dicitur per ebdomadam.*

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Capitulum. Factus est repente. *Hoc Capitulum dicitur quotidie ad Matutinas et ad Tertiam per ebdomadam.*

Hymnus. Impleta gaudent (*p.* mvii.).

V. Loquebantur variis linguis.

Ant. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat: sed habeat vitam æternam, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum: ut quibus dedisti fidem, largiaris et pacem. Per Dominum. In unitate ejusdem.

AD PRIMAM.

Ant. Dum complerentur, *ut supra, i. de Laudibus.*

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ant. Gratias tibi Deus.

Ps. Quicunque.

AD TERTIAM ET AD ALIAS HORAS *Antiphonæ, Responsoria, et Versus sicut in die Penthecostes singulis diebus per ebdomadam dicuntur, cum propriis Orationibus.*

AD TERTIAM.

Capitulum. Factus est repente de cælo.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apparuerunt apostolis.

Ad Nonam.

Capitulum. (*Actuum ii.* 4.)

Repleti sunt omnes Spiritu Sancto: et cœperunt loqui variis linguis prout Spiritussanctus dabat eloqui illis.

Hic ordo Capitulorum ad Matutinas et ad alias Horas hujus diei servetur per totam ebdomadam.

Ad Vesperas *omnia fiant sicut in die Penthecostes ad secundas Vesperas, usque ad Antiphonam super Psalmum* Magnificat, *præter Responsorium, quod non dicetur : similiter fiat per totam ebdomadam.*

Ant. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum : sed ut salvetur mundus per ipsum, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui apostolis.

Feria Tertia.

Festum minus duplex.

Evangelium. Secundum Johannem x. [1—7].

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis, Amen, amen dico vobis, Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde : ille fur est et latro. Et reliqua.

Sermo ex commentario beati Augustini episcopi. (*Super Johan. tract. xlv. b.*)*

Ovile Christi est ecclesia catholica. Quicunque vult intrare ad ovile per ostium intret, Christum verum prædicet. Non solum Christum verum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam. Nam multi quærendo gloriam suam oves Christi sparserunt potius quam congregaverunt. Humilis est enim janua Christus Dominus. Qui intrat per hanc januam oportet ut humiliet se, ut sano capite possit intrare. Qui autem se non humiliat sed exaltat, per maceriam vult ascendere. Qui autem per maceriam ascendit ideo exaltatur ut cadat. Tecte tamen adhuc loquitur Dominus Jesus, et nondum intelligitur. Nominat ostium, nominat ovile, nominat oves. Commendat hæc omnia, sed nondum exponit. Legamus ergo quia venturus est ad ea verba in quibus nobis aliqua quæ dixit dignetur exponere : ex quorum expositione dabit nobis fortasse etiam illa quæ non exposuit intelligere. Pascit enim manifestis : exercet obscuris. Tu autem.

R. 1. Advenit ignis divinus non comburens sed illuminans, nec consumens sed lucens : et invenit corda discipulorum receptacula munda. Et tribuit eis carismatum dona, Alleluya. Alleluya.

V. Invenit eos concordes caritate : et illustravit eos inundans divinitas Deitatis.

Et tribuit.

Lectio ii. Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde : væ misero quia casurus est. Sit ergo humilis, per ostium intret : plano pede veniat, et non offendet. Ille (inquit) fur est et latro. Oves suas vult dicere oves alienas : ad hoc suas, id est furto ablatas, non ut salvet, sed ut occidat. Ergo fur est, quia quod alienum est suum dicit. Latro, quia et quod est furatus occidit. Qui autem intrat per ostium pastor est ovium : huic ostiarius aperit. De ostiario isto nunc quæramus : quando ab ipso Domino audierimus quod sit ostium, et quis sit pastor. Et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim. Habet nomina earum scripta in libro vitæ. Proprias oves vocat nominatim. Hinc dicit Apostolus, Novit Dominus qui sunt ejus. Et adducit eas, et cum proprias oves emiserit ante eas vadit : et oves eum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non

* *Augustini* in Joan. Evangel. Tract. xlv., *Opera* iii. 2129.

sequuntur sed fugiunt ab eo : quia non noverunt vocem alienorum.

R. 2. Disciplinam et sapientiam docebat eos Dominus, Alleluya. firmavit in illis gratiam Spiritussancti. Et intellectu implevit corda eorum, Alleluya, Alleluya.

V. Spiritus Domini replevit orbem terrarum : et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.

Et intellectu.

Lectio iii. Tecta sunt hæc plena quæstionibus, gravida sacramentis. Sequamur ergo et audiamus Magistrum ex his obscuris aliquid aperientem, et per id quod aperit nos forte intrare facientem. Hoc proverbium dixit illis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Jesus : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Ecce ipsum ostium quod clausum posuerat aperuit. Ipse est ostium. Agnovimus, intremus : ut nos intrasse gaudeamus. Omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones. Quid est hoc, Domine, omnes quotquot venerunt? Tu non venisti? Sed intelligite. Omnes quotquot venerunt, dixit utique, præter me. Recolamus ergo; ante adventum ipsius venerunt prophetæ. Nunquid latrones et fures fuerunt? Absit. Non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturus præcones mittebat : sed eorum corda quos miserat possidebat.

R. 3. Spiritussanctus.

Ad Laudes, *ut supra.*

Ant. Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium sed ascendit aliunde : ille fur est et latro. qui autem intrat per ostium pastor est ovium, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Assit nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritussancti : quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Ad Vesperas.

Ant. Ego sum ostium, dicit Dominus : per me si quis introierit salvabitur et pascua inveniet, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio, ut supra ad Matutinas.

Feria Quarta.

Festum minus duplex.

Ad Matutinas.

Secundum Johannem vi. [44—51].

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis, Nemo potest venire ad me : nisi Pater qui misit me traxerit eum. Et reliqua.

*Sermo ex commentario beati Augustini episcopi. (Super Johan. tract. xxvi. b.)**

Magna gratiæ commendatio. Nemo venit nisi tractus. Quem trahat, et quem non trahat, quare illum trahat et illum non trahat : noli velle judicare si non vis errare. Semel accipe et intellige. Nondum traheris : ora ut traharis. Quid hic dicemus, fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus, ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Intrare quisquam ecclesiam potest nolens, ad altare accedere potest nolens, accipere sacramentum potest nolens, credere non potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus. Sed non corpore creditur. Apostolum audi. Corde creditur ad justiciam. Et quid sequitur? Ore autem confessio fit ad salutem. De radice cordis surgit ista confessio. Aliquando audis confitentem, et nescis credentem. Sed nec debes vocare confitentem, quem judicas non credentem. Hoc est enim confiteri : dicere quod habes in corde. Si enim

* *Augustini* in Joan. Evangel. Tract. xxvi., *Opera* iii. 1978.

aliud corde habes, aliud dicis : loqueris, non confiteris.

R. 1. Facta autem hac voce convenit multitudo et mente confusa est: quia audiebat unusquisque linguam suam.* Illos loquentes magnalia Dei, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

V. Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilei sunt : et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram.†

Illos.

Lectio ii. Cum ergo in Christum corde credatur, quod nemo utique facit invitus, qui autem trahitur tanquam invitus cogi videtur : quomodo istam solvimus quæstionem, Nemo venit ad me nisi Pater qui misit me traxerit illum? Si trahitur aliquis, invitus venit. Si invitus venit, nec credit. Si non credit, nec venit. Non enim ambulando ad Christum currimus, sed credendo. Nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Ideo illa mulier quæ fimbriam tetigit, magis tetigit quam turba quæ pressit. Ideo Dominus dixit, Quis me tetigit? Et mirantes discipuli dixerunt, Turba te comprimit, et dicis, Quis me tetigit? Et ille repetivit, Tetigit me aliquis. Illa tangit: turba premit. Quid est tetigit, nisi credidit?

R. 2. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis, Alleluya, Alleluya.

V. Omnium est enim artifex omnium habens virtutem : omnia prospiciens.

Et hoc.

Lectio iii. Unde et mulieri illi post resurrectionem dixit volenti se mittere ad pedes ejus, Noli me tangere : nondum enim ascendi ad Patrem meum. Quod vides, hoc solum me esse putas. Noli me tangere. Quid est? Hoc solum me esse putas quod tibi appareo. Noli sic credere : hoc est, Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem. Tibi non ascendi. Nam inde nusquam recessi. In terra non tangebat stantem, quomodo tangeret ad Patrem ascendentem? Sic tamen, sic se tangi voluit, sic tangitur ab eis a quibus bene tangitur. Ascendens ad Patrem manens cum Patre, æqualis Patri. Inde et hic si advertis. Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit. Noli te cogitare invitum trahi. Invitus trahitur animus et amore. Nec timere debemus ne ab hominibus qui verba perpendunt, et a rebus maxime divinis intelligendis longe remoti sunt, in hoc sanctarum Scripturarum evangelico verbo forsitan reprehendamur, et dicatur nobis. Quomodo voluntate credo si trahor? Ego dico, parum voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino : et dabit tibi petitiones cordis tui.

R. 3. Spiritussanctus.

AD LAUDES, *ut supra.*

Ant. Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam, Alleluya, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Mentes nostras, quæsumus, Domine, Spiritussanctus Paraclytus qui a te procedit illuminet : et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum. In unitate ejusdem.

AD VESPERAS.

Ant. Ego sum panis vivus qui de cælo descendi. si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita, Alleluya, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio ut supra ad Matutinas.

* *Legendum cum Portiforiis* 'lingua sua.'

† *Legendum* 'lingua nostra.'

Feria Quinta.

Hac die et duobus diebus sequentibus idem ordo servetur qui in quinta feria ebdomadæ Paschæ, ut supra [p. dccccxxxvii.], *de Invitatorio, in Antiphonis incipiendis, in Versiculis dicendis, et Lectionibus legendis, et in Responsoriis cantandis.*

Evangelium. Secundum Lucam ix. [1—6].

In illo tempore : Convocatis Jesus duodecim apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia : et ut languores curarent. Et reliqua.

Sermo ex commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (*Super Lucam lib.* III. *cap. xxxiii.*)*

Concessa primum potestate signorum, misit prædicare regnum Dei, ut promissorum magnitudini attestaretur etiam magnitudo factorum, fidemque verbis daret virtus ostensa, et nova facerent qui nova prædicarent. Unde nunc quoque, cum fidelium numerositas excrevit, intra sanctam ecclesiam multi sunt qui vitam virtutum tenent, et signa virtutum non habent. Quia frustra miraculum foris ostenditur, si deest quod intus operetur. Nam, juxta magistri gentium vocem, Linguæ in signum sunt non fidelibus sed infidelibus. Tu autem, Domine.

Responsoria dicantur quæ in secunda feria hujus ebdomadæ.

Lectio ii. Et ait ad illos, Nichil tuleritis in via : neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Solet quæri, quomodo Matheus et Lucas commemoraverint dixisse Dominum discipulis suis ut nec virgam ferrent, cum dicat Marcus, Et præcepit eis ne quid ferrent in via nisi virgam tantum. Quod ita solvitur, ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam quæ secundum Marcum ferenda est, et sub alia illam quæ secundum Matheum et Lucam non est ferenda. Sicut sub alia significatione intelligitur tentatio de qua dictum est, Deus neminem tentat, et sub alia illa de qua dictum est, Tentat vos Dominus Deus vester ut sciat si diligitis eum. Illa seductionis est : hæc probationis.

Lectio iii. Utrumque ergo accipiendum est a Domino apostolis dictum, et ut nec virgam ferrent, et ut non nisi virgam ferrent. Cum enim secundum Matheum diceret eis : Nolite possidere aurum neque argentum, et cetera : continuo subjecit : Dignus est enim operarius cibo suo. Ubi satis ostendit cur eos hæc possidere ac ferre noluerit. Non quod necessaria non sint sustentationi hujus vitæ : sed quia sic eos mittebat, ut eis hæc deberi monstraret ab illis quibus evangelium credentibus annunciarent. Claret autem hæc non ita præcepisse Dominum, tanquam evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus quibus annunciarent evangelium : alioquin contra hoc præceptum fecit apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam gravis esset ; sed potestatem dedisse, in qua scirent sibi ista deberi. Cum enim a Domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est. Cum autem potestas datur, licet cuique non uti, et tanquam de suo jure cedere. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit apostolus his qui evangelium annunciant, de evangelio vivere, illa apostolis loquebatur, ut securi non possiderent neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna nec minima.

* *Bedæ* in Lucæ Evangel. cap. IX., *Opera* v. 316.

AD LAUDES, *ut supra.*

Ant. Convocatis Jesus duodecim apostolis : dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent : et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos, Alleluya, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus : ut Spiritus Sanctus* adveniens templum nos gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Per Dominum. In unitate ejusdem.

AD PRIMAM *hac die et duobus diebus sequentibus dicitur super Psalmum* Quicunque *Antiphona* Te jure laudant.

AD VESPERAS.

Ant. Egressi duodecim apostoli circuibant per castella evangelizantes, et curantes ubique, Alleluya, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio, ut supra.

FERIA SEXTA.

AD MATUTINAS.

Evangelium. Secundum Lucam v. cap. [17—26].

In illo tempore : Factum est in una dierum et Jesus sedebat docens. Et reliqua.

Sermo ex commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (*Super Lucam lib.* II. *cap. xvii.*)†

Ubi Dominus sedens docuerit, quando Scribis et Phariseis considentibus paralyticum curavit, Lucas breviandi gratia præterit : sed Matheus et Marcus, qui narrant, quæstionem facere videntur : quoniam quidem Matheus in civitate sua, Marcus in Capharnaum hoc eum fecisse testantur. Quæ difficilius solveretur, si Matheus etiam Nazareth nominaret. Nunc vero vel ipsa Galilea, in qua erat Nazareth, intelligenda est dicta civitas Christi, ad distinctionem videlicet regionis transmarinæ Gerasenorum, de qua transfretando (sicut Matheus scribit) venerat Galileam. Vel certe ipsa Capharnaum civitas Christi est dicta, quam non nascendo, sed virtutibus illustrando suam ipse fecerat.

Responsoria de tertia feria hujus ebdomadæ dicuntur.

Lectio ii. Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paraliticus : et quærebant eum inferre et ponere ante eum. Curatio paralytici hujus animæ post diuturnam illecebræ carnalis inertiam, ad Christum suspirantis, indicat salvationem. Quæ primo omnium ministris qui eam sublevent et Christo offerant, id est bonis doctoribus, qui spem salvationis opemque intercessionis suggerant, indiget. Qui bene Marco narrante quatuor fuisse reperiuntur. Sive quia quatuor sancti evangelii libris omnis prædicantium virtus omnisque sermo firmatur : seu quia quatuor sunt virtutes, quibus ad promerendam sospitatem fiducia mentis erigitur. De quibus in æternæ sapientiæ laude canitur ; Sapientiam enim et sobrietatem docet, et justiciam et virtutem : quibus utilius nichil est in vita hominibus. Quas nonnulli versis nominibus prudentiam, fortitudinem, temperantiam, et justiciam appellant.

Lectio iii. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt super tectum per tegulas. Desiderant paralyticum Christo offerre : sed turba interposita ab omni parte recluduntur. Quia sæpe anima post infirmi corporis desidiam ad Deum respiciens, supernæque gratiæ remedio cupiens innovari, priscæ consuetudinis obstaculo re-

* 'spiritus sanctus' *Chevallonius, qui sæpius* spiritussanctus *scribit.*
† *Bedæ* in Lucæ Evangel. Lib. I. cap. 17, *Opera* v. 275.

tardatur. Sæpe inter ipsas orationis secretæ dulcedines, et quasi suave cum Domino colloquium, turba cogitationum interveniens aciem mentis ne Christus videatur intercludit. Et quid inter hæc agendum? Non utique in infimis exterius qua turbæ tumultuantur remanendum, sed tectum domus in qua Christus docet ascendendum, id est Sacræ Scripturæ sublimitas est appetenda, lexque Domini cum Psalmista die noctuque meditanda. In quo enim corrigit junior viam suam? In custodiendo, inquit, sermones tuos.

Ad Benedictus *Ant.* Factum est in una dierum et Jesus sedebat docens, et erant Pharisei sedentes et legis doctores qui venerant ex omni castello Galileæ et Judeæ et Hierusalem : et virtus erat Domini ad sanandum eos, Alleluya, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Da, quæsumus, ecclesiæ tuæ, omnipotens et misericors Deus : ut Spiritusancto congregata hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Ad Vesperas.

Ant. Tulit ergo paralyticus lectum suum in quo jacebat magnificans Deum : et omnis plebs ut vidit dedit laudem Deo, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio ut supra, et cetera.

Sabbato.

Ad Matutinas.

Secundum Lucam iiii. [38—43].

In illo tempore : Surgens Jesus de synagoga : introivit in domum Symonis. Socrus autem Symonis : tenebatur magnis febribus. Et reliqua.

Sermo ex commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (*Super Lucam* II. *cap.* 14.)*

Si virum a dæmonio liberatum moraliter animum ab immunda cogitatione purgatum significare dixerimus, consequenter femina febribus tenta sed ad imperium Domini curata carnem ostendit a concupiscentiæ suæ fervore per continentiæ præcepta frenatam. Omnis enim amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia spiritus immundi fervor est. Fornicationem vero, et immundiciam, libidinem, et concupiscentiam malam, et avariciam (quæ est simulachrorum servitus) febrem illecebrosæ carnis intellige. Et rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam imperavit febri, et dimisit illam. Tu autem.

Responsoria de quarta feria hujus ebdomadæ dicantur.

Lectio ii. Modo Salvator rogatus, modo ultro curat ægrotos, ostendens se contra peccatorum quoque passiones et precibus semper annuere fidelium, et ea quæ ipsi in se minime intelligunt vel intelligenda dare, vel etiam non intellecta dimittere : juxta quod Psalmista postulat, Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine. Et continuo surgens ministrabat illis. Naturale est febricitantibus incipiente sanitate lacessere†, et ægrotationis sentire molestiam. Verum sanitas quæ Domini confertur imperio tota simul redit. Nec solum ipsa redit, sed et tanto robore comitante ut eis continuo qui se adjuverant ministrare sufficiat : et juxta legis tropologiam membra quæ servierant immundiciæ ad iniquitatem, ut fructum facerent morti, serviant justitiæ in vitam æternam.

* *Bedæ* in Lucæ Evangel. Lib. II. cap. 14, *Opera* v. 268.
† 'lacescere' *Chevallon.* 'lassescere' *Legenda* 1518.

Lectio iii. Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens curabat eos. Solis occubitus passionem mortemque significat illius qui dixit, Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi. Et sole occidente plures dæmoniaci quam ante, plures sanantur ægroti : quia qui temporaliter in carne vivens paucos Judeorum docuit, calcato regno mortis omnibus per orbem gentibus fidei salutisque dona transmisit. Cujus ministris quasi vitæ lucisque præconibus Psalmista canit, Iter facite ei qui ascendit super occasum. Super occasum quippe Dominus ascendit, quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. Tu autem, Domine.

AD LAUDES.

Ant. Vespere autem facto cum sol occidisset : veniebant ad Jesum omnes male habentes : at ille singulis manus imponens curabat eos.

Ps. Benedictus.

Tunc sequitur Oratio.

Mentibus nostris, quæsumus, Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde : cujus et sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur. Per Dominum nostrum. In unitate ejusdem.

Si aliquod Festum in hac ebdomada evenerit : idem ordo servetur qui in ebdomada Paschæ, nisi de jejunio.

Itaque completo septiformi Festo Penthecostes septem diebus, octava die scilicet proxima Dominica post Penthecosten fiat Festum de Sancta Trinitate, in quo tamen non eat processio ad Vesperas ante crucem, sicut in reliquis Sabbatis per æstatem.

IN DIE TRINITATIS.

1. A. In Die Sanctæ Trinitatis totum servitium de Festo. Ad ii. vesperas de Trinitate solennis memoria de commemoratione.

Feria ii., iii., iv. de commemorationibus, et memoria de Octavis cum Antiphonis de nocturnis.

Feria v. de Corpore Christi, et nichil de Octavis Trinitatis nisi festum Trinitatis fit festum loci, tunc fiat solennis memoria de Octavis et festum S. Aldelmi differatur usque in Sabbatum, et nichil de S. Urbano. Ad ii. vesperas de Corpore Christi solennis memoria de S. Augustino cum pleno servitio in crastino.

Feria vi. de S. Augustino. Ad matutinas primo fiat memoria de Octavis Trinitatis sub silentio : deinde de Octavis Corporis Christi solenniter cum antiphonis quæ dicuntur ad i. vesperas. Ad ii. vesperas de S. Augustino memoria de Trinitate sub silentio : deinde de S. Aldelmo et de Octavis Corporis Christi solenniter.

Sabbato de S. Aldelmo : et mediæ lectiones de Corpore Christi cum responsoriis de i. nocturno. Ad matutinas memoria de Octavis Corporis Christi, et de Octavis Trinitatis. Nonum responsorium a duobus cantetur.

2. A. In die S. Trinitatis totum servitium de Festo, et nichil de Sancto [Germano]. Ad ii. vesperas memoria de commemoratione solennis.

Feria ii. et iv. de commemoratione, et nichil de tertia commemoratione.

Feria iii. de S. Augustino, et memoria de Octavis Trinitatis sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de S. Petronilla et de Octavis sub silentio : deinde solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam* cum pleno servitio in crastino.

Feria v. de Festo Corporis Christi, et nichil de Sancto [Nichomede]. Quotidie infra Octavas et in Octava dicitur Sequentia *Ecce panis angelorum* secundum usum Romanum, sed secundum usum Sarum non dicitur Sequentia.

3. A. In die S. Trinitatis de solennitate festi. Ad ii. vesperas solennis memoria de commemoratione et nichil de Sanctis [Bonifacio et Sociis].

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus.

Feria v. Festum Corporis Christi : et habet Octavas cum regimine chori. Ad ii. vesperas fiat memoria de S. Edmundo et de Martyribus [Primo et Feliciano] sub silentio.

Feria vi. de S. Edmundo : et mediæ lectiones de Martyribus et memoria de Martyribus, de Octavis Corporis Christi, et de Octavis Trinitatis.

4. A. In die S. Trinitatis totum servitium de Festo, et Festum S. Barnabæ differatur in crastinum. Ad ii. vesperas memoria de Apostolo et Martyribus [Basilide Cirino Nabore et Nazario] sub silentio.

Feria ii. de Apostolo, et mediæ lectiones de Martyribus. Secundæ vesperæ erunt de Apostolo et memoria de festo loci et de Octavis cum pleno servitio in crastino.

Feria iii. et iv. de commemoratione*, et memoria de Sanctis [Basilide &c. et Basilio] et de Octavis.

* 'de commemorationi.' (i.e. de commemorationibus) *Chevallonius, quod alias per* 'comme.' 'cōme.' *et similia abbreviat, vix tribus locis singulari usus* 'commemoratione'

Feria v. de Festo Corporis Christi. Ad ii. vesperas memoria de S. Richardo et de Martyribus [Cirico et Julitta] sub silentio.

Feria vi. de S. Richardo, ix. lectionum, et mediæ lectiones de Martyribus. Nonum responsorium cantetur a duobus propter Octavas. Memoria de Martyribus, de Octavis Corporis Christi, et de Octavis Trinitatis: hymnus *Salvator* cum versu *Deo Patri.*

5. A. In die S. Trinitatis totum servitium de Festo, et nichil de Martyribus [Marco et Marcelliano]. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de commemoratione, et nichil de Martyribus [Gervasio et Prothasio].

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus, et memoria de Sanctis [Gervasio et Prothasio, et Edwardo] et de Octavis.

Feria v.* de Festo Corporis Christi, et Festum S. Albani differatur in crastinum. Ad ii. vesperas fiat memoria de S. Albano et de Virgine [Etheldreda] sub silentio.

Feria vi. de S. Albano, ix lectionum, mediæ lectiones de Virgine cum responsorio *Regnum mundi,* et memoria de Virgine et de utrisque Octavis. Missa de Vigilia dicitur ad principale altare post sextam. Tamen in diocesi Eliensi in vi. Feria fiat servitium de S. Etheldreda, duplex festum; et Festum S. Albani eo anno omnino omittatur. Et tunc ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Etheldreda, fiat solennis memoria de Sancto Joanne et de Octavis Corporis Christi. In aliis locis ad i. vesperas de S. Joanne fiat memoria sub silentio de S. Albano : deinde solennis memoria de Octavis Corporis Christi, et nichil de Octavis Trinitatis. Ad matutinas et ad missam memoria de Octavis Corporis Christi, et nichil de Octavis Trinitatis.

1. B. In Die Sanctæ Trinitatis totum servitium de Festo. Ad ii. vesperas memoria de festo loci solenniter.

Feria ii. et iii. de commemoratione.

Feria iv. de S. Aldelmo, ix lectionum, et mediæ lectiones de S. Urbano, et memoria de Octavis.

Feria v. Festum Corporis Christi : et Festum S. Augustini differatur in crastinum. Ad i. vesperas fiat memoria de S. Aldelmo sub silentio tantum. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de S. Augustino tantum†.

Feria vi. de S. Augustino, et memoria sub silentio de Octavis Trinitatis : deinde solennis memoria de Octavis Corporis Christi ad matutinas ad missam et ad vesperas.

2. B. In die S. Trinitatis totum servitium de Festo. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci.

Feria ii. et iv. de commemoratione.

Feria iii. de S. Augustino, et memoria de Virgine [Petronilla] et de Octavis Trinitatis sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de Sancto [Nichomede] et de Octavis Trinitatis sub silentio : deinde solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria v. Festum Corporis Christi, et nichil de Martyribus [Marcellino et Petro].

(*videlicet ad finem picæ* de Dominica IV. post Pascha, *et in hac Pica* de Die Trinitatis ad 1. B. et 3. E.). *Nos vero in hac editione nostra pluralem numerum non nisi ternis commemorationibus concessimus. Ubicunque enim una commemoratio, vel duo, in qualibet hebdomada contigerint* 'de commemoratione' *scripsimus, non* de commemorationibus.

* 'F. e. 5.' *Chevallon.*

† 'tatum.' *Chevallon., sed in exemplari quodam in Bibliotheca Acad. Cant.* 'tãtum.'

3. B. In die S. Trinitatis, de Trinitate. Ad ii. vesperas memoria de commemoratione solenniter.

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus, et memoria de Sanctis [Medardo et Gildardo] et de Octavis.

Feria v. Festum Corporis Christi et nichil de Martyribus [Primo et Feliciano], et Festum S. Edmundi differatur in crastinum. Ad ii. vesperas fiat memoria sub silentio de S. Edmundo.

Feria vi. de S. Edmundo, ix lectionum, et mediæ lectiones de Octavis Corporis Christi; et memoria de utrisque Octavis. Secundæ vesperæ erunt de S. Edmundo : et memoria de Apostolo [Barnaba] et de utrisque Octavis.

Sabbato de Apostolo, et mediæ lectiones de Octavis Corporis Christi.

4. B. In die S. Trinitatis totum servitium de Trinitate et nichil de Martyribus [Basilide &c.]. Ad vesperas solennis memoria de commemoratione.

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus, et memoria de Sanctis [Basilio, et Vito Modesto &c.] et de Octavis.

Feria v. de Festo Corporis Christi, et nichil de Martyribus [Cirico et Julitta], et Festum S. Richardi differatur in crastinum. Ad ii. vesperas fiet memoria privatim de Confessore [Richardo].

Feria vi. de S. Richardo, ix lectionum, et mediæ lectiones de Octavis Corporis Christi, et memoria de utrisque Octavis.

5. B. In die S. Trinitatis totum servitium de Trinitate. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci.

Feria ii. et iii. de commemoratione.

Feria iv. de S. Albano : mediæ lectiones de Octavis Trinitatis.

Feria v. Festum Corporis Christi. Ad i. vesperas memoria sub silentio de S. Albano, et nichil de S. Etheldreda : tamen in dyocesi Eliensi festum S. Etheldredæ differatur in Sabbatum, et ad ii. vesperas de S. Johanne fiat solennis de S. Etheldreda et de Octavis Corporis Christi cum pleno servitio in crastino. Missa de Vigilia cantetur ad summum altare post missam de die cum memoria de S. Etheldreda. Ad ii. vesperas solennis memoria de S. Johanne.

Feria vi. de S. Johanne, et solennis memoria de Octavis Corporis Christi ad matutinas et ad missam et ad vesperas, et nichil de Octavis Trinitatis.

1. C. In Die Sanctæ Trinitatis totum servitium de Trinitate. Ad ii. vesperas solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria ii. de S. Maria, et memoria de Octavis.

Feria iii. de S. Aldelmo, ix lectionum, et mediæ lectiones de Martyre [Urbano], et memoria de Octavis.

Feria iv. de S. Augustino. Ad i. vesperas memoria de Octavis sub silentio : deinde solennis memoria de S. Aldelmo.

Feria v. Festum Corporis Christi. Ad i. vesperas solennis memoria de S. Augustino, et nichil de Octavis Trinitatis.

2. C. In die S. Trinitatis totum servitium de Festo. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci.

Feria ii. et iv. de commemoratione.

Feria iii. de S. Augustino, et memoria de Sancto [Nichomede] et de Octavis sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de Martyribus [Marcellino

et Petro] et de Octavis sub silentio : deinde memoria de S. Maria solenniter cum Ant. *Sub tuam.*

Feria v. Festum Corporis Christi.

3. C. In die S. Trinitatis totum servitium de Festo. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci.

Feria ii. et iii. de commemoratione.

Feria iv. de S. Edmundo, mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano], et memoria tantum de Octavis.

Feria v. de Festo Corporis Christi. Ad i. vesperas fiat memoria de S. Edmundo sub silentio. Ad ii. vesperas fiat memoria sub silentio de Apostolo [Barnaba].

Feria vi. de Apostolo : mediæ lectiones de Octavis Corporis Christi et memoria de utrisque Octavis.

Sabbato de Octavis cum versiculis et responsoriis de ii. nocturno, et memoria de Martyribus [Basilide, Cirino &c.] et de Octavis Trinitatis.

4. C. In die S. Trinitatis omnia patent. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci.

Feria ii. et iii. de commemoratione, et memoria de Sanctis [Basilio, et Vito ac Modesto et Crescentia] et de Octavis.

Feria iv. de S. Richardo, ix lectionum ; mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta] et non de Octavis.

Feria v. de Festo Corporis Christi. Ad i. vesperas fiat memoria sub silentio de S. Richardo.

5. C. In die S. Trinitatis patet. Ad ii. vesperas solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria ii. de S. Maria et memoria de Octavis.

Feria iii. de S. Albano, et mediæ lectiones de Octavis Trinitatis.

¶ Hic incipiunt Exequiæ Mortuorum.

Feria iv. de S. Etheldreda cum nocturno. 3. Responsorium *Regnum mundi.* Missa de Vigilia. Festum S. Johannis Baptistæ differatur in crastinum.

Feria v. de Festo Corporis Christi. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de S. Johanne.

Feria vi. de S. Johanne et solennis memoria de Octavis Corporis Christi ad matutinas et ad missam, et nichil de Octavis Trinitatis. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de Martyribus [Johanne et Paulo] et de Octavis Corporis Christi, et memoria* de Octavis Trinitatis.

1. D. In Die Sanctæ Trinitatis patet. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci.

Feria ii. et iv. de commemoratione.

Feria iii. de S. Dunstano ; mediæ lectiones de Octavis Trinitatis cum versiculis et responsoriis de i. nocturno, et tantum memoria de S. Potentiana, et postea memoria de Octavis.

Feria v. de Festo Corporis Christi.

2. D. In die S. Trinitatis patet. Ad ii. vesperas fiat memoria de S. Aldelmo sub silentio, et de S. Urbano.

Feria ii. de S. Aldelmo ; mediæ lectiones de S. Urbano, et memoria de Octavis. Ad vesperas, de S. Augustino, fiat memoria sub silentio de Octavis : deinde solennis memoria de S. Aldelmo.

* 'nichil' *Chevallon.* 'licet de trinitate priuatim' Directorium 1495

Feria iii. de S. Augustino, et memoria de Octavis sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de Octavis sub silentio : deinde solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria iv. de S. Maria.

Feria v. Festum Corporis Christi, et nichil de Sancto [Germano].

3. D. In die S. Trinitatis patet : et nichil de S. Petronilla. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci tantum.

Feria ii. de commemoratione, et memoria de Martyre [Nichomede] et de Octavis.

Feria iii. de S. Augustino, et memoria de Martyribus [Marcellino et Petro] et de Octavis sub silentio. Ad ii. vesperas fiat memoria de Octavis sub silentio : deinde solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria iv. de S. Maria.

Feria v. Festum Corporis Christi. Ad ii. vesperas nulla memoria de Sanctis [Bonifacio et sociis].

4. D. In die S. Trinitatis patet. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci, et nichil de Sanctis [Medardo et Gildardo].

Feria ii. et iv. de commemoratione.

Feria iii. de S. Edmundo, ix lectionum, mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano], et memoria de Octavis.

Feria v. de Festo Corporis Christi. Festum S. Barnabæ differatur in crastinum. Ad ii. vesperas fiat memoria de Apostolo et de Martyribus sub silentio.

Feria vi. de Apostolo; et mediæ lectiones de Martyribus [Basilide Cirino &c.] cum versiculis et responsoriis de ii. nocturno, et memoria de utrisque Octavis. Vesperæ erunt de Apostolo, et memoria de Octavis.

5. D. In die S. Trinitatis patet, et nichil de Sancto [Basilio]. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci, et nichil de Martyribus [Vito Modesto &c.].

Feria ii. et iv. commemoratione.

Feria iii. de S. Richardo, novem lectionum; mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta], et memoria de Octavis.

Feria v. Festum Corporis Christi, et nichil de Martyribus [Marco et Marcelliano]. Ad ii. vesperas nulla memoria.

Feria vi. et Sabbato de Octavis, et memoria de Sanctis [Gervasio et Prothasio] et de Octavis Trinitatis.

1. E. In Die Sanctæ Trinitatis patet. Ad ii. vesperas memoria de S. Dunstano et de Virgine [Potentiana] sub silentio.

Feria ii. de S. Dunstano, ix lectionum; et mediæ lectiones de Octavis et memoria tantum de Virgine, et postea de Octavis. Secundæ vesperæ erunt de S. Dunstano: et memoria de festo loci et de Octavis.

Feria iii. et iv. de commemoratione.

Feria v. Festum Corporis Christi, et [ad i. vesperas] nulla memoria.

2. E. In die S. Trinitatis patet : et nichil de S. Urbano. Festum S. Aldelmi differatur in iii. Feriam. Ad ii. vesperas Trinitatis solennis memoria de S. Augustino.

Feria ii. de S. Augustino, et memoria de Octavis sub silentio. Ad ii. vesperas, memoria de Octavis sub silentio : deinde solennis memoria de S. Aldelmo.

Feria iii. de S. Aldelmo, et memoria et mediæ lectiones de Octavis Trinitatis. Secundæ vesperæ erunt de Sancto [Germano] : et memoria de S. Maria : cum Ant. *Sub tuam*, et de Octavis.

Feria iv. de S. Maria.

Feria v. Festum Corporis Christi, et [ad ii. vesperas] nulla memoria.

3. E. In die S. Trinitatis patet : et nichil de Martyre [Nichomede]. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci et nichil de Martyre.

Feria ii. de commemoratione, et memoria de Martyribus [Marcellino et Petro] et de Octavis.

Feria iii. de S. Augustino; memoria de Octavis sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de Octavis sub silentio : deinde solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria iv. de S. Maria : et memoria* de Octavis.

Feria v. Festum Corporis Christi, et nichil de Sanctis [Bonifacio et Sociis].

4. E. In die S. Trinitatis patet; et nichil de Sanctis [Medardo et Gildardo]. Ad ii. vesperas memoria sub silentio† de S. Edmundo : et de Martyribus [Primo et Feliciano].

Feria ii. de S. Edmundo; mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano], et memoria de Octavis. Vesperæ erunt de S. Edmundo, et memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam*, et de Octavis.

Feria iii. de S. Maria, et memoria de Octavis.

Feria iv. de Apostolo [Barnaba]; mediæ lectiones de Octavis Trinitatis cum versiculis et responsoriis de i. nocturno.

Feria v. Festum Corporis Christi. Ad i. vesperas memoria de Apostolo sub silentio et nichil de Martyribus [Basilide &c.]. Ad ii. vesperas nulla memoria.

5. E. In die S. Trinitatis patet; et nichil de Martyribus [Vito &c.]. Ad ii. vesperas memoria de S. Richardo, et memoria de Martyribus [Cirico et Julitta] sub silentio.

Feria ii. de S. Richardo, ix lectionum; mediæ lectiones de Martyribus, et memoria de Octavis. Secundæ vesperæ erunt de S. Richardo : et memoria de festo loci : et de Octavis.

Feria iii. et iv. de commemoratione, et memoria de Sanctis [Marco et Marcelliano] et de Octavis.

Feria v. Festum Corporis Christi, et nichil de Sanctis [Gervasio et Prothasio]. Ad ii. vesperas nulla memoria.

Feria vi. et Sabbato de Octavis, et memoria de Sancto‡ [Edwardo].

1. F. In Die Sanctæ Trinitatis patet : et nichil de Virgine [Potentiana]. Festum S. Dunstani differatur in crastinum. Ad ii. vesperas memoria sub silentio de S. Dunstano tantum.

Feria ii. de S. Dunstano; et mediæ lectiones de Octavis Trinitatis. Vesperæ erunt de Festo : et memoria de festo loci, et de Octavis.

Feria iii. et iv. de commemoratione et memoria de Octavis.

Feria v. Festum Corporis Christi.

Sabbato de S. Aldelmo, ix lectionum. Ad i. vesperas, quæ erunt de Sancto, fiat memoria de Martyre [Urbano], et memoria de utrisque Oc-

* 'mediæ lectiones' *Portif.* 1519. 1557. † 'Ad ii. vesperas nulla memo.' *Portif.* 1519.
‡ 'sctis' *Chevallon.* 'sanctis' *Portif.* 1557.

tavis. Ad matutinas mediæ lectiones de S. Urbano : et memoria de utrisque Octavis.

2. F. In die S. Trinitatis patet, et Festum S. Augustini differatur in crastinum. Ad ii. vesperas solennis memoria de S. Augustino.

Feria ii. de S. Augustino; et memoria de Octavis sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de Sancto [Germano] et de Octavis sub silentio : deinde solennis memoria de festo loci.

Feria iii. et iv. de commemoratione; et memoria de Sancto [Germano] et de Octava.

Feria v. Festum Corporis Christi. Ad ii. vesperas nulla memoria.

3. F. In die S. Trinitatis patet. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci.

Feria ii. et iv. de commemoratione.

Feria iii. de S. Augustino, et memoria de Octavis sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de Martyribus [Bonifacio et Sociis], et de Octavis sub silentio : deinde solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria v. Festum Corporis Christi. Ad ii. vesperas nulla memoria.

4. F. In die S. Trinitatis patet; et nichil de Martyribus [Primo et Feliciano]. Festum S. Edmundi differatur in crastinum. Ad ii. vesperas memoria de S. Edmundo sub silentio tantum.

Feria ii. de S. Edmundo, ix lectionum; et mediæ lectiones de Octavis Trinitatis. Vesperæ erunt de S. Edmundo : et memoria de Apostolo [Barnaba] et de Octavis.

Feria iii. de Apostolo ; et mediæ lectiones de Octavis Trinitatis. Vesperæ erunt de Apostolo; et memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam;* et memoria de Martyribus [Basilide Cirino &c.] et de Octavis.

Feria iv. de S. Maria : et duæ memoriæ.

Feria v. Festum Corporis Christi. Ad ii. vesperas nulla memoria.

5. F. In die S. Trinitatis patet; et nichil de Martyribus [Cirico et Julitta]; et Festum S. Richardi differatur in crastinum. Ad ii. vesperas memoria de S. Richardo sub silentio.

Feria ii. de S. Richardo, ix lectionum; mediæ lectiones de Octavis Trinitatis. Vesperæ erunt de S. Richardo; et memoria de festo loci, et de Martyribus [Marco et Marcelliano], et de Octavis.

Feria iii. et iv. de commemoratione.

Feria v. Festum Corporis Christi; et nichil de Sancto [Edwardo].

Sabbato de S. Albano. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Albano, memoria de utrisque Octavis. Mediæ lectiones de Octavis Corporis Christi, et solennis memoria de Octavis Trinitatis.

1. G. In Die Sanctæ Trinitatis patet. Ad ii. vesperas solennis memoria de commemoratione.

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus; memoria de Octavis.

Feria v. Festum Corporis Christi. Ad ii. vesperas fiat memoria sub silentio de S. Aldelmo : et de S. Urbano.

Feria vi. de S. Aldelmo, et mediæ lectiones de Sancto [Urbano], et memoria de utrisque Octavis.

Sabbato de S. Augustino. Ad i. vesperas memoria de Octavis Trinitatis sub silentio : deinde solennis memoria de S. Aldelmo, et de Octavis Corporis Christi.

2. G. In die S. Trinitatis patet. Ad ii. vesperas memoria de festo loci solenniter; et nichil de Sancto [Germano].

Feria ii. de festo loci; et memoria de Sancto [Germano], et de Octavis.

Feria iii. de S. Augustino; et memoria de Octavis sub silentio ad vesperas et ad matutinas. Ad ii. vesperas memoria privatim de Octavis : deinde solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria iv. de S. Maria.

Feria v. Festum Corporis Christi : et nichil de Virgine [Petronilla]. Ad ii. vesperas nulla memoria.

3. G. In die S. Trinitatis. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci.

Feria ii. de festo loci; et memoria de Octavis.

Feria iii. de S. Augustino; et memoria sub silentio de Sanctis [Bonifacio et Sociis] et de Octavis. Ad ii. vesperas memoria de Octavis sub silentio : deinde solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria iv. de S. Maria.

Feria v. Festum Corporis Christi. Ad ii. vesperas nulla memoria.

Sabbato de S. Edmundo. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Edmundo, fiat memoria de Martyribus [Primo et Feliciano], et de utrisque Octavis. Ad matutinas mediæ lectiones de Martyribus, et memoria de utrisque Octavis.

4. G. In die S. Trinitatis patet. Ad ii. vesperas memoria de Apostolo [Barnaba] sub silentio.

Feria ii. de Apostolo : et mediæ lectiones de Octavis Trinitatis. Vesperæ erunt de Apostolo; et memoria de festo loci : de Martyribus [Basilide Cirino &c.] et de Octavis.

Feria iii. et iv. de commemoratione; et memoria de Sanctis [Basilide &c.], et de Octavis.

Feria v. Festum Corporis Christi : et nichil de Sancto [Basilio]. Ad ii. vesperas nulla memoria.

Sabbato de S. Richardo, ix lectionum; et mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta]; et memoria de utrisque Octavis.

5. G. In die S. Trinitatis patet. Ad ii. vesperas solennis memoria de commemoratione, et nihil* de Martyribus [Marco et Marcelliano].

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus; et memoria de Sanctis [Marco et Marcelliano, Gervasio et Prothasio, et Edwardo], et de Octavis.

Feria v. Festum Corporis Christi. Ad ii. vesperas fiat memoria sub silentio de S. Albano.

Feria vi. de S. Albano, ix lectionum; et mediæ lectiones de Octavis Corporis Christi. Nonum responsorium a duobus cantetur propter Octavas. Ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Albano, memoria de S. Etheldreda, et de utrisque Octavis.

Sabbato de Octavis Corporis Christi, et memoria de Virgine [Etheldreda], et de Octavis Trinitatis. Missa de Vigilia cantetur ad summum altare post Sextam; et memoria de S. Etheldreda.

* 'nihil' *Chevallon.*

[IN FESTO SANCTÆ TRINITATIS.]

In Festo Sanctæ Trinitatis ad primas Vesperas, et ad secundas Vesperas, et ad Matutinas omnes Antiphonæ incipiantur sicut in Vigilia Natalis Domini ad primas Vesperas supra dictum est.

Ad primas Vesperas.

Ant. Gloria tibi, Trinitas,
Æqualis una Deitas,
Et ante omnia secula,
Et nunc, et in perpetuum.

Ps. Laudate pueri (*cxii.* p. 193).

Ant. Laus et perennis gloria
Deo Patri, et Filio,
Sancto simul Paraclito,
In secula seculorum.

Ps. Laudate Dominum, omnes gentes (*cxvi.* p. 197).

Ant. Gloria laudis resonet in ore
Omnium Patri genitæque Proli:
Spirituisancto pariter resultet
Laude perenni.

Ps. Lauda, anima mea, Dominum (*cxlv.* p. 218).

Ant. Laus Deo Patri genitæque Proli:
Et tibi, Sancte, studio perenni,
Spiritus, nostro resonet ab ore
Omne per ævum.

Ps. Laudate Dominum, quoniam bonus (*cxlvi.* p. 218).

Ant. Ex quo omnia, per quem omnia: in quo omnia, ipsi gloria in secula.

Ps. Lauda Hierusalem (*cxlvii.* p. 219).

Capitulum. (2 *Cor. ultimo.*)

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit semper cum omnibus nobis.

R. Honor virtus.

Hymnus.

Adesto, Sancta Trinitas,
Par splendor, una Deitas:
Qui extas rerum omnium
Sine fine principium.

Te cælorum militia
Laudat, adorat, prædicat,
Triplexque mundi machina
Benedicit per secula.

Assumus et nos cernui
Te adorantes famuli:
Vota precesque supplicum
Hymnis junge cælestium.

Unum te lumen credimus
Quod et ter idem colimus:
Alpha et oo quem dicimus
Te laudat omnis spiritus.

Laus Patri sit ingenito,
Laus ejus Unigenito:
Laus sit Sancto Spiritui,
Trino Deo et simplici. Amen.

V. Benedicamus Patrem et Filium: cum Sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in secula.

Ant. Gratias tibi, Deus,
Gratias tibi, vera, una Trinitas:
Una et summa Deitas,
Sancta et una Unitas.

Ps. Magnificat.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare Unitatem : quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis : qui vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum.

R. Amen.

Ad Completorium *omnia fiant sicut in Psalterio notantur.*

Notandum quod hæc sunt Festa in quibus dicuntur Matutinæ hora Vesperarum secundum usum Sarisburiensis Ecclesiæ : videlicet,

in Festo Sanctæ Trinitatis, et

in Festo Corporis Christi, et

in Nativitate sancti Johannis Baptistæ,

in Festo Apostolorum Petri et Pauli,

in Translatione sancti Thomæ martyris,

in Festo Reliquiarum,

in Festo loci et Dedicatione ecclesiæ, si a Festo Sanctæ Trinitatis usque ad Festum Reliquiarum fortasse contigerit tantum.

Ad Matutinas.

Festum majus duplex.

Invitatorium. Deum verum unum in Trinitate et Trinitatem in Unitate. Venite adoremus.

Ps. Venite.

Hymnus. Adesto, Sancta Trinitas.

In primo Nocturno.

Ant. Adesto, Deus unus omnipotens, Pater et Filius et Spiritussanctus.

Ps. Domine, Dominus noster (*viii.* p. 11).

Ant. Te Unum in substantia, Trinitatem in personis confitemur.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

Ant. Te semper idem esse, vivere, et intelligere profitemur.

Ps. Domini est terra (*xxiii.* p. 40).

V. Benedicamus Patrem et Filium.

R. Laudemus.

Lectio i. Credimus Sanctam Trinitatem, id est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, unius substantiæ, unius essentiæ, unius potestatis, Creatorem omnium creaturarum : a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Patrem a seipso non ab alio, Filium a Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero : non tamen duo lumina, sed unum lumen. Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedentem : consubstantialem et coæternum Patri et Filio. Tu autem, Domine.

R. 1. Benedicat nos Deus, Deus noster : benedicat nos Deus. Et metuant eum omnes fines terræ.

V. Deus misereatur nostri et benedicat nos Deus.

Et metuant eum.

Lectio ii. Pater est plenus Deus in se, Filius plenus Deus a Patre genitus, Spiritus Sanctus plenus Deus a Patre et Filio procedens. Non tamen tres Deos dicimus : sed unum Deum, omnipotentem, æternum, invisibilem, incommutabilem* qui totus ubique est, totus ubique præsens : non per partes divisus, sed totus in omnibus, non localiter sed potentialiter. Qui sine commutatione sui mutabilia creavit, et creata gubernat : semper manens quod est. Cui nichil accidens esse poterit : quia simplici Divinitatis naturæ nichil addi nichil minui potest, quia semper est quod est, cui proprium est, cui sempiternum est, cui idem est, esse, vivere, intelligere. Tu autem.

* 'inuisibilem, commutabilem,' *Chevallon.* 'incommutabilem' *Legenda* 1518.

R. 2. Benedictus Dominus Deus Israel qui facit mirabilia solus. Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum.

V. Replebitur majestate ejus omnis terra, fiat, fiat.

Et benedictum.

Lectio iii. Et hæc tria unus Deus : et unus Deus hæc tria. Idem Deus et Dominus vera et sempiterna Trinitas est in personis, vera et sempiterna Unitas in substantia : quia una est substantia Pater et Filius et Spiritussanctus. Hæc vero sancta Trinitas nichil majus est in tribus personis simul nominatis, quam in una qualibet persona semel dicta : quia una quæque persona plena est substantia in se. Tu autem.

R. 3. Quis Deus magnus sicut Deus noster. Tu es Deus Qui facis mirabilia.

V. Notam fecisti in populis virtutem tuam : redemisti in brachio tuo populum tuum.

Tu. Gloria. Qui facis.

In secundo Nocturno.

Ant. Te invocamus, te adoramus, te laudamus, O beata Trinitas.

Ps. Deus noster refugium (*xlv.* p. 103).

Ant. Spes nostra, salus nostra, honor noster, O beata Trinitas.

Ps. Omnes gentes (*xlvi.* p. 103).

Ant. Libera nos, salva nos, justifica nos, O beata Trinitas.

Ps. Magnus Dominus (*xlvii.* p. 104).

V. Benedictus es, Domine, in firmamento cæli.

R. Et laudabilis et gloriosus in secula.

Lectio iiii. Non tamen tres substantiæ : sed unus Deus, una substantia, una potentia, una essentia, una æternitas, una magnitudo, una bonitas, Pater, et Filius, et Spiritussanctus. Nec est aliud Pater in natura quam Filius vel Spiritussanctus in natura, nec aliud Filius et Spiritussanctus quam Pater in natura, sed alius est Pater in persona, alius Filius in persona, alius Spiritussanctus in persona. In Patre manet æternitas : in Filio æqualitas : in Spiritusancto æternitatis æqualitatisque connexio : unum omnes in substantia, et essentia, et omnipotentia, et Deitate. Sicut enim eadem Sancta Trinitas inseparabilis est in substantia, ita inseparabilis est in operibus.

R. 4. Magnus Dominus noster et magna virtus ejus. Et sapientiæ ejus non est numerus.

V. Magnus Dominus et laudabilis nimis : et magnitudinis ejus non est finis.

Et sapientiæ.

Lectio v. Quamvis quædam opera Dei quibusdam personis specialiter conveniant, sicut Patri vox illa quæ de cælo sonuit super Christum baptizatum : et ad Filii personam humanitatis tantummodo pertinet susceptio, et Spiritussancti personæ proprie congruit illa columba, in cujus specie idem Spiritussanctus descendit super eundem Filium Dei secundum hominem baptizatum : tamen absque omni dubitatione illam vocem, et illam columbam, et Christi humanitatem tota Sancta Trinitas operata est, cujus opera inseparabilia sunt.

R. 5. Gloria Patri genitæque Proli,
Et tibi compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus. Omni
Tempore secli.

V. Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera :
Dissolve litis vincula,
Astringe pacis fœdera.

Omni tempore secli.

Lectio vi. Credimus eundem Filium Dei, Verbum Dei, æternaliter natum de Patre, consubstantialem Patri per omnia : temporaliter natum de Spiritusancto, et Maria semper virgine, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem. Qui etiam Filius Dei suæ carnis conceptione conceptus est : suæ carnis nativitate natus est.

R. 6. Honor, virtus, et potestas, et imperium sit Trinitati in Unitate, Unitati in Trinitate. In perenni seculorum tempore.

V. Trinitati laus perennis, Unitati sit decus perpetim.

In perenni. Gloria. In.

In tertio Nocturno.

Ant. Charitas Pater est : gratia Christus ; communicatio Spiritussanctus, O beata Trinitas.

Ps. Nonne Deo subjecta (*lxi.* p. 119).

Ant. Verax est Pater, veritas Filius, veritatis Spiritus Sanctus, O beata Trinitas.

Ps. Deus judicium (*lxxi.* p. 132).

Ant. Una igitur Pater Logos Paraclytusque substantia est : O beata Trinitas.

Ps. Cantate *i.* (*xcv.* p. 164)*.

V. Verbo Domini : cæli firmati sunt.

R. Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem iii. [1—15].

In illo tempore ; Erat homo ex Phariseis Nichodemus nomine, princeps Judeorum. Hic venit ad Jesum nocte : et dixit ei, Rabi : scimus quia a Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis : nisi fuerit Deus cum eo. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. (xii. secundi libri.) †

Sicut ex lectione sancti Evangelii, fratres charissimi, audistis, princeps Judeorum venit ad Jesum nocte, cupiens secreta illius allocutione plenius discere mysteria fidei, cujus aperta ostensione signorum aliquatenus jam rudimenta perceperat. Qui quoniam prudenter ea quæ ab illo fieri videbat intelligere curavit, sublimiter ‡ ea quæ ab illo quærebat investigare promeruit. Rabi (inquit) scimus quia a Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis : nisi fuerit Deus cum eo.

R. 7. Tibi laus, tibi gloria : tibi gratiarum actio. In secula sempiterna, O beata Trinitas.

V. Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum et laudabile et superexaltatum.

In secula.

Lectio viii. §A Deo igitur Jesum venisse ad magisterium cæleste mundo adhibendum confessus est, Deum cum illo fuisse miraculis prodentibus intellexit : necdum tamen ipsum Deum esse cognovit. Sed quia quem magistrum noverat veritatis studiose docendus adiit, merito ad agnitionem Divinitatis ejus perfecte doctus subiit, merito utriusque nativitatis ejus, divinæ scilicet et humanæ, sed et passionis atque ascensionis ipsius archana percepit : necnon etiam modum secundæ generationis, et ingressum regni cælestis aliaque plura doctrinæ evangelicæ sacramenta Domino revelante didicit.

R. 8. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu, laude-

* '*ps.* Cātate *ij.* *fo. xxxiij.*' (= p. 169.) *Chevallon.*

† *Bedæ* Homiliæ Æstivales de Sanctis, In Festo Inventionis sanctæ Crucis, *Opera* VII. 91.

‡ 'subtiliter' *Chevallon.*

§ 'Adeo' *Chevallon. cum Portiforio* 1519.

mus et superexaltemus eum. In secula.

V. Benedictus es, Domine, in firmamento cæli : et laudabilis et gloriosus.

In secula*.

Lectio ix. Respondit enim Jesus: et dixit ei, Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo : non potest videre regnum Dei. Quæ sententia tanto apertius cunctis fidelibus lucet, quanto constat quia sine hujus luce fideles esse nequeunt. Quis etenim sine lavacro regenerationis remissionem peccatorum consequi, et regnum valet intrare cælorum? Sed Nichodemus, qui nocte venit ad Jesum, necdum lucis mysteria capere noverat. Nam et nox in qua venit ipsam ejus qua premebatur ignorantiam designat. Necdum enim eorum numero sociatus erat quibus ait Apostolus : Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : sed inter eos potius remanebat, quibus loquitur Esayas, Surge, illuminare, Hierusalem, quia venit lumen tuum : et gloria Domini super te orta est. Tu autem, Domine.

R. 9. Summæ Trinitati simplici Deo una Divinitas, æqualis gloria coæterna majestas, Patri Prolique Sanctoque Flamini. Qui totum subdit suis orbem legibus.

V. Præstet nobis gratiam Deitas beata Patris ac Nati pariterque Spiritus almi.

Qui. Gloria. Qui.

Ante Laudes V. Benedictus es, Domine, in firmamento cæli.

R. Et laudabilis et gloriosus in secula.

In Laudibus.

Antiphona. O beata et benedicta et gloriosa Trinitas, Pater et Filius et Spiritussanctus.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

V. Tibi laus, tibi gloria : tibi gratiarum actio.

Antiphona. O beata benedicta gloriosa Trinitas : Pater, Filius, Spiritussanctus.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

V. Miserere, miserere, miserere nobis.

Antiphona. O vera summa sempiterna Trinitas : Pater, et Filius, et Spiritussanctus.

Ps. Deus, Deus meus (*lxii.* p. 30).

V. Tibi laus, tibi gloria : tibi gratiarum actio.

Antiphona. O vera summa sempiterna Trinitas, Pater, Filius, Spiritussanctus.

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

V. Miserere, miserere, miserere nobis.

Antiphona. Te jure laudant, te adorant, te glorificant : omnes creaturæ tuæ, O beata Trinitas.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

V. Tibi laus, tibi gloria : tibi gratiarum actio.

Capitulum. (*ad Rom. xi.* 33.)

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in secula seculorum Amen. Deo gratias.

Hymnus.

O Pater sancte, mitis atque pie,
O Jesu Christe, Fili venerande,
Paraclyteque Spiritus O alme
Deus æterne.

Trinitas sancta, Unitasque firma,
Deitas vera, bonitas immensa,
Lux angelorum, salus orphanorum,
Spesque cunctorum.

Serviunt tibi cuncta quæ creasti :
Te tuæ cunctæ laudant creaturæ,
Nos quoque tibi psallimus devoti,
Tu nos exaudi.

* 'In se. Gloria. In.' *Chevallon.*

Gloria tibi, omnipotens Deus,
Trinus et Unus, magnus et excelsus;
Te decet hymnus, honor, laus et decus
Nunc et in ævum. Amen.

V. Sit nomen Domini benedictum.
R. Ex hoc nunc.
Ant. Benedicta sit creatrix et gubernatrix omnium, sancta et individua Trinitas : et nunc, et semper, et per infinita seculorum secula.
Ps. Benedictus.
Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti.

Ad Primam.

Ant. O beata et benedicta. *i. de Laudibus.*
Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Ps. Beati immaculati (*cxviii.* 1, p. 44).
Ps. Retribue (*cxviii.* 17, p. 45).
Ps. Quicunque.
Hæc præcedens Antiphona, scilicet prima Antiphona super Laudes, dicitur per totam ebdomadam super omnes Psalmos ad Primam, quando de Trinitate fit servitium. Cum vero fit servitium de aliquo Sancto per Octavas usque ad Dominicam, sive Chorus regitur sive non, tunc dicitur eadem Antiphona super Psalmum Quicunque.
R. Jesu Christe, *cum* Alleluya.
V. Qui sedes.

Ad Tertiam, et ad alias Horas *omnes Antiphonæ absque Versibus dicuntur.*
Ant. O beata benedicta. *ii. de Laudibus.*
Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).
Capitulum. O altitudo divitiarum.
R. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu. Alleluya, Alleluya.
V. Laudemus et superexaltemus eum in secula. Alleluya.
V. Benedictus es, Domine.
R. Et laudabilis, *sine* Alleluya.
Oratio ut supra.

Ad Sextam.

Ant. O vera summa. *iii. de Laudibus.*
Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (1 *Joh. v.* 7.)

Tres sunt qui testimonium dant in cælo : Pater, et Verbum, et Spiritussanctus, et hi tres unum sunt.
R. Benedictus es, Domine, in firmamento cæli. Alleluya, Alleluya.
V. Et laudabilis et gloriosus in secula. Alleluya.
Benedictus es.
V. Verbo Domini cæli firmati.
Oratio ut supra.

Ad Nonam.

Ant. Te jure.
Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (*Ephes. iv.* 5.)

Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium : qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis, qui est benedictus in secula.
R. Verbo Domini cæli firmati sunt. Alleluya, Alleluya.
V. Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Alleluya.
V. Sit nomen Domini benedictum.
R. Ex hoc nunc et, *sine* Alleluya.
Oratio ut supra.

Ad secundas Vesperas.

Ant. O beata et benedicta. *i. de Laudibus.*
Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191) *et ceteri Psalmi Dominicales.*
Capitulum. O altitudo divitiarum.
R. Benedicamus Patrem.
Hymnus. Adesto sancta Trinitas.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

Ant. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclytum, sanctam et individuam Trinitatem toto corde et ore confitemur, laudamus, atque benedicimus, tibi gloria in secula.

Ps. Magnificat.

Oratio ut supra.

Quodcunque Festum in hac die contigerit, differatur in crastinum si vacaverit a Festo novem Lectionum, licet Festum loci vel Dedicationis ecclesiæ fuerit : et tunc erunt Vesperæ de Festo, et solennis memoria de Trinitate. Si vero Festum sancti Augustini hac die contigerit, differatur in crastinum, et ad secundas Vesperas de Sancta Trinitate fiat solennis memoria de sancto Augustino. Ad has Vesperas non solet fieri memoria de Festo trium Lectionum sine regimine Chori in crastino contingente, nisi Festum novem Lectionum ei conjunctum fuerit : tunc de utrisque fiet solennis memoria.

PER TRES DIES SEQUENTES *fiet servitium de Trinitate sine regimine Chori, usque ad festivitatem Corporis Christi : nisi aliquod Festum intercurrat, sive novem Lectionum sive trium, vel Commemoratio beatæ Mariæ sive Sancti loci fuerit facienda. Et quando de Trinitate agitur ad Matutinas, Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ et Psalmi sicut in prima die, Versus et Responsoria secundum ordinem Nocturnorum, et tres Lectiones dicuntur.*

Lectio i. Confitemur et credimus sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse unius substantiæ, unius naturæ, uniusque majestatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum non creatum : sed ingenitum profitemur. Ipse enim a nullo originem duxit : ex quo et Filius nativitatem, et Spiritussanctus processionem accepit. Fons igitur ipse et origo est totius Divinitatis.

Lectio ii. Ipse quoque Pater, essentia quidem ineffabilis, substantiæ suæ Filium ineffabiliter genuit : nec tamen aliud quam quod ipse est. Genuit Deus Deum : lux lucem. Ab ipso ergo est omnis paternitas in cælo et in terra. Filium quoque de substantia Patris sine initio ante secula natum, nec tamen factum esse fatemur : quia nec Pater sine Filio, nec Filius aliquando extitit sine Patre. Et tamen non sicut Filius de Patre, ita Pater de Filio : quia non Pater a Filio, sed Filius a Patre generationem accepit. Tu.

Lectio iii. Filius ergo Deus de Patre : Pater autem Deus sed non de Filio. Ille autem Filius Patris, et Deus de Patre. Æqualis tamen per omnia Filius Patri : quia nec nasci cœpit aliquando nec desiit. Hic etiam unius cum Patre substantiæ creditur. Propter quod et omousyon Patri dicitur : hoc est ejusdem cum Patre substantiæ. Omo enim grece unum, usia vero substantia dicitur : quod utrunque conjunctum sonat una substantia. Nec enim de nichilo neque de aliqua alia substantia : sed de Patris utero, id est de substantia ejus idem Filius genitus vel natus esse credendus est. Tu autem.

Ps. Te Deum.

Ante Laudes V. Benedictus es, Domine.

Iste Versus dicatur quotidie ante Laudes per ebdomadam quando de Trinitate agitur : nisi cum dicitur ante Lectiones, tunc enim dicatur Versus Verbo Domini cæli firmati *ante Laudes.*

IN LAUDIBUS *quotidie dicitur hæc sola Antiphona* O beata et benedicta.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Capitulum, Hymnus, Versus, sicut in die; super Ps. Benedictus *et* Magnificat *dicuntur Antiphonæ suo ordine quæ super Psalmos ad primas Vesperas dicebantur.*

Quando vero fit servitium de aliquo Sancto in his tribus diebus, tunc dicuntur ad memoriam de Trinitate Antiphonæ de Nocturnis suo ordine. Duæ tamen Memoriæ fiant per hanc ebdomadam, scilicet de Sancta Maria et de Omnibus Sanctis, cum Antiphona, Versu et Oratione, sicut inferius patebit, videlicet in secunda feria post Deus omnium.

Ad Primam, et ad alias Horas, *omnia fiant sicut in prima die praeter Capitulum: et Oratio ad Primam, scilicet* In hac hora. *Ita tamen quod cantus super Hymnos dicuntur sicut in Festis novem Lectionum, nisi in Hymno* Jam lucis.

Ad Vesperas, *super Psalmos, Antiphona* O beata et benedicta.

Psalmi feriales.

Et dicuntur Psalmi feriales quotidie per ebdomadam, quando de Trinitate agitur. Capitulum, Hymnus, et Versiculus, sicut in die.

Completorium *vero dicatur sicut in crastino Octavarum Epyphaniæ supradictum est : nisi ubi Festum loci fuerit vel Dedicatio ecclesiæ tantum: quia tunc erunt Octavæ cum regimine chori. Cum vero fit servitium de aliquo Sancto infra Octavas, tunc dicantur ad omnes Horas Responsoria et Versiculi sine* Alleluya.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

FESTUM MAJUS DUPLEX.

Ad primas Vesperas.

**Ant.* Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem et vinum obtulit.

Ps. Dixit Dominus (*cix.* p. 191).

Ant. Miserator Dominus escam dedit timentibus se in memoriam suorum mirabilium.

Ps. Confitebor (*cx.* p. 192).

Ant. Calicem salutaris accipiam et sanctificabo hostiam laudis.

Ps. Credidi (*cxv.* p. 197).

Ant. Sicut novellæ olivarum ecclesiæ filii sint in circuitu mensæ Domini.

Ps. Beati omnes (*cxxvii.* p. 202).

Ant. Qui pacem ponit fines ecclesiæ frumenti adipe satiat nos Dominus.

Ps. Lauda Hierusalem (*cxlvii.* p. 219).

Capitulum. (1 *Cor. xi.* 23.)

Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem, et gratias agens fregit et dixit : Accipite et manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.

R. Homo quidam fecit cenam magnam, et misit servum suum hora cenæ dicere invitatis ut venirent, Quia parata sunt omnia.

V. Venite, comedite panem meum : et bibite vinum quod miscui vobis,

Quia. Gloria. Quia.

Hymnus.

Sacris solenniis juncta sint gaudia,
Et ex præcordiis sonent præconia,
Recedant vetera, nova sint omnia,
Corda, voces, et opera.

Noctis recolitur cena novissima
Qua Christus creditur agnum et azima
Dedisse fratribus, juxta legitima
Priscis indulta patribus.

Post agnum typicum expletis epulis
Corpus Dominicum datum discipulis
Sic totum omnibus quod totum singulis
Ejus fatemur manibus.

Dedit fragilibus Corporis ferculum;
Dedit et tristibus Sanguinis poculum,
Dicens, accipite quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus sic congruit
Ut sumant et dent ceteris.

Panis angelicus fit panis hominum,
Dat panis cælicus figuris terminum:
O res mirabilis, manducat Dominum
Pauper, servus, et humilis.

* '*Antipho.* Sacerdotes' *Chevallon.*

Te trina Deitas unaque poscimus,
Sicut nos visitas, sic te recolimus,
Per tuas semitas duc nos quo tendimus
Ad lucem quam inhabitas. Amen.

V. Panem de cælo: præstitisti eis,
R. Omne delectamentum in se habentem.

Ant. O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares : pane suavissimo de cælo præstito, esurientes replens bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

Ps. Magnificat (*p.* 221).

Oratio. Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre *et cetera.*

Nulla fiat Memoria in audientia : nisi aliquod duplex Festum in hac Quarta Feria celebratum fuerit : et nisi Octavæ Sanctæ Trinitatis fiant cum regimine chori.

Ad Completorium *omnia fiant sicut in Festo Sanctæ Trinitatis, ita tamen quod in fine Hymni dicetur versus* Gloria tibi, Domine, Qui natus es de virgine. *Hic etiam versus dicitur in fine omnium Hymnorum ejusdem metri quotidie per Octavas, quando fit servitium de Corpore Christi : nisi in Hymno* Verbum supernum *ad Laudes hujus Festi.*

Ad Matutinas.

Invitatorium.
Christum Regem adoremus dominantem gentibus. Qui se manducantibus dat Spiritus pinguedinem.

Ps. Venite.

Hymnus.

Pange lingua gloriosi Corporis mysterium
Sanguinisque preciosi, quem in mundi precium
Fructus ventris generosi Rex effudit gentium.

Nobis datus nobis natus ex intacta virgine
Et in mundo conversatus, sparso verbi semine,
Sui moras incolatus miro clausit ordine.

In supremæ nocte cenæ recumbens cum fratribus,
Observata lege plene cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum verbo Carnem efficit,
Fitque Sanguis Christi merum; etsi sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit.

Tantum ergo sacramentum veneremur cernui,
Et antiquum documentum novo cedat ritui :
Præstet fides supplementum sensuum defectui.

Genitori Genitoque laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque sit, et benedictio,
Procedenti ab utroque compar sit laudatio. Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Fructum salutiferum gustandum dedit Dominus mortis suæ tempore.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).

Ant. A fructu frumenti et vini multiplicati fideles in pace Christi requiescunt.

Ps. Cum invocarem (*iiii.* p. 8).

Ant. Communione calicis quo Deus ipse sumitur : non vitulorum sanguine congregavit nos Dominus.

Ps. Conserva me (*xv.* p. 17).

V. Panem cæli : dedit eis.

R. Panem angelorum manducavit homo.

Lectio i. Immensa divinæ largitatis beneficia exhibita populo Christiano inæstimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigenitus siquidem Dei Filius, suæ divinitatis volens nos esse participes, nostram naturam assumpsit : ut homines deos faceret factus homo. Et hoc insuper quod de nostro assumpsit totum nobis contulit ad salutem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri, Sanguinem suum fudit in precium simul et lavacrum : ut, redempti a miserabili servitute, a peccatis omnibus mundaremur. Et ut tanti beneficii jugis in nobis maneret memoria, Corpus suum in cibum, et Sanguinem suum in potum, sub specie panis et vini sumendum fidelibus dereliquit.

R. 1. Immolabit hædum multitudo filiorum Israel ad vesperam Paschæ. Et edent carnes et azimos panes.

V. Pascha nostrum immolatus est Christus : itaque epulemur in azimis sinceritatis et veritatis.

Et edent.

Lectio ii. O preciosum et admirandum convivium salutiferum, et omni suavitate repletum. Quid enim hoc convivio preciosius esse potest, in quo non carnes vitulorum et hyrcorum, ut olim in lege, sed nobis Christus sumendus proponitur verus Deus? Quid hoc sacramento mirabilius? In ipso namque panis et vinum in Corpus Christi et Sanguinem substantialiter convertuntur. Ideoque Christus Deus et homo perfectus sub modici panis specie continetur. Manducatur itaque a fidelibus : sed dentibus minime laceratur. Quinimmo diviso sacramento integer sub qualibet divisionis particula perseverat. Accidentia etiam sine subjecto in eodem consistunt : ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur sub aliena specie occultatum, et sensus a deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant sibi notis. Tu autem, Domine, [miserere nostri].

R. 2. Comedetis carnes et saturabimini panibus. Iste est panis quem dedit nobis Dominus ad vescendum.

V. Non Moyses dedit vobis panem de cælo : sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.

Iste est.

Lectio iii. Nullum etiam sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, et mentes omnium spiritualium carismatum abundantia impinguantur. Panem ergo cælestem spiritualiter manducate : innocentiam ad altare apportate, peccata et si sint quotidiana et non sint mortifera : securi accedite : vivificans enim panis est non venenum. Offertur in ecclesia pro vivis et mortuis, ut omnibus prosit quod est pro salute omnium institutum. Suavitatem denique hujus sacramenti nullus exprimere potest : per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, et recolitur memoria illius quam in sua passione Christus monstravit excellentissimæ charitatis. Tu.

R. 3. Respexit Helyas ad caput suum subcinericium panem : qui surgens comedit et bibit. Et ambulavit in fortitudine cibi illius usque Ad montem Dei.

V. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

Et ambulavit. Gloria. Ad montem [Dei].

In secundo Nocturno.

Ant. Memor sit Dominus sacrificii nostri : et holocaustum nostrum pingue fiat.

Ps. Exaudiat (*xix.* p. 25).

Ant. Paratur nobis mensa Domini adversus omnes qui tribulant nos.

Ps. Dominus regit (*xxii.* p. 39).

Ant. In voce exultationis resonent epulantes in mensa Domini.

Ps. Quemadmodum (*xli.* p. 98).

V. Cibavit eos ex adipe frumenti.

R. Et de petra melle saturavit eos.

Lectio iiii. Unde ut artius hujus charitatis immensitas cordibus infigeretur fidelium, in ultima cena quando Pascha cum discipulis suis celebrato transiturus erat de hoc mundo ad Patrem : hoc sacramentum instituit, tanquam passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipso factorum maximum, et de sua contristatis absentia solatium singulare. Convenit itaque devotioni fidelium solenniter recolere institutionem tam salutiferi tamque mirabilis sacramenti : ut ineffabilem modum divinæ præsentiæ in sacramento visibili veneremur : et laudetur Dei potentia quæ in sacramento eodem tot mirabilia operatur : necnon et de tam salubris tamque suavis sacramenti institutione Deo referantur debitæ gratiarum actiones.

R. 4. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita : litigabant ergo Judei dicentes, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum.

V. Locutus est populus contra Dominum : anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.

Quomodo.

Lectio v. Verum et si in die cenæ Domini quando sacramentum prædictum noscitur institutum, inter missarum solennia de institutione ipsius specialis mentio habeatur, totum tamen residuum ejusdem diei officium ad Christi passionem pertinet, circa cujus venerationem ecclesia illo tempore occupatur. Unde ut integræ celebritatis officio institutionem tanti sacramenti solenniter recoleret plebs fidelis : Romanus pontifex Urbanus quartus, hujus sacramenti devotione affectus, pie statuit præfatæ institutionis memoriam proxima feria quinta post Octavas Penthecostes a cunctis fidelibus celebrari, ut qui per totum anni circulum hoc sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo specialiter tempore recolamus quo Spiritus Sanctus discipulorum corda edocuit ad plene cognoscenda hujus mysteria sacramenti. Nam et in eodem tempore cœpit hoc sacramentum a fidelibus frequentari. Legitur enim in Actibus Apostolorum quod erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus, statim post Spiritus Sancti missionem. Tu.

R. 5. Cenantibus illis accepit Jesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait, Accipite et comedite, hoc est corpus meum.

V. Dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus ut saturemur.

Accipite.

Lectio vi. Ut autem prædicta quinta feria et per Octavas sequentes ejusdem salutaris institutionis honorificentius agatur memoria, et solennitas de hoc celebrior habeatur : loco distributionum materialium qui in ecclesiis cathedralibus largiuntur, existentibus canonicis Horis nocturnis pariterque diurnis, præfatus Romanus pontifex eis qui hujusmodi Horis in hac solennitate personaliter

in ecclesiis interessent, stipendia spiritualia apostolica largitione concessit, quatenus per hoc fideles ad tanti Festi celebritatem avidius et copiosius convenirent.

Unde omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui matutinali officio hujus Festi præsentialiter in ecclesia ubi celebretur interessent : centum dies.

Qui vero Missae, totidem.

Illis autem qui interessent primis istius Festi Vesperis : similiter centum.

Qui vero secundis : totidem.

Eis quoque qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, et Completorii adessent officiis : pro qualibet ipsarum Horarum, quadraginta.

Illis vero qui per ipsius Festi Octavas in matutinalibus, vespertinis, Missæ, ac prædictarum Horarum officiis præsentes extiterint : singulis diebus ipsarum Octavarum centum dierum indulgentiam misericorditer tribuit, perpetuis temporibus duraturam. Tu autem.

R. 6. Accepit Jesus calicem postquam cenavit dicens, hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite in meam commemorationem.

V. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.

Hoc facite. Gloria. Hoc facite.

In tertio Nocturno.

Ant. Introibo ad altare Dei : sumam Christum qui renovat juventutem meam.

Ps. Judica me Deus et discerne (*xlii.* p. 99).

Ant. Cibavit nos Dominus ex adipe frumenti : et de petra melle saturavit nos.

Ps. Exultate Deo (*lxxx.* p. 149).

Ant. Ex altari tuo Domine Christum sumimus : in quem cor et caro nostra exultant.

Ps. Quam dilecta (*lxxxiii.* p. 152).

V. Educas panem de terra.

R. Et vinum lætificet cor hominis.

Evangelium. Secundum Johannem vi. [55—58.]

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis et turbis Judeorum, Caro mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. Et reliqua.

Sermo ex Commentario beati Augustini episcopi. (*Super Johan. Tract. xxvi. b.*)*

Cum vero cibo et potu id appetant homines ut non esuriant neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi ipse cibus et potus qui eos a quibus sumitur immortales facit et incorruptibiles, id est societas ipsa † sanctorum ubi pax erit vera et unitas plena atque perfecta. Propterea quippe sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus Corpus et Sanguinem suum in eis rebus commendavit quæ ad unum aliquid rediguntur. Ex multis namque granis unus panis conficitur : et ex multis racemis vinum confluit.

R. 7. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem In me manet et ego in illo.

V. Non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.

In me manet.

Lectio viii. Denique jam exponit quomodo id fiat quod loquitur, et quid sit manducare Corpus ejus et Sanguinem bibere : Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo. Hoc est manducare illam escam et illum bibere potum : in Christo

* *Augustini* In Joan. Evangel. Tract. xxvi., *Opera* III. 1986.
† *Legendum forsan cum Portiforiis* 'socios eorum.'

manere et illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, proculdubio non manducat spiritualiter ejus carnem, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramenta Corporis et Sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit, qui immundus præsumit ad Christi accedere sacramenta. Quia alii digne non sumunt, nisi qui mundi sunt. De quibus dicitur, Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt.

R. 8. Misit me Pater vivens, et ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, vivit propter me.

V. Cibavit eum Dominus pane vitæ et intellectus.

Et qui.

Lectio ix. Sicut misit me (inquit) vivens Pater : et ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Non enim Filius participatione Patris fit melior, qui est natus coæqualis, sicut participatione Filii per unitatem Corporis et Sanguinis ejus, quam illa manducatio potatioque significat, nos efficimur meliores. Vivimus ergo propter Christum nos manducantes eum : id est, ipsum accipientes, vitam æternam, quam non habemus ex nobis, accipimus. Vivit autem ipse propter Patrem missus ab eo, quia semetipsum exinanivit factus obediens usque ad lignum crucis. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Ac si diceret, Ut ego vivam propter Patrem, id est ut ad illum, tanquam ad majorem, referam vitam meam, exinanitio mea fecit in qua me misit. Ut autem quisque vivat propter me, participatio facit, quia* manducat me. Tu autem.

R. 9. Unus panis et unum corpus multi sumus. Omnes qui de uno pane Et de uno calice participamus.

V. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus, qui habitare facis unanimes in domo.

Omnes. Gloria. Et de.

Ante Laudes V. Panem de cælo præstitisti eis

R. Omne delectamentum in se habentem.

In Laudibus.

Ant. Sapientia ædificavit sibi domum : miscuit vinum et posuit mensam, Alleluya.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. Angelorum esca nutrivisti populum tuum : et panem de cælo præstitisti illis, Alleluya.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Pinguis est panis Christi præbens delicias regibus, Alleluya, Alleluya, Alleluya.

Ps. Deus, Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Sacerdotes sancti incensum et panes offerunt Deo, Alleluya.

Ps. Benedicite (*Daniel. iii.* p. 31).

Ant. Vincenti dabo manna absconditum et nomen novum, Alleluya.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. Dominus Jesus in qua (*p.* mlxi.).

Hymnus.

Verbum supernum prodiens
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens
Venit ad vitæ vesperam.

In mortem a discipulo
Suis tradendus æmulis,
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.

Quibus sub bina specie
Carnem dedit et Sanguinem,
Ut duplicis substantiæ
Totum cibaret hominem.

* 'qua' *conjecit vir reverendus E. Atkinson, S.T.P.*

Se nascens dedit socium
Convescens in edulium,
Se moriens in precium,
Se regnans dat in præmium.

O salutaris hostia
Quæ cæli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria:
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria. Amen.

V. Posuit fines tuos pacem.
R. Et adipe frumenti satiat te.
Ant. Ego sum panis vivus qui de cælo descendi : si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum, Alleluya.
Ps. Benedictus.
Oratio. Deus, qui nobis.

Ad Primam.

Ant. Sapientia. *i. de Laudibus.*
Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Ant. O beata et benedicta, *ut supra ad Laudes in Festo Sanctæ Trinitatis.*
Ps. Quicunque (*p.* 46).
R. Jesu Christe *cum* Alleluya.
V. Qui de virgine.

Ad Tertiam.

Ant. Angelorum. *ii. de Laudibus.*
Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).
Capitulum. Dominus Jesus in qua nocte.
R. Panem cæli dedit eis. Alleluya, Alleluya.
V. Panem angelorum manducavit homo.
Alleluya. Gloria. Panem cæli.
V. Cibavit eos ex adipe frumenti.
Oratio ut supra.

Ad Sextam.

Ant. Pinguis est panis. *iii. de Laudibus.*
Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (1 *Cor. xi.* 26.)

Quotienscunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis : mortem Domini annunciabitis donec veniat.
R. Cibavit eos ex adipe frumenti. Alleluya, Alleluya.
V. Et de petra melle saturavit eos.
Alleluya. Gloria. Cibavit.
V. Educas panem de terra.
R. Et vinum.

Ad Nonam.

Ant. Vincenti. *v. de Laudibus.*
Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (1 *Cor. xi.* 27.)

Quicunque manducaverit panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.
R. Educas panem de terra. Alleluya, Alleluya.
V. Et vinum lætificet cor hominis.
Alleluya. Gloria. Educas.
V. Posuit fines tuos pacem.
R. Et adipe frumenti satiat te.
Oratio ut supra.

Ad secundas Vesperas.

Ant. Sapientia (*p.* mlxxii.).
Psalmi feriales : nisi ubi fiunt Octavæ cum regimine chori : tunc enim dicuntur Psalmi sicut ad primas Vesperas, cum prædicta Antiphona Sapientia, *ut inferius patet, ubi fiet cum regimine chori infra Octavas.*
Capitulum. Dominus Jesus in qua.
R. Respexit (*p.* mlxvi.).
Hymnus. Verbum supernum.
Ubi fiant cum regimine chori,
Hymnus. Sacris solenniis.
V. Posuit fines tuos pacem.
Ubi fiant cum regimine chori.
V. Panem de cælo.
Ant. O sacrum convivium in

quo Christus sumitur : recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus qui nobis.

Si vero Festum sancti Aldelmi in hoc Festo contigerit, differatur in Sabbatum subsequens, et tunc fiet Commemoratio beatæ Mariæ in tertia feria præcedente.

Si vero Festum sancti Barnabæ Apostoli in Festo Corporis Christi evenerit, differatur in crastinum, et ad secundas Vesperas, quæ erunt de Corpore Christi, fiat Memoria sub silentio de sancto Barnaba : et tunc ad Matutinas de sancto Barnaba fiant tres mediæ Lectiones de Martyribus cum Memoria de eisdem Sanctis.

Per totas Octavas fiat servitium de Corpore Christi sine regimine chori, nisi aliquod Festum intercurrat, et nisi in Dominica quando Hystoria Deus omnium *incipiatur, vel Commemoratio beatæ Mariæ facienda fuerit.*

In Sabbato fiat Plenum Servitium de sancta Maria, nisi aliquod Festum novem Lectionum impediat, vel Festum sanctorum Johannis et Pauli, et nisi ubi fiunt Octavæ cum regimine chori. Et si aliquod Festum intercurrat, idem modus servetur per omnia hic sicut infra Octavas Sanctæ Trinitatis : ita quod primo fiat Memoria de Corpore Christi, deinde de Trinitate.

Quodcunque Festum novem Lectionum hac die contigerit, scilicet in Festo Corporis Christi, differatur usque in crastinum vel ulterius si necesse fuerit, ut scilicet quando in crastinum hujus diei sequatur aliquod Festum novem Lectionum.

Si hoc Festum Corporis Christi in die Nativitatis sancti Johannis Baptistæ forte contigerit, Festum sancti Johannis differatur in crastinum : et ad secundas Vesperas, quæ erunt de Corpore Christi, fiat solennis Memoria de sancto Johanne. Deinde eat Processio ad altare sancti Johannis, si habeatur, cantando Responsorium Inter natos; *et cetera sicut in Festo ejusdem expleantur : et tunc ad secundas Vesperas de sancto Johanne fiat Memoria de Festo Sanctorum Johannis et Pauli : et tunc nichil fiat de Corpore Christi per Octavas præter Memoriam, et medias* Lectiones in Dominica de Corpore Christi, usque ad octavam diem : et tunc fiat totum servitium de Corpore Christi, et solennis Memoria et mediæ Lectiones de Octavis sancti Johannis Baptistæ, cum Missa in Capitulo; et ad primas Vesperas, quæ erunt de Corpore Christi, fiat solennis Memoria de Apostolis : videlicet in die Commemorationis sancti Pauli cum Antiphona, Versu et Oratione, sicut ad secundas Vesperas ejusdem, et postea fiat solennis Memoria de Octavis sancti Johannis Baptistæ.*

Si vero Festum sancti Albani martyris in Festo Corporis Christi evenerit, differatur Festum sancti Albani in crastinum : et ad secundas Vesperas, quæ erunt de Corpore Christi, fiat sub silentio Memoria de sancto Albano et de sancta Etheldreda virgine : et tunc ad Matutinas de sancto Albano fiant mediæ Lectiones de sancta Etheldreda virgine. Missa vero de sancto Albano post Tertiam dicatur, et Missa de Vigilia post Sextam, utraque ad principale altare, et tunc non dicitur Memoria de sancta Etheldreda ad Missam de sancto Albano : et tunc ad primas Vesperas de sancto Johanne fiat solennis Memoria de sancto Albano, et de Corpore Christi, si fiant Octavæ cum regimine chori, licet Festum loci fuerit Festum sancti Johannis Baptistæ. Tamen ubi non fit Pro-

* '*medie*' Chevallon.

cessio de sancto Johanne, tunc fiat privatim Memoria tantum de sancto Albano : nisi Octavæ Corporis Christi fiant cum regimine chori.

Cum vero in Vigilia Nativitatis sancti Johannis Baptistæ hoc prædictum Festum Corporis Christi forte contigerit, ibidem celebretur, et tunc nichil fiat de sancta Etheldreda. Missa vero de Corpore Christi dicitur post Tertiam. Et post Missam de Festo dicitur Missa de Vigilia, scilicet post Sextam in choro ad autenticum altare, cum nota, et cum Memoria de sancta Etheldreda si placuerit ad eandem Missam. Vesperæ tamen de Corpore Christi fiant, et solennis Memoria de sancto Johanne Baptista, et Processio ad altare ejusdem, si habeatur, fiat cum Responsorio Inter natos, *cum Versu* Gloria et honore coronasti, *et Oratione* Sancti Johannis Baptistæ.

Si Festum sancti Johannis Baptistæ in solennitate Corporis Christi contigerit: Festum sancti Johannis differatur in crastinum, licet Festum loci fuerit : et tunc ad primas Vesperas, quæ erunt de sancto Johanne, fiat solennis Memoria de Festo Corporis Christi tantum. Et tunc in Octavis Corporis Christi fiat solennis Memoria de Octavis sancti Johannis Baptistæ ad primas Vesperas, et ad Matutinas, et mediæ Lectiones cum Missa in Capitulo de sancto Johanne Baptista.

Quotidie per Octavas quando agitur de Corpore Christi.

AD MATUTINAS.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ et Psalmi sicut in prima die : Versiculi et Responsoria secundum ordinem Nocturnorum cum tribus Lectionibus dicuntur.

FERIA SEXTA.

Lectio i. (*De Conse. d. 2. Revera.*)*

Hujus sacramenti figura præcessit quando manna pluit Deus patribus in deserto, qui quotidiano cæli pascebantur alimento. Unde dictum est, Panem angelorum manducavit homo. Sed tamen illum panem qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt. Ista autem esca quam accipitis, iste panis vivus qui de cælo descendit, vitæ æternæ substantiam ministrat. Et quicunque hunc panem manducaverit non morietur in æternum, quia Corpus Christi est. Considerate utrum nunc præstantior sit panis angelorum an caro Christi, quæ utique est corpus vitæ. Manna illud de cælo, hoc super cælum. Illud cæli, hoc Dominus cælorum. Illud corruptioni obnoxium si in diem alium observaretur : hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiose gustaverit corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis ex Christo. Illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum. Judeus bibit et sitit, tu autem cum biberis sitire non poteris. Et illud in umbra, hoc in veritate. Si illud quod miraris umbra est : quantum est istud cujus umbram miraris? Audi quia umbra est, quæ apud patres facta est. Bibebant autem, inquit, de spiritali consequente eos petra. Petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum complacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto. Tu autem.

Lectio ii. (*De Consecratione, ut supra.*)

Hæc autem facta sunt in figura nostri. Cognovisti potiora. Potior enim est lux quam umbra, veritas

* Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. cap. lxix.

quam figura, corpus auctoris quam manna de cælo. Forte dicis, Aliud video. Quomodo tu michi asseris quod Corpus Christi accipiam? Et hoc nobis superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis ut probemus hoc non esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit? Majoremque vim esse benedictionis quam naturæ, quia natura etiam ipsa benedictione mutatur. Unde virgam tenebat Moyses; projecit eam, et facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis; et in virgæ naturam revertitur. Vides ergo prophetica gratia bis naturam mutatam esse, et serpentis et virgæ. Currebant Egypti flumina puro meatu aquarum : subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere, et non erat potus in fluviis. Rursus ad prophetæ preces cruor fluminum cessavit, et aquarum natura remeavit. Circumclusus undique erat populus Hebreorum : hinc Egyptiis vallatus, hinc mari conclusus. Virgam levavit Moyses, separavit se aqua, et in murorum speciem se congelavit: atque inter undas via pedestris apparuit. Tu autem.

Lectio iii. (*Ibidem.*)

Jordanis retrorsum conversus contra naturam in sui fontis revertitur exordium. Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum vel cursus fluvialis esse mutatam? Sitiebat populus potum: tetigit Moyses petram, et aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, ut aquam evomeret petra quam non habebat natura? Marath fluvius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit Moyses lignum in aquam : et amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperavit. Sub Helyseo propheta uni ex filiis prophetarum excussum est ferrum de securi, et statim immersum est. Rogavit Helyseum qui amiserat ferrum. Misit Helyseus etiam lignum in aquam: et ferrum natavit. Utique etiam hoc præter naturam factum cognovimus. Gravior est enim ferri species quam aquarum liquor. Advertimus ergo majorem esse gratiam quam naturam, et adhuc tamen propheticæ benedictionis gratiam admiramur. Quod si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi ipsa verba Domini ac Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accepimus sermone Christi conficitur. Quod si tantum valuit sermo Helyæ ut ignem de cælo deponeret : nonne valebit Christi sermo ut species mutet elementorum? Tu autem, Domine, miserere nostri.

Ante Laudes Versus. Panem de cælo præstitisti eis.

Iste Versiculus præcedens dicitur quotidie ante Laudes per Octavas, quando de Octavis fit servitium, sive Octavæ fiant cum regimine chori sive non.

In Laudibus *quotidie per Octavas dicatur hæc sola Antiphona* Sapientia.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Capitulum, Hymnus et Versiculus, sicut in prima die.

Super Psalmos Benedictus *et* Magnificat *dicantur Antiphonæ suo ordine quæ ad primas Vesperas dicebantur super Psalmos, cum repetitione earundem si necesse fuerit. Cum vero fit servitium de aliquo Sancto, vel de Dominica infra Octavas, tunc ad Memoriam de Corpore Christi dicantur Antiphonæ de Nocturnis suo ordine: quibus dictis, si necesse fuerit dicantur Antiphonæ de Laudibus suo ordine, cum hoc Versiculo

Posuit fines tuos pacem, *tam ad Vesperas quam ad Matutinas.*

Oratio. Deus qui nobis.

Ad Horas *omnia fiant sicut in Die, more simplicis Festi sine regimine chori. Ita tamen quod in feriis infra Octavas post Dominicam, ad Primam super Psalmum* Quicunque *dicatur Antiphona* Gloria tibi Trinitas.

Ad Vesperas *Ant.* Sapientia.

Psalmi feriales dicantur per Octavas, nisi Octavæ fiant cum regimine chori, quando de Octavis fit servitium.

Capitulum. Dominus Jesus qua tradebatur.

Hymnus. Verbum supernum.

V. Posuit fines tuos pacem. *Et cetera ut supra.*

Completorium *dicatur sicut in feriis præcedentibus infra Octavas Sanctæ Trinitatis. Ita tamen quod in fine Hymni* Te lucis *etc. dicatur versus* Gloria tibi, Domine, Qui natus es de virgine : *nisi ubi fiant Octavæ Corporis Christi cum regimine chori : tunc enim dicitur Completorium sicut in Die.*

Sabbato infra Octavas Corporis Christi.

Lectio i. (*De Consecr. ubi supra.*)

De totius mundi operibus legistis, quia Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Sermo igitur qui potuit ex nichilo facere quod non erat, nonne potuit ea quæ sunt in id mutare quod non erat? Non est [enim] minus creare* quam mutare novas creaturas rebus. Sed quid? Cujus argumentis utimur, suis utamur exemplis : incarnationis quoque exemplo astruamus mysterii veritatem. Nunquid naturæ usus persensit, cum Dominus Jesus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta femina generare consueverat. Liquet ergo quod præter naturæ ordinem virgo generavit. Et hoc quod conficimus Corpus ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi Corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine? Vera utique caro Christi quæ crucifixa quæque sepulta est : vere ergo illius carnis sacramentum est. Ipse clamat Dominus noster Jesus, Hoc est Corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem Corpus Christi significatur. Ipse dicit Sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem Sanguis Christi nuncupatur. Tu dicis, Amen. Hoc est, Verum est. Quod sermo sonat, affectus sentiat.

Lectio ii. (*Ambros. lib.* 4 *de Sacr. c.* 4. *Item De Consecr. Dis.* 2. *Cap. Panis.*) †

Panis est in altari usitatus ante verba sacramentorum : ubi accessit consecratio, panis fit caro Christi. Quomodo autem potest qui panis est esse Corpus Christi? Consecratio igitur quibus verbis, et cujus sermonibus est? Utique Domini Jesu. Nam per reliqua omnia quæ dicuntur laus Deo offertur, oratione petitur pro populo et pro regibus et ceteris. Ubi autem sacramentum conficitur, jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi? Hic nempe quo facta sunt omnia, cælum terra et maria. Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini nostri Jesu Christi, ut incipiat esse

* 'Non est minus dare' *Chevallon.*

† Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. cap. lv.

quod non erat : quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud convertantur? Et sic quod erat panis ante consecrationem, jam Corpus Christi est post consecrationem : quia sermo Christi creaturam mutat, et sic ex pane fit Corpus Christi. Et vinum cum aqua in calice mixtum fit Sanguis consecratione verbi cælestis.

Lectio iii. Sed forte dicis, Speciem sanguinis non video : sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem accepisti, ita etiam similitudinem Sanguinis Christi bibis, ut nullus horror sit cruoris, et precium tamen operetur redemptionis. (*Ambros. ut supra, c.* 5.) Didicisti quia Corpus Christi accipis : vis scire quia verbis cælestibus consecratur? Accipe quæ sunt verba. Dicit sacerdos; Fac nobis, inquit, hanc oblationem benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, et cetera. Omnia ista Evangelistæ sunt, usque ad Accipite, sive corpus sive sanguinem : inde sunt verba Christi. Accipite, et bibite ex hoc omnes : hic est enim sanguis meus. Vide singula. Qui pridie quam pateretur, accepit, inquit, in sanctis manibus panem. Antequam consecratur panis est : ubi autem verba Christi accesserunt, Corpus Christi est. Deinde audi dicentem; Accipite, et edite ex hoc omnes, hoc est corpus meum. Et ante verba Christi calix est vino et aqua plenus : ubi autem verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. Vide ergo quam potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Jesus testificatur quod Corpus et Sanguinem suum accipiamus : de cujus fide et testificatione dubitare non debemus. Tu autem, Domine, miserere nostri.

Dominica infra Octavas Corporis Christi.

Lectio i. (*De Consecr. Dis.* 2. *Capi. Christus panis.*)*

Christus panis est, de quo qui manducat vivit in æternum. De quo ipsemet dixit, Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Determinat quo modo sit panis, non solum secundum verbum quo vivunt omnia, sed secundum carnem assumptam pro mundi vita. Humana enim caro quæ erat peccato mortua, carni mundæ unita, incorporata, unum cum illa effecta, vivit de Spiritu ejus, sicut vivit corpus de spiritu suo. Qui vero non est de Corpore Christi non vivit de Spiritu Christi. (*Ibid. cap. Corpus*).† Corpus et Sanguinem Christi dicimus illud quod ex fructibus terræ acceptum et prece mystica consecratum recte sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam Dominicæ passionis. Quod cum per manus hominis ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritusancto : cum hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur.

Lectio ii. (*Ibid. c. Hoc est.*)‡

Hoc est sacramentum pietatis, et signum unitatis, et vinculum charitatis. Qui vult vivere, accedat et credat : incorporet hunc cibum et potum, per hoc etiam intelligens societatem membrorum mystici corporis ecclesiæ, quod erit in fine ipsius in prædestinatis. (*Ibid. c. Hoc est quod.*)§ Hoc est quod dicimus, quod omnibus modis probare contendimus, sacrificium ecclesiæ duobus

* Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. cap. lvii.
† *ibid.* cap. lx. ‡ *ibid.* cap. lxiii. § *ibid.* cap. xlviii.

confici, duobus constare. Visibili elementorum specie, et invisibili Domini Jesu Christi carne et sanguine, sacramento et re sacramenti, id est Corpore Christi. Sicut Christi persona constat et conficitur ex Deo et homine, cum ipse Christus verus sit Deus et verus homo : quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet ex quibus conficitur. Conficitur autem sacramentum ecclesiæ duobus, sacramento et re sacramenti, id est Corpore Christi. Est igitur sacramentum et res sacramenti, id est Corpus Christi, caro ejus quam forma panis opertam in sacramento accipimus, et sanguinem ejus quem sub vini specie ac sapore potamus. Caro videlicet est carnis*, et sanguis est sacramentum sanguinis. Carne et sanguine, utroque visibili, spirituali, significatur visibile Corpus Domini nostri Jesu Christi et palpabile, plenum gratia omnium virtutum et divina majestate. Sicut ergo cælestis panis, qui vere Christi caro est, suo modo vocatur Corpus Christi, cum revera sit sacramentum Corporis Christi, illius videlicet quod visibile, quod palpabile et mortale in cruce est positum, vocaturque ipsa carnis immolatio, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate sed significanti mysterio, sic sacramentum fidei quod baptismus intelligitur fides est.

Lectio iii. (*De Consecr. d.* 2. *cap. Iteratur.*) †

Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus ‡ in carne, per unam eandemque passionem mortis suæ semel salvavit mundum : ex qua morte idem resurgens ad vitam, mors ei ultra non dominabitur. Quod || profecto sapientia Dei Patris necessarium pro multis causis hoc providit. Primo quidem quia quotidie peccamus : saltem in peccatis sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest. Quia licet omnia peccata condonata sint in baptismo, infirmitas tamen peccati adhuc manet in carne. Unde Psalmista, Benedic, anima mea, Dominum, qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Et ideo quia quotidie labimur, quotidie Christus pro nobis immolatur, et passio Christi in mysterio traditur : ut, qui semel moriendo mortem vicerat, quotidie recidiva delictorum per hæc sacramenta Corporis et Sanguinis peccata relaxet. Unde oramus, Dimitte nobis debita nostra. Quia, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est. Iteratur etiam hoc sacramentum ob commemorationem passionis Christi, sicut ipse ait, Hæc quotienscunque agitis, in meam commemorationem facite. Quotienscunque ergo hunc panem sumitis, et bibitis calicem, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Non itaque sic accipiendum est, donec Christi mors veniat, quia jam ultra non morietur : sed donec ipse Dominus ad judicium veniat. Interim autem semper mors Christi est per seculi vitam posteris nuncianda, ut discant qua charitate dilexit suos qui pro eis mori dignatus est, cui omnes vicem debemus rependere charitatis, quia ad hoc nos prior dilexit, cum essemus gehennæ filii, ut eum diligeremus a morte jam liberati. (*Ibid. cap. Quia morte.*) § Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo carnem et potando sanguinem ejus, quæ pro nobis oblata sunt significamus. Tu.

* *Legendum cum Portiforiis* 'Caro visibilis videlicet est sacramentum carnis.'
† Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. cap. lxxi.
‡ 'passus sit' *Chevallon.* || 'Qui profecto' *Chevallon.* § *ibid.* cap. l.

Lectio iiii. (*De Consecr. dis.* 2. *Utrum sub figura.*)*

Utrum sub figura an sub veritate hoc mysticum calicis sacramentum fiat, Veritas ait: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Alioquin quomodo verum erit, Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita, nisi vera sit caro? Sed quia Christum fas vorari dentibus non est, voluit hunc panem et vinum in mysterio vere carnem suam et sanguinem suum consecratione Spiritus Sancti potentialiter creari, et quotidie pro mundi vita mystice immolari : ut sicut de virgine per Spiritum Sanctum vera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis et vini mystice idem Corpus Christi consecretur. Corpus Christi et veritas et figura est. Veritas : dum Corpus Christi et Sanguis in virtute Spiritus Sancti, et in virtute ipsius, ex panis vinique substantia efficitur. Figura vero est id quod exterius sentitur. Intra catholicam ecclesiam in mysterio Corporis Christi nichil a bono majus, nichil malo minus perficitur sacerdote : quia non in merito consecrantis sed in verbo efficitur Creatoris, et in virtute Spiritus Sancti. Si enim in merito esset sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum Sanctum hanc suam efficit carnem, et transfert vinum in sanguinem. Unde et sacerdos, Jube hæc, inquit, perferri per manus angeli tui sancti in sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis tuæ. Ut quid deferenda illuc deposcit, nisi ut intelligatur quod ista fiant in eo sacerdotio? Hanc igitur oblationem benedictam, per quam benedicimur : ascriptam, per quam homines in cælo ascribuntur : ratam, per quam in visceribus Christi esse censeamur : rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur : acceptabilem, ut qui nobisipsis displicemus per hanc acceptabiles ejus unico Filio simus. Nichil rationabilius, ut quia nos jam similitudinem mortis ejus in baptismo accepimus, similitudinem quoque carnis et sanguinis ejus sumamus, ita ut veritas non desit in sacramento, et ridiculum nullum fiat a paganis quod cruorem occisi hominis bibamus. Tu autem.

Lectio v. (*Ibidem.*)

Credendum est etiam quod in verbis Christi sacramenta conficiantur. Cujus enim potentia creantur prius, ejus utique verbo ad melius procreantur. Reliqua omnia quæ sacerdos dicit aut clerus chori canit nichil aliud quam laudes et gratiarum actiones sunt, aut certe obsecrationes et fidelium petitiones. (*Ibid. cap. Omnia quæ.*)† Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo et in terra. Et quia voluit, sic factum est. Ita licet figura panis et vini videatur, nichil tamen aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt. Unde ipsa Veritas ad discipulos, Hæc (inquit) caro mea est : pro mundi vita. Et (ut mirabilius loquar) non alia plane quam quæ nata est de Maria virgine, et passa in cruce, et resurrexit de sepulchro. Hæc, inquam, ipsa est. Et ideo Christi caro est quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur : et cum digne percipitur, vita utique æterna in nobis reparatur. Panem quidem istum quem sumimus in mysterio, illum utique intelligo Panem qui manu Spiritus Sancti formatus est in utero virginis, et igne passionis decoctus in ara crucis. Panis enim angelorum factus

* Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. cap. lxxii.
† *ibid.* cap. lxxiv.

est hominum cibus. Unde ipse ait, Ego sum panis vivus : qui de cælo descendi. Et iterum, Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. (*Ibid. cap. Quotidie. Augustinus in libro de diffinitione orthodoxæ fidei, capi.* 54.)* Quotidie eucharistiæ communionem accipere nec laudo nec vitupero : omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor. Si tamen mens in affectu peccandi est, gravari magis dico eucharistiæ perceptione quam purificari. Et ideo quamvis peccato mordeatur quis, peccandi tamen de cetero non habeat voluntatem, et communicaturus satisfaciat lachrymis et orationibus, et confidens de Domini miseratione accedat ad eucharistiam intrepidus et securus. Sed hoc de illo dico, quem mortalia peccata non gravant. (*Augustinus ad inquistionem Januarii li.* 1. *cap.* 3.) Item si dicit quispiam non quotidie accipiendam eucharistiam, alius quotidie accipiendam affirmat, faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zacheus et ille centurio, cum alter eorum gaudens in domo sua susceperit Dominum, alter eorum dixit Domino, Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo. Ambo peccatis miseri : ambo misericordiam consecuti. Ad hoc valet, quod manna secundum propriam voluntatem in ore cujusquam sapiebat.

Lectio vi. (*De Consecr. Dis.* 2. *Si quotiens.*† *Ambros. de sacram. li.* 4. *c.* 6.)

Si quotienscunque effunditur sanguis Christi in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper michi peccata dimittantur. Quia semper pecco, semper debeo habere medicinam. (*De Consec. dis.* 2. *Qui scelerate.*) Qui scelerate vivunt in ecclesia, et communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant nichil ad emundationem proficere sibi, dicente propheta, Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent a te malicias tuas? Et Apostolus, Probet (inquit) se homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. (*Ambr. li.* 5. *de sacr. cap.* 4. *Item de Consecr. dis.* 2. *cap. Non iste panis.*)‡ Non enim iste panis est qui in corpus vadit : sed panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Iste panis quotidianus est. Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. (*De Consecr. dis.* 2. *Et sancta.*)‖ Sancta malis possunt obesse : bonis sunt ad salutem, malis ad judicium. Unde Apostolus, Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit. Non quod illa res mala est : sed quia malus male accipit quod bonum est. Non enim mala erat bucella, quæ Judæ data est a Domino. Salutem medicus dedit, sed quia ille qui indignus erat accepit, ad perniciem suam accepit. (*Ibidem, Non prohib.*)§ Non prohibeat dispensator pingues terræ in mensa Domini manducare, sed exactorem moneat timere. (*Ibid. Sic. Jud.*)¶ Sicut Judas, cui bucellam tradidit Christus, non malum accipiendo, sed bonum male accipiendo, locum præbuit dyabolo. Sic indigne quisque sumens Corpus Christi non efficit ut quia malus est malum sit, aut quia non ad salutem accipit nichil accipit.

* Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. cap. xiii.
† *ibid.* cap. xiv. ‡ *ibid.* cap. lvi. ‖ *ibid.* cap. lxvi.
§ *ibid.* cap. lxvii. *mox* 'Non quod prohibeat' *ed.* 1516, *Legenda* 1518. ¶ *ibid.* cap. lxviii.

Corpus enim et Sanguis Domini nichilominus erat in illis, quibus dicebat Apostolus, Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit. (*De Consecr. dis.* 2. *cap. Quid est.*)* Sed quomodo manducandus est Christus? Quo modo ipse dicit, Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem digne, in me manet et ego in illo. Et qui indigne accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum. (*De Consecr. dis.* 2. *cap. Quia corpus.*)† Quia corpus assumptum ablaturus erat Dominus ab oculis et illaturus sideribus, necessarium erat ut in die cenæ sacramentum ‡panis et sanguinis consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium quod semel offerebatur in precium : ut quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset redemptionis oblatio, et perennis victima illa viveret in memoria et semper præsens esset in gratia. Vere unica et perfecta hostia, fide æstimanda non specie, neque exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Unde et merito cælestis confirmat auctoritas, quia caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum : quoniam quidem qui auctor est muneris ipse etiam est testis veritatis. Nam invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam Corporis sui et Sanguinis verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens, Accipite et comedite : hoc est Corpus meum. Et sanctificatione repetita : Accipite et bibite, hic est Sanguis meus. Ergo sicut ad meritum præcipientis Domini repente ex nichilo substiterunt excelsa cælorum, profunda fluctuum, vasta terrarum : ita pari potestate in spiritualibus sacramentis ubi præcipit virtus servit effectus. Tu autem, Domine miserere.

Tres ultimæ Lectiones de expositione Evangelii legantur, sicut in prima die.

Feria Secunda.

Lectio i. (*Ibidem.*)

Quanta itaque et quam celebranda beneficia vis divinæ benedictionis operetur, et quomodo tibi novum et impossibile esse non debeat, quod in Christi substantiam terrena et mortalia convertuntur : teipsum qui in Christo es regeneratus interroga. Dudum alienus a vita, peregrinus a misericordia, et a salutis via intrinsecus mortuus exulabas, subito initiatus Christi legibus, et salutaribus mysteriis innovatus, in corpus ecclesiæ non videndo sed credendo transilisti, et de filio perditionis adoptivus Dei filius fieri occulta puritate meruisti : in mensura visibili permanens major factus es teipso invisibiliter sine quantitatis augmento. Cum idem atque ipse esses, multo alter fidei processibus extitisti : in exteriori nichil additum est, et in interiori totum mutatum est : ac sic§ homo Christi filius effectus es, et Christus hominis in mente formatus est. Sicut ergo sine corporali sensu, vilitate præterita deposita, subito novam indutus es dignitatem, et sicut hoc quod Deus in te læsa curavit, infecta diluit, maculata detersit, non oculis sed sensibus tuis sunt credita : sic et cum ad reverendum ¶altare cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum Dei tui Corpus et Sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, et maxime mente totum haustum interioris hominis assume.

* Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. cap. xlvi.
† *ibid.* cap. xxxv. ‡ 'nobis corporis et sanguinis conse-' *Legenda* 1518.
§ 'si' *Legenda.* ¶ 'ad altare' *ed.* 1516. *Leg.* 1518.

Lectio ii. (*De Consecr. dis. 2. In Christo semel.*)*

In Christo semel oblata est hostia ad salutem æternam potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis ejus : et una est hostia non multæ. Quomodo una et non multæ? Quia semel oblatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius : idipsum, et semper idipsum. Proinde hoc idem est sacrificium unum solum. Alioquin dicetur, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi. Nequaquam, sed unus ubique Christus : et hic plenus existens, et illic plenus. Sicut enim quod ubique offertur unum est corpus, et non multa corpora : ita et unum sacrificium. Pontifex autem est ille qui hostiam obtulit nos mundantem. Ipsam etiam offerimus nunc, quæ tunc oblata consumi non potest. Quod nos facimus : in commemorationem ejus fit quod factum est. Hoc enim facite, ait : in meam commemorationem.

Lectio iii. (*De Consecratione. Distinctio 2. Cap. i.*)†

In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solennia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calice Domini aut vinum solum aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in passione sua profluxisse legitur. (*De Consecr. dis. 2. Cum omnis.*)‡ Calix etiam Dominicus vino et aqua permixtus debet offerri : quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei in quem credit copulatur et jungitur. Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergo quando botrus solus offertur, in quo vini efficientia tantum designatur, salutis nostræ sacramentum negligitur, quod aqua significatur. Tu autem.

Feria Tertia.

Lectio i. (*Ambros. lib. 5. de sacramentis, cap. i.*)

Hujus sacramenti ritum Melchisedech ostendit, ubi panem et vinum Abrahæ obtulit. Sed tu mihi|| dicis, Quomodo ergo Melchisedech vinum tantum et panem obtulit? Quid igitur vult admixtio aquæ? Rationem accipe. Primo omnium figura fuit, quæ ante præcessit tempore Moysi. Quia cum sitiret populus Judeorum, et murmuraret quod aquam invenire non posset : jussit Dominus Moysi ut tangeret petram cum virga. (*De Consecr. dist. 2. In calicem.*)§ Tetigit petram cum virga, et undam maximam fudit, sicut dicit Apostolus, Bibebant autem de spirituali consequente eos petra. Petra autem erat Christus. ¶Non immobilis petra quæ populum sequebatur. Et tu bibe ut Christus te sequatur. Vide mysterium. Moyses hoc est propheta : virga hoc est verbum Dei. Sacerdos verbo Dei tangit petram, et fluit aqua, et bibit populus Dei. Tangit ergo sacerdos calicem, redundat aqua in calice et salit in vitam æternam, et bibit populus Dei qui Dei gratiam consecutus est. Tu autem.

* Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. Cap. liii. 'ī. 10. *semel.*' Chevallon.
† *ibid.* cap. i. ‡ *ibid.* cap. vii. || 'mihi' *in hoc loco Chevallonius cum editione* A.D. 1516, 'michi' *Legenda.*
§ Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. cap. lxxxiii. ¶ 'Non mobilis' *Leg.* 1518.

Lectio i. [*Decreti pars iii. De Consecratione. Distinctio* 2. *Cap. lxxiii.*]

Tanta est unitas ecclesiæ in Christo, ut unus sit ubique panis Corporis Christi, et unus sit calix Sanguinis ejus. Calix enim quem sacerdos catholicus sanctificat non est alius nisi ipse quem Dominus apostolis tradidit : quia sicut divinitas Verbi Dei una est quæ totum implet mundum, ita licet multis locis et innumerabilibus diebus illud Corpus consecretur, non sunt tamen multa corpora Christi neque multi calices, sed unum Corpus Christi et unus Sanguis cum illo quod sumpsit in utero virginis, et quod dedit apostolis. Divinitas enim Verbi replet illud quod ubique est, et conjungit ac facit ut sicut ipsa una est, ita et unum Corpus ejus sit in veritate. Unde animadvertendum est quod sive plus sive minus unusquisque inde percipiat, omnes æqualiter Corpus Christi integerrime sumunt, et generaliter omnes, et specialiter unusquisque. Tu autem, Domine.

Lectio ii. (*Ibidem.*)

Misterium fidei dicitur, quod credere debes quod ibi salus nostra consistat. Providens enim Dominus dedit nobis hoc sacramentum salutis, ut quia quotidie nos peccamus, et ille jam mori non potest, per istud sacramentum remissionem consequamur. Quotidie enim ipse comeditur et bibitur in veritate : sed integer et vivus atque immaculatus permanet. Et ideo magnum atque pavendum mysterium est, quia aliud videtur et aliud intelligitur. Sed cum mysterium sit, verum Corpus et Sanguis Christi dicitur. Figuram panis et vini habet, faciente Domino, quia non habemus in usu carnem crudam comedere, et sanguinem bibere. (*Ibidem. Sicut est verus.*)* Sicut verus est Filius Dei Dominus noster Jesus Christus non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris : ita vera est Christi caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus sanguis ejus quem potamus. Ego sum, inquit, panis vivus, qui de cælo descendi. Sed caro non descendit de cælo. Quomodo ergo de cælo descendit panis vivus? Quia idem Dominus Jesus consors est divinitatis et corporis : et tu qui accipis Christi carnem divinæ ejus substantiæ in illo participas alimento. Tu autem.

Lectio iii. (*De Consecr. dis.* 2. *Quia passus.*)†

Quia passus est pro nobis Dominus, commendavit nobis in isto sacramento Sanguinem suum et Corpus, quod etiam fecit nosmetipsos. Nam et nos corpus ipsius facti sumus, et per misericordiam ipsius quod accepimus nos sumus. Recordamini, et vos non fuistis, et creati estis, et ad aream Dominicam comportati estis, laboribus boum, id est annunciantium Evangelium, triturati estis. Quando cathecumini deferebamini, in horreo servabamini : quando nomina vestra dedistis, cœpistis moli jejuniis, et exorcismis. Postea ad aquam venistis, et conspersi estis : et panis Dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. Quomodo ergo unum videtis esse quod factum est, sic et unum estote vos diligentes vos, scilicet tenendo unam fidem, unam spem, individuam caritatem. Hæretici quando hoc sacramentum accipiunt, testimonium contra se accipiunt : quia illi quærunt divisionem, cum panis iste indicet unitatem. Sic et vinum in multis racemis fuit, et modo unum est. Vi-

* Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. cap. lxxxiv. † *ibid.* cap. xxxvi.

num est in sua nativitate, calix est post pressuram torcularis. Et vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem et contritionem, jam in nomine Domini tanquam ad calicem Christi venistis : et ibi vos estis, in mensa et in calice, nobiscum vos estis. Simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul vivimus.

Lectio iiii. (*Ibidem.*)

Ita Dominus noster Jesus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, cum mysterium pacis et unitatis nostræ in mensa consecravit. Qui accepit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Nulli est aliquatenus ambigendum unum quemque fidelium Corporis et Sanguinis Dominici tunc esse participem, quando in baptismate membrum efficitur Christi : nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat calicemque bibat de hoc seculo migraverit, in unitate corporis constitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando in se hoc quod illud sacramentum significat invenitur. (*Ibidem. Qui manducant.*)* Qui manducant et bibunt Christum, vitam manducant et bibunt. Illud manducare est refici, illud bibere est vivere. Quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur et bibitur.

Lectio v.

Manducatur Christus, vivit manducatus, quia surrexit occisus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in sacramento sic fit. Et norunt fideles quomodo, quando manducant carnem Christi, unusquisque accipit partem suam. Unde et ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur in sacramento : et manet integer totus in cælo. Per partes manducatur in sacramento : et manet integer totus in corde tuo. Totus enim erat apud Patrem quando venit in virginem : implevit illam nec recessit ab illo. (*Ibidem. Qui manducat.*)† Veniebat in carnem ut homines eum manducarent : et manebat integer apud Patrem ut angelos pasceret. (*De Consecr. dis.* 2. *Invitat Dominus.*)‡ Invitat Dominus servos, et præparat eis cibum, seipsum. Quis audeat Dominum suum manducare? Et tamen ait, Qui manducat me, vivit propter me. Quando manducatur, vita manducatur : nec tamen occiditur ut manducetur, sed mortuos vivificat. Quando manducatur reficit : sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare istum panem, ne forte finiamus|| illum, et postea quid manducemus non inveniamus. (*De Consecr. dis.* 2. *Qui manducant.*)* Quod videtur, panis et calix : quod etiam oculi renunciant. Quod autem fides postulat instruenda : panis est Corpus Christi, et calix est Sanguis. Ista ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur et aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem : quod intelligitur fructum habet spiritualem.

Lectio vi. (*De Consecratione. dis.* 2. *Nihil.*)§

Nichil in sacrificiis majus esse potest quam Corpus et Sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est. Sed hæc omnes præcellit, quæ pura conscientia Domino offerenda est, et

* Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. cap. lviii.
† *ibid.* cap. lxxv. ‡ *ibid.* cap. lxx. || 'sumamus' *ed.* 1516. *Leg.* 1518.
§ *ibid.* cap. viii. '*Nihil*' Chevallonius, sed mox 'Nichil.'

pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda. Et sicuti potior est ceteris, ita potius excoli et venerari debet. (*Ibidem, Triforme.*)* Triforme est Corpus Domini. Pars oblatæ in calicem missa Corpus Christi quod jam resurrexit monstrat, et pars comesta ambulans adhuc super terram; pars in altari usque ad finem Missæ remanens Corpus in sepulchro, quia usque in finem seculi corpora sanctorum in sepulchris erunt. (*Ibidem, Cum frangitur.*)† Dum frangitur hostia, dum de calice sanguis in ora fidelium funditur : quid aliud quam Dominici Corporis in cruce immolatio, ejusque Sanguinis de latere effusio designatur? (*De Consecr. dis.* 2. *Ante benedictionem.*)‡ Qui manducaverit hoc Corpus, fiet ei remissio peccatorum. Tu autem.

Tres ultimæ Lectiones de expositione Evangelii legantur, sicut in prima die.

Et omnes Antiphonæ super Laudes dicuntur.

Et si aliquod Festum trium Lectionum hac die contigerit, fiant inde tres mediæ Lectiones si propriæ habeantur; sin autem, tantum Memoria ad Vesperas et ad Matutinas et ad Missam.

Ad Primam.

Ant. Sapientia.
Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).
Ant. Te jure.
Ps. Quicunque.

Ad alias Horas *omnia fiant sicut in die.*

Ad secundas Vesperas *omnia fiant sicut in die, præter Responsorium, quod non dicetur.*

Et si Festum simplex novem Lectionum in hac die evenerit, differatur in crastinum, et erunt Vesperæ de Festo, et solennis Memoria de Octava : nisi quando Commemoratio sancti Pauli hac die contigerit, differatur in crastinum : tunc enim erunt secundæ Vesperæ de Octava, et ad Matutinas de Commemoratione sancti Pauli fiat solennis Memoria de Octavis sancti Johannis Baptistæ, cum Missa in capitulo.

Si vero Festum sancti Albani hac die contigerit : differatur in crastinum, et tunc fiant mediæ Lectiones de sancta Etheldreda ad Matutinas de sancto Albano. Missa vero de sancto Albano post Tertiam dicatur, et Missa de Vigilia post Sextam, utraque ad principale altare||.

Si vero duplex Festum in hac die contigerit, non differatur; sed totum fiat servitium de Festo, et tantum solennis Memoria de Octava ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam in illo anno : licet Festum loci fuerit.

Cum vero Octavæ Corporis Christi in Vigilia sancti Johannis Baptistæ, vel in Vigilia apostolorum Petri et Pauli evenerint : totum fiat servitium de Octavis, et Memoria et mediæ Lectiones de Sanctis qui ibidem contingunt. Missa vero de Octavis post Tertiam dicatur, et Missa de Vigilia post Sextam, utraque ad principale altare§.

Cum autem in Festo sanctorum Johannis et Pauli Octava Corporis Christi evenerit, Festum differatur in crastinum : et fiant ibi tres Lectiones tantum : totum servitium fiat de Octava, et mediæ Lectiones de sancto Johanne Baptista, cum Versi-

* Decreti pars iii. *De Consecratione.* Distinctio 2. cap. xxii.

† *ibid.* cap. xxxvii. ‡ *ibid.* cap. xl.

|| '*Et tunc non dicitur memoria de S. Etheldreda ad missam de Vigilia, sed ad magnam missam de S. Albano tantum.*' Brev. 1516.

§ '*Et tunc ad i. vesperas et ad matutinas de S. Johanne Baptista, fiat solennis memoria de Oct. Corporis Christi. Similiter fiat in festo Apostolorum Petri et Pauli.*' Brev. 1516.

bus et Responsoriis de primo Nocturno Hystoriæ ejusdem : ita tamen quod tertium Responsorium erit Priusquam te : *nam tunc Plenum Servitium de sancta Maria in crastino sancti Johannis Baptistæ fiet.*

Cum vero Festum sanctorum Johannis et Pauli in Dominica infra Octavas Corporis Christi evenerit : tunc Festum differatur in crastinum : ibi inchoetur Hystoria Deus omnium : *et ibi fiat solennis Memoria ad Vesperas et ad Matutinas, et mediæ Lectiones de Corpore Christi : nisi Festum trium Lectionum evenerit quod proprias habeat Lectiones, vel Festum sancti Johannis Baptistæ hanc Dominicam præcesserit : tunc fiant mediæ Lectiones de sancto Johanne Baptista, ut supra dictum est.*

UBI *fiunt Octavæ Corporis Christi cum regimine chori, hoc modo fiat servitium. In prima die tam ad Vesperas quam ad Matutinas et ad alias Horas omnia fiant sicut in prima die ubi Octavæ fiant sine regimine chori, ut prædictum est; excepto quod ad secundas Vesperas dicuntur Psalmi qui ad primas Vesperas dicebantur, videlicet, Ps.* Dixit Dominus. *Ps.* Confitebor. *Ps.* Credidi. *Ps.* Beati omnes. *Ps.* Lauda Hierusalem. *Capitulum.* Dominus Jesus. *Hymnus.* Sacris solenniis. *V.* Panem de cælo.

De Festis vero eodem die varie contingentibus similiter fiat ut ibidem prædictum est.

Per totas Octavas fiat servitium de Corpore Christi, etiam in Dominica, nisi Festum novem Lectionum intercurrat, vel Festum Johannis et Pauli infra Octavas evenerit.

QUOTIDIE AD MATUTINAS.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ et Psalmi, sicut in prima die, Versus et Responsoria secundum ordinem Nocturnorum dicuntur. Tres Lectiones fiant, cum Psalmo Te Deum. *Et cetera.*

Ante Laudes Versus. Panem de cælo.

IN LAUDIBUS *dicatur hæc sola Antiphona* Sapientia.

Ps. Dominus regnavit.

Capitulum, Hymnus, et Versus, sicut in prima die.

Per totas Octavas super Psalmos Benedictus *et* Magnificat, *nisi in Dominica et in Octava die, dicuntur Antiphonæ suo ordine quæ ad primas Vesperas super Psalmos dicebantur, cum frequenti repetitione : et etiam ad Memoriam de Corpore Christi cum de aliquo Sancto infra Octavas fiat servitium.*

Oratio. Deus, qui nobis.

Nulla fiat Memoria per Octavas, quia chorus regitur : nisi aliquod Festum sine regimine chori intervenerit : et nisi in Dominica, quando sexta feria in crastino Octavarum vacaverit, ut subnotatum est.

AD PRIMAM, ET AD ALIAS HORAS, *omnia fiant sicut in prima die, præter cantus super Hymnos ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam.*

AD VESPERAS, *Ant.* Sapientia. *Ps.* Dixit Dominus. *Et ceteri Psalmi qui ad primas Vesperas dicebantur.*

Cetera omnia tam ad Vesperas quam ad Completorium, sicut in prima die, præter Antiphonam super Psalmum Magnificat, *quæ erit una de prædictis per ordinem.*

DOMINICA INFRA OCTAVAS, *si a Festo novem Lectionum vacaverit, ad primas Vesperas omnia fiant sicut in aliis diebus infra Octavas, præter Antiphonam super Psalmum* Magnificat, *quæ erit* O quam suavis. *Nulla fiat Memoria de Dominica, nec de Trinitate : sed neque processio fiet ante crucem, nisi forte in crastino*

Octavarum servitium de sexta feria fuerit faciendum : tunc enim fiat Memoria de Dominica, de Trinitate, et processio ante crucem, et tunc Missa Dominicalis in dicta sexta feria post Octavas dicatur : et tunc Responsorium Deum time *in illo anno omnino prætermittatur.*

Ad Matutinas *vero omnia fiant sicut in prima die, præter sex Lectiones, quæ erunt de propria Legenda per Octavas annotata per ordinem.*

In Laudibus *vero una sola Antiphona dicitur.*

Ad Primam, et ad alias Horas, *omnia fiant sicut in ceteris diebus infra Octavas, præter Antiphonam super Psalmum* Quicunque, *quæ erit Antiphona* Te jure. *Et dicitur hæc Antiphona ad* Quicunque *in feriis sequentibus infra Octavas, nisi duplex Festum intercurrat.*

Ad secundas Vesperas, *et ad Completorium, omnia fiant sicut in aliis diebus infra Octavas, præter Antiphonam super Psalmum* Magnificat, *quæ erit* O sacrum convivium.

Si aliquod duplex Festum infra Octavas contigerit, vel in Octava, totum fiat servitium de Festo, et de Octavis tantum Memoria. Si autem Festum novem Lectionum, et minime duplex, infra Octavas contigerit, etiam in Dominica, totum servitium fiat de Festo, et de Octavis tantum Memoria.

De Festis autem trium Lectionum sine regimine chori, quæ infra Octavas evenerint, Memoria tantum fiat : nisi sint Festis novem Lectionum conjuncta : tunc enim fiant Memoria et mediæ Lectiones in Festis novem Lectionum. Tamen si Festum sanctorum Johannis et Pauli infra Octavas contigerit : tunc enim totum servitium fiat de Festo cum novem Lectionibus, propter Octavas quæ sunt cum regimine chori, tanquam si in Dominica extra Octavas contigerit, ne servitii proprietas omittatur. Ita tamen quod mediæ Lectiones fiant de Corpore Christi : et de sancto Johanne Baptista Memoria tantum.

In Octavis *omnia fiant ut supra, ubi Octavæ fiunt sine regimine chori : excepto quod si Festum* novem Lectionum hac die contigerit, differatur in crastinum : et ad secundas Vesperas de Corpore Christi fiat solennis Memoria de Festo : nisi forte hujusmodi Festum novem Lectionum fuerit, quod secundas Vesperas habere non poterit. Similiter fiat de Festo novem Lectionum in crastino Octavarum contingente. Si vero duplex Festum in crastino contigerit, fiat solennis Memoria de Octavis.*

Cum Commemoratio sancti Pauli hac die contigerit, differatur in crastinum, et in Octava fiat Memoria de Apostolis, ad Matutinas cum hac Antiphona Petrus apostolus, *ad Vesperas cum hac Antiphona* O Petre pastor, *cum mediis Lectionibus de Octavis Apostolorum. In Commemoratione sancti Pauli fiat tantum Memoria de Octavis sancti Johannis Baptistæ.*

Si duplex Festum in Octavis contigerit, totum servitium fiat de Festo, et Memoria de Octavis eo anno. Si Festum sanctorum Johannis et Pauli in octava die evenerit, fiant mediæ Lectiones de Sanctis : Laudes vero de Sanctis, quæ propriæ habentur, eo anno prætermittantur. In crastino vero Octavarum fiat tunc Commemoratio beatæ Mariæ.

* '*festum duplex*' Brev. 1516.

[DOMINICA PRIMA POST FESTUM TRINITATIS.]

1. A. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas, quae erunt de S. Aldelmo, fiat memoria de S. Germano; de Octavis, Ant. *O quam suavis*, et nichil de Dominica nec de Trinitate, nec processio, quia hic una dominica differtur. Ad matutinas totum servitium de Octavis et tantum memoria de Sancto [Germano]. In laudibus una Antiphona. Ad primam Ant. *Te jure:* ad processionem ante missam non fiat memoria de Cruce.

Feria v. de Octava Corporis Christi: et tantum memoria de Sancto [Nichomede]. Ad ii. vesperas memoria de commemoratione et de Martyribus [Marcellino et Petro].

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

Dominica Secunda post Trinitatem inchoatur hystoria cum R. *Deum time*, et tota cantetur hystoria. In laudibus omnes Antiphonæ.

Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de S. Edmundo, et mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano], cum V. et R. de ii. nocturno.

Dominica Tertia de Apostolo [Barnaba]. Ad i. vesperas memoria de Trinitate, et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo, et memoria de Trinitate tantum; ad altam missam nulla memoria.

Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica Quarta de Dominica: memoria et mediæ lectiones de Sanctis [Marco et Marcelliano]. 6. R. *Hæc est vera.*

Feria ii. et iv. de commemoratione.

Feria iii. de S. Edwardo, ix lectiones de alio festo. Cap. *Beatus vir qui in sapientia.* Ad sextam, *Cibavit.* Ad nonam, *Et firmabitur.*

Dominica Quinta de Dominica. Ad i. vesperas memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio, et nulla processio. Ad matutinas mediæ lectiones de S. Johanne. 6. R. *Priusquam.*

Feria iii. et Sabbato de commemoratione, et nichil de tertia commemoratione. Missa de Octava S. Johannis dicitur in Capitulo.

Dominica Sexta de Visitatione, majus duplex, Octava cum regimine chori : nulla fiat memoria quia hic differtur alia Dominica.

Feria ii. de Octavis.

Feria iii. de S. Martino, et mediæ lectiones de Apostolis [Petro et Paulo]. Versus et responsoria de Communi Apostolorum. Vesperæ et matutinæ de S. Maria dicuntur ferialiter sicut* extra Octavas. Nonum responsorium a duobus cantetur propter Octavam. Secundæ vesperæ erunt de S. Martino.

Feria vi. de S. Thoma. Ad i. vesperas memoria de Apostolis [Petro et Paulo] sub silentio : deinde solennis memoria de Visitatione. Ad matutinas et ad missam et ad ii. vesperas solennis memoria de Visitatione.

Dominica Septima : Festum Reliquiarum : memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio : deinde solennis memoria de Octavis. Missa de

* 'sic' *Chevallon et Brev.* 1516.

Octavis Visitationis dicitur pro missa de S. Maria, cum V. *Spiritus et alme* et *Benedictus Mariæ Filius.* Ad ii. vesperas memoria de Dominica sub silentio : deinde solennis memoria de Octavis, et nichil de Martyribus ad has vesperas.

Feria ii. de Martyribus [Septem Fratribus]. Tertium responsorium *Hæc est vera:* memoria de Reliquiis sicut* solet dici ad matutinas de S. Maria.

Feria iii. de S. Benedicto, ix. lectiones; memoria de Reliquiis ut supra per totas Octavas, etiam in Octava.

Feria iv., v., et vi. de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in ii. Feria.

Dominica Octava de Dominica: [Ant.] super Magnificat *Montes Gelboæ:* memoria de S. † Confessore [Osmundo], de Reliquiis, de Trinitate, et processio.

Feria iii., iv., et vi. de commemorationibus.

Dominica Nona de servitio dominicali. Ad i. vesperas super psalmum Magnificat Ant. *Rex autem David :* memoria de S. Maria Magdalene, de Martyre [Apollinari], de Trinitate et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Martyre.

Feria ii. de Virgine cum nocturno.

Feria iii. de Apostolo [Jacobo]; et solennis memoria de Martyre [Christophoro].

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus, et memoria de Sanctis [Septem Dormientibus; Samsone, et Pantaleone; Felice, Simplicio &c.].

2. A. Dominica Prima post Festum Trinitatis, totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas memoria de Dominica, Ant. *Loquere Domine :* memoria de Trinitate, et processio. Missa Dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate. Ad altam missam nulla fit memoria.

Feria v. de Octava Corporis Christi. Ad matutinas mediæ lectiones de Sanctis [Medardo et Gildardo]. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de S. Edmundo et de Martyribus [Primo et Feliciano].

Feria vi. de S. Edmundo; mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano] cum V. et R. de i. nocturno. Ad vesperas, quæ erunt de Sancto [Edmundo], fiat memoria de S. Maria, Ant. *Sub tuam.*

Sabbato de S. Maria.

Dominica II. totum servitium de Apostolo [Barnaba], et missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate. Ad ii. vesperas memoria de Martyribus [Basilide, Cirino &c.] et de Dominica.

Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus, et memoria de Sancto [Basilio].

Dominica III. de Dominica : memoria et mediæ lectiones de Martyribus [Marco et Marcelliano]. Sextum responsorium *Hæc est vera.*

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus.

Dominica IV. de Dominica. Ad i. vesperas memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio, sed nulla processio. Ad matutinas mediæ lectiones de S. Johanne. Sextum responsorium *Priusquam te.*

Feria iii. et Sabbato de commemoratione; et nichil de tertia commemo-

* 'sic' *Chevallon et Brev.* 1516.

† 'sctis cōfesso.' *Brev.* A.D. 1516. *Portif.* A.D. 1519, 1557.

ratione in Sabbato. Missa de Octavis dicitur in capitulo, et memoria de Apostolis [Petro et Paulo]. Ad altam missam nulla fiat memoria.

Dominica v. de Visitatione, majus duplex : nulla fiat memoria quia hic differtur una dominica, et fiat servitium de Octavis et de Sanctis : et infra ut supra ad 1. *A*.

Dominica VI., Dominica VII., Dominica VIII.,	et per ebdomadam ut supra ad 1 *A*. scilicet ad Dominicam	VII., VIII., et IX.

3. A. Dominica Prima post Festum S. Trinitatis servitium de Apostolo [Barnaba]. Ad i. vesperas fiat memoria de Octavis, Ant. *O quam suavis*, et inchoetur hystoria cum Ant. *Loquere Domine :* memoria de Trinitate et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Octavis Corporis Christi, cum V. et R. de ii. nocturno : memoria de Octavis de Dominica, et de Trinitate. Ad primam Ant. *Te Jure*. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum.

Feria ii. de Octavis, cum V. et R. de iii. nocturno.

Feria v. de Octava : mediæ lectiones de Martyribus [Vito Modesto et Crescentia]. Ad ii. vesperas memoria de S. Richardo : et de Martyribus [Cirico et Julitta].

Feria vi. de S. Richardo, mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta], cum V. et R. de ii. nocturno. Secundæ vesperæ erunt de Sancto, et memoria de S. Maria, Ant. *Sub tuam*.

Dominica II. de servitio dominicali, et mediæ lectiones de Martyribus [Marco et Marcelliano]. Sextum R. *Hæc est vera*.

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus.

Dominica III. de servitio dominicali. Ad i. vesperas memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio; nulla processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Octava S. Johannis. Sextum R. *Priusquam te*.

Feria v. de Apostolis [Petro et Paulo]. Secundæ vesperæ erunt de Apostolis.

Feria vi. de S. Paulo. Secundæ vesperæ de S. Maria memoria de Apostolis. Missa de Octava S. Johannis dicitur in capitulo cum memoria de Apostolis [Petro et Paulo].

Dominica IV. de Visitatione B. Mariæ, de Dominica et de Trinitate sub silentio; sed nichil de Martyribus [Processo et Martiniano] : nulla processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo infra Octavas : et fiat servitium de Octava et de Sanctis infra Octavas ut supra ad 1. *A*.

Dominica V. Festum Reliquiarum, memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio : deinde solennis memoria de Octava. Ad ii. vesperas memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio : deinde memoria de Octava, et nichil de Martyribus [Septem Fratribus] ad has vesperas.

Feria ii. et iii. de Sanctis, iii lectiones [vii Fratribus et Benedicto]. Invitatorium duplex.

Feria iv., v. et vi. de commemorationibus : et missa dominicalis dicitur in capitulo Feria tertia.

Dominica VI., Dominica VII.	omnia ut supra ad 1. *A*. scilicet ad Dominicam	VIII. et IX.

4. A. Dominica Prima post Festum Trinitatis, servitium de Octavis Corporis Christi, memoria de Martyribus [Marco et Marcelliano] et de Dominica, Ant. *Loquere Domine*, de Trinitate, et processio. Ad matutinas nonum R. a duobus cantetur; et tantum memoria de Martyribus, de Dominica, et de Trinitate. Ad primam Antiphona *Te jure.* Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate.

Feria v. de Octava; et Festum S. Albani differatur in crastinum. Secundæ vesperæ erunt de S. Albano, et memoria de Octava et de S. Etheldreda : et dicitur hymnus *Salvator* cum V. *Deo Patri.*

Feria vi. de S. Albano : mediæ lectiones de Virgine [Etheldreda]; sextum R. *Regnum mundi*; et missa de S. Albano post tertiam. Missa de Vigilia cantetur post sextam ad summum altare, cum memoria de Virgine tantum. Secundæ vesperæ fiant de S. Johanne Baptista et memoria de S. Albano sub silentio. Tamen in diocesi Eliensi servitium in vi. Feria erit de S. Etheldreda, duplex festum, et Festum Albani eo anno omnino omittatur.

Dominica II. de Dominica. Ad i. vesperas memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio, nulla processio. Ad matutinas mediæ lectiones de S. Johanne : sextum R. *Priusquam.* Ad ii. vesperas, quæ erunt de Dominica, fiat memoria de Sanctis [Johanne et Paulo] et de Octavis.

Feria iii. et Sabbato de commemoratione. In Sabbato dicitur missa de Octava S. Johannis, in capitulo, et memoria de Apostolis [Petro et Paulo].

Dominica III. de Visitatione : memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio; et nichil de Martyribus [Processo et Martiniano]. Missa dominicalis dicitur in capitulo infra Octavas, et fiat servitium de Octavis et de Sanctis infra Octavas, ut supra ad 1. *A.*

Dominica IV. Festum Reliquiarum; et fiat servitium in Dominica et per ebdomadam ut supra ad 3. *A.*

Dominica V.,	et per ebdomadam ut supra	VIII.,
Dominica VI.	ad 1. *A.* scilicet ad Dominicam	et IX.

5. A. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Johanne, fiat memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio : deinde solennis memoria de Octavis Corporis Christi. Ad matutinas nonum R. a duobus cantetur et tantum memoria de S. Johanne, de Dominica et de Trinitate. Ad primam Ant. *Te jure.* Missa dominicalis dicitur in capitulo, cum memoria de Trinitate tantum. Secundæ vesperæ erunt de Corpore Christi, et memoria de Martyribus [Johanne et Paulo], de S. Johanne, et de Dominica.

Feria ii. de Martyribus [Johanne et Paulo] : novem lectiones propter Octavas, et mediæ lectiones de Corpore Christi, cum R. de primo nocturno, et tantum memoria de S. Johanne : nonum R. a duobus cantetur. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Martyribus [Johanne et Paulo], fiat memoria de Octavis Corporis Christi, et de Octava S. Johannis, et tota cantetur hystoria xvii. Kal. Augusti.

Feria iii. de Octavis. Responsoria de ii. nocturno.

Feria iv. de Octavis. Responsoria de iii. nocturno, et memoria de Sancto [Leone]. Missa de Vigilia [Apostolorum] cantetur post sextam ad summum altare cum memoria de Sancto et de Octavis S. Johannis tantum.

Feria v. de Apostolis [Petro et Paulo] et solennis memoria de Octava Corporis Christi ad utrasque vesperas, ad matutinas, et ad missam; et nihil* de S. Johanne.

Feria vi. de S. Paulo, memoria de S. Petro et de Octavis S. Johannis. Psalmus *Ad te levavi.* Secundæ vesperæ erunt de S. Maria, et memoria de Apostolis [Petro et Paulo] et de Octavis S. Johannis.

Sabbato de S. Maria et memoria de Octavis S. Johannis, et de Apostolis [Petro et Paulo]. Missa de Octava S. Johannis dicitur in capitulo cum memoria de Apostolis tantum.

<table><tr><td>Dominica II.,
Dominica III.,
Dominica IV.,
(in hac IV. Dominica
tota cantetur hystoria)
Dominica V.</td><td>et per ebdomadam,
ut supra ad 3. A.
scilicet ad Dominicam</td><td>IV.,
V.,
VI.,
et
VII.</td></tr></table>

1. B. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis : nulla fiat memoria neque processio, quia hic differtur una dominica. Nonum R. a duobus cantetur.

Feria v. de Octava [Corporis Christi] : mediæ lectiones de Martyribus [Marcellino et Petro]. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de commemoratione.

Feria vi. et Sabbato, de commemoratione.

Dominica II. de Dominica. Ad vesperas R. *Deum time,* memoria de Trinitate et processio. Ad matutinas memoria tantum de Sanctis [Bonifacio et Sociis] et de Trinitate. In laudibus omnes Antiphonæ dicuntur.

Feria ii., iii. et vi. de commemorationibus.

Dominica III. de servitio dominicali. Ad i. vesperas memoria de Apostolo [Barnaba], de Martyribus [Basilide, Cirino &c.], de Trinitate, et processio : et mediæ lectiones de Martyribus.

Feria ii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica IV. de servitio dominicali : mediæ lectiones de Martyribus [Gervasio et Prothasio]. Sextum R. *Hœc est vera.* Ad vesperas Antiphona super psalmos *Iste Sanctus.* Capitulum *Beatus vir qui in sapientia,* et memoria de Dominica.

Feria ii. de Sancto, ix lectionum [Translatione S. Edwardi regis].

Feria iii. et Sabbato de commemorationibus, et nichil de iii. commemoratione.

Feria vi. de S. Johanne. Ad ii. vesperas solennis memoria de S. Maria. Ant. *Sub tuam.*

Dominica V. de Martyribus [Johanne et Paulo], ix lectionum; mediæ lectiones de S. Johanne : sextum responsorium *Priusquam te.* Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum : ad altam missam memoria de Octavis et de Omnibus Sanctis.

Feria ii. et vi. de commemorationibus, et nichil de iii. commemoratione. Missa de Octava S. Johannis dicitur in capitulo cum memoria de Apostolis [Petro et Paulo].

Sabbato de Visitatione, et nichil de Sanctis [Processo et Martiniano].

* 'nihil' *Chevallonius in hoc loco.*

Dominica vi. de Octavis Visitationis. Ad i. vesperas memoria de Dominica, de Trinitate sub silentio; sed nulla processio. Ad matutinas memoria de Apostolis [Petro et Paulo], de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo, et memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Apostolis et de omnibus Sanctis. Secundæ vesperæ erunt de S. Martino, et memoria de Octavis*, de Apostolis, et de Dominica.

Feria ii. de S. Martino : mediæ lectiones de Apostolis [Petro et Paulo]; versus et responsoria de Communi Apostolorum : et tantum memoria de Octavis Visitationis. Secundæ vesperæ erunt de S. Martino, et memoria de utrisque Octavis.

Feria v. de S. Thoma. Ad i. vesperas memoria de Apostolis [Petro et Paulo] sub silentio : deinde solennis memoria de Visitatione. Ad matutinas, ad missam et ad ii. vesperas fiat memoria de Visitatione solenniter.

Sabbato de servitio Octavæ Visitationis.

Dominica vii. Festum Reliquiarum. Ad i. vesperas memoria de Dominica, et de Trinitate sub silentio; et nichil de Martyribus. Deinde solennis memoria de Octava Visitationis. Ad matutinas memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de S. Benedicto et de Dominica sub silentio.

Feria ii. de S. Benedicto, ix lectiones.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. de Feria; et dicuntur duo responsoria ferialia et tertium prætermittatur cum missa dominicali.

Dominica viii. de Dominica. Ad i. vesperas antiphona super psalmum Magnificat *Montes Gelboœ;* memoria de Reliquiis, de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Martyre [Kenelmo].

Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica ix. de Dominica. Antiphona super psalmum Magnificat *Rex autem David.* Memoria de S. Christina : de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Virgine [Christina]. Ad ii. vesperas memoria de Dominica sub silentio. Deinde solennis memoria de Martyre [Christophoro].

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

2. B. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas memoria de Martyribus [Bonifacio &c.], et inchoetur hystoria, cum memoria, Ant. *Loquere Domine:* memoria de Trinitate, et processio. Ad matutinas tantum memoria de Martyre, de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Martyribus [Bonifacio et Sociis] et de Omnibus Sanctis.

Feria v. de Octava : mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano]. Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de S. Edmundo; et Festum S. Edmundi differatur in crastinum.

Feria vi. de S. Edmundo, ix lectiones. Vesperæ erunt de S. Edmundo, et memoria de Apostolo [Barnaba].

Sabbato de Apostolo [Barnaba].

Dominica ii. de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de Apostolo,

* 'de Octavis' *non habet Brev.* 1516, *neque Portif.* 1519.

memoria de Martyre, de Dominica, de Trinitate; et processio. Ad matutinas tota cantetur hystoria; et tantum memoria de Martyribus [Basilide, Cirino &c.], et de Trinitate. Secundæ vesperæ erunt de Dominica, et memoria de commemoratione.

Feria ii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica III. de Dominica: mediæ lectiones de Martyribus [Gervasio et Prothasio]. Sextum R. *Hæc est vera.*

Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de S. Johanne. Ad ii. vesperas Ant. *Sub tuam* solenniter.

Sabbato de S. Maria.

Dominica IV. de Martyribus [Johanne et Paulo], ix lectionum; mediæ lectiones de S. Johanne. Sextum R. *Priusquam te.* Missa dominicalis dicitur in capitulo, cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Octavis S. Johannis, et de Omnibus Sanctis.

Feria ii. et vi. de commemorationibus, et nichil de iii. commemoratione.

Sabbato de Visitatione, et nichil de Martyribus [Processo et Martiniano].

Dominica V.,	et per ebdomadam omnia	VI.,
Dominica VI.,	ut supra ad 1. *B.*, scilicet	VII.,
Dominica VII.,	ad Dominicam	VIII.,
Dominica VIII.		et IX.

3. B. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas, quæ erunt de Apostolo [Barnaba], memoria de Martyribus [Basilide, Cirino, Nabore et Nazario], de Octavis; de Dominica, Ant. *Loquere Domine:* de Trinitate; et processio. Ad matutinas tantum memoria de Martyribus, de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam fiat memoria de Martyribus [Basilide &c.], et de Omnibus Sanctis.

Feria v. de Octava; mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta]. In laudibus omnes antiphonæ. Festum S. Richardi differatur in crastinum. Secundæ vesperæ erunt de Octava: memoria de S. Richardo.

Feria vi. de S. Richardo: ix lectiones de Communi. Secundæ vesperæ erunt de S. Richardo et memoria de S. Maria; Ant. *Sub tuam.*

Dominica II. tota cantetur hystoria: et tantum memoria de Sanctis [Gervasio et Prothasio], et de Trinitate; et processio.

Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica III.,		V.,
Dominica IV.,	et per ebdomadam, omnia	VI.,
Dominica V.,	ut supra ad 1. *B.*, scilicet	VII.,
Dominica VI.,	ad Dominicam	VIII.,
Dominica VII.		et IX.

ita quod Translatio S. Benedicti celebretur cum iii lectionibus hoc anno.

4. B. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas memoria de Martyribus; de Dominica, Ant. *Loquere Domine;* de Trinitate; et processio. Et tota cantetur hystoria in die S. Christinæ. Ad matutinas memoria tantum de Martyribus, de Dominica, et de Trinitate. Nonum R. a duobus cantetur. Missa

dominicalis dicitur in capitulo. Ad ii. vesperas memoria de S. Edwardo et de Dominica.

Feria iv. de S. Albano, ix lectionum; mediæ lectiones de Octavis, cum versiculo et responsoriis de iii. nocturno. Ad vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de S. Albano et de Virgine [Etheldreda].

Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Invitatorium triplex. Mediæ lectiones de Virgine. Sextum R. *Regnum mundi.* Missa de Vigilia cantetur post sextam, cum memoria de Virgine: et tunc ad missam de die nulla memoria de Virgine. Tamen in diocesi Eliensi in Octava Corporis Christi totum servitium erit de S. Etheldreda, et tantum [solennis] memoria de Octava hoc anno. Ad vesperas de S. Johanne, solennis memoria de Octava.

Feria vi. de S. Johanne. Ad ii. vesperas solennis memoria de S. Maria, cum Ant. *Sub tuam.*

<table>
<tr><td>Dominica II., III., IV., V., VI.</td><td>(et per ebdomadam, ut supra ad 1. B., scilicet ad Dominicam)</td><td>V., VI., VII., VIII., et IX.</td></tr>
<tr><td>(ita quod in hac sexta *[die] Dominica in Die S. Christinæ tota cantetur hystoria,)</td><td></td><td>(ita quod Translatio S. Benedicti celebretur cum iii lectionibus hoc anno; et R. ferialia non dicantur hoc anno.)</td></tr>
</table>

5. B. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Martyribus [Johanne et Paulo], ix lectiones. Ad i. vesperas memoria de Octavis Corporis Christi; et de Octavis S. Johannis; de Dominica cum Ant. *Loquere Domine;* de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Octavis Corporis Christi, cum responsoriis de ii. nocturno. Nonum R. a duobus cantetur propter Octavas: quatuor memoriæ. Ad primam Ant. *Te jure.* Missa dominicalis dicitur in capitulo, cum memoria de Trinitate. Ad altam missam memoria de Octavis Corporis Christi, et de Octavis S. Johannis.

Feria ii. de Octavis: tres lectiones: responsoria de iii. nocturno; et memoria de Octavis S. Johannis.

Feria iii. de Octavis; et memoria de Sancto [Leone], et de Octavis S. Johannis: et missa de Vigilia Apostolorum cantetur ad summum altare post sextam, cum memoria de Confessore [Leone]†, et de Octavis S. Johannis tantum.

Feria iv. de Apostolis [Petro et Paulo]; et solennis memoria de Octavis Corporis Christi ad utrasque vesperas, [ad] matutinas et ad missam; et nichil de Octavis S. Johannis.

Feria v. de Octava [Corporis Christi], Invitatorium triplex. Mediæ lectiones de Apostolis [Petro et Paulo] et responsoria de Communi Apostolorum. In laudibus omnes antiphonæ. Memoria de Apostolis. Ant. *Petrus Apostolus.* Memoria de Octavis S. Johannis. Secundæ vesperæ erunt de Octava, memoria de Apostolis: Ant. *O Petre;* et de Octavis S. Johannis. Commemoratio S. Pauli differatur in crastinum.

* 'in hac. 6. die do.' *Portif.* 1519.

† 'de Confessore et' *non habet* Breviarium A.D. 1516, *neque* Portiforium A. D. 1519.

Feria vi. de Commemoratione S. Pauli; memoria de Octavis S. Johannis, et de S. Petro prout ibidem notatur; cum missa de Octavis S. Johannis in capitulo.

Sabbato de Visitatione B. Mariæ. Ad i. vesperas memoria de Apostolis [Petro et Paulo] sub silentio; et nichil de Martyribus [Processo et Martiniano].

Dominica II., Dominica III., IV., V. } et per ebdomadam, ut supra ad 1. *B.*, scilicet ad Dominicam { VI., VII., VIII., et IX.

(ita quod in hac Dominica in Die S. Christinæ tota cantetur hystoria; et tantum memoria de Virgine.)

(ita quod Translatio S. Benedicti celebretur cum tribus lectionibus et* responsoria ferialia non dicantur.)

1. C. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Corpore Christi, et nichil de Dominica, nec de Trinitate; neque processio: quia hic differtur dominica. Ad matutinas totum servitium de Octavis. In laudibus una antiphona. Ad primam Ant. *Te jure.* Ad processionem ante missam nulla memoria ante crucem. Nonum responsorium a duobus cantetur.

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

Dominica II. inchoetur hystoria cum responsorio *Deum time*, et tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., v., et Sabbato, de commemorationibus.

Feria iv. de S. Edmundo, ix lectiones. Mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano], cum Responsorio de i. nocturno.

Dominica III. de Dominica.

Feria ii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de Martyribus [Marco et Marcelliano] cum responsorio de iii. nocturno. 3. R. *Hæc est vera.*

Dominica IV. de S. Edwardo, ix lectiones, sicut in Quadragesima. Ad i. vesperas super psalmos antiphona *Iste Sanctus.* Cap. *Beatus vir qui in sapientia.* R. *Beatus vir:* memoria de Dominica, de Trinitate; et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum.

Feria ii. et vi. de commemorationibus, et nichil de iii. commemoratione.

Dominica V. de Dominica: mediæ lectiones de Octavis† cum responsorio *Priusquam te.*

Feria iv. de S. Paulo. Ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Maria, memoria de Apostolis [Petro et Paulo]: et de Octavis S. Johannis.

Feria v. de S. Maria. Missa de Octava dicitur in capitulo cum memoria de Apostolis. Ad altam missam nulla memoria.

Feria vi. de Festo Visitationis, et nichil de Sanctis [Processo et Martiniano].

Sabbato de Octavis.

Dominica VI. de S. Martino, ix lectiones. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Martino, memoria de Visitatione, de Apostolis [Petro et Paulo], de Dominica, de Trinitate; et processio. In introitu chori de Omnibus

* 'et...dicantur' *non habent* Brev. 1516. Portif. 1519. † 'de do.' *Portif.* 1519.

Sanctis Ant. *Salvator.* Ad matutinas mediæ lectiones de Apostolis. Responsoria de Communi Apostolorum; memoria de Visitatione, de Apostolis, de Dominica, de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo et memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Apostolis, et de Octavis Visitationis*. Secundæ vesperæ erunt de S. Martino; memoria de utrisque Octavis, et de Dominica.

Feria ii. de Octavis Visitationis. R. de ii. nocturno.

Feria iii. de Octavis Apostolorum [Petri et Pauli]: et tantum memoria de Visitatione ad utrasque vesperas, ad matutinas, et ad missam.

Feria iv. de S. Thoma. Ad i. vesperas memoria de Apostolis sub silentio. Deinde solennis memoria de Visitatione.

Feria v. de Octavis. R. de iii. nocturno.

Feria vi. de Octava [S. Mariæ]. Invitatorium triplex. Ad ii. vesperas memoria de Martyribus [Processo et Martiniano] tantum.

Sabbato de S. Maria.

Dominica VII. Festum Reliquiarum: Festum S. Benedicti differatur in crastinum: memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de S. Benedicto: et de Dominica sub silentio.

Feria ii. de S. Benedicto, ix lectiones; et memoria de Reliquiis.

Feria iii. de Feria; et dicuntur duo responsoria ferialia cum missa dominicali.

Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica VIII. de Dominica; mediæ lectiones de Sancto [Arnulpho]. Ad i. vesperas memoria de Sancto, de Reliquiis, de Trinitate; et processio.

Feria ii., et iv., et vi. de commemorationibus.

Dominica IX. de Apostolo [Jacobo]; memoria de Martyre [Christophoro]; de Dominica Ant. *Rex autem David;* et de Trinitate sub silentio. Nulla processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Martyre et de Trinitate. Secundæ vesperæ de Apostolo, nisi Festum S. Annæ sit festum duplex, et memoria de Dominica sub silentio. Deinde solennis memoria de S. Anna.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

2. C. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas inchoetur hystoria cum memoria. Ant. *Loquere Domine,* memoria de Trinitate, et processio. Nonum R. a duobus cantetur. In laudibus una antiphona. Ad primam Antiphona *Te jure.* Missa dominicalis dicitur in capitulo. Ad altam missam nulla memoria.

Feria iv. de S. Edmundo: mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano], et tantum memoria de Octavis. Vesperæ erunt de Octava, et memoria de S. Edmundo.

Feria v. de Octava. Secundæ vesperæ erunt de Octava [Corporis Christi], et memoria de Apostolo [Barnaba].

Feria vi. de Apostolo. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Apostolo, memoria de S. Maria, Ant. *Sub tuam,* et de Martyre.

Sabbato de S. Maria, et memoria de Martyribus [Basilide, Cirino &c.].

Dominica II. tota cantetur hystoria. In laudibus una antiphona.

* 'oībus sctīs' *Brev.* 1516. *Portif.* 1519.

Feria ii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica iii. de Dominica: mediæ lectiones de Sancto [Edwardo].
Feria ii. et vi. de commemorationibus, et nichil de iii. commemoratione.

Dominica iv. de Dominica: mediæ lectiones de Octava. Sextum responsorium *Priusquam te.*
Feria iii. de Apostolis [Petro et Paulo], et nulla memoria.
Feria iv. de S. Paulo. Secundæ vesperæ erunt de S. Maria, et memoria de Apostolis et de Octavis S. Johannis.
Feria v. de S. Maria.
Feria vi. de Visitatione.

Dominica v., Dominica vi., Dominica vii., Dominica viii.	et per ebdomadam, omnia ut supra ad 1. *C.*, scilicet ad Dominicam	vi., vii., viii., et ix.

3\. C. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas inchoetur hystoria cum Ant. *Loquere Domine:* memoria de Trinitate, et processio. Nonum responsorium a duobus cantetur: memoria de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo, cum memoria de Trinitate tantum.
Feria iv. de S. Richardo, ix lectionum; mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta], cum memoria de Octavis.
Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Ad i. vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de S. Richardo. Ad ii. vesperas memoria de festo loci.
Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

Dominica ii. de Dominica : mediæ lectiones de S. Edwardo : tamen in diocesi Eliensi, et ubi celebretur Festum S. Osmundi, tota cantetur hystoria, et tantum memoria de Sancto [Edwardo].
Feria ii. et vi. de commemoratione.

Dominica iii. de Dominica; mediæ lectiones de Octava. Sextum responsorium *Priusquam te.*
Feria iv. de Apostolo Paulo. Ad ii. vesperas quæ erunt de S. Maria, memoria de Apostolis, et de S. Johanne. Missa de Octava S. Johannis dicitur in capitulo.
Feria vi. de Visitatione.

Dominica iv. de S. Martino ut supra ad 1. *C.*, scilicet ad Dominicam vi.

Dominica v. Festum Reliquiarum: memoria de Dominica, et de Trinitate sub silentio; et nichil de S. Benedicto.
Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus.
Feria ii. et vi. de Feria: et in vi. Feria dicuntur responsoria de ii. nocturno. Missa dominicalis dicitur in ii. Feria: et in vi. Feria Epistola et Evangelium iv. Feriæ; et responsoria ferialia prætermittantur.

Dominica vi. antiphona super psalmum Magnificat *Montes Gelboæ:* cetera ut supra ad 1. *C.*, scilicet ad Dominicam viii.

Dominica vii. et per ebdomadam omnia ut supra ad 1. *C.*, scilicet ad Dominicam ix.

4\. C. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi, et memoria tantum de Sancto [Edwardo]; de Dominica, Ant. *Loquere Domine;* de Trinitate; et processio. Nonum responsorium

a duobus cantetur. Ad primam Antiphona *Te jure.* Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria iii. de S. Albano: mediæ lectiones de Octavis. Responsoria de ii. nocturno.

Feria iv. de Octavis. Responsoria de iii. nocturno; et memoria tantum de Virgine [Etheldreda]. Missa de Vigilia dicitur solenniter post sextam cum memoria de Virgine tantum.

Feria v. de S. Johanne: solennis memoria de Octava [Corporis Christi] ad utrasque vesperas, ad matutinas, et ad missam. Ad ii. vesperas primò fiet memoria de Octava, deinde de S. Maria solenniter, Ant. *Sub tuam.*

Feria vi. de S. Maria.

Sabbato de Martyribus [Johanne et Paulo], cum memoria de Octavis [S. Johannis Baptistæ], et cum memoriis consuetis.

<table>
<tr><td>Dominica II.,
Dominica III.,
Dominica IV.,
Dominica V.,
(ita quod in hac v. Dominica dicatur Ant. super psalmum Magnificat Montes Gelboœ.)
Dominica VI.</td><td>(et per ebdomadam, omnia ut supra ad 3. C., scilicet ad Dominicam)</td><td>III.,
IV.,
V.,
VI.,
et
VII.</td></tr>
</table>

¶ Et nota quod in diocesi Eliensi tota cantetur hystoria in Die S. Arnulphi [sc. Jul. xviii.].

5. C. Dominica Prima post Festum Trinitatis, de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas, quæ erunt de Martyribus Johanne et Paulo, fiat memoria de Octavis Corporis Christi, de Octavis S. Johannis, de Dominica Ant. *Loquere Domine*, de Trinitate, et processio. Ad matutinas memoria tantum de Octavis S. Johannis, de Dominica, et de Trinitate. Nonum R. a duobus cantetur. Ad primam Antiphona *Te jure.* Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria ii. de Octavis Corporis Christi. Missa de Vigilia [Apostolorum] cantetur ad summum altare post sextam, cum memoria de Sancto [Leone] et de Octavis S. Johannis. Ad altam missam nulla memoria.

Feria iii. de Apostolis [Petro et Paulo], et memoria de Octavis Corporis Christi ad utrasque vesperas ad matutinas et ad missam solenniter; et nichil de Octavis S. Johannis.

Feria iv. de Commemoratione S. Pauli, et memoria de Octavis Corporis Christi, de S. Petro, et de Octavis S. Johannis.

Feria v. de Octava. Ad i. vesperas, quæ erunt de Octava Corporis* Christi, memoria de Apostolis, Ant. *In regeneratione;* memoria de Octavis S. Johannis, Ant. *Ingresso.* Ad matutinas mediæ lectiones de Octavis S. Johannis; sextum R. *Inter natos,* et memoria de utrisque Octavis. Missa de Octavis S. Johannis [Bapt.] dicitur in capitulo cum memoria de Octavis Apostolorum [Petri et Pauli].

Feria vi. de Visitatione. Ad i. vesperas solennis memoria de Octava Corporis Christi, et nichil de Martyribus [Processo et Martiniano].

Sabbato de Octavis Visitationis, cum memoria de Apostolis [Petro et Paulo].

* 'de Corpore' *Portif.* 1519.

Dominica II. Dominica III. Dominica IV. (et in hac IV. Dominica Ant. *Montes Gelboæ*) Dominica V.	(et per ebdomadam, omnia ut supra ad 3. *C.** scilicet ad Dominicam)	IV., V., VI., et VII.

* '3. A.' *Brev.* 1516. *Port.* 1519.

1. D. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis [Corporis Christi], et nulla memoria, neque processio, quia hic differtur una dominica. Ad primam Antiphona *Te jure.*

Feria ii. de Sancto [Aldelmo], ix lectionum; mediæ lectiones de Martyre [Urbano], et tantum memoria de Octavis.

Feria iii. de S. Augustino. Ad i. vesperas solennis memoria de Sancto et de Octavis [Corporis Christi].

Feria iv. de Octavis. Responsoria de i. nocturno.

Feria v. de Octava [Corporis Christi]: mediæ lectiones de Sancto [Germano.]

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

Dominica II. post Festum Trinitatis inchoatur hystoria cum responsorio *Deum time:* memoria de Virgine [Petronilla] et de Trinitate, et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Virgine. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica III. tota cantetur hystoria.

Feria ii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica IV. de Dominica: mediæ lectiones de Sancto [Basilio].

Feria iv., v., et vi. de commemorationibus, et memoria de Sanctis [Marco et Marcelliano, et Gervasio et Prothasio].

Feria iii. de S. Richardo, ix lectionum: mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta] cum V. et R. de ii. nocturno.

Sabbato de S. Edwardo, ix lectionum de alio Festo [sc. Mart. xviii.].

Dominica V. de Dominica. Ad i. vesperas memoria de S. Edwardo et de Trinitate, et processio.

Feria v. et Sabbato de commemorationibus, et nichil de tertia commemoratione.

Dominica VI. de Dominica: mediæ lectiones de Sancto [Leone]. Missa de Vigilia [Apostolorum] dicitur in capitulo cum memoria de Sancto [Leone] et de Octavis sine *Credo.* In summa missa memoria de Trinitate et de Omnibus Sanctis tantum. Ad vesperas memoria de Dominica sub silentio; sed nulla memoria de Octavis S. Johannis.

Feria iii. de S. Paulo. Secundæ vesperæ erunt de S. Maria.

Feria iv. de S. Maria, memoria de Octavis [Petri et Pauli]: et missa de Octavis dicitur in capitulo.

Feria v. de Visitatione, festum majus duplex, et nichil de Sanctis [Processo et Martiniano].

Feria vi. de Octavis.

Sabbato de S. Martino, ix lectionum; mediæ lectiones de Apostolis. Responsoria de Communi apostolorum, et tantum memoria de Visitatione.

Dominica VII. de Octavis. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Martino, memoria de Octavis Visitationis, de Apostolis, de Dominica, de Trinitate; et processio. Ad matutinas nonum R. a duobus cantetur. Missa domini-

calis dicitur in capitulo, et memoria de Trinitate tantum. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Octava Apostolorum, memoria de Visitatione, de Dominica.

Feria ii. de Octava Apostolorum, tantum memoria de Octavis Visitationis. Ad vesperas S. Thomæ memoria de Octava Apostolorum sub silentio : deinde solennis memoria de Visitatione.

Feria iii. de S. Thoma; et solennis memoria de Octavis [Visitationis] ad utrasque vesperas, ad matutinas et ad missam.

Feria v. de Octava Visitationis, ix lectiones. Invitatorium triplex. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de Martyribus tantum.

Feria vi. de commemoratione B. Mariæ.

Sabbato de S. Benedicto, ix lectiones.

Dominica VIII. Festum Reliquiarum. Ad i. vesperas memoria de Sancto [Benedicto], de Dominica, de Trinitate sub silentio.

Feria ii. de Feria, et dicantur duo responsoria ferialia et tertium prætermittatur cum missa dominicali.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica IX. de Dominica : memoria de Reliquiis et de Trinitate; et processio.

Feriis iii. v. de commemorationibus, et nichil de tertia commemoratione.

Feria vi. Capitulum *Confitebor*, Missa de Vigilia [S. Jacobi].

Dominica X. servitium de S. Anna. Ad i. vesperas, quæ erunt de Apostolo [Jacobo], nisi Festum S. Annæ fuerit duplex festum, et fiat memoria de Dominica, Ant. *Rex autem David*, et de Trinitate sub silentio : deinde solennis memoria de S. Anna. Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria iii., v., et vi. de commemorationibus.

2. D. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi ; et tantum memoria de Virgine [Petronilla], quia hic differtur dominica. Nonum R. a duobus cantetur. Ad primam antiphona *Te jure.*

*Feria ii. et iii. de Octavis, et memoria de Sanctis [Nicomede, et Marcellino et Petro].

Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de festo loci et de Martyribus [Bonifacio et Sociis].

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

Dominica II. tota cantetur hystoria cum responsorio *Deum time.* Ad i. vesperas memoria de Trinitate et processio. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica III.		IV.,
Dominica IV.		V.,
Dominica V.		VI.,
Dominica VI.	(et per ebdomadam, omnia ut supra ad 1. *D.*, scilicet ad Dominicam)	VII.,
Dominica VII.		VIII.,
Dominica VIII. (ita quod in hac VIII. Dominica dicatur Ant. *Montes Gelboæ.*)		IX., et
Dominica IX.		X.

3. D. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas inchoatur hystoria cum memoria, Ant.

* 'Fe. 2. & 3. de Oct.' *Brev.* 1516. *Portif.* 1519. *cum Direct.* 1495. 'Fe. 2, 3, et 4. de Octa.' *Chevallon.* 1531.

Loquere Domine, et memoria de Trinitate, et processio. *Nonum R. a duobus cantetur. Ad primam Ant. *Te jure.* Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria iii. de S. Edmundo; mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano].

Feria v. de Octava [Corporis Christi]; et festum S. Barnabæ differatur in crastinum. Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de Apostolo.

Feria vi. de Apostolo [Barnaba]: mediæ lectiones de Martyribus [Basilide &c.] cum V. et R. de ii. nocturno. Secundæ vesperæ erunt de Apostolo, et memoria de S. Maria, Ant. *Sub tuam.*

Sabbato de S. Maria.

Dominica II. de Dominica: mediæ lectiones de Sancto [Basilio].

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica III. de Dominica: tota cantetur hystoria. In laudibus una antiphona.

Feria iv. de S. Johanne. Ad ii. vesperas memoria de festo loci solenniter.

Feria v. et Sabbato de commemorationibus; et nichil de tertia commemoratione in hac ebdomade.

Dominica IV.	et per ebdomada, omnia ut supra ad 1 *D.*, scilicet ad Dominicam	VI.,
Dominica V.		VII.,
Dominica VI.		VIII.,
Dominica VII.		IX.,
Dominica VIII.		et X.

ita quod in crastino Octavæ Visitationis fiat servitium de festo loci, et in Sabbato de S. Maria, et tantum memoria de Sanctis [Septem Fratribus et Benedicto].

4. D. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi, et memoria de Sancto [Basilio], de Dominica cum Ant. *Loquere Domine*, de Trinitate, et processio. Ad matutinas memoria [tantum] de Sancto, de Dominica, de Trinitate; et processio. †Nonum R. a duobus cantetur; et ad primam Ant. *Te jure.* Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Sancto [Basilio] et de Omnibus Sanctis.

Feria iii. de S. Richardo, ix lectionum; mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta], et tantum memoria de Octavis. Secundæ vesperæ erunt de Sancto [Richardo], et memoria de Octava [Corporis Christi].

Feria v. de Octava. Invitatorium triplex: mediæ lectiones de Martyribus [Marco et Marcelliano], cum V. et R. de ii. nocturno. ‡Nonum R. *Hæc est vera.* Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de commemoratione, et de Martyribus.

Feria vi. et Sabbato de commemoratione, et memoria de Sanctis [Gervasio et Prothasio, et Edwardo].

Dominica II. de Dominica: tota dicitur hystoria. In laudibus una Antiphona.

* '6. R.' *Brev.* 1516. 1531. 'ix. R.' *Directorium Sacerdotum*, 1495. *Portif.* 1519.
† 'Tercium.' *Direct. Sacerd.* 1495.
‡ '9. R.' *Brev.* 1516. 1531. '6. R.' *Portif.* 1519. '*V. et R. de ii*° *n*[*octurno*] *cum R.* Hec est vera.' *Direct. Sacerd.* 1495.

Feria iv. de S. Johanne. Ad ii. vesperas solennis memoria de com-
1. memoratione*.

Feria iii. et Sabbato de commemoratione.

Dominica III. Dominica IV. Dominica V. Dominica VI. (et in hac VI., Ant. super psalmum Magnificat *Montes Gelboœ*. Dominica VII.	(et per ebdomadam, ut supra ad 1. *D.*, scilicet ad Dominicam)	VI., VII., VIII., IX., et X.

ita quod in crastino Octavæ Visitationis fiat servitium de festo loci, et in Sabbato de S. Maria, et memoria de Sanctis [Septem Fratribus et Benedicto].

5. D. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas memoria de Dominica, Ant. *Loquere Domine;* memoria de Trinitate; et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria ii. de S. Albano, ix lectionum; mediæ lectiones de Octavis cum responsorio de primo nocturno. Secundæ vesperæ erunt de S. Albano, et memoria de Virgine [Etheldreda], et de Octavis.

Feria iii. de Octavis, iii lectiones, cum responsorio de ii. nocturno; et memoria tantum de Virgine. Missa de Vigilia cantetur ad principale altare post sextam cum memoria de Virgine [Etheldreda] tantum.

Feria iv. de S. Johanne: solennis memoria de Octavis ad utrasque vesperas, et ad matutinas, et ad missam.

Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Invitatorium triplex. Mediæ lectiones de Octavis S. Johannis cum Responsorio *Priusquam te.* Ad secundas vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de Martyribus [Johanne et Paulo] et de Octavis S. Johannis.

Feria vi. de Martyribus [Johanne et Paulo], iii lectiones; cum propriis laudibus, et memoria de Octavis S. Johannis.

Sabbato de S. Maria.

Dominica II. Dominica III. Dominica IV. Dominica V. (in hac V. Dominica tota cantetur hystoria). Dominica VI.	(et per ebdomadam, ut supra ad 1. *D.*, scilicet ad Dominicam)	VI., VII., VIII., IX., et X.

ita quod in crastino Octavæ Visitationis fiat servitium de festo loci, et in Sabbato de S. Maria, et Memoria de Sanctis [Septem Fratribus et Benedicto]; et omnia responsoria ferialia prætermittantur, quia nunquam dicuntur responsoria ferialia priusquam tota cantetur hystoria.

1. E. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de S. Aldelmo: mediæ lectiones de Martyre [Urbano]. Nonum R. a duobus cantetur

* 'solennis meo. de festo loci.' *Directorium* 1495. 'solen. memo. de cōme.' *Brev.* 1516. 1531. 'solē. cōmc.' *Portif.* 1519.

propter Octavas: memoria de Martyre, et de Octavis Corporis Christi tantum; et nulla memoria de Dominica neque de Trinitate, neque processio, quia hic differtur una dominica. Ad vesperas, quæ erunt de S. Augustino, memoria de S. Aldelmo, et de Octavis tantum.

Feria ii. de S. Augustino: et solennis memoria de Octavis [Corporis Christi].

Feria iii. de Octavis. Versus et Responsoria de iii. nocturno.

Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Invitatorium triplex. Ad ii. vesperas de Octava memoria de commemoratione.

Feria vi. et Sabbato de commemorationibus.

Dominica II. tota cantetur hystoria, et inchoetur ad vesperas cum responsorio *Deum time.* Memoria de Sancto [Nichomede], de Trinitate; et processio. Ad matutinas tantum memoria de Sancto et de Trinitate. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. de Feria; et dicuntur duo [prima] responsoria ferialia, et tertium prætermittatur. Dicuntur Epistola et evangelium ejusdem Feriæ.

Dominica III. de Dominica: mediæ lectiones de Confessoribus [Medardo et Gildardo].

Feria ii. de S. Edmundo: mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano]: versus et responsoria de i. nocturno.

Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica IV. de Dominica: mediæ lectiones de Martyribus [Vito &c.].

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de S. Edwardo: ix lectiones de alio festo.

Dominica V. de S. Albano, ix lectiones cum responsorio *Percepturus.* Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum.

Feria iii. de S. Johanne. Ad ii. vesperas solennis memoria de festo loci.

Feria iv. et vi. de commemorationibus, et nichil de iii. commemoratione in hac ebdomada.

Dominica VI. de Apostolis [Petro et Paulo]. Ad vesperas et ad matutinas memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio: sed nulla processio ad vesperas neque memoria de S. Johanne. Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria ii. de Apostolo [Paulo]. Ad ii. vesperas quæ erunt de S. Maria, memoria de Apostolis et de Octava.

Feria iii. de S. Maria, et memoria de Octava S. Johannis, cum missa de Octava S. Johannis in capitulo, cum memoria de Apostolis [Petro et Paulo] tantum. Ad altam missam nulla memoria.

Feria iv. de Visitatione: nulla fiat memoria.

Feria v. de Octavis Visitationis.

Feria vi. de S. Martino, ix lectionum: mediæ lectiones de Apostolis, et tantum memoria de Octavis Visitationis. Secundæ vesperæ erunt de S. Martino, et memoria de Octavis. Vesperæ et matutinæ de S. Maria dicuntur sicut extra octavas.

Dominica VII. de Octava Apostolorum. Ad vesperas de Octava Apostolorum memoria de Octavis Visitationis, de Dominica, de Trinitate: et processio. Ad vesperas S. Thomæ memoria de Octava Apostolorum et de Dominica sub silentio: deinde solennis memoria de Octavis Visitationis.

Feria ii. de S. Thoma, et solennis memoria de Octavis Visitationis ad matutinas, et ad missam, et ad ii. vesperas.

Feria iii. de Octavis [Visitationis].

Feria iv. de Octava, ix lectiones. Invitatorium triplex. Ad ii. vesperas memoria de commemoratione.

Feria v. et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de S. Benedicto, ix lectiones.

Dominica VIII. Festum Reliquiarum : memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio. Ad ii. vesperas solennis memoria de commemoratione.

Feria ii., iv., et Sabbato de commemoratione. Missa dominicalis dicitur in capitulo infra ebdomadam : et fiat memoria de Reliquiis per Octavas et in Octava.

Dominica IX. de S. Margareta. Ad i. vesperas memoria de Reliquiis, de Dominica, de Trinitate ; et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate.

Feria ii. et iv. de commemoratione.

Feria v. de Virgine [Christina], cum nocturno propter Vigiliam. Cap. *Confitebor*.

Feria vi. de Apostolo [Jacobo], et solennis memoria de Martyre [Christophoro]. Ad ii. vesperas solennis memoria de S. Anna. Ubi Festum S. Annæ est duplex festum, tunc vesperæ erunt de S. Anna : et solennis memoria de Apostolo.

Sabbato de S. Anna*. Invitatorium triplex.

Dominica X. de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Anna, memoria de Martyribus [vii Dormientibus], de Dominica cum Ant. *Rex autem David*, de Trinitate ; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Martyribus. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Dominica, fiat memoria de commemoratione et de Sanctis.

Feria ii., v., [et] Sabbato de commemorationibus.

2. E. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi, et memoria tantum de Sancto [Nichomede] : et nihil † de Dominica fiat, neque processio, quia hic differtur dominica.

Feria v. de Octava [Corporis Christi], et memoria tantum de Martyribus [Bonifacio &c.].

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

Dominica II. tota cantetur hystoria, et inchoetur ad vesperas cum R. *Deum time;* et memoria de Confessoribus [Medardo et Gildardo], de Trinitate ; et processio. Ad matutinas memoria tantum de Confessoribus et de Trinitate.

Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus : et omnia responsoria ferialia prætermittuntur.

Dominica III.		IV.,
Dominica IV.		V.,
Dominica V.	et per ebdomadam, ut	VI.,
Dominica VI.	supra ad 1. *E.*, scilicet	VII.,
Dominica VII.	ad Dominicam	VIII.,
Dominica VIII.		IX.,
Dominica IX.		et X.

* 'anna mēo.' *Chevallon et Brev.* 1516.

† 'nihil' *Chevallonius cum Brev.* 1516 *in hoc loco.*

3. E. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas memoria de Sanctis [Medardo et Gildardo]; et inchoetur hystoria cum memoria, Ant. *Loquere Domine*, et memoria de Trinitate; et processio. Ad matutinas tantum memoria de Sanctis [Medardo et Gildardo], de Dominica, et de Trinitate; cum missa dominicali in capitulo, cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Confessoribus: et de Omnibus Sanctis tantum. Ad primam Antiphona *Te jure.*

Feria ii. de S. Edmundo, ix lectionum. Invitatorium triplex. Mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano]. Secundæ vesperæ erunt de Sancto [Edmundo]: et memoria de Octavis.

Feria iii. de Octavis [Corporis Christi]. R. de i. nocturno.

Feria iv. de Apostolo [Barnaba]: mediæ lectiones de Octavis. R. de ii. nocturno. Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de Apostolo et de Martyribus [Basilide &c.].

Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Invitatorium triplex: et mediæ lectiones de Martyribus [Basilide &c.]. R. de ii. nocturno. Ad ii. vesperas memoria de commemoratione.

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

Dominica II. tota cantetur hystoria, et tantum memoria de Martyribus [Vito, Modesto et Crescentia] et de Trinitate. In laudibus una antiphona.

Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus; et memoria de Sanctis [Gervasio et Prothasio, et Edwardo].

Dominica III.		V.,
Dominica IV.		VI.,
Dominica V.	et per ebdomadam, ut	VII.,
Dominica VI.	supra ad 1. *E.* scilicet	VIII.,
Dominica VII.	ad Dominicam	IX.,
Dominica VIII.		et X.

ita quod in v. Feria, vi. Feria et Sabbato post Octavas Visitationis fiat servitium de commemorationibus et tantum*, memoria de Sanctis [Septem Fratribus, et Benedicto].

4. E. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum sèrvitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas memoria de Martyribus [Vito &c.]. [Et] inchoatur hystoria cum memoria, Ant. *Loquere Domine:* memoria de Trinitate; et processio: et ad matutinas tantum memoria de Sanctis: et de Dominica, et de Trinitate. Nonum R. a duobus cantetur. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Sanctis, et de Omnibus Sanctis tantum. Secundæ vesperæ erunt de S. Richardo, et memoria de Martyribus [Cirico et Julitta], de Octavis, et de Dominica.

Feria ii. de S. Richardo, ix lectionum: mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta]. Vesperæ erunt de Sancto [Richardo] et memoria de Octavis.

Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Invitatorium triplex: mediæ lectiones de Martyribus [Gervasio et Prothasio], cum V. et R. de ii. nocturno, et 6. R. *Hæc est vera.* Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de commemoratione et de Sancto.

* 'tm̄. et' *Chevallon.*

Feria vi. et Sabbato de commemorationibus, et nichil de tertia commemoratione.

*** Et nota quod tota cantetur hystoria in Festo Septem Dormientium [Jul. x.] et cum memoria de Martyribus.

Dominica II.
" III.
" IV.
" V.
Dominica VI.
(et in hac VI. dominica memoria de Dominica Ant. *Montes Gelboœ*).
Dominica VII.
(et in hac VII. dominica tota cantetur hystoria).

— et per ebdomadam, ut supra ad 1. *E.*, scilicet ad Dominicam — v., vi., vii., viii., ix., et x.

Ita quod Feria v., vi., et Sabbato post Octavas Visitationis fiat servitium de commemorationibus, et tantum memoria de Sanctis [Septem Fratribus et Benedicto].

5\. E. Dominica Prima post Festum Trinitatis de S. Albano. Ad i. vesperas memoria de Octavis, et inchoetur hystoria cum Ant. *Loquere Domine.* Memoria de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Octavis Corporis Christi: cum V. et R. de iii. nocturno. *Sextum responsorium a duobus cantetur. Ad primam Antiphona *Te jure.* Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad ii. vesperas de S. Albano, memoria de Virgine [Etheldreda], de Octavis et de Dominica.

Feria ii. de Octavis [Corporis Christi]. Missa de Vigilia [S. Johannis Bapt.] cantetur ad summum altare post sextam cum memoria de S. Etheldreda.

Feria iii. de S. Johanne: memoria de Octavis ad utrasque vesperas, ad matutinas, et ad missam solenniter.

Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Invitatorium triplex: mediæ lectiones de Martyribus [Gervasio et Prothasio], cum propriis responsoriis: et propriæ laudes eorum eo anno prætermittuntur: et tantum memoria de Octavis S. Johannis. Secundæ vesperæ erunt de Octava [Corporis Christi]; et memoria de S. Maria, Ant. *Sub tuam*, et de Octavis S. Johannis: sed nulla memoria de Martyribus [Johanne et Paulo].

Feria vi. de S. Maria.

*** Nota quod in Festo Septem Dormientium tota cantetur hystoria, et tantum memoria de Septem Dormientibus.

Dominica II.
Dominica III.
Dominica IV.
Dominica V.
(et in hac v. dominica memoria de Dominica Ant. *Montes Gelboœ*).
Dominica VI.
(in ista VI. dominica tota cantetur hystoria).

— et per ebdomadam, ut supra ad 1. *E.*, scilicet ad Dominicam — vi., vii., viii., ix., et x.

ita quod Feria v., vi., et Sabbato post Visitationem fiat servitium de commemoratione, et commemoratio† de Sanctis.

* '6. R.' *Brev.* 1516. 1531. '9. R.' *Direct.* 1495. *Portif.* 1519.
† 'et cū mēo.' *Brev.* 1516. 'et cū me.' *Portif.* A.D. 1519. 'et cōmēo.' *Chevallon.*

1. F. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de S. Augustino, inferius duplex. Ad i. vesperas solennis memoria de S. Aldelmo: et de Octavis tantum: nichil de Dominica fiat: nec de Trinitate; neque processio, quia hic differtur una dominica, et alia differatur in Nativitatem B. Mariæ. Ad matutinas solennis memoria de Octavis tantum.

Feria ii. de Octavis [Corporis Christi]. V. et R. de ii. nocturno.

Feria iii. de Octavis. V. et R. de iii. nocturno.

Feria iv. de Octavis. V. et R. de i. nocturno.

Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Invitatorium triplex. Ad ii. vesperas memoria de festo loci.

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

Dominica II. post Festum Trinitatis inchoetur hystoria cum responsorio *Deum time*, memoria de Martyribus [Marcellino et Petro], de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Martyribus. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii. de feria. R. de i. nocturno. Missa *Salus populi.*

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de feria. R. de ii. nocturno. Epistola et Evangelium iv. Feriæ.

Dominica III. totum servitium de S. Edmundo: mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano]. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Martyribus et de Omnibus Sanctis tantum.

*Feria ii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica IV. totum servitium de S. Richardo: mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta]. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Martyribus et de Omnibus Sanctis.

Feria ii., iii., et vi. de commemorationibus.

Feria v. de S. Edwardo, ix lectiones de alio festo. Ad vesperas Ant. *Iste Sanctus.* Cap. *Beatus vir qui in sapientia.* R. *Beatus vir qui suffert.*

Sabbato de S. Albano. Ant. *Beatus vir.* Cap. *Iste Sanctus.* R. *Percepturus.*

Dominica V. de servitio dominicali. Ad i. vesperas memoria de S. Albano, de Virgine [Etheldreda], de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Virgine. Sextum responsorium *Regnum mundi.* Missa de Vigilia dicitur in capitulo cum memoria de Virgine tantum. Ad altam missam memoria de Trinitate et de Omnibus Sanctis tantum.

Feria ii. de S. Johanne. Ad i. vesperas memoria de Dominica sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de commemoratione solenniter.

Feria iii. et v. de commemoratione.

Dominica VI. de S. Paulo. Ad i. vesperas memoria de Dominica, de Trinitate sub silentio; sed nulla processio. Ad matutinas memoria de S. Petro, de Octavis S. Johannis, de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de S. Petro et de Octavis S. Johannis. Secundæ vesperæ erunt de S. Maria et memoria de Apostolis [Petro et Paulo], de Octavis S. Johannis, de Dominica.

* 'Fe. 2. 5. sab.' *Direct.* 1495. 'Fe. 2. 5. et sab. de commemorationibus.' *Brev.* 1516. *Portif.* 1519. 'Fe. 2. 3. et sab. de cōme.' *Chevallon.* 1531.

Feria ii. de S. Maria, et memoria de Octava. Missa de Octava S. Johannis dicitur in capitulo cum memoria de Apostolis. Ad altam missam nulla memoria.

Feria iii. de Visitatione, et nihil* de Sanctis.

Feria iv. de Octavis Visitationis.

Feria v. de S. Martino, ix lectionum: mediæ lectiones de Apostolis [Petro et Paulo], et memoria de Octavis Visitationis ad utrasque vesperas et matutinas et ad missam.

Sabbato de Octava Apostolorum, et tantum memoria de Visitatione.

Dominica VII. de S. Thoma. Ad i. vesperas memoria de Octava Apostolorum de Dominica, et de Trinitate sub silentio: deinde solennis memoria de Visitatione. Ad matutinas memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio: deinde solennis memoria de Visitatione. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Visitatione et de Omnibus Sanctis. Ad ii. vesperas memoria de Dominica sub silentio: deinde solennis memoria de Visitatione.

Feria iii. de Octava Visitationis. Invitatorium triplex. Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de commemoratione, et de Martyribus.

Feria iv., vi. et Sabbato de commemorationibus.

Feria v. de S. Benedicto, ix lectiones.

Dominica VIII. Festum Reliquiarum: et memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de S. Swithuno, et de Dominica sub silentio. Missa dominicalis dicitur in capitulo in iv. Feria.

Feria ii. de S. Swithuno, ix lectiones. Secundæ vesperæ erunt de Sancto, et memoria de commemoratione, et de Reliquiis.

[Et] fiat memoria de Reliquiis per Octavas et in Octava.

Feria iii., v., et vi. de commemorationibus.

Dominica IX. de Dominica. Ad i. vesperas memoria de S. Margareta de S. Praxede, de Reliquiis, de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Virgine [Praxede], et memoria de Reliquiis, et de Trinitate.

Feria iii. et Sabbato de commemoratione.

Dominica X. de Dominica. Ad i. vesperas antiphona super psalmum Magnificat *Rex autem David*, memoria de S. Sansone†, de Martyre [Panthaleone], de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de S. Sansone.

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus.

2. F. Dominica Prima post Festum Trinitatis servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas memoria de Martyribus [Marcellino et Petro]; et inchoetur hystoria cum memoria tantum, Ant. *Loquere Domine*, et memoria de Trinitate; et processio.

*** Et nota quod una tantum Dominica differtur per Æstatem, videlicet in Nativitate B. Mariæ [viii. Sept.]. Ad matutinas nonum R. a duobus cantetur; et tantum memoria de Martyribus [Marcellino et Petro], de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo. Ad primam Antiphona *Te jure*.

¶ Nota quod tota dicitur hystoria in die S. Sansonis Episcopi [xxviii. Jul.], et tantum memoria de Sancto.

* 'nihil' *Chevallon*. 1531. 'nichil.' *Brev*. 1516.

† 'de S. Sansone' *non habent Brev*. 1516. *Portif*. 1519.

Dominica II.	(et per ebdomadam, ut supra ad 1 *F.*, scilicet ad Dominicam)	III.
Dominica III.		IV.,
Dominica IV.		V.,
Dominica V.		VI.,
Dominica VI.		VII.,
Dominica VII.		VIII.,
Dominica VIII.		IX.,
Dominica IX.		et X.

(et in ista IX. dominica tota cantetur hystoria, et tantum memoria de Sancto [Sansone]).

3. F. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de S. Edmundo, ix lectionum. Invitatorium triplex. Ad i. vesperas memoria de Martyribus [Primo et Feliciano]; de Octavis Corporis Christi; de Dominica, Ant. *Loquere Domine;* de Trinitate: et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Martyribus; et memoria de Martyribus de Octavis, de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo, cum memoria de Trinitate tantum. Vesperæ erunt de S. Edmundo, et memoria de Octavis et de Dominica.

Feria ii. de Octavis [Corporis Christi], cum V. et R. de iii. nocturno.

Feria iii. de Apostolo [Barnaba]: mediæ lectiones de Octavis cum versu et responsorio de i. nocturno*. Secundæ vesperæ erunt de Apostolo, et memoria de Martyribus [Basilide, Cirino &c.] et de Octavis.

Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Secundæ vesperæ erunt de Octava et memoria de commemoratione, et de Sancto [Basilio].

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

Dominica II. totum servitium de S. Richardo: mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta]: memoria de Martyribus, de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo, cum memoria de Trinitate.

Feria ii., v., et vi. de commemorationibus.

Sabbato de S. Albano. Antiphona super psalmos *Iste Sanctus.* Cap. *Beatus vir qui suffert.* R. *Percepturus.*

Dominica III.	(et per ebdomadam, ut supra ad 1 *F.*, scilicet ad Dominicam)	V.,
Dominica IV.		VI.,
Dominica V.		VII.,
Dominica VI.		VIII.,
Dominica VII.		IX.,
Dominica VIII.		et X.

(et in hac VIII. dominica tota cantetur hystoria, et memoria tantum de Sancto [Sansone]).

ita quod in Feria v., vi., et Sabbato post Octavas Visitationis fiat servitium de commemoratione et tantum memoria de S. Benedicto.

4. F. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de S. Ri-

* 'cum versu et responsoriis de ii. nocturno.' *Port.* 1557. 'cū. V. &. R. de. i. noc.' *Port.* 1519.

chardo. Ad i. vesperas memoria de Martyribus [Cirico et Julitta]; et de Octavis; de Dominica, Ant. *Loquere Domine:* de Trinitate: et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Martyribus. Nonum responsorium a duobus cantetur propter Octavas, et memoria de Martyribus, de Octavis, de Dominica et de Trinitate. Ad primam Antiphona *Te jure.* Missa dominicalis dicitur in capitulo, cum memoria de Trinitate tantum. Ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Richardo, memoria de Martyribus, de Octavis, et de Dominica.

Feria ii. de Octavis [Corporis Christi]. R. de iii. nocturno.

Feria iii. de Octavis. R. de i. nocturno.

Feria iv. de Octavis. R. de ii. nocturno.

Feria v. de Octava [Corporis Christi], ix lectiones. Invitatorium triplex, et tantum memoria de S. Edwardo: quia non habet proprias lectiones. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Octava, fiat memoria de S. Maria, Ant. *Sub tuam.*

Feria vi. de S. Maria.

<table>
<tr><td>Dominica ii.
Dominica iii.
Dominica iv.
Dominica v.
Dominica vi.
(ita quod in hac vi. dominica Ant. super psalmum Magnificat Montes Gelboœ.)
Dominica vii.
(in ista vii. dominica tota cantetur hystoria et tantum memoria de S. Sansone).</td><td>et per ebdomadam, ut supra ad 1 F., scilicet ad Dominicam</td><td>v.,
vi.,
vii.,
viii,
ix.,
et
x.

ita quod in Feria v., vi., et Sabbato post Octavas Visitationis fiat servitium de commemorationibus, et tantum memoria de S. Benedicto.</td></tr>
</table>

5. F. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas quæ erunt de S. Albano, fiat memoria de Virgine [Etheldreda]: de Octavis; et inchoatur hystoria cum memoria, Ant. *Loquere Domine;* memoria de Trinitate: et processio. Ad matutinas memoria tantum de Virgine, de Dominica, et de Trinitate. Nonum R. a duobus cantetur. Ad primam Antiphona *Te jure.* Missa de Vigilia cantetur in capitulo, cum memoria de Virgine tantum. Ad altam missam memoria de Dominica, et de Trinitate tantum.

Missa dominicalis dicitur in capitulo iv. die infra Octavas.

Feria ii. de S. Johanne. Ad i. vesperas memoria de Dominica sub silentio: deinde solennis memoria de Octavis: et fiat solennis memoria ad matutinas, ad missam, et ad ii. vesperas.

Feria iii. de Octavis, et R. de i. nocturno.

Feria iv. de Martyribus [Johanne et Paulo], ix lectionum: mediæ lectiones de Octavis Corporis Christi. R. de ii. nocturno; et tantum memoria de Octavis S. Johannis. Sextum R. a duobus cantetur propter Octavas.

Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Ad i. vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de Martyribus, et de Octavis S. Johannis. Ad matutinas mediæ lectiones de Octavis S. Johannis. Sextum R. *Priusquam.*

Feria vi. de Sancto [Leone] cum nocturno.

Sabbato de Apostolis [Petro et Paulo]: nulla memoria.

Dominica { II. III. IV. et V. } (et in hac V. dominica Ant. super psalmum *Montes Gelboœ.*) } {et per ebdomadam, ut supra ad 1. *F.*, scilicet ad Dominicam} { VI., VII., VIII., IX., et X. }

ita quod in Feria v., vi., et Sabbato post Octavas Visitationis fiat servitium de commemorationibus, et tantum memoria de S. Benedicto.

Dominica VI. (et in hac VI. dominica tota cantetur hystoria et tantum memoria de S. Sansone).

1. G. Dominica Prima post Festum S. Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Augustino, memoria de Octavis Corporis Christi tantum, Ant. *O quam suavis;* nihil* de Dominica, nec de Trinitate; neque processio: quia hic differtur una dominica. Ad matutinas 9. R. a duobus cantetur: nulla fiat memoria. Ad primam Antiphona *Te jure.*

Feria ii., iii., et iv. de Octavis, et memoria de Sancto [Germano].

Feria v. de Octava [Corporis Christi]. Invitatorium triplex, ix lectiones: mediæ lectiones de Virgine [Petronilla]. In laudibus omnes antiphonæ. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de commemoratione, et de Martyre [Nichomede].

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

Dominica II. totum servitium de Dominica, et inchoetur hystoria cum responsorio *Deum time;* et memoria de Trinitate; et processio ad matutinas. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii., iv., et v. de commemorationibus.

Feria vi. dicuntur V. et R. de i. nocturno Plurimorum Confessorum.

Sabbato de S. Edmundo, ix lectionum†. Invitatorium triplex. Mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano]: V. et R. de ii. nocturno Plurimorum Martyrum.

Dominica III. totum servitium de Dominica. Ad i. vesperas memoria de S. Edmundo, et Trinitate; et processio.

Feria ii. de Apostolo [Barnaba], ix lectiones. Invitatorium triplex.

Feria iv., v., et vi. de commemorationibus.

Sabbato de Sancto [Richardo], ix lectionum: mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta].

Dominica IV. de Dominica. Ad i. vesperas memoria de S. Richardo, de Trinitate; et processio.

Feria ii., iii., et v. de commemorationibus.

Feria iv. de S. Edwardo, ix lectiones de alio festo. Ant. super psalmos‡ *Iste Sanctus.* Cap. *Beatus vir qui in sapientia.* R. *Beatus vir qui suffert.*

Feria vi. de S. Albano. Ant. super psalmos‡ *Beatus vir.* Cap. *Iste Sanctus.* R. *Percepturus.*

* 'nihil' *Chevallon.* † '6. lectio.' *Chevallon.*

‡ 'pm.' *Brev.* 1516. 1531. 'pos.' *Portif.* 1519.

Dominica v. totum servitium de S. Johanne: nulla fiet memoria, quia hic differtur alia dominica, nisi festum Dedicationis in Dominica contigerit: tunc ibi debet dominica differri.

Feria ii. et iv. de commemorationibus, et nichil de tertia commemoratione.

Dominica vi. de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de Dominica, memoria de Apostolis [Petro et Paulo], de Octava S. Johannis, de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Octava S. Johannis, sextum R. *Inter natos.* Nam R. *Priusquam te* nunquam dicitur in Octava Die, secundum Ordinale Sarum.

Missa de Octava dicitur in capitulo cum memoria de Apostolis tantum. Ad altam missam memoria de Trinitate et de Omnibus Sanctis tantum.

Feria ii. de Visitatione, et majus duplex. Ad i. vesperas memoria de Dominica sub silentio, et nichil de Sanctis.

Feria iii. de Octavis Visitationis; et memoria de Apostolis.

Feria iv. de S. Martino, ix lectionum; mediæ lectiones de Octavis Apostolorum, et tantum memoria de Octavis Visitationis. Secundæ vesperæ erunt de Sancto [Martino], et memoria de Octavis.

Feria vi. de Octava Apostolorum [Petri et Pauli], et tantum* memoria de Octavis Visitationis.

Sabbato de S. Thoma; et ad i. vesperas memoria de Octava Apostolorum sub silentio: deinde solennis memoria de Visitatione.

Dominica vii. Festum Reliquiarum. Ad i. vesperas memoria de Dominica, de Trinitate, sub silentio: deinde solennis memoria de S. Thoma et de Octavis Visitationis. Ad matutinas memoria de Dominica, et de Trinitate, sub silentio: deinde solennis memoria de Octavis Visitationis; et fiat memoria de Visitatione et ad missam. Ad ii. vesperas memoria de Dominica sub silentio: deinde solennis memoria de Visitatione.

Feria ii. de Octava [Visitationis], ix lectiones. Invitatorium triplex: et fiat memoria de Reliquiis per Octavas et in Octava.

Feria iii. de Martyribus [Septem Dormientibus]. Missa dominicalis dicitur in capitulo eodem die.

Feria iv. de S. Benedicto, ix lectiones.

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica viii. de Confessoribus [Swithino &c.]. Ad i. vesperas memoria de Reliquiis, de Dominica, Ant. *Montes Gelboæ;* de Trinitate: et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo, cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Reliquiis et de Omnibus Sanctis tantum.

Feria ii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica ix. totum servitium de S. Maria Magdalena, ix lectiones. Invitatorium triplex. Ad i. vesperas memoria de Sancto [Wandragesillo]; de Dominica, Ant. *Rex autem David;* de Trinitate: et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo, cum memoria de Trinitate tantum. Secundæ vesperæ erunt de commemoratione.

Feria ii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

2. G. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi: nulla fiet memoria, quia hic differtur una dominica. Nonum R. a duobus cantetur. Ad primam Antiphona *Te jure.*

* 'tm̄ &.' *Chevallon.*

Feria ii., iii., et iv. de Octavis. Responsoria dicuntur per ordinem.

Feria v. de Octava [Corporis Christi], ix lectiones. Invitatorium triplex. Ad ii. vesperas memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam*, et de Confessoribus [Medardo et Gildardo].

Feria vi. de S. Maria; et memoria de Confessoribus [Medardo et Gildardo].

Sabbato de S. Edmundo, ix lectionum. Invitatorium triplex, mediæ lectiones de Martyribus [Primo et Feliciano].

Dominica II. tota cantetur hystoria, et inchoetur ad i. vesperas cum R. *Deum time;* et memoria de S. Edmundo, de Trinitate; et processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria iv., v., vi. de commemorationibus; et memoria de Sanctis [Basilio et Vito &c.]

Sabbato de S. Richardo: mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta]; V. et R. de ii. nocturno.

Dominica III.		IV.,
Dominica IV.	et per ebdomadam, ut	V.,
Dominica V.	supra ad 1. *G.* scilicet	VI.,
Dominica VI.	ad Dominicam	VII.,
Dominica VII.		VIII.,
Dominica VIII.		et IX.

ita quod in die S. Johannis fiat memoria de Dominica, de Trinitate, sub silentio; et missa dominicalis dicatur in capitulo, quia hoc anno non debet differri : nisi una dominica tantum.

3. G. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Edmundo, memoria de Octavis, et inchoetur hystoria cum Ant. *Loquere Domine:* memoria de Trinitate; et processio. Ad matutinas nonum R. a duobus cantetur; et memoria de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo. Ad primam Antiphona *Te jure.* Ad vesperas, quæ erunt de Apostolo [Barnaba], memoria de Octavis et de Dominica.

Feria ii. de Apostolo, ix lectionum. Invitatorium triplex*. Mediæ lectiones de Octavis [Corporis Christi]. R. de i. nocturno.

Feria iii. et iv. de Octavis. R. de ii. et iii. nocturnis.

Feria v. de Octava [Corporis Christi], ix lectiones. Invitatorium triplex et tantum memoria de Sancto [Basilio], quia non habet proprias lectiones. Ad ii. vesperas de Octava, memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam*, et de Martyribus [Vito &c.].

Feria vi. de S. Maria.

Sabbato de S. Richardo, ix lectionum; et mediæ lectiones de Martyribus [Cirico et Julitta].

Dominica II. tota cantetur hystoria. In laudibus una antiphona. Ad i. vesperas memoria de S. Richardo, de Trinitate; et processio.

Feria iii., iv., et v. de commemorationibus, et memoria de Sanctis [Gervasio et Prothasio; et Edwardo].

Feria vi. de S. Albano, ix lectiones. Ant. super psalmos ad i. vesperas *Iste Sanctus.*

Sabbato de Virgine [Etheldreda] cum nocturno.

* 'Inui. ix. p̄.' *Chevallon.*

Dominica	III.		V.,
	IV.	et per ebdomadam, ut	VI.,
	V.	supra ad 1. *G.*, scilicet	VII.,
	VI.	ad Dominicam	VIII.,
	et VII.		et IX.

ita quod in die S. Johannis fiat memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio, et missa dominicalis dicatur in capitulo.

Item hoc anno Festum S. Benedicti celebretur cum iii lectionibus, invitatorio duplici.

4. G. Dominica Prima post Festum Trinitatis totum servitium de Octavis Corporis Christi. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Richardo, fiat memoria de Octavis; de Dominica, Ant. *Loquere Domine* [Corporis Christi]; de Trinitate: et processio. Nonum R. a duobus cantetur. Missa dominicalis dicitur in capitulo. Ad primam Antiphona *Te jure.*

*Feria ii., iii., et iv. de Octavis, et memoria de Sanctis [Marco et Marcelliano; Gervasio et Prothasio; et Edwardo].

Feria v. de Octava [Corporis Christi], ix lectiones. Invitatorium triplex. Ad ii. vesperas memoria de S. Albano tantum.

Feria vi. de S. Albano, ix lectiones. Nonum R. *Percepturus.*

Sabbato de Virgine [Etheldreda], cum nocturno.

Dominica II. totum servitium de S. Johanne: memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio: sed nulla processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria ii. et iv. de commemorationibus, et nichil de tertia commemoratione.

Dominica III. de dominica, et tota cantetur hystoria. Ad i. vesperas, quæ erunt de Dominica, memoria de Apostolis [Petro et Paulo], de Octava S. Johannis, de Trinitate; et processio. Ad matutinas tantum memoria de Octava, de Apostolis, et de Trinitate. Missa de Octava dicitur in capitulo cum memoria de Apostolis tantum: ad altam missam memoria de Trinitate et de Omnibus Sanctis.

Dominica	IV.	et per ebdomadam, ut supra ad	VII.,
	V.	1. *G.*, scilicet ad Dominicam	VIII.,
	et VI.		et IX.

ita quod Festum S. Benedicti celebretur cum iii lectionibus, invitatorio duplici.

5. G. Dominica Prima post Festum S. Trinitatis totum servitium de S. Johanne. Ad i. vesperas inchoetur hystoria; cum memoria sub silentio, Ant. *Loquere Domine.*; et memoria de Trinitate: sed nulla processio. Deinde solennis memoria de Octavis Corporis Christi. Ad matutinas memoria de Dominica et de Trinitate, sub silentio: deinde solennis memoria de Octavis. Ad primam Antiphona *Gratias tibi.* Missa dominicalis dicitur in capitulo. Ad ii. vesperas memoria de Dominica sub silentio: deinde solennis memoria de Octavis.

Feria ii. de Octavis. R. de iii. nocturno. Vesperæ erunt de Martyribus [Johanne et Paulo], et memoria de utrisque Octavis [Corporis Christi, scilicet, et Johannis Bapt.].

* 'Fe. 2. &. 4. de oc.' *Portif.* 1519.

Feria iii. novem lectiones propter Octavas, et mediæ lectiones de Octavis Corporis Christi, cum R. de i. nocturno, et tantum memoria de Octavis S. Johannis. Nonum R. a duobus cantetur. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Martyribus [Johanne et Paulo], fiat memoria de utrisque Octavis.

Feria iv. de Octavis. R. de ii. nocturno.

Feria v. de Octava [Corporis Christi], ix lectionum. Invitatorium triplex: mediæ lectiones de Sancto [Leone]* et memoria de Octavis S. Johannis. Missa de Vigilia [Apostolorum]† solenniter ad summum altare post sextam, cum memoria de Sancto [Leone] et de Octavis S. Johannis. Ad altam missam nulla fiat memoria.

Feria vi. de Apostolis [Petro et Paulo]. Ad i. vesperas solennis memoria de Octava Corporis Christi tantum.

Dominica II. tota cantetur hystoria. Ad i. vesperas, quæ erunt de Dominica, memoria de Apostolis [Petro et Paulo], de Octava S. Johannis, de Trinitate; et processio. Ad matutinas tantum memoria de Octava S. Johannis, de Apostolis, et de Trinitate. Missa de Octava S. Johannis dicitur in capitulo cum memoria de Apostolis tantum. Ad altam missam memoria de Trinitate et de Omnibus Sanctis tantum.

Feria ii. de Visitatione, ut supra ad 1. *G.*, et per ebdomadam.

Dominica III., IV., et V., et per ebdomadam, ut supra ad 1. *G.*, scilicet ad Dominicam VII., VIII., et IX., ita quod Festum S. Benedicti celebretur cum iii lectionibus tantum: invitatorium duplex.

* 'de 2.' *Chevallon.*

† 'mis. de virgi.' *Chevallon.*

DOMINICA PRIMA POST FESTUM SANCTÆ TRINITATIS.

Ad primas Vesperas.

Ant. Benedictus.

Ps. *Ipsum* (*cxliii.* p. 215).

Et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio notantur.

Capitulum. Benedictus. *Quære in Psalterio.*

R. Deum time et mandata ejus observa. Hoc est omnis homo.

Versus. Timentibus Deum nichil deest nec his qui eum diligunt in veritate.

Hoc. Gloria Patri. Hoc.

Hoc Responsorium dicitur ad has Vesperas tantum, scilicet in initio hujus Hymni;

Hymnus.

O lux beata Trinitas
Et principalis Unitas:
Iam sol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.
Te mane laudum carmine,
Te deprecemur vesperi:
Te nostra simplex gloria
Per cuncta laudet secula.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque *et cetera.*

Hic Hymnus dicatur ad Vesperas omnibus Sabbatis usque ad Adventum Domini, quando de Dominica agitur.

V. Vespertina oratio : ascendat ad te, Domine.

Responsorium. Et descendat super nos misericordia tua.

Ant. Loquere, Domine, quia audit servus tuus.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus in te sperantium. *Quære hanc orationem post Hystoriam* Vidi Dominum.

Memoria fiat, si habeatur proprietas alicujus Sancti unde tres Lectiones fieri debeant, et postea de Corpore Christi hac die Dominica tantum si Octavæ sint sine regimine chori, deinde de Trinitate.

Tamen si Festum alicujus Sancti novem Lectionum in hoc sabbato celebratum fuerit : tunc in primis fiat Memoria de ipso, deinde Memoriæ supradictæ.

Ad Memoriam de Trinitate *dicitur Antiphona* Spes noster *cum Versu* Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus.

Tunc eat processio ante crucifixum sed sine cruce, de quocunque fit servitium, per medium chori, nisi duplex Festum contigerit in Dominica vel in Sabbato. Ordinata prius processione ad gradum chori hoc ordine, cum duobus Ceroferariis albis tantum indutis, inde Thuribulariis in simili habitu, deinde Puer ferens librum ante Sacerdotem in superpellicio, deinde Executor Officii in simili habitu cum capa serica, post eum vero duo Rectores chori in capis sericis cantando Antiphonam in eundo, et in introitu chori simul incipient, Choro sequente, habitu non mutato, juxta ordinem quo disponuntur in choro : et fiat Statio ante crucifixum supradicto modo et ordine, cantando unam istarum Antiphonarum de Cruce per ordinem.

Ant. 1. O crux splendidior cunctis astris mundo celebris hominibus multum amabilis sanctior universis, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi : dulce lignum dulces clavos dulcia ferens pondera, salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam.

Ant. 2. O crux gloriosa, O crux adoranda, O lignum preciosum et admirabile signum. per quod et dyabolus est victus : et mundus Christi sanguine redemptus, Alleluya.

Ant. 3.
Crux fidelis inter omnes arbor una
nobilis,
Nulla sylva talem profert fronde
flore germine :
Dulce lignum dulces clavos dulcia
ferens pondera,
Assis nobis custodia contra inimici
jacula.

Post thurificationem crucifixi dicat Sacerdos executor officii Versiculum, Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

R. Quia per crucem tuam redemisti mundum.

Oratio. Deus, qui unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi precioso sanguine vivificæ crucis vexillum sanctificare voluisti : concede, quæsumus, eos qui ejusdem sanctæ crucis gaudent honore, tua quoque ubique protectione gaudere. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

In introitu chori dicatur una ex istis Antiphonis de sancta Maria *per ordinem.*

Ant. 1. Beata Dei genitrix Maria virgo perpetua : templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti : sola sine exemplo placuisti Domino Jesu Christo : ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu.

Ant. 2.
Ave regina cælorum :
Ave domina angelorum,
Salve radix sancta
Ex qua mundo lux est orta :
Ave gloriosa
Super omnes speciosa.
Vale valde decora,
Et pro nobis semper
Christum exora.

Ant. 3.
Alma Redemptoris mater
quæ pervia cæli
Porta manes* et stella maris,
succurre cadenti
Surgere qui curat populo :
tu quæ† genuisti
Natura mirante tuum
sanctum Genitorem
Virgo prius ac posterius
Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave,
peccatorum miserere.

Ant. 4. Speciosa facta es et suavis in deliciis virginitatis sancta Dei genitrix : quam videntes filiæ Syon vernantem in floribus rosarum et liliis convallium beatissimam prædicaverunt : et reginæ laudaverunt eam.

‡*Inter Octavas Assumptionis et Nativitatis beatæ Mariæ dicitur una istarum Antiphonarum in introitu chori.*

Ant. 1. Tota pulchra es amica mea : et macula non est in te : favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua, odor unguentorum tuorum super omnia aromata : jam enim hyems transiit, ymber abiit et recessit, flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt, et vox turturis audita est in terra nostra. surge, propera amica mea, veni de Libano, veni coronaberis.

Ant. 2. Ascendit Christus super cælos et præparavit suæ castissimæ matri immortalitatis locum, et hæc est illa præclara festivitas omnium sanctorum festivitatibus incomparabilis : in qua gloriosa et felix micantibus cælestis curiæ ordinibus ad æthereum pervenit thalamum, quo pia sui memorum immemor nequaquam existat.

Ant. 3. Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est : quæsivi et non inveni illum. vocavi et non respondit michi. invenerunt me custodes civitatis percusserunt me et vulneraverunt me : tulerunt pallium meum custodes murorum, filiæ Hierusalem, nunciate dilecto, quia amore langueo.

* 'manens' *Chevallon.* † 'tuque' *Chevallon.*
‡ Nescio an sit legendum, '*Infra Oct.*' cum Portiforiis.

Ant. 4. Descendi in hortum* meum ut viderem poma convallium et inspicerem si floruissent vineæ et germinassent mala Punica. revertere, revertere, Sunamitis : revertere, revertere ut intueamur te.

V. Sancta Dei genitrix virgo semper Maria.

Oratio. Concede, quæsumus, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium : ut qui sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ Commemorationem agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Dominum.

Supradictus ordo Antiphonarum, Versiculorum, et Orationum, ad Processionem tam in eundo quam in introitu chori servetur usque ad Adventum Domini, quandocunque fit servitium ad Vesperas in sabbato, sive de Dominica agitur sive non : nisi quando duplex Festum in Dominica vel in Sabbato contigerit : vel quando missa dominicalis omnino differatur propter prolixitatem temporis ab una Dominica usque ad aliam Dominicam : tunc nulla fit processio in sabbatis ante crucem. Et nisi per Octavas Assumptionis et Nativitatis beatæ Mariæ : tunc enim dicetur in introitu chori de Omnibus Sanctis, sicut ibidem subnotatum est. Tamen quando Festum Exaltationis Sanctæ Crucis in Dominica contigerit, eat processio ad primas Vesperas, ut patet ibidem.

Hæ sequentes Antiphonæ serviunt Hystoriæ Deus omnium, *quamdiu durat, super Psalmum* Magnificat, *in sabbatis, vel ad Memoriam de Dominica cum de aliquo Festo novem Lectionum fit servitium : nisi in hoc sabbato tantum, tunc enim dicatur Antiphona* Loquere Domine, *ut supra.*

Ant. 2. Cognoverunt omnes a Dan usque Bersabee : quod fidelis Samuel propheta esset Domini.

Ant. 3. Prævaluit David in Philisteum in funda et lapide in nomine Domini.

Ant. 4. Nonne iste est David de quo canebant in choro : dicentes Saul percussit mille : et David decem milia in milibus suis.

Ant. 5. Iratus rex Saul dixit : michi mille dederunt : et filio Ysai dederunt decem milia.

Ant. 6. Quis enim in omnibus sicut David fidelis inventus est in regno tuo egrediens et regrediens et pergens ad imperium regis.

Ant. 7. Montes Gelboe nec ros nec pluvia veniant super vos, quia in te abjectus est clipeus fortium, clipeus Saul quasi non esset unctus oleo. quomodo ceciderunt fortes in bello? Jonathas in excelsis tuis interfectus est. Saul et Jonathas amabiles et decori valde in vita sua : in morte quoque non sunt separati.

Ant. 8. Doleo super te, frater mi Jonatha, amabilis valde super amorem mulierum : sicut mater unicum amat filium ita te diligebam. sagitta Jonathæ nunquam abiit retrorsum nec declinavit clipeus ejus de bello : et hasta ejus non est aversa.

Ant. 9. Dixitque David ad Dominum cum vidisset angelum cædentem populum. ego sum qui peccavi, ego inique egi. isti qui oves sunt quid fecerunt?

Ant. 10. Rex autem David coperto capite incedens lugebat filium dicens : Absalon, fili mi Absalon. quis mihi det ut ego moriar pro te, fili mi Absalon?

Quando vero tempus prolixum fuerit, tunc omnes Antiphonæ præcedentes suo ordine dicuntur : quando vero breve fuerit, id est octo Dominicæ vel infra, tunc semper dicuntur ultimo hæ duæ Antiphonæ, Montes Gelboe, *et Antiphona* Rex autem David. *Et aliæ Antiphonæ præcedentes eo anno prætermittantur.*

* 'ortum' *Chevallon.*

Ad Matutinas.

Invitatorium. Laudemus Jesum Christum quia ipse est redemptor omnium seculorum.

Ps. Venite.

Hoc Invitatorium dicitur omnibus Dominicis usque ad primam Dominicam post quintum Kalendas Septembris, quando de Dominica agitur.

Hymnus.

Nocte surgentes vigilemus omnes,
Semper in psalmis meditemur, atque
Viribus totis Domino canamus
Dulciter hymnos.

Ut pio regi pariter canentes
Cum suis sanctis mereamur aulam
Ingredi cæli, simul et beatam
Ducere vitam.

Præstet hoc nobis deitas beata
Patris ac Nati pariterque Sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Pro fidei meritis.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5). *Et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio notantur.*

Versus. Memor fui nocte nominis tui, Domine.

Responsorium. Et custodivi legem tuam.

Hac die incipiatur Liber Regum, et legatur usque ad primam Dominicam post quinto Kalendas Augusti, quando de temporali agitur.

Lectio i. (*Legenda i.* 1. *Regum i.* 1.)

Fuit vir unus de Ramathaim Sophim de monte Effraim, et nomen ejus Helcana filius Hieroboam, filii Eliu, filii Thau, filii Suph, Effrateus. Et habuit duas uxores : nomen uni Anna, et nomen secundæ Fenenna. Fueruntque Fennenæ filii : Annæ autem non erant liberi. Tu autem, Domine, [miserere nostri].

R. 1. Deus omnium exauditor est, ipse misit angelum suum et tulit me de ovibus patris mei. Et unxit me unctione misericordiæ suæ.

V. Dominus qui eripuit me de ore leonis, et de manu bestiæ liberavit me.

Et unxit.

Lectio ii. [1. *Regum i.* 3.]

Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus ut adoraret in Sylo : et sacrificaret Domino exercituum. Erant autem ibi duo filii Hely, Ophni et Finees, sacerdotes Domini. Venit ergo dies, et immolavit Helcana : deditque Fenennæ uxori suæ et cunctis filiis ejus et filiabus partes. Annæ autem dedit partem unam tristis : quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam ejus. Tu autem, Domine.

R. 2. Dominus qui eripuit me de ore leonis, et de manu bestiæ liberavit me. Ipse me eripiet de manibus inimicorum meorum.

V. Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam : animam meam eripuit de medio catulorum leonum.

Ipse me.

Lectio iii. [1. *Reg. i.* 6.]

Affligebat quoque eam æmula ejus et vehementer angebat : in tantum ut exprobraret illi, quod Dominus conclusisset vulvam ejus. Sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad* templum Domini et sic provocabat eam. Porro illa flebat : et non capiebat cibum. Dixit ergo ei Helcana vir suus, Anna, cur fles, et quare non comedis, et quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego sum melior tibi quam decem filii?

R. 3. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dominus : et posui te

* 'ad' *om. Chevallon.*

pascere gregem populi mei, et fui tecum in omnibus ubicunque ambulasti. Firmans regnum tuum In æternum.

V. Fecique tibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terris : et requiem dedi tibi ab omnibus inimicis tuis.

Firmans. Gloria. In æternum.

In secundo Nocturno.

Ant. Naturæ.

Ps. Conserva me (*xv.* p. 17). *Et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio notantur.*

V. Media nocte surgebam ad confitendum tibi.

R. Super judicia justificationis tuæ.

Si habeatur proprietas alicujus Sancti, unde ad Vesperas facta fuerit Memoria, fiant inde tres mediæ Lectiones cum Versibus et Responsoriis de primo Nocturno. Si vero propriæ Lectiones non habentur, fiant mediæ Lectiones de Corpore Christi, ubi fuerint Octavæ sine regimine chori, cum Versibus et Responsoriis secundum ordinem Nocturnorum : nisi Versus et Responsoria de secundo Nocturno Hystoriæ Dominicalis in aliqua Dominica, vel in feria dum Hystoria duratura fuerit, non possint cantari, ut inferius subnotatum est, scilicet in Magna Rubrica. Si vero non potuerint cantari Responsoria de secundo Nocturno infra prædictum tempus : tunc in prima Dominica tota cantetur Hystoria Dominicalis, et Memoria tantum de Festo si habeatur, et postea de Octavis, absque mediis Lectionibus de eisdem Sanctis.

Ubi fiunt Octavæ Corporis Christi cum regimine chori, fit totum servitium de Octavis hac die : nisi Festum novem Lectionum evenerit, ut supra dictum est.

Lectio iiii. [1. *Regum i.* 9.] (*Legenda 2., quæ si hac die non legatur, legetur quando proximo de temporali fit servitium.*)

Surrexit autem Anna postquam comederat et biberat in Sylo. Et Hely sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini, cum esset Anna amaro animo, oravit [ad] Dominum flens largiter : et votum vovit dicens, Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem : dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non ascendet super caput ejus. Tu autem, Domine.

R. 4. Exaudisti, Domine, orationem servi tui ut ædificarem templum nomini tuo. Benedic et sanctifica domum istam in sempiternum, Deus Israel.

V. Domine, qui custodis pactum et misericordiam servis tuis : qui ambulant coram te in toto corde suo.

Benedic.

Lectio v. [1. *Regum i.* 12.]

Factum est autem cum illa multiplicaret preces coram Domino : ut Hely observaret os ejus. Porro Anna loquebatur in corde suo : tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. Æstimavit ergo eam Hely temulentam : dixitque ei, Usque quo ebria eris? Digere paulisper vinum quo mades. Respondens autem Anna : Nequaquam, inquit, domine mi. Nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque et omne quod inebriare potest non bibi : sed effudi animam meam in conspectu Domini.

R. 5. Audi, Domine, hymnum et orationem quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti et aures tuæ intentæ Super domum istam die ac nocte.

V. Respice, Domine, de sanc-

tuario tuo : et de excelso cælorum habitaculo.

Super domum.

Lectio vi. [1. *Regum i.* 16.]

Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial : quia ex multitudine doloris et mæroris mei locuta sum usque in præsens. Tunc Hely ait ei, Vade in pace : et Deus Israel det tibi petitionem quam rogasti eum. Et illa dixit, Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, et comedit: vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati. Et surrexerunt mane et adoraverunt coram Domino : reversique sunt et venerunt in domum suam Ramatha. Tu.

R. 6. Domine, si conversus fuerit populus tuus et oraverit ad sanctuarium tuum, Tu exaudies in cælo, Domine, Et libera nos de manibus inimicorum eorum.

V. Si peccaverit in te populus tuus et conversus egerit pœnitentiam : veniensque oraverit in loco isto,

Tu. Gloria. Et libera.

In tertio Nocturno.

Ant. Sponsus ut e thalamo.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 32).

Et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio notantur.

V. Exaltare, Domine, in virtute tua.

R. Cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Evangelium secundum Lucam. Homo quidam erat dives. *Quære hoc Evangelium, et cetera Evangelia per Æstatem, proximo post Ezechielem ante Dedicationem.*

R. 7. Peccavi super numerum arenæ maris et multiplicata sunt peccata mea : et non sum dignus videre altitudinem cæli præ magnitudine iniquitatis meæ : quoniam irritavi iram tuam, Et malum coram te feci.

V. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco : et delictum meum coram me est semper : tibi soli peccavi,

Et malum.

R. 8. Recordare, Domine, testamenti tui et dic angelo percutienti : cesset jam manus tua, Ut non desoletur terra et ne perdas omnem animam vivam.

V. Quiescat, Domine, jam ira tua a populo tuo : et a civitate sancta tua,

Ut non.

R. 9. Benedicat nos.

Et hoc semper in omnibus Dominicis usque ad Adventum Domini observetur, ut nonum Responsorium de Trinitate dicatur, quando de Dominica agitur et Hystoria Dominicalis cantatur : tamen non semper idem Responsorium, sed unum post alterum ordinatim sicut sunt posita in Hystoria de Trinitate. Et post ultimum Responsorium de Trinitate, reincipiatur ad initium Hystoriæ. Quando ultimo fit servitium de Dominica ante Adventum Domini, semper dicatur Responsorium Summæ Trinitati.

Feriale Responsorium. Præparate corda vestra Domino et servite illi soli. Et liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum.

V. Auferte deos alienos de medio vestri.

Et liberabit.

R. Prævaluit David in Philisteum. In funda et lapide in nomine Domini agminum Dei Israel.

V. Abstulit ergo opprobrium a filiis Israel.

In. Gloria. In.

R. Montes Gelboe nec ros nec pluvia veniat super vos. Ubi ceciderunt fortes Israel.

V. Omnes montes qui in circuitu ejus sunt visitet Dominus : a Gelboe autem transeat.

Ubi. Gloria. Ubi.

Ante Laudes V. Excelsus super omnes gentes Dominus.

R. Et super cælos gloria ejus.

In Laudibus.

Ant. Regnavit Dominus.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Et aliæ Antiphonæ quæ sequuntur, hac die et ceteris Dominicis, ad initium uniuscujusque Hystoriæ Dominicalis quæ evenerit usque ad Adventum Domini cantentur.

Aliis vero Dominicis, quando Hystoria non inchoatur, et tamen fit servitium de Dominica, tunc hæc sola Antiphona Regnavit *super omnes Psalmos dicitur, ut in Psalterio plenius continetur* [p. 28]. *Quando vero ultimo fit servitium de Dominica ante Adventum Domini, tunc omnes Antiphonæ super Laudes dicuntur.*

Capitulum. Benedictio et claritas. *Quære in Psalterio* [p. 33].

Hymnus.

Ecce jam noctis tenuatur umbra,
Lucis aurora rutilans choruscat,
Nisibus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem

Ut Deus noster miseratus omnem
Pellat languorem, tribuat salutem :
Donet et nobis pietate Patris
Regna polorum.

Præstet hoc nobis.

V. Dominus regnavit.

R. Decorem induit, Alleluya.

Ant. Pater Abraham.

Ps. Benedictus.

Quære hanc Antiphonam, et omnes alias super Psalmos Benedictus *et* Magnificat, *ad secundas Vesperas cum Orationibus Dominicalibus et Expositionibus Evangelii in fine Temporalis, post Hystoriam* Vidi Dominum.

Oratio. Deus, in te sperantium.

Memoria, si habeatur, de eodem Sancto unde ad Vesperas facta fuit Memoria, dicatur : deinde de Corpore Christi hac die Dominica tantum, ubi fuerint Octavæ sine regimine chori. Et postea de Trinitate cum Antiphona Libera nos. *V.* Sit nomen Domini benedictum. *R.* Ex hoc nunc. *Oratio* Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti. *Nulla fiat Memoria de Cruce ad has Matutinas, neque de Sancta Maria, neque de Omnibus Sanctis, in omnibus Dominicis per totum annum.*

Omnibus Dominicis diebus usque ad Adventum Domini, quando de Dominica agitur, vel quando de Dominica fit Memoria, fiat Memoria de Trinitate ad primas Vesperas et ad Matutinas, de quocunque fit servitium.

Ad primam, et ad alias Horas, *omnia fiant sicut in Hystoria* Domine ne in ira, *ut supra dictum est.*

Ad secundas Vesperas.

Ant. Sede a dextris.

Ps. Dixit Dominus (*cix. p.* 191).

Et ceteræ Antiphonæ cum suis Psalmis, ut in Psalterio notantur.

Capitulum. Dominus autem dirigat.

Hymnus. Lucis Creator optime.

V. Dirigatur, Domine, ad te oratio mea.

R. Sicut incensum in conspectu tuo.

Quære hæc omnia in Psalterio.

Ant. Fili recordare.

Ps. Magnificat.

Quære hanc Antiphonam post Hystoriam Vidi Dominum.

Oratio. Deus, in te sperantium.

Ad has Vesperas nulla fiat memoria nisi de Octavis Corporis Christi, et nisi infra aliquas Octavas contigerit, et nisi Festum trium Lectionum

in crastino evenerit : tunc enim fiet Memoria de ipso Festo et de hujusmodi Octavis.

Si vero Festum novem Lectionum in ipsa Secunda Feria evenerit, vel a Dominica reservatum propter inchoationem Hystoriæ die Lunæ celebretur, tunc Vesperæ in Dominica fiant de Festo, et Memoria de Dominica, nisi forte ipsa Dominica suis primis Vesperis caruerit : tunc enim ut communiter Dominica suas secundas Vesperas habeat. Similiter fiat de omnibus Dominicis usque ad Adventum Domini, ut plenius subnotatum est.

Feria secunda, *et omnibus Feriis usque ad Adventum Domini, de Invitatorio, Antiphonis et Psalmis, et Versiculis, servetur ordo qui in Feriis post Hystoriam* Domine, ne in ira. *Hymnus vero ad Matutinas, et ad Laudes, et ad Vesperas, sicut in Dominica proxima præcedente dicantur, tam in Dominicis quam in Feriis usque ad Adventum Domini, quando de Temporali agitur.*

Ad Matutinas *vero in Feriis usque ad Adventum Domini dicantur Responsoria de Hystoria Dominicali, secundum ordinem Nocturnorum. Ita tamen quod Responsoria ferialia non omittantur, si commode potuerint dici ibi vel alibi, sicut in Quarta Feria ebdomadæ primæ Adventus Domini supra notatum est. Si una Feria vel duæ Feriæ vacaverint tantum, ibidem cantentur pariter vel divisim Responsoria Ferialia. Quando vero Responsoria de tertio Nocturno dicuntur, tunc fiat tertium Responsorium unum de ferialibus. Nunquam dicantur tria Responsoria ferialia simul, nec dicantur tria Responsoria ferialia priusquam tota cantetur Hystoria. Cum vero nulla feria vacaverit, tunc omnino prætermittantur. Et si fuerint tria Responsoria ferialia in una feria hujus temporis cantanda, unum prætermittatur, nisi duæ Feriæ vacaverint.*

Lectio i. (1. *Regum i.* [19.] *Legenda* 3.)

Cognovit autem Helcana Annam uxorem suam : et recordatus est ejus Dominus. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel : eo quod a Domino postulasset eum. Ascendit autem vir ejus Helcana, et omnis domus ejus, ut immolaret Domino hostiam solennem et votum suum : et Anna non ascendit. Dixit enim viro suo, Non vadam donec ablactetur infans, et ducam eum ut appareat ante conspectum Domini : et maneat ibi jugiter. Et ait ei Helcana vir suus, Fac quod bonum tibi videtur : et mane donec ablactes eum. Precorque ut impleat Dominus verbum suum.

Lectio ii. [1. *Regum i.* 23.]

Mansit ergo mulier et lactavit filium suum : donec amoveret eum a lacte. Et adduxit eum secum postquam ablactaverat, in tribus vitulis et tribus modiis farinæ et amphora vini : et adduxit eum ad domum Domini in Sylo. Puer autem adhuc erat infantulus. Et immolaverunt vitulum : et obtulerunt puerum Hely. Et ait Anna, Obsecro, mi domine : vivit anima tua. Ego sum illa mulier quæ steti coram te hic : orans Dominum pro puero isto. Oravi et dedit michi Dominus petitionem meam : quam postulavi eum. Idcirco et ego commodavi eum Domino, cunctis diebus, quibus fuerit accommodatus Domino.

Lectio iii. (1. *Regum ii.* 11.)

Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Hely sacerdotis. Porro filii Hely filii Belial nescientes Dominum : neque

officium sacerdotum ad populum. Sed quicunque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua : et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam sive cacabum. Et omne quod levabat fuscinula tollebat sacerdos sibi. Sicque faciebant universo Israeli venientium in Sylo.

Lectio i. (1. *Regum ii.* [16.] *Legenda* 4.)

Dicebat puero sacerdotis immolans, Incendatur primum juxta morem hodie adeps : et tolle tibi quantumcunque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei, Nequaquam. Nunc enim dabis : alioquin tollam vi. Erat enim peccatum puerorum grande nimis coram Domino : quia detrahebant homines a sacrificio Domini.

Lectio ii. [1. *Regum ii.* 18.]

Samuel autem ministrabat ante faciem Domini puer : accinctus ephot lineo. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua : quam afferebat statutis diebus ascendens cum viro suo ut immolaret hostiam solennem : et votum suum. Et benedixit Hely Helchanæ et uxori ejus : dixitque, Reddat tibi Dominus semen de muliere hac : pro fenore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum. Visitavit ergo Dominus Annam : et concepit et peperit tres filios et duas filias. Et magnificatus est puer Samuel apud Dominum.

Lectio iii. [1. *Regum ii.* 22.]

Hely autem erat senex valde, et audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli : et quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi : et dixit eis, Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo? Nolite, filii mei. Non est enim bona fama quam ego audio : ut transgredi faciatis populum Domini. Si peccaverit vir in virum : placari ei potest Deus. Si autem in Deum peccaverit vir : quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui : quia voluit Deus occidere eos. Tu autem, Domine.

Ab *hac die usque ad Adventum Domini, tam in Feriis quam Festis trium Lectionum sine regimine chori, et in Octavis et infra quando chorus non regitur, dicantur hæ sequentes* MEMORIÆ, *scilicet de Cruce, de sancta Maria, et de Omnibus Sanctis.*

Cum vero in Festo trium Lectionum aliquod Festum Sanctorum sine regimine chori contigerit, in primis fiat Memoria de Sancto, et postea Memoriæ prædictæ. Per Octavas vero Reliquiarum, sive fiat de Festis sive de Feria, semper fiat in primis memoria de Reliquiis ante memoriam de Cruce.

AD MATUTINAS, *Memoria de* CRUCE *cum hac Antiphona* Nos autem gloriari, *et cetera ut in Psalterio post Laudes in Secunda Feria* (p. 92).

AD PRIMAM, ET AD ALIAS HORAS, *omnia fiant sicut in Secunda Feria post Hystoriam* Domine, ne in ira *supra dictum est* [p. ccccxxii.].

AD SECUNDAS VESPERAS, *Antiphonæ et Psalmi feriales.*

Capitulum. Dominus autem dirigat.

Hymnus. Lucis Creator optime.

V. Dirigatur, Domine, ad te oratio mea.

Super Psalmum Magnificat *dicitur Antiphona illius Feriæ, ut supra post Hystoriam* Domine, ne in ira.

Oratio Dominicalis.

Hic ordo servetur in omnibus Feriis usque ad Adventum Domini, quando de Feria agitur : Memoria de

Cruce, de sancta Maria, et de Omnibus Sanctis, ut supra.

In Sabbatis *autem per totum hoc tempus Plenum Servitium de sancta Maria solet fieri : nisi tale Festum intercurrat unde novem Lectiones debeant fieri, vel Octavæ cum regimine chori, vel Festum sine regimine chori unde propria Responsoria vel propriæ Laudes habeantur, vel Festum Undecim milium Virginum, vel Jejunium quatuor temporum, vel Vigiliæ Sanctorum impedierint. Cum autem in ipso Sabbato propter prædicta impedimenta servitium de Sancta Maria fieri non poterit, tunc in aliqua Feria ipsius ebdomadæ fiet, ubi convenientius fieri poterit, ubi potest habere suas primas Vesperas si fieri poterit. Ita tamen quod quando fit plenum servitium de Sancta Maria in die Lunæ, vel in crastino alicujus Sancti novem Lectionum, vel trium Lectionum cum regimine chori, tunc erunt Vesperæ de Sancta Maria, et solennis Memoria de Festo, vel de Dominica : nisi forte ipsa Dominica, vel Festum, suis primis Vesperis caruerit : tunc fiant Vesperæ de Festo vel de Dominica, et solennis Memoria de Sancta Maria cum hac Antiphona,* Sub tuam protectionem. *Tamen in Octavis Epyphaniæ, Ascensionis Domini, et in consimilibus, dicantur secundæ Vesperæ de Octavis, ut supra notatum est in Octavis Epyphaniæ post secundas Vesperas. Et cum fuerit Festum alicujus Sancti, vel Octavæ sine regimine chori, et plenum servitium de Sancta Maria fuerit dicendum : tunc de Festo, vel de Octavis sine regimine chori fiat tantum Memoria.*

Quod si per totam Æstatem, sive in Sabbato, sive aliqua Feria totius ebdomadæ, novem Lectiones fiant, nulla tunc ad Vesperas nec ad Matutinas fiet Memoria, nisi in ipso die aliquod Festum Sanctorum trium Lectionum ibidem evenerit : ut in Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ fiat Memoria de sancto Wandragesillo. In Festo sancti Jacobi fiat Memoria de martyribus Christoforo et Cucufato, et in consimilibus, et in Festis novem Lectionum quæ contingunt infra Octavas Sanctorum : tunc enim fiet Memoria de Octavis, nisi in duplici Festo : tunc enim nulla fiet Memoria de Octavis, nisi Octavæ fiant cum regimine chori, ut inferius subnotatum est. Sed post Vesperas de die ad Vesperas de Sancta Maria, et post Matutinas de die ad Matutinas de Sancta Maria, fiant Memoriæ de Sancto Spiritu, de Festo loci, de Reliquiis, de Omnibus Sanctis, et de Pace, ut supra dictum est in prima Dominica Adventus Domini.*

Quod si a Festo Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum Domini aliquod duplex Festum in Dominica evenerit, totum servitium fiat de Festo, et nichil de Dominica, nisi forte Missa Dominicalis in ipsa Dominica vel in eadem ebdomada de necessitate cantanda fuerit : tunc enim ad utrasque Vesperas et ad Matutinas fiant Memoriæ sub silentio de Dominica et de Sancta Trinitate : videlicet ad primas Vesperas, et ad Matutinas similiter privatim. Processio tamen ad crucem, sive fiant Memoriæ supradictæ sive non, omnino differatur in Festis duplicibus.

Tamen si Festum Exaltationis sanctæ Crucis in Dominica contigerit†, tunc ad primas Vesperas, dum dicitur primum Benedicamus, *fiat Memoria sub silentio de Dominica, et de Sancta Trinitate, et solennis Memoria de Martyribus, et postea fiat Processio ante crucem, ut in Festo Exaltationis sanctæ Crucis, cum Missa Dominicali in capitulo, ad quam fiet Memoria de*

* '*vvrandragesillo*' Chevallon. '*Wandregisillo*' Portif. 1519.
† '*continge*' Chevallon.

Trinitate, et de Omnibus Sanctis tantum. Ad secundas Vesperas fiat Memoria sub silentio de Dominica et de sancto Nichomede martyre, et solennis Memoria de Octavis. Si vero in Secunda Feria hoc Festum Exaltationis contigerit, fiat Memoria de Dominica sub silentio, dum dicitur primum Benedicamus, *et solennis Memoria de Martyribus, et postea fiat Processio ante crucem.*

In duplicibus autem Festis Sanctorum, quæ habent Memorias illis annexas, sicut in Festis sanctorum Jacobi, Bartholomei, sancti Augustini doctoris, et sancti Mathei apostoli, et consimilibus, fiant illæ Memoriæ solenniter in audientia, nec omittantur Secreta et Postcommunio de Sanctis, quæ in Missis intitulantur. Tamen quando hujusmodi duplicia Festa in Dominicis celebrantur, tunc Memoriæ Sanctorum adjunctæ cum Memoriis de Dominica et de Trinitate fiant sub silentio, et nulla fiet processio ante crucem : et si Missa Dominicalis dicitur in capitulo in illis Festis duplicibus prædictis, tunc non dicuntur Memoriæ de Sanctis ad Missam in capitulo, sed ad magnam Missam dicuntur Memoriæ de Sanctis illis annexis. Et si Missa Dominicalis non dicitur in capitulo, tamen dicantur semper Memoriæ de Sanctis Festis illis annexis ad Missam de Festo, sive Dominica fuerit sive non.*

In Festo sancti Augustini doctoris fiat solennis Memoria de sancto Iohanne Baptista, et de sancta Sabina, ad secundas Vesperas de sancto Augustino. Si vero sancti Augustini Festum in Sabbato contigerit, ad secundas Vesperas ejusdem privatim fiet Memoria de Dominica, et de Trinitate, et solennis Memoria de Sancto Johanne Baptista, et de sancta Sabina. Eodem modo fiet scilicet tam de Memoria Dominicali, quam de Sancto Johanne Baptista et de sancta Sabina, quando in Dominica idem Festum contigerit.

Ad Vesperas in Sabbatis, quando fit Memoria de Sancta Trinitate, semper dicitur Antiphona Spes nostra.

V. Benedicamus Patrem et Filium.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti.

Et ad Matutinas dicitur Antiphona Libera nos.

V. Sit nomen Domini benedictum.

Oratio ut supra.

Et quotienscunque in Sabbato ad Vesperas, vel in Dominica ad Matutinas, per prædictum tempus dicitur Memoria de Dominica, dicetur etiam Memoria de Trinitate cum Antiphonis, Versibus et Oratione supradictis.

Ad secundas Vesperas Festorum Purificationis et Nativitatis beatæ Mariæ, et Dominicæ in Albis, et Sanctæ Trinitatis, et Corporis Christi, et Dedicationis Ecclesiæ, nulla omnino fiat Memoria de Festo sine regimine chori in crastino contingente, nisi Festum novem Lectionum conjunctum fuerit : tunc de utrisque sub silentio fiet Memoria : sicut in Festo apostolorum Petri et Pauli nulla fiet Memoria de Octavis sancti Johannis Baptistæ, nisi fiant Octavæ cum regimine chori : neque solet de Sancta Trinitate fieri Memoria in Festo Corporis Christi, nisi ubi fiant Octavæ cum regimine chori de Sancta Trinitate, tunc enim fiat solennis Memoria de Octavis, licet Festum loci fuerit ipso die : nec in Nativitate sancti Johannis Baptistæ fiet Memoria de Octavis Corporis Christi, nisi Octavæ fiant cum regimine chori.

Memoria de duplicibus Festis, et de Octavis cum regimine chori, et de Commemoratione beatæ Mariæ, et de Festo loci, etiam in Festis duplicibus erunt solennes.

Si *vero Festum simplex novem Lectionum alicujus Sancti, et minime*

* '*ne*' Chevallon.

duplex, in Dominica infra prædictum tempus evenerit, et Hystoria inchoanda fuerit in ipsa Dominica, Festum differatur in crastinum: nisi sit Festum sancti Petri ad Vincula, aut Decollationis sancti Johannis Baptistæ : pro quibus solet in choro Sarisburiensi differri Hystoria inchoanda si contigerit, et nisi sit tale Festum novem Lectionum quod in crastino sequatur aliud Festum novem Lectionum, et nisi sint Octavæ cum regimine chori quæ solent in Dominica infra Octavas plenarie suum servitium habere. Si vero Festum novem Lectionum et inchoatio Hystoriæ in aliqua Dominica infra Octavas cum regimine chori concurrant, fiat servitium de Festo, et Memoria de Octavis et Hystoria, et de ceteris quæ pertinent.*

Cum itaque ob aliquam causarum prædictarum aliqua Hystoria† in sua Dominica cum suis Responsoriis inchoari non poterit, tunc per ebdomadam si feriæ vacaverint, incipiatur. Si vero nulla feria vacaverit et Hystoria duratura fuerit plus quam per septimanam : tunc differatur usque ad proximam Dominicam vel ebdomadam sequentem : veruntamen si Hystoria duratura non fuerit nisi per unam ebdomadam tantum, tunc est necesse in tribus mediis Feriis per ebdomadam ut tota cantetur Hystoria, et Expositio Evangelii, et Responsoria ferialia eo anno non dicantur præter unum Responsorium feriale quod dicetur in ultima feria loco noni Responsorii. Ita tamen quod si aliquod Festum trium Lectionum ibidem contigerit, in illo anno omnino prætermittatur.

QUANDO *autem simplex Festum ix Lectionum alicujus Sancti in Dominica celebratur, et si eodem die aliquod Festum trium Lectionum vel Octavæ sine regimine chori evenerint, tunc in primis fiet Memoria de Festo sive de Octavis ad primas Vesperas et ad Matutinas, deinde de Dominica et de Sancta Trinitate, et Processio fiat semper ante crucem nisi Missa Dominicalis in ipsa ebdomada omnino debeat differri : et nisi in duplicibus Festis; tunc enim nulla fiat processio in Sabbato nisi in Festo Exaltationis Sanctæ Crucis. Si aliquod Festum duplex per ibidem‡ tempus in Sabbato contigerit, fiet Memoria de Dominica et de Sancta Trinitate sub silentio, sive nova Hystoria inchoanda fuerit sive non, sed nulla fiat processio ante crucem. Si vero Festum Sancti Jacobi, aut Festum Sancti Bartholomei apostoli, et similia in Secunda Feria contigerint, fiant illæ Memoriæ illis Festis annexæ solenniter ut prædictum est, et Memoria de Dominica sub silentio.*

Quod si Festum simplex novem Lectionum in Sabbato celebretur, tunc ad primas Vesperas de Dominica in Sabbato fiet in primis Memoria de Festo novem Lectionum, et postea de Festo alicujus Sancti trium Lectionum si habeatur in crastino, deinde de Octava sine regimine chori si habeatur, deinde de Sancta Trinitate.

Si vero Festum simplex novem Lectionum in die Lunæ celebretur, et in eodem die aliud Festum trium Lectionum vel Octava, ut prædiximus, evenerit : tunc ad Vesperas in Dominica in primis fiet Memoria de Festo trium Lectionum, deinde de Octava sine regimine chori si habeatur, et postea de Dominica tantum. Hoc enim in omnibus Dominicis hujus temporis observetur : nisi in Festis duplicibus sese invicem concomitantibus : scilicet quod quando Memoria de Dominica ad utrasque Vesperas et ad Matutinas fit, tunc

* '*concurrat*' Chevallon.

† '*Dominica*' Chevallon.

‡ Legendum videtur *idem*.

dicitur Memoria de Sancta Trinitate ad primas Vesperas et ad Matutinas, et Processio fiat ad primas Vesperas ante crucem: nisi in Festis duplicibus in Sabbatis vel in Dominicis contingentibus: tunc nulla fiat processio ante crucem, et Missa Dominicalis in ipsa Dominica cantanda dicitur in aliqua Feria per ebdomadam si vacaverit, vel in Dominica Missa dicitur in capitulo, si nulla feria vacaverit. Quod si contingat nullam per ebdomadam de Missa Dominicali mentionem fieri, et tempus prolixum fuerit, videlicet die Dominica non in capitulo propter duplicia Festa, nec in feriis propter Festa novem Lectionum, vel trium Lectionum, vel Octavas Sanctorum cum regimine chori, et tempus prolixum fuerit: tunc in Dominica præcedente prædictæ Memoriæ, scilicet de Dominica et de Trinitate, et Processio ante crucem ad primas Vesperas differantur. Tamen si tempus breve fuerit, tunc in Dominica dicitur Missa Dominicalis in capitulo, vel per ebdomadam in aliqua Feria cum fuerint Octavæ cum regimine chori, et fiat Memoria ad Vesperas et ad Matutinas de ipsa Dominica et de Sancta Trinitate, et Processio ante crucem. Tamen si aliquod Festum simplex novem Lectionum, vel Octavæ cum regimine chori in Dominica contigerint, et per ebdomadam sequentem nulla feria ad hoc vacaverit, et tempus breve fuerit: tunc in Dominica dicitur Missa Dominicalis in capitulo, et fiat Memoria ad Vesperas et ad Matutinas de ipsa Dominica et de Sancta Trinitate, et Processio ante crucem. Similiter fiat in Exaltatione Sanctæ Crucis quandocunque in Dominica contigerit, licet duplex Festum fuerit. Si aliquod Festum duplex per hoc idem tempus in Sabbato contigerit, nulla fiet tunc processio ad secundas Vesperas ante crucem, quæ erunt de Festo, neque Memoria in audientia de Dominica nec de Trinitate sed sub silentio, sive nova Hystoria inchoanda fuerit sive non: nisi in Exaltatione Sanctæ Crucis: tunc enim fiet solennis Memoria de Octavis Nativitatis beatæ Mariæ: et dicuntur Memoriæ sub silentio, scilicet de sancto Nichomede martyre, et de Dominica, et de Trinitate, sed nulla processio ante crucem fiat. Et quotienscunque ad Vesperas in Sabbato, vel in Dominica ad Matutinas per prædictum tempus dicitur Memoria de Dominica, dicitur etiam Memoria de Trinitate.

Et *notandum est quod quando Festum simplex novem Lectionum propter inchoationem Hystoriæ a Dominica differtur in Secundam Feriam, et eidem Festo aliquod Festum trium Lectionum conjunctum fuerit: Festum trium Lectionum non debet differri, sed in ipsa Dominica fiat solennis Memoria de eo ad Vesperas et ad Matutinas, ut supra diximus, et mediæ Lectiones si propriæ habeantur; sin autem tantum Memoria. Tamen si illa Hystoria duratura non fuerit, ita quod Responsoria de secundo Nocturno non possunt cantari in Dominicis nec in feriis, tunc non fient mediæ Lectiones de Sancto in prima Dominica in qua inchoatur Hystoria, sed in Dominica tota cantetur Hystoria Dominicalis, et tantum Memoria ad primas Vesperas et ad Matutinas, et ad Missam in Dominica de Festo trium Lectionum. Quod in omnibus Dominicis hujus temporis, in quibus incipiendæ sunt Hystoriæ, observetur. Tamen si per totum tempus quo Hystoria durat, locus non vacet Responsoriis de secundo Nocturno Dominicalis Hystoriæ, ita quod non possunt in Dominicis vel in feriis cantari: tunc in Dominica in qua inchoetur Hystoria nullæ fiant mediæ Lectiones de hujusmodi Festis, sive propriæ Lec-*

tiones habeantur sive non, sed tantum Memoria de Festo trium Lectionum ad primas Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam de Dominica, quæ præcedet Memoriam de Sancta Trinitate: quod etiam observetur in omnibus Dominicis hujus temporis in quibus incipiendæ sunt Hystoriæ.

PRÆTEREA *considerandum est quod Responsoria de secundo Nocturno nullo modo cantentur per ebdomadam, nisi quando duæ Feriæ ad minus vacaverint: nam semper per unamquamque ebdomadam in primis dicantur Responsoria de primo Nocturno, deinde de secundo, et postea de tertio Nocturno: quod per totum annum observetur, scilicet quando omnia Responsoria de Hystoria Dominicali per ebdomadam cantantur. In mediis vero Dominicis, quando de Dominica agitur, quodcunque Festum trium Lectionum vel Octavæ sine regimine chori contigerint, semper Memoria et mediæ Lectiones de eo fiant, sive propriæ Lectiones habeantur sive non: nisi Responsoria de secundo Nocturno cantanda fuerint, ut supra diximus. Tamen si illa Hystoria duratura fuerit per octo Dominicas, vel per quatuor Dominicas, et si aliqua Dominica vacaverit: tunc fiant Memoria et mediæ Lectiones, quodcunque Festum trium Lectionum ibidem contigerit: tamen in prima Dominica, in qua inchoetur Hystoria nova, fiat tantum Memoria de Festo trium Lectionum, nisi propriæ Lectiones habeantur.*

QUANDO *vero simplex Festum novem Lectionum propter inchoationem Hystoriæ a Dominica differtur in Secundam Feriam, et in eadem Secunda Feria Festum trium Lectionum evenerit: fiant inde Memoria et mediæ Lectiones si propriæ habeantur, sin autem tantum Memoria.*

CUM *autem Festum simplex novem Lectionum infra hoc prædictum tempus in Sabbato celebretur, et in Sexta Feria proxima præcedente Vesperæ de illo propter aliquod Festum novem Lectionum fieri non poterint: tunc in Sabbato Vesperæ de eo fiant, sive nova Hystoria inchoanda fuerit sive non, et Memoria de Dominica et de Sancta Trinitate, et Processio ut prædictum est. Aliæ tamen Vesperæ erunt de Dominica, et Memoria de Festo.*

HOC *enim generaliter observetur per totum annum, ut quodlibet Festum novem Lectionum, vel trium Lectionum cum regimine chori, et omnis dies Dominica unas ad minus habeat Vesperas: nisi aliquod duplex Festum impedierit, ut in Sexta Die a Nativitate Domini, vel si dies Dominicus in Vigilia Epyphaniæ evenerit, vel si Festum Apostolorum Philippi et Jacobi in Sabbato contigerit: tunc in ipso Sabbato erunt Vesperæ de Apostolis, et in Dominica sequente erunt Vesperæ de Inventione Sanctæ Crucis, et tunc dies Dominica nullas habeat Vesperas. Similiter fiat quando Octavæ Assumptionis beatæ Mariæ in Sabbato contigerint: tunc in ipso Sabbato erunt Vesperæ de Octavis, et in Dominica erunt Vesperæ de sancto Bartholomeo: et sic fiat in consimilibus.*

QUANDO *vero duplex Festum in Sabbato evenerit, et Festum simplex novem Lectionum in Secunda Feria sequenti, et aliud Festum duplex in Tertia proxima sequenti: tunc in Dominica erunt Vesperæ de Festo novem Lectionum, et sic Dominica carebit utrisque Vesperis. Et etiam quando Festum sancti Aldelmi episcopi in crastino Sanctæ Trinitatis vel Corporis Christi forte contigerit: tunc Festum utrisque carebit Vesperis: et sic fiat de ceteris Festis simplicibus novem Lectionum, quæ inter duo Festa duplicia contingunt, quæ omnino careant suis utrisque Vespe-*

ris. Et sic nota quod omnes Dominicæ, et non alia Festa, omnino careant utrisque Vesperis : nisi quando Festum simplex novem Lectionum, vel trium Lectionum cum regimine chori, inter duo Festa duplicia evenerit, ut prædiximus. Nam in omnibus Festis duplicibus per totum annum erunt primæ Vesperæ et secundæ de ipso Festo, nisi aliud Festum duplex impediat : ut in ebdomada Nativitatis Domini, et in consimilibus : et nisi in Festo sancti Andreæ apostoli quando in Sabbato contigerit : et nisi in Festis duplicibus contingentibus in Sabbatis Passionis et Ramispalmarum, et Quarta Feria proxima ante Pascha, quæ tantum habebunt primas Vesperas, ut ibidem supra notatum est : licet Festum loci vel Dedicationis ecclesiæ fuerit. Si vero Festum loci in Festo Sanctæ Trinitatis forte contigerit, Festum loci differatur in crastinum si vacaverit a Festo novem Lectionum, et erunt Vesperæ de Festo loci, et solennis Memoria de Sancta Trinitate : similiter fiat de consimilibus, ut subnotatum est in Dedicatione Ecclesiæ.

ET *notandum est quod in Octavis cum regimine chori, videlicet Epyphaniæ, Ascensionis Domini, et Corporis Christi ubi fuerint Octavæ cum regimine chori, Visitationis, Assumptionis, et Nativitatis beatæ Mariæ; semper erunt secundæ Vesperæ de Octavis, et tantum Memoria de Festo, vel de Dominica in crastino sequente : nisi quando duplex Festum in crastino vel in Octavis contigerit, vel tale Festum novem Lectionum fuerit, quod secundas Vesperas habere non poterit. Eodem modo fiat de Octavis Dedicationis Ecclesiæ, scilicet quando Octavæ fuerint cum regimine chori, ut subnotatum est ibidem. Et quando fit Commemoratio beatæ Mariæ, vel de Festo loci, in crastino alicujus Sancti, novem Lectionum, vel trium Lectionum cum regimine chori, de quo primæ Vesperæ non dicebantur : tunc fiat solennis Memoria tantum de hujusmodi commemoratione. Sed quando Commemoratio beatæ Mariæ, vel de Festo loci, fit in Secunda Feria : tunc enim dicantur Vesperæ de hujusmodi Commemoratione, et Memoria de Dominica : nisi quando primæ Vesperæ non dicebantur de Dominica : tunc enim fiat Memoria de hujusmodi Commemoratione. Si vero Festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, vel Sanctæ Margaretæ, vel Sancti Laurentii, vel Sancti Martini episcopi, vel Sanctæ Katherinæ evenerit in Dominica : dictis consuetis Memoriis, primo Processio fiat ad altare eorundem, deinde ad crucem.*

SCIENDUM EST *quod duæ sunt causæ quæ cogunt Missam Dominicalem ab una Dominica ad aliam Dominicam omnino differri : scilicet prolixitas temporis, et eventus Assumptionis, et Nativitatis beatæ Mariæ, vel Dedicationis ecclesiæ in Dominica.*

Quotienscunque Assumptio vel Nativitas beatæ Mariæ, vel Dedicatio Ecclesiæ in Dominica contigerit, de necessitate oportet ut eo anno propter Octavas quæ sunt cum regimine chori, ut una Missa Dominicalis vel duæ differantur ab una Dominica ad aliam, sive breve fuerit tempus sive prolixum, scilicet continens Dominicas xxiiii, vel xxv, vel plures. Item quotienscunque ab inceptione Hystoriæ Deus omnium *usque ad Adventum Domini continentur Dominicæ xxvi, vel xxvii ; tunc oportet ex necessitate ut una vel duæ Missæ Dominicales ubicunque convenientius differri potuerint differantur, ut patet inferius. Si fuerint Dominicæ xxvi, tunc infra Octavas prædictarum Festivitatum beatæ Mariæ vel Dedicationis Ecclesiæ una differatur. Si vero fuerint Dominicæ*

xxvii, tunc duæ differantur, utraque si fieri potest infra prædictas Octavas. Et si ibidem non possit nisi una Missa differri : tunc ubicunque alibi poterit convenientius differri differatur, sive per Octavas Sancti Johannis Baptistæ, vel apostolorum Petri et Pauli, vel Sancti Laurentii, vel Sancti Martini; quod utique fieri non potest, nisi quando Festa illorum in Dominica contingunt. Tamen quando Nativitas Sancti Johannis Baptistæ in Sexta Feria contigerit, et Festum sanctorum Johannis et Pauli in Dominica evenerit : tunc poterit ibi una Missa Dominicalis differri, quoniam tota sequens ebdomada in Octavis vel in Festis Sanctorum quæ ibidem contingunt poterit expendi : vel si Octavæ Sancti Laurentii in Dominica contigerint, tunc ibidem una Missa Dominicalis differatur, et Missa de Octavis Sancti Laurentii in capitulo dicetur, sicut ibidem subnotatum est.

SIMILITER *extra chorum Sarum, ubi dicitur servitium in ebdomada de Festo loci, potest alia Missa Dominicalis differri infra Octavas Corporis Christi, dicendo* in crastino Octavarum de Festo loci, vel ultima ebdomada dicendo de feriali servitio in Sexta Feria cum Oratione præcedentis Dominicæ, et Missa de Cruce. Cum autem xxvii Dominicæ fuerint, et littera Dominicalis* D, *tunc una Missa Dominicalis infra Octavas Assumptionis, et altera infra Octavas Dedicationis Ecclesiæ Sarum differatur, ut videlicet si Festum Sancti Hieronymi sit in crastino Octavarum Dedicationis translatum quod fuit anno Domini millesimo .ccc. lxxxiii.*

QUOD SI *fuerint xxv Dominicæ vel infra, tunc Missa Dominicalis in capitulo dicitur, et Missa de Octavis Sancti Laurentii, si Dominica fuerit, in illo anno omnino prætermittatur, vel dicatur in capitulo ipso die, et Missa Dominicalis in Vigilia sancti Bartholomei dicatur.*

Si fuerint Dominicæ xxv vel infra, tunc nulla omnino differatur Missa Dominicalis, nisi forte alterutra Festivitas, scilicet Assumptionis vel Nativitatis beatæ Mariæ, vel Dedicationis Ecclesiæ, ut prædiximus, in Dominica evenerit.

CUM *autem xxv Dominicæ fuerint vel infra, et Festa Sancti Johannis Baptistæ,* [*vel*]† *apostolorum Petri et Pauli in Dominica contigerint, totum fiat servitium de Festo, et Missa Dominicalis in aliqua Feria infra Octavas quæ a Festo vacaverit cantetur pro magna Missa illius diei.*

Si vero Commemoratio sancti Pauli, vel Festum sancti Laurentii, vel Festum sancti Martini in Dominica evenerit, totum fiat servitium de Festo, cum Missa Dominicali in capitulo.

CUM VERO *fuerint xxii Dominicæ, et littera Dominicalis* C, *tunc oportet unam Missam Dominicalem differri propter Festum Assumptionis beatæ Mariæ, et duas Missas, quæ propria habent Officia, ultima ebdomada in Quarta vel in Sexta Feria cantari oportet*‡ *et Matutinæ de Festo trium Lectionum, et Missæ de Dominicis*§ *quæ restant cantandæ fiant, sicut fit inter Octavas Epyphaniæ et Septuagesimam, quando una tantum Dominica ibidem evenerit.*

Cum autem fuerint xxiiii Dominicæ vel infra, tunc dicitur Oratio Excita, quæsumus, Domine, *ad Vesperas et ad Matutinas et ad omnes alias Horas illius ultimæ Dominicæ, et Expositio Evangelii** ad Matutinas*

* '*dicenda*' Chevallon.
† *vel* non habet Chevallon.
‡ '*oporteat*' Chevallon.
§ '*dominica*' Chevallon.
** '*expositio. evange.*' Chevallon. '*ant. de evan. super* Benedictus *ad Matu. et super* Magnificat *ad ii. Vesp.*' Portiforia.

ultimæ Dominicæ, et Antiphonæ super Psalmum Benedictus *ad Matutinas, super Psalmum* Magnificat *ad secundas Vesperas dicuntur.*

Si vero *tempus ita prolixum fuerit quod singulis diebus sufficiunt Orationes Dominicales : si Dominica proxima ante Adventum Domini, vel altera Dominica præcedens non vacaverit a Festo novem Lectionum, non dicetur in tertia Dominica præcedente ante Adventum Domini Oratio* Excita, quæsumus, Domine, *nec ad Missam Epistola* Ecce dies veniunt, *nec Evangelium* Cum sublevasset, *quamvis ultima die Dominica fit servitium. Omnes tamen Antiphonæ super Laudes tunc dici debent, et ultimum Responsorium* Summæ Trinitati, *cum Oratione Dominicali suo ordine.*

Hoc *itaque bene servetur quod quotienscunque una vel plures Missæ Dominicales differantur, nichilominus ceteræ Missæ quæ restant cantandæ suo ordine dicantur : ita tamen quod Officium* Dicit Dominus, *cum sua Oratione* Excita, quæsumus, Domine, *et Epistola* Ecce dies veniunt, *et Evangelium* Cum sublevasset, *cum ceteris, ut prædictum est, ultima Dominica ante Adventum Domini cantetur, si vacaverit.*

Si autem *Dominica ante Adventum Domini non vacaverit a Festo novem Lectionum, tunc in Feriis primo loco cantetur : deinde reliquæ Missæ quæ restant cantandæ suo ordine dicantur. Si autem acciderit quod duæ Missæ Dominicales, quæ Officiis carent, pro brevitate temporis nequeant cantari, non est inconveniens si omnino prætermittantur. Cum vero pro temporis prolixitate cantari possunt, tunc Officium* Dicit Dominus *in tribus Missis Dominicalibus cantabitur, proxima tamen Dominica ante Adventum Domini dicatur Antiphona* Cum sublevasset, *et Antiphona* Illi homines, *super Psalmum* Benedictus, *et* Magnificat, *vel ad Memoriam de Dominica cum de aliquo Festo novem Lectionum fit servitium, cum Oratione* Excita, quæsumus, Domine. *Et tunc hæc Oratio dicitur quotidie per ebdomadam in Feriis ad Vesperas et ad Matutinas et ad omnes alias Horas, licet per ipsam ebdomadam duæ vel tres Missæ Dominicales cantentur.*

Sciendum *est autem quod hæc prædicta Hystoria* Deus omnium, *quandocunque incipiatur, semper dicetur usque ad primam Dominicam post quinto kalendas Augusti : prima autem Dominica quæ dicitur Augusti non semper infra Augustum incipit. Nam est aliquando quod Dominica in Julio incipit, et facit in Julio Secundam vel Tertiam Feriam, et tamen dicitur tota ebdomada Augusti, non Julii : quod si mensis Augustus in Quinta vel Sexta Feria incipit, ipsa tunc Dominica non Augusti sed Julii est. Unde in prima Dominica post quinto kalendas Augusti, semper inchoetur Hystoria* In principio. *Nullus enim mensis habet plenam ebdomadam in initio sui sive* Quarta Feria. Et proxima Dominica post quinto kalendas Septembris incipienda est Hystoria* Si bona. *Et proxima Dominica post iii. Idus Septembris incipienda est Hystoria* Peto, Domine. *Et proxima Dominica post xi.*† *Kalendas Octobris inchoetur Hystoria* Adonay. *Et proxima*‡ *Dominica post quinto Kalendas Octobris inchoetur Hystoria* Adaperiat. *Et proxima Dominica post quinto Kalendas Novembris, inchoetur Hystoria* Vidi Dominum. *Et proxima Dominica post v.*§ *Kalendas Decembris inchoetur Hystoria* Aspiciens.

* Legendum forsan cum Portif. A.D. 1557 '*sine.*' † '*xii.*' Chevallon. ‡ '*prima*' Chevallon. § '*sexto*' Chevallon.

Sciendum *est autem quod in initio uniuscujusque Hystoriæ hujus temporis sequentis, semper unum Responsorium de Hystoria quæ incipienda est cantetur ad primas Vesperas, ut in Hystoria subnotatum est : nisi quando Hystoria in mediis Feriis ebdomadæ incipitur, vel differtur in aliam ebdomadam, ut in fine Magnæ Rubricæ ante Hystoriam* Domine, ne in ira *plenius notatur.*

Lectio i. (*Legenda* 5., 1. *Regum ii.* [26.])

Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat : et placebat tam Deo quam hominibus. Venit autem vir Dei ad Hely : et ait ad eum, Hæc dicit Dominus. Nunquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum esset in Egypto, in domo Pharaonis : et elegi eum ex omnibus tribubus Israel michi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret michi incensum, et portaret ephod coram me : et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel? Quare calce abjecisti victimam meam et munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo : et magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei? Propterea ait Dominus Deus Israel*, Loquens locutus sum ut domus tua et domus patris tui ministret in conspectu meo usque in sempiternum.

Lectio ii. [1. *Regum ii.* 30.]

Nunc autem dicit Dominus, Absit hoc a me. Sed quicunque glorificaverit me : glorificabo eum. Qui autem contemnunt me : erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum et brachium domus patris tui : ut non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo in universis prosperis Israel : et non erit senex in domo tua omnibus diebus. Veruntamen non auferam virum penitus ex te ab altari meo : sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua, et pars magna domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem venerit.

Lectio iii. [1. *Regum ii.* 34.]

Hoc autem erit tibi signum : quod venturum est duobus filiis tuis Ophni et Phinees. In die uno morientur ambo. Et suscitabo michi sacerdotem fidelem : qui juxta cor meum et animam meam faciat. Et ædificabo ei domum fidelem : et ambulabit coram christo meo cunctis diebus. Futurum est enim ut quicunque remanserit in domo tua veniat ut oretur pro eo, et offerat nummum argenteum et tortam panis : dicatque, Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam bucellam panis. Tu.

Lectio i. (*Legenda* 6. *sed legatur per ordinem* 1. *Reg. iii.*)

Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Hely, et sermo Domini erat preciosus. In diebus illis : non erat visio manifesta. Factum est ergo in die quadam, Hely jacebat in lectulo suo, et oculi ejus caligaverant : nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur. Samuel autem dormiebat in templo Domini : ubi erat archa Dei. Et vocavit Dominus Samuelem. Qui respondens ait, Ecce ego. Et cucurrit ad Hely, et dixit, Ecce ego. Vocasti enim me. Qui dixit, Non vocavi te. Revertere et dormi. Et abiit et dormivit. Tu autem, Domine [miserere nostri].

Lectio ii. [1. *Regum iii.* 6.]

Et adjecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel abiit ad Hely : et ait, Ecce ego

* Notam interrogativam hic ponit Chevallon.

quia vocasti me. Qui respondit, Non vocavi te, fili mi : reveitere et dormi. Porro Samuel necdum sciebat Dominum : neque revelatus fuerat ei sermo Domini. Et adjecit Dominus : et vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Hely, et ait, Ecce ego : quia vocasti me. Intellexit igitur Hely : quia Dominus vocaret puerum : et ait ad Samuelem, Vade et dormi. Et si deinceps vocaverit te : dices, Loquere, Domine : quia audit servus tuus. Tu.

Lectio iii. [1. *Regum iii.* 9.]

Abiit igitur Samuel : et dormivit in loco suo. Venitque Dominus et stetit : et vocavit sicut vocaverat primo et secundo, Samuel, Samuel. Et ait Samuel, Loquere, Domine : quia audit servus tuus. Et dixit Dominus ad Samuelem, Ecce ego faciam verbum in Israel : quod quicunque audierit tinnient ambæ aures ejus. In die illo suscitabo adversum Hely : omnia quæ locutus sum super domum ejus. Incipiam et complebo. Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos : et non corripuit eos. Idcirco juravi domui Hely, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus : usque in æternum. Dormivit autem Samuel usque mane : aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Hely.

Lectio i. (*Legenda* 7.) [1. *Regum iii.* 16.]

Vocavit ergo Hely Samuelem : et dixit, Samuel, fili mi. Qui respondens ait, Præsto sum. Et interrogavit eum, Quis est sermo quem locutus est Dominus ad te? Oro te ne celaveris me. Hæc faciat tibi Deus, et hæc addat : si absconderis a me sermonem, ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi. Indicavit itaque ei Samuel universos sermones : et non abscondit ab eo. Et ille respondit, Dominus est : quod bonum est in oculis suis faciat. Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo : et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Et cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee : quod fidelis Samuel propheta esset Domini.

Lectio ii. [1. *Regum iii.* 21.]

Et addidit Dominus ut appareret in Sylo : quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Sylo juxta verbum Domini. Et venit sermo Samuelis universo Israeli. (1. *Reg. iv.*) Et factum est in diebus illis : convenerunt Philistiim in pugnam. Egressus est namque Israel obviam Philistiim in prœlium ; et castrametatus est juxta lapidem adjutorii. Porro Philistiim venerunt in Aphec : et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine terga vertit Israel Philisteis : et cæsa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor milia virorum. Et reversus est populus ad castra. Dixeruntque majores natu de Israel, Quare percussit nos hodie Dominus coram Philistiim? Afferamus ad nos de Sylo archam fœderis Domini : et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum.

Lectio iii. [1. *Regum iv.* 4.]

Misit ergo populus in Sylo : et tulerunt inde archam fœderis Domini exercituum sedentis super cherubin. Erantque duo filii Hely cum archa fœderis Domini Ophni et Phinees. Cumque venisset archa fœderis Domini in castra : vociferatus est omnis Israel clamore grandi, et personuit terra. Et audierunt

Philistiim vocem clamoris. Dixeruntque, Quænam est vox clamoris magni in castris Hebreorum? Et cognoverunt quod archa Domini venisset in castra : timueruntque Philistiim dicentes, Venit Deus in castra. Et ingemuerunt dicentes, Væ nobis. Non enim fuit tanta exultatio heri et nudiustertius. Væ nobis. Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dii qui percusserunt Egyptum omni plaga in deserto. Confortamini et estote viri, Philistiim : ne serviatis Hebreis sicut illi servierunt nobis. Confortamini et bellate.

Lectio i. (*Legenda* 8. *Sed legatur per ordinem* 1. *Reg.* 4.) [1. *Regum iv.* 10.]

Pugnaverunt ergo Philistiim, et cæsus est Israel : et fugit unusquisque in tabernaculum suum : et facta est plaga magna nimis. Et ceciderunt de Israel triginta milia peditum : et archa Dei capta est. Duo quoque filii Hely mortui sunt, Ophni et Phinees. Currens autem vir de Benjamin ex acie venit in Sylo in die illo scissa veste et conspersus pulvere caput. Cumque ille venisset, Hely sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor ejus pavens : pro archa Domini. Vir autem ille postquam ingressus est nunciavit urbi : et ululavit omnis civitas.

Lectio ii. [1. *Regum iv.* 14.]

Et audivit Hely sonitum clamoris : dixitque, Quis est hic sonitus tumultus hujus? At ille festinavit et venit et nunciavit Hely. Hely autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi ejus caligaverant : et videre non poterat. Et dixit ad Hely, Ego sum qui veni de prœlio : et ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait, Quid actum est, fili mi? Respondens autem ille qui nunciabat, Fugit (inquit) Israel coram Philistiim : et ruina magna facta est in populo. Insuper et duo filii tui mortui sunt Ophni et Phinees : et archa Dei capta est. Tu autem.

Lectio iii. [1. *Regum iv.* 18.]

Cumque ille nominasset archam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium : et fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat vir et grandævus : et ipse judicavit Israel quadraginta annis. Nurus autem ejus uxor Phinees prægnans erat : vicinaque partui. Et audito nuncio quod capta esset archa Dei, et mortuus esset socer suus et vir suus : incurvavit se et peperit. Irruerant enim in eam dolores subiti. In ipso autem momento mortis ejus : dixerunt ei qui stabant circa eam, Ne timeas, quoniam filium peperisti. Quæ non respondit eis : neque animadvertit. Et vocavit puerum Icaboth : dicens, Translata est gloria Domini de Israel : quia capta est archa Dei. Et pro socero suo et pro viro suo ait, Translata est gloria ab Israel : eo quod capta est archa Dei.

Lectio i. (*Legenda* 9. 1. *Regum v.*)

Philistiim autem tulerunt archam Dei : et asportaverunt eam a lapide adjutorii in Azotum. Tuleruntque Philistiim archam Dei, et intulerunt eam in templo Dagon : et statuerunt eam juxta Dagon. Cumque surrexissent Azoti diluculo altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante archam Domini. Et tulerunt Dagon : et restituerunt eum in loco suo. Rursumque mane die altera consurgentes : invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram archa Domini.

Lectio ii. [1. *Regum v.* 4.]

Caput autem Dagon et duæ palmæ manuum ejus abscisæ erant super limen. Porro Dagon truncus solus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, et omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto : usque in hodiernum diem. Aggravata est autem manus Domini super Azotos : et demolitus est eos : et percussit in secretiori parte natium Azotum et fines ejus. Et ebullierunt* villæ et agri in medio regionis illius : et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magna in civitate. Videntes autem viri Azoti hujuscemodi plagam dixerunt, Non maneat archa Dei Israel apud nos : quoniam dura est manus ejus super nos, et super Dagon deum nostrum.

Lectio iii. [1. *Regum v.* 8.]

Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philistinorum ad se, et dixerunt, Quid faciemus de archa Dei Israel? Responderuntque Gethei, Circunducatur archa Dei Israel. Et circunduxerunt archam Dei Israel. Illis autem circunducentibus eam : fiebat manus Domini super singulas civitates interfectionis magnæ nimis, et percutiebat viros uniuscujusque urbis a parvo usque ad majorem, et computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethei consilium : et fecerunt sibi sedes pelliceas. Miseruntque archam Dei in Accharon. Cumque venisset archa Dei in Accharon : exclamaverunt Accharonitæ dicentes, Adduxerunt ad nos archam Dei Israel : ut interficiat nos et populum nostrum. Tu autem, Domine, miserere [nostri].

Lectio i. (*Legenda* 10., 1. *Regum Capit. v.* [11.])

Miserunt itaque et congregaverunt omnes satrapas Philistinorum. Qui dixerunt : dimittite archam Dei Israel, et revertatur in locum suum : et non interficiat nos cum populo nostro. Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus : et gravissima valde manus Dei. Viri quoque qui mortui non fuerant percutiebantur in secretiori parte natium : et ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cælum. (*Capi.* 6.) Fuit ergo archa Domini in regione Philistinorum : septem mensibus. Et post hæc vocaverunt Philistiim sacerdotes et divinos : dicentes, Quid faciemus de archa Dei? Indicate nobis, quomodo remittemus eam in locum suum.

Lectio ii. [1. *Regum vi.* 6.]

Dixerunt autem eis sacerdotes et divini, Quare aggravatis corda vestra sicut aggravavit Egyptus et Pharao cor suum? Nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, et abierunt? Nunc ergo arripite et facite plaustrum novum unum, et duas vaccas fetas, quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro : et recludite vitulos earum domi. Tolletisque archam Domini, et ponetis in plaustro : et vasa aurea quæ exsolvistis ei pro delicto ponetis in capsellam ad latus ejus, et dimittite eam ut vadat, et aspicietis. Et siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames : ipse fecit nobis malum hoc grande. Sin autem minime : sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.

Lectio iii. [1. *Regum vi.* 10.]

Fecerunt ergo illi hoc modo : et tollentes duas vaccas quæ lactabant vitulos junxerunt ad plaustrum : vitulosque earum recluserunt domi : et posuerunt archam Dei super plaustrum, et capsellam quæ habebat mures aureos, et similitudinem

* 'ebulierunt' *Chevallon.*

anorum. Ibănt autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur pergentes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram. Sed et satrapæ Philistinorum sequebantur usque ad terminos Bethsames. Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle : et elevantes oculos viderunt archam, et gavisi sunt cum vidissent. Et plaustrum venit in agrum Josuæ Bethsamitæ : et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus : et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino. Tu autem.

Lectio i. (*Legenda* 11., 1. *Regum vii.* [3.])

Ait Samuel ad universam domum Israel dicens, Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, baalim et astaroth : et præparate corda vestra Domino, et servite illi soli, et eruet vos de manu Philistiim. Abstulerunt ergo filii Israel baalim et astaroth : et servierunt Domino soli. Dixit autem Samuel, Congregate universum Israel in Masphat : ut orem pro vobis Dominum. Et convenerunt in Masphat, hauseruntque aquam et effuderunt in conspectu Domini : et jejunaverunt in die illa, et dixerunt, Tibi peccavimus, Domine. Tu autem, Domine.

Lectio ii. [1. *Regum vii.* 6.]

Judicavitque Samuel filios Israel in Masphat. Et audierunt Philistiim quod congregati essent filii Israel in Masphat : et ascenderunt satrapæ Philistinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel : timuerunt a facie Philistinorum. Dixeruntque ad Samuelem, Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum ut salvet nos de manu Philistinorum. Tulit autem Samuel agnum lactentem unum : et obtulit illum holocaustum integrum Domino. Et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel : et exaudivit eum Dominus. Factum est autem cum Samuel offerret sacrificium Domino, Philistei inierunt prœlium contra Israel. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philistiim, et exterruit eos : et cæsi sunt a filiis Israel.

Lectio iii. [1. *Regum vii.* 11.]

Egressique viri Israel de Masphat persecuti sunt Philisteos : et percusserunt eos usque ad locum qui erat subter Bethachar. Tulit autem Samuel lapidem unum et posuit eum inter Masphat et inter Sen : et vocavit nomen illius Abennezer, id est lapis adjutorii. Dixitque, Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. Et humiliati sunt Philistiim . nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisteos cunctis diebus Samuelis, et redditæ sunt urbes quas tulerant Philistiim ab Israel Israeli : ab Accharon usque Geth, et terminos suos. Liberavitque Israel de manu Philistinorum. Eratque pax inter Israel et Amorreum. Judicabat quoque Samuel Israel cunctis diebus vitæ suæ. Tu autem, Domine, miserere [nostri].

Lectio i. (*Legenda* 12., 1. *Regum viii.* [1])

Factum est autem cum senuisset Samuel : posuit filios suos judices in Israel. Fuitque nomen filii ejus primogeniti Johel, et nomen secundi Abia : judicum in Bersabee. Et non ambulaverunt filii ejus in viis ejus : sed declinaverunt post avariciam acceperuntque munera, et perverterunt judicium. Congregatique universi majores natu Israel venerunt ad

Samuelem in Ramatha : dixeruntque ei, Ecce tu senuisti : et filii tui non ambulant in viis tuis. Constitue nobis regem ut judicet nos : sicut et universæ habent nationes.

Lectio ii. [1. *Regum viii.* 6.]

Displicuitque sermo in oculis Samuelis : eo quod dixissent, da nobis regem ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum. Dixit autem Dominus ad Samuelem, Audi vocem populi : in omnibus his quæ loquuntur tibi. Non enim te abjecerunt sed me, ne regem super eos, juxta omnia opera sua quæ fecerunt, a die qua eduxi eos de terra Egypti usque ad diem hanc. Sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis : sic faciunt etiam tibi. Nunc ergo audi vocem illorum. Veruntamen contestare eos, et prædic eis jus regis : qui regnaturus est super eos.

Lectio iii. [1. *Regum viii.* 10.]

Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierant a se regem : et ait, Hoc erit jus regis qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et præcursores quadrigarum suarum : et constituet sibi tribunos et centuriones et aratores agrorum suorum : et messores segetum, et fabros armorum, et curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias : et focarias et panificas. Agros quoque vestros et vineas et oliveta optima tollet : et dabit servis suis. Sed et segetes vestras et vinearum redditus addecimabit : ut det eunuchis et famulis suis. Servos etiam vestros et ancillas et juvenes optimos et asinos auferet : et ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit : vosque eritis ei servi. Et clamabitis in die illa a facie regis vestri quem elegistis vobis : et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem.

Lectio i. (*Legenda* 13., 1. *Regum viii.* [19.])

Noluit autem populus audire vocem Samuelis : sed dixerunt, Nequaquam. Rex enim erit super nos : et erimus nos quoque sicut omnes gentes. Et judicabit nos rex noster : et egredietur ante nos : et pugnabit bella nostra pro nobis. Et audivit Samuel verba populi : et locutus est ea in auribus Domini. Dixit autem Dominus ad Samuelem, Audi vocem eorum : et constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel, Vadat unusquisque in domum suam. Tu autem.

Lectio ii. (1. *Regum ix.* 1.)

Et erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abihel, filii Seor, filii Bechor, filii Jareth, filii Aphia, filii viri Gemini, fortis robore, et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus : et non erat vir de filiis Israel melior illo. Ab humero et sursum : eminebat super omnem populum. Perierant autem asinæ Cis patris Saulis. Et dixit Cis ad Saul filium suum, Tolle tecum unum de pueris : et consurgens vade et quære asinas. Tu autem.

Lectio iii. [1. *Regum ix.* 3.]

Qui cum transissent per montem Effraim, et per terram Salisa, et non invenissent : transierunt etiam per terram Salim et non erant. Sed et per terram Gemini : et minime reppererunt. Cum autem venissent in terram Suph, et non invenissent : dixit Saul ad puerum qui erat cum eo, Veni et revertamur : ne forte dimiserit pater meus asinas : et sollicitus sit pro nobis. Qui ait ei, Ecce est vir Dei in civitate hac vir nobilis : et omne quod loquitur absque ambiguitate evenit. Nunc

ergo eamus illic, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus. Tu autem, Domine.

Lectio i. (*Legenda* 14., 1. *Regum ix.* [7.])

Dixit Saul ad puerum suum, Ecce ibimus. Quid feremus ad virum Dei? Panis defecit in cistarchiis nostris, et sportulam non habemus, ut demus homini Dei: nec quicquam aliud. Rursumque puer respondit Sauli et ait, Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti: demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram. Olim in Israel sic loquebatur unusquisque habens consulere Dominum, Venite et eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie: vocabatur olim videns. Tu autem, Domine.

Lectio ii. [1. *Regum ix.* 10.]

Et dixit Saul ad puerum suum, Optimus sermo tuus: veni eamus. Et ierunt in civitatem: in qua erat vir Dei. Cumque ascenderent clivum civitatis: invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam. Et dixerunt eis, Num hic est videns? Quæ respondentes dixerunt illis, Hic est: ecce ante te. Festina nunc. Hodie enim venit in civitatem: quia sacrificium est hodie populo in excelso. Ingredientes urbem statim invenietis eum: antequam ascendat in excelsum ad vescendum. Neque enim comesurus est populus donec ille veniat: quia ipse benedicet hostiæ, et deinceps comedent qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite: quia hodie reperietis eum. Et ascenderunt in civitatem. Tu autem, Domine.

Lectio iii. [1. *Regum ix.* 14.]

Cumque illi ambularent in medio urbis: apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum. Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis, ante unam diem quam veniret Saul: dicens, Hac ipsa hora quæ nunc est, cras mittam ad te virum de terra Benjamin: et unges eum ducem super populum meum Israel. Et salvabit populum meum de manu Philistinorum: quia respexi populum meum Israel. Venit enim clamor eorum ad me. Cumque aspexisset Samuel Saulem: Dominus ait ei, Ecce vir quem dixeram tibi. Iste dominabitur populo meo.

Lectio i. (*Legenda* 15., 1. *Regum Capi. ix.* [18.])

Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ: et ait, Indica michi, oro te: ubi est domus videntis. Et respondit Samuel Sauli: dicens, Ego sum videns. Ascende ante me in excelsum, ut comedas mecum hodie, et dimittam te mane: et omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi. Et de asinis quas perdidisti nudiustertius ne solicitus sis: quia inventæ sunt. Et cujus erunt optima quæque Israel? Nonne tibi et omni domui patris tui?

Lectio ii. [1. *Regum ix.* 21.]

Respondens autem Saul ait, Nunquid non filius Gemini ego sum, de minima tribu Israel, et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? Quare ergo loquutus es michi sermonem istum? Assumens itaque Samuel Saulem et puerum ejus introduxit eos in triclinium: et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati. Erant enim quasi triginta viri. Dixitque Samuel coco, Da partem quam dedi tibi: et præcepi ut reponeres seorsum apud te. Levavit autem cocus armum: et posuit ante Saulem. Tu autem.

Lectio iii. [1. *Regum ix.* 24.]

Dixitque Samuel, Ecce quod remansit, pone ante te, et comede : quia de industria servatum est tibi quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa : et descenderunt de excelso in oppidum, et loquutus est cum Saule in solario. Stravitque Saul in solario : et dormivit. Cumque mane surrexissent, et etiam dies lucesceret : vocavit Samuel Saulem in solario, dicens, Surge et dimittam te. Et surrexit Saul, egressique sunt ambo ipse videlicet et Samuel. Cumque descenderent in extrema parte civitatis : Samuel dixit ad Saulem, Dic puero ut antecedat nos et transeat : tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini. Tu autem, Domine.

Lectio i. (*Legenda* 16., 1. *Regum x.*)

Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus : et deosculatus est eum, et ait, Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem : et liberabis populum ejus de manu inimicorum ejus qui in circuitu ejus sunt. Et hoc tibi signum : quia unxit te Dominus in principem. Cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachelis, in finibus Benjamin meridie salientes magnas foveas* : dicentque tibi, Inventæ sunt asinæ ad quas ieras perquirendas, et intermissis pater tuus asinis sollicitus est pro vobis : et dicit, Quid faciam de filio meo?

Lectio ii. [1. *Regum x.* 3.]

Cumque abieris inde et ultra transieris et veneris ad quercum Thabor : invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hædos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini. Cumque te salutaverint : dabunt tibi duos panes et accipies de manu eorum. Post hæc venies in collem Domini : ubi est statio Philistinorum. Et cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum et tybiam et cytharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis : et mutaberis in virum alium.

Lectio iii. [1. *Regum x.* 7.]

Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi : fac quæcunque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est, et descendes ante me in Galgala. Ego quippe descendam ad te ut offeras oblationem et immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis donec veniam ad te : et ostendam tibi quid facias. Itaque cum avertisset humerum suum ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud : et venerunt omnia hæc signa in die illa. Veneruntque ad prædictum collem : et ecce cuneus prophetarum obvius ei. Et insiluit super eum Spiritus Domini : et prophetavit in medio eorum. Tu autem, Domine.

Lectio i. (*Legenda* 17.) [1. *Regum x.* 14.]

Dixit autem patruus Saulis ad eum : et ad puerum ejus, Quo abistis? Qui responderunt, Quærere asinas. Quas cum non repperissemus : venimus ad Samuelem. Et dixit ei patruus suus, Indica michi quid dixerit tibi Samuel. Et ait Saul ad patruum suum, Indicavit nobis quia inventæ essent asinæ.

* 'salientes magnas foveas' *non habet Vulgata Editio. Sed* LXX. ἀλλομένους μεγάλα.

De sermone autem regni non indicavit ei : quem locutus illi fuerat Samuel.

Lectio ii. [1. *Regum x.* 17.]

Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Masphat : et ait ad filios Israel, Hæc dicit Dominus Deus Israel. Ego eduxi Israel de Egypto, et erui vos de manu Egyptiorum : et de manu omnium regum qui affligebant vos. Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris : et dixistis, Nequaquam : sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino : per tribus vestras et familias. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel : et cecidit sors super tribum Benjamin.

Lectio iii. [1. *Regum x.* 21.]

Et applicuit tribum Benjamin et cognationes ejus : et cecidit super cognationem Methri, et pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum : et non est inventus. Et consuluerunt post hæc Dominum : utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus, Ecce absconditus est domi. Cucurrerunt itaque : et tulerunt eum inde. Stetitque in medio populi : et altior fuit universo populo ab humero et sursum.

Lectio i. (*Legenda* 18, *sed legatur per ordinem* 1. *Reg.* 10.) [*x.* 24.]

Et ait Samuel ad omnem populum, Certe videtis quem elegerit Dominus : quia non sit similis illi in omni populo. Et clamavit cunctus populus, et ait, Vivat rex. Locutus est autem Samuel ad populum legem regni : et scripsit in libro, et reposuit coram Domino. Et dimisit Samuel omnem populum : singulos in domum suam. Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa : et abiit cum eo pars exercitus quorum tetigerat Deus corda. Filii vero Belial dixerunt, Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum : et non attulerunt ei munera. Ille vero dissimulabat se audire. Tu autem.

Lectio ii. (1. *Regum xi.*)

Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites : et pugnare cœpit adversum Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas, Habeto nos fœderatos : et serviemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites : In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros : ponamque vos opprobrium universo Israeli. Tu autem, Domine.

Lectio iii. [1. *Regum xi.* 3.]

Et dixerunt ad eum seniores Jabes, Concede nobis septem dies, ut mittamus nuncios ad universos terminos Israel : et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. Venerunt ergo nuncii in Gabaa Saulis : et locuti sunt verba hæc audiente populo. Et levavit omnis populus vocem suam : et flevit. Et ecce Saul veniebat mane sequens boves de agro : et ait, Quid habet populus quod plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes. Tu autem, Domine.

Lectio i. (*Legenda* 19, 1. *Regum xi.* [6.])

Insiluit Spiritus Domini in Saul : et iratus est furor ejus nimis, et assumens utrumque bovem concidit in frustra. Misitque in omnes terminos Israel : per manus nunciorum, dicens, Quicunque non exierit secutusque fuerit Saulem et Samuelem: sic fiet bobus ejus. Invasit ergo timor Domini populum : et egressi sunt quasi vir unus. Et recensuit

eos in Bezeth. Fueruntque filiorum Israel trecenta milia : virorum autem Juda triginta milia.

Lectio ii. [1. *Regum xi.* 9.]

Et dixerunt nunciis qui venerant, Sic dicetis viris qui sunt in Jabes Galaad. Cras erit vobis salus : cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuncii, et nunciaverunt viris Jabes. Qui lætati sunt : et dixerunt, Mane exibimus ad vos : et facietis nobis omne quod placuerit vobis. Et factum est cum venisset dies crastinus, constituit Saul populum in tres partes : et ingressus est media castra in vigilia matutina : et percussit Ammon a mane dum incalesceret dies. Reliqui autem dispersi sunt : ita ut non relinquerentur in eis duo pariter. Tu autem.

Lectio iii. [1. *Regum xi.* 12.]

Et ait populus ad Samuelem, Quis est iste qui dixit, Saul non regnabit super nos? Date viros : et interficiemus eos. Et ait Saul, Non occidetur quisquam in die hac : quia hodie fecit Dominus salutem in Israel. Dixit autem Samuel ad populum, Venite et eamus in Galgala : et innovemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala : et fecerunt ibi regem Saulem coram Domino in Galgala. Et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino : et lætatus est ibi Saul et cuncti viri Israel nimis. Tu autem.

Lectio i. (*Legenda* 20. *cap.* 12.) [1. *Regum xii.* 1.]

Dixit autem Samuel ad universum Israel, Ecce audivi vocem vestram juxta omnia quæ loquuti estis ad me : et constitui super vos regem, et nunc rex graditur ante vos. Ego autem senui et incanui : porro filii mei vobiscum sunt. Itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque in diem hanc : ecce præsto sum : loquimini de me coram Domino, et coram christo ejus : utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum. Si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie : restituamque vobis. Tu.

Lectio ii. [1. *Regum xii.* 4.]

Et dixerunt Israel, Non es calumniatus nos neque oppressisti neque tulisti de manu alicujus quippiam. Dixitque ad eos, Testis est Dominus adversum vos, et testis christus ejus in die hac : quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt, Testis. Et ait Samuel ad populum, Dominus qui fecit Moysen et Aaron : et eduxit patres nostros de terra Egypti, adest. Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino : de omnibus misericordiis Domini quas fecit vobiscum, et cum patribus vestris, et quomodo ingressus est Jacob in Egyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum, et misit Moysen et Aaron : et eduxit patres vestros de Egypto, et collocavit eos in loco hoc.

Lectio iii. [1. *Regum xii.* 9.]

Qui obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sysarae magistri militiae Asor, et in manu Philistinorum, et in manu regis Moab : et pugnaverunt adversum eos. Postea autem clamaverunt ad Dominum : et dixerunt, Peccavimus quia dereliquimus Dominum : et servivimus baalim et astaroth. Nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum : et serviemus tibi. Et misit Dominus Jerobaal *, et Badam, et Barac, et Jepte, et Samuel : et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter. Tu autem.

* 'ieroboal' *Chevallon.*

Lectio i. (*Legenda* 21, 1. *Regum xii.* [12.])

Dixit autem Samuel ad populum Israel, Videntes quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos : dixistis michi, Nequaquam, sed rex imperabit nobis : cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. Nunc ergo præsto est rex vester : quem elegistis et petistis. Ecce dedit vobis Dominus regem. Si timueritis Dominum et servieritis ei et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini : eritis et vos et rex qui imperat vobis sequentes Dominum Deum vestrum. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermonem Domini : erit manus Domini super vos et super patres vestros.

Lectio ii. [1. *Regum xii.* 16.]

Sed et nunc state et videte rem istam grandem : quam facturus* est Dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum et dabit voces et pluvias, et scietis et videbitis : quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. Et clamavit Samuel ad Dominum : et dedit Dominus voces et pluvias in die illa. Et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem. Dixitque universus populus ad Samuelem, Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum : ut non moriamur. Addidimus enim universis peccatis nostris malum : ut peteremus nobis regem.

Lectio iii. [1. *Regum xii.* 20.]

Dixit autem Samuel ad populum, Nolite timere. Vos fecistis universum malum hoc. Veruntamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro, et nolite declinare post vana quæ non proderunt vobis neque eruent vos, quia vana sunt : et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum, quia juravit Dominus facere vos sibi populum. Absit autem a me hoc peccatum in Domino ut cessem orare pro vobis : et docebo vos viam bonam et rectam. Igitur timete Dominum et servite ei in veritate : et ex toto corde vestro. Vidistis enim magnifica : quæ in vobis gesserit. Quod si perseveraveritis in malitia : et vos et rex vester pariter peribitis.

Lectio i. (*Legenda* 22, 1. *Regum xiii.*)

Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset : duobus autem annis regnavit super Israel. Et elegit sibi Saul tria milia de Israel, et erant cum Saul duo milia in Machmas, et in monte Bethel : mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin. Porro ceterum populum remisit : unumquemque in tabernacula sua. Et percussit Jonathas stationem Philistinorum : quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philistiim : Saul cecinit buccina in omni terra dicens, Audiant Hebrei. Tu autem, Domine, miserere [nostri].

Lectio ii. [1. *Regum xiii.* 4.]

Et universus Israel : audivit hujuscemodi famam. Percussitque Saul stationem Philistinorum : et erexit se Israel adversus Philistiim. Clamavit ergo populus post Saul in Galgala, et Philistiim congregati sunt ad prœliandum contra Israel, triginta milia curruum et sex milia equitum, et reliquum vulgus sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati

* 'factus' *Chevallon.*

sunt in Machmas : et ad orientem Bethaven.

Lectio iii. [1. *Regum xiii.* 6.]

Quod cum vidissent viri Israel se in arto positos, afflictus enim erat populus : absconderunt se in speluncis, et in abditis, et in petris quoque et in antris et in cisternis. Hebrei autem transierunt Jordanem : terram Gad et Galaad. Cumque adhuc esset Saul in Galgala : universus populus perterritus est qui sequebatur eum. Et expectavit septem diebus juxta placitum Samuelem : et non venit Samuel in Galgala. Dilapsusque est populus ab eo. Ait ergo Saul, Afferte michi olocaustum et pacifica. Et obtulit olocaustum.

Lectio i. (*Legenda* 23, 1. *Regum xiii.* [10.])

Cumque complesset Saul offerens olocaustum : ecce Samuel veniebat. Et egressus est Saul obviam ei : ut salutaret eum. Locutusque est ad eum Samuel, Quid fecisti? Respondit Saul, Quia vidi quod dilaberetur populus a me, et tu non venires juxta placitos dies : porro Philistiim congregati fuerant in Machmas, dixi : Nunc descendent Philistiim ad me in Galgala : et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus : obtuli sacrificium.

Lectio ii. [1. *Regum xiii.* 13.]

Dixitque Samuel ad Saulem, Stulte egisti : nec custodisti mandata Domini Dei tui quæ præceperat tibi. Quod si non fecisses : jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum. Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, et præcepit ei Dominus ut esset dux super populum suum : eo quod non servaveris quæ præceperat Dominus.

Lectio iii. [1. *Regum xiii.* 15.]

Surrexit autem Samuel : et ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo qui expugnabant illos : venientes ex Galgala in Gabaa in colle Benjamin. Et recensuit Saul populum qui inventi fuerant cum eo : quasi sexcentos viros. Et Saul et Jonathas filius ejus, populusque qui inventus fuerat cum eis : erat in Gabaa Benjamin.

Lectio i. (*Legenda* 24, 1. *Regum xiii.* [16.])

Porro Philistiim consederant in Machmas. Et egressi sunt ad prœliandum de castris Philistiim tres cunei. Unus cuneus pergebat contra viam Effraim ad terram Saulis. Porro alius ingrediebatur per viam Bethoron. Tertius autem verterat se ad iter termini in terra Sabaa : imminentis valli* Seboym contra desertum.

Lectio ii. [1. *Regum xiii.* 19.]

Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel. Caverant autem Philistiim : ne forte facerent Hebrei gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israel ad Philistiim : ut exacueret unusquisque vomerem suum et ligonem et securim et sarculum. Retusæ itaque erant acies vomerum et ligonum et tridentium et securium : usque ad stimulum corrigendum.

Lectio iii. [1. *Regum xiii.* 22.]

Cunque venisset dies prœlii : non est inventus ensis et lancea in manu totius populi qui erat cum Saul et Jonatha, excepto Saul et Jonatha filio ejus. Egressa est autem statio Philistiim : ut transcenderent in Machmas. Et accidit quadam die ut diceret Jonathas filius Saulis :

* 'vallis' *Chevallon.*

ad adolescentem armigerum suum, Veni et transeamus ad stationem Philistiim: quæ est trans locum illum. Patri autem suo: hoc ipsum non indicavit.

Lectio i. (*Legenda* 25, 1. *Regum xiv.* [8.])

Et ait Jonathas, Ecce nos transimus ad viros istos. Cunque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos: Manete donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, non ascendamus ad eos. Si autem dixerint, Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum. Tu autem.

Lectio ii. [1. *Regum xiv.* 11.]

Apparuit igitur uterque stationi Philistinorum. Dixeruntque Philistiim, En Hebrei egrediuntur de cavernis in quibus absconditi fuerant. Et locuti sunt viri de statione ad Jonathan, et ad armigerum suum. Dixeruntque, Ascendite ad nos: et ostendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad armigerum suum, Ascendamus. Sequere me. Tradidit enim eos Dominus: in manus Israel.

Lectio iii. [1. *Regum xiv.* 13.]

Ascendit autem Jonathas reptans manibus et pedibus: et armiger ejus post eum. Et cum vidissent faciem Jonathæ, alii cadebant ante Jonathan: alios armiger ejus interficiebat sequens eum. Et facta est prima plaga, quam percussit Jonathas et armiger ejus, quasi viginti virorum in media parte jugeri: quam par boum in die arare consuevit. Et factum est miraculum in castris per agros.

Lectio i. (*Legenda* 26.) [1. *Regum xiv.* 15.]

Sed et omnis populus stationis eorum qui ierant ad prædandum obstupuit: et conturbata sunt castra, et accidit quasi miraculum a Deo. Et respexerunt speculatores Saulis qui erant in Gabaa Benjamin: et ecce multitudo prostrata et huc illucque diffugiens. Et ait Saul populo qui erat cum eo, Requirite et videte quis abierit ex nobis. Cunque requisissent, repertum est non adesse Jonathan et armigerum ejus.

Lectio ii. [1. *Regum xiv.* 18.]

Et ait Saul ad Achiam *, Applica archam Domini. Erat enim ibi archa Dei in die illa, cum filiis Israel. Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem: tumultus magnus exortus est in castris Philistinorum, crescebatque paulatim et clarius reboabat. Et ait Saul ad sacerdotem, Contrahe manum tuam. Conclamavit ergo Saul et omnis populus qui erat cum eo: et venerunt usque ad locum certaminis. Et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum: et cædes magna nimis. Tu autem, Domine.

Lectio iii. [1. *Regum xiv.* 21.]

Sed et Hebrei qui fuerant cum Philistiim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris: reversi sunt ut essent cum Israel qui erant cum Saule et Jonatha. Omnes quoque Israelitæ, qui se absconderant in monte Effraim, audientes quod Philistiim fugissent, sociaverunt se cum suis in prœlio: et erant cum Saule quasi decem milia virorum. Et salvavit Dominus in die illa Israel. Pugna autem pervenit usque Bethaven: et vir Israel sociatus est sibi in die illa.

Lectio i. (*Legenda* 27, 1. *Regum xiv.* [24.])

Adjuravit autem Saul populum dicens, Maledictus vir qui come-

* 'achimam' *Chevallon.*

derit panem usque ad vesperam: donec me ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus populus panem. Omneque terræ vulgus venit in saltum: in quo erat mel super faciem agri. Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel: nullusque applicuit manum ad os suum. Timebat enim populus juramentum.

Lectio ii. [1. *Regum xiv.* 27.]

Porro Jonathas non audierat cum adjuraret pater ejus populum: extenditque summitatem virgæ quam habebat in manu, et intinxit in favo mellis, et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus. Respondensque unus de populo ait, Jurejurando constrinxit pater tuus populum dicens, Maledictus vir qui comederit panem hodie. Defecerat autem populus.

Lectio iii. [1. *Regum xiv.* 29.]

Dixitque Jonathas, Turbavit pater meus terram. Vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei eo quod gustaverim paululum de melle isto: quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum quam repperit? Nonne major facta fuisset plaga in Philistiim? Percusserunt in illa die Philisteos: a Machmis usque in Haylon. Defatigatus est autem populus nimis, et versus ad prædam tulit oves et boves et vitulos et mactaverunt in terra: comeditque populus cum sanguine. Nunciaverunt autem Sauli: dicentes quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait, Prævaricati estis. Volvite ad me jam nunc saxum grande. Tu autem, Domine [miserere nostri].

Lectio i. (*Legenda* 28, 1. *Regum xiv.* [34.])

Dixit Saul, Dispergimini in vulgus et dicite eis, ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud: et vescimini, et non peccabitis Domino, comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem: et occiderunt ibi. Ædificavit autem Saul altare Domino. Tuncque primum cœpit ædificare altare Domino.

Lectio ii. [1. *Regum xiv.* 36.]

Et dixit Saul, Irruamus super Philistiim nocte et vastemus eos usque dum illucescat mane: nec relinquamus de eis virum. Dixitque populus, Omne quod bonum videtur in oculis tuis fac. Et ait sacerdos, Accedamus huc ad Deum. Et consuluit Saul Dominum dicens, Num persequar Philistiim? Si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa.

Lectio iii. [1. *Regum xiv.* 38.]

Dixitque Saul, Applicate huc universos angulos populi: et scitote et videte per quem acciderit peccatum hoc hodie. Vivit Dominus Salvator Israel: quia si per Jonathan filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo. Et ait Saul ad universum Israel, Separamini vos in partem unam: et ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera. Responditque populus ad Saul, Quod bonum videtur in oculis tuis fac.

Lectio i. (*Legenda* 29.) [1. *Regum xiv.* 41.]

Dixit Saul ad Dominum, Domine Deus Israel, da judicium quid est quod non responderis servo tuo hodie. Si in me aut in Jonatha filio meo hæc iniquitas est: da ostensionem. Aut si est in populo tuo hæc iniquitas: da sanctitatem. Et deprehensus est Jonathas et Saul: populus autem exivit. Et ait Saul,

Mittite sortem inter me et filium meum Jonathan. Et captus est Jonathas.

Lectio ii. [1. *Regum xiv.* 43.]

Dixit autem Saul ad Jonathan, Indica michi quid feceris. Et indicavit ei Jonathas: et ait, Gustans gustavi in summitate virgæ quæ erat in manu mea paululum mellis: et ecce morior. Et ait Saul, Hæc faciat michi Deus et hæc addat, quia morte morieris, Jonatha. Dixitque populus ad Saul, Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nephas est. Vivit Dominus si ceciderit capillus de capite ejus in terram: quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Jonathan: ut non moreretur. Recessitque Saul: nec persequutus est Philistiim. Porro Philistiim abierunt in loca sua.

Lectio iii. [1. *Regum xiv.* 47.]

Et Saul confirmato regno super Israel pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus: contra Moab, et filios Ammon, et Edom, et reges Saba, et Philisteos, et quocunque se verterat superabat. Congregatoque exercitu percussit Amalech: et eruit Israel de manu vastatorum ejus. Fuerunt autem filii Saul Jonathan et Jesui et Melchisua. Nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merob, et nomen minoris Michol, et nomen uxoris Saul, Achinoen filia Achimas. Et nomen principis militiæ ejus, Abner filius Ner patruelis Saul. Porro Cis fuerat* pater Saul: et Ner pater Abner filius Abiel. Erat autem bellum potens adversum Philisteos: omnibus diebus Saul. Nam quemcunque viderat Saul virum fortem et aptum ad prœlium: sociabat eum sibi. Tu autem.

Lectio i. (*Legenda* 30, 1. *Regum xv.*)

Dixit Samuel ad Saul, Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israel. Nunc ergo audi vocem Domini. Hæc dicit Dominus Deus exercituum, Recensui quæcunque fecit Amalech Israeli: quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Egypto. Nunc igitur vade et percute Amalech: et demolire universa ejus. Non parcas ei, et non concupisces ex ipsis aliquid: sed interfice a viro usque ad mulierem et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum.

Lectio ii. [1. *Regum xv.* 4.]

Præcepit itaque populo Saul: et recensuit eos quasi agnos ducenta milia peditum: et decem milia virorum Juda. Cumque venisset Saul usque civitatem Amalech: tetendit insidias in torrente. Dixitque Saul Cyneo, Abite, recedite: atque discedite ab Amalech: ne forte involvam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel: cum ascenderent de Egypto.

Lectio iii. [1. *Regum xv.* 6.]

Et recessit Cyneus de medio Amalech. Percussitque Saul Amalech ab Eiula† donec veniat Sur, quæ est e regione Egypti: et apprehendit Agag regem Amalech vivum. Omne autem vulgus interfecit in ore gladii. Et pepercit Saul et populus Agag, et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus, et arietibus, et universis quæ pulchra erant: nec voluerunt disperdere ea. Quicquid vero vile fuit et reprobum‡: hoc demoliti sunt.

Lectio i. (*Legenda* 31.) [1. *Regum xv.* 10.]

Factum est autem verbum Domini

* 'fuit' *Ed. Vulg.*

† 'Hevila' *Ed. Vulg.*

‡ 'reprobrum' *Chevallon.*

ad Samuelem dicens, Pœnitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me : et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel : et clamavit ad Dominum tota nocte. Cumque de nocte surrexisset Samuel ut iret ad Saul mane : nunciatum est Samueli eo quod venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem, et reversus transisset, descendissetque in Galgala.

Lectio ii. [1. *Regum xv.* 12.]

Venit ergo Samuel ad Saulem. Et Saul offerebat olocaustum Domino de initiis prædarum quæ attulerant ex Amalech. Et dum venisset Samuel ad Saulem : dixit ei Saul, Benedictus tu a Domino : implevi verbum Domini. Dixitque Samuel, Et quæ est hæc vox gregum quæ resonat in auribus meis, et armentorum quæ ego audio? Et ait Saul, De Amalech adduxerunt ea. Pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis ut immolarent Domino Deo tuo : reliqua vero occidimus.

Lectio iii. [1. *Regum xv.* 16.]

Ait autem Samuel ad Saul, Sine me : et indicabo tibi quæ tibi locutus sit ad me Dominus nocte. Dixitque ei, Loquere. Et ait Samuel, Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Unxitque te Dominus in regem super Israel : et misit te Deus in viam, et ait, Vade et interfice peccatores Amalech : et pugnabis contra eos usque ad internecionem* eorum. Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus es ad prædam, et fecisti malum in conspectu Domini? Et ait Saul ad Samuelem, Immo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus : et adduxi Agag regem Amalech, et Amalech interfeci. Tulit autem populus de præda oves et boves primitias eorum quæ cæsa sunt : ut immolaret Domino Deo suo in Galgalis.

Lectio i. (*Legenda* 32, 1. *Regum xv.* [22.])

Ait Samuel, Nunquid vult Dominus olocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimæ : et ascultare magis quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare : et quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini : abjecit te Dominus ne sis rex. Dixitque rex Saul ad Samuelem, Peccavi quia prævaricatus sum sermonem Domini et verba tua : timens populum et obediens voci eorum. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum : et revertere mecum ut adorem Dominum.

Lectio ii. [1. *Regum xv.* 26.]

Et ait Samuel ad Saul, Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini : et projecit te Dominus ne sis rex super Israel. Et conversus est Samuel ut abiret. Ille autem apprehendit summitatem pallii ejus : quæ et scissa est. Et ait ad eum Samuel, Scidit Dominus regnum Israel a te hodie : et tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur. Neque enim homo est ut agat pœnitentiam. At ille ait, Peccavi. Sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel : et revertere mecum ut adorem Dominum Deum tuum.

Lectio iii. [1. *Regum xv.* 31.]

Reversus ergo Samuel secutus est Saulem, et adoravit Saul Dominum.

* 'internitionem' *Chevallon.*

Dixitque Samuel, Adducite ad me Agag regem Amalech. Et oblatus est ei Agag pinguissimus, tremens. Et dixit Agag, Siccine separat amara mors? Et ait Samuel, Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus: sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis. Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa. Et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suæ. Veruntamen lugebat Samuel Saul: quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israel.

Lectio i. (*Legenda* 33, 1. *Regum xvi.*)

Dixitque Dominus ad Samuelem, Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo et veni ut mittam te ad Isay Bethleemitem. Providi enim in filiis ejus michi regem. Et ait Samuel, Quomodo vadam? Audiet enim Saul: et interficiet me.

Lectio ii. [1. *Regum xvi.* 2.]

Et ait Dominus, Vitulum de armento tolles in manu tua: et dices, Ad immolandum Domino veni. Et vocabis Isay ad victimam. Et ego ostendam tibi quid facias: et unges quemcunque monstravero tibi. Fecit ergo Samuel sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethleem: et admirati sunt seniores civitatis occurrentes ei. Dixeruntque, Pacificusne est ingressus tuus? Et ait, Pacificus. Ad immolandum Domino veni. Sanctificamini et venite mecum: ut immolem.

Lectio iii. [1. *Regum xvi.* 5.]

Sanctificavit ergo Isay et filios ejus: et vocavit eos ad sacrificium. Cumque ingressi essent: vidit Heliab et ait, Num coram Domino est christus ejus? Et dixit Dominus ad Samuelem, Ne respicias vultum ejus neque altitudinem staturæ ejus quoniam abjeci eum: nec juxta intuitum hominis ego judico. Homo enim videt ea quæ patent: Dominus autem intuetur cor.

Lectio i. (*Legenda* 34.) [1. *Regum xvi.* 8.]

Et vocavit Isay Aminadab, et adduxit eum coram Samuele. Qui dixit, Non hunc elegit Dominus. Adduxit autem Samma: de quo ait, Etiam hunc non elegit Dominus. Adduxit itaque Isay septem filios suos coram Samuele. Et ait Samuel ad Ysai, Non elegit Dominus ex istis. Dixitque Samuel ad Ysai, Nunquid jam completi sunt filii? Qui respondit, Adhuc reliquus est parvulus: et pascit oves.

Lectio ii. [1. *Regum xvi.* 11.]

Et ait Samuel ad Ysai, Mitte et adduc eum: nec enim discumbemus priusquam ille huc veniat. Misit ergo et adduxit eum. Erat autem rufus, et pulcher aspectu: decoraque facie. Et ait Dominus, Surge et unge eum: ipse est enim. Tulit igitur Samuel cornu olei: et unxit eum in medio fratrum ejus. Et directus est Spiritus Domini in David: a die illa et deinceps. Surgens Samuel: abiit in Ramatha.

Lectio iii. [1. *Regum xvi.* 14.]

Spiritus autem Domini recessit a Saul: et exagitabat eum spiritus nequam a Domino. Dixeruntque servi Saul ad eum, Ecce spiritus Dei malus exagitat te: jubeat dominus noster, et servi tui qui coram te sunt ut quærant hominem scientem psallere cythara, ut quando arripuerit te spiritus Dei malus psallat manu sua et levius feras. Et ait Saul ad servos suos, Providete michi

aliquem bene psallentem : et adducite eum ad me. Et respondens unus de pueris : ait, Ecce vidi filium Ysai Bethleemitem scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum, et prudentem in verbis : et virum pulchrum, et Dominus cum eo. Tu autem.

Lectio i. (*Legenda* 35.) [1. *Regum xvi.* 19.]

Misit ergo Saul nuncios ad Isay, dicens, Mitte ad me David filium tuum qui est in pascuis. Tulit itaque Isay asinum plenum panibus et lagenam vini et hædum de capris unum : et misit per manum David filii sui Sauli. Et venit David ad Saul : et stetit coram eo. At ille dilexit eum nimis : et factus est ejus armiger. Misitque Saul ad Isay dicens, Stet David in conspectu meo : invenit enim gratiam in oculis meis.

Lectio ii. [1. *Regum xvi.* 23.]

Igitur quandocunque spiritus Dei malus arripiebat Saul : tollebat David cytharam et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul et levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus. Congregantes vero Philistei agmina sua in prœlium, convenerunt in Sochot Judæ : et castrametati sunt inter Sochot et Azecha in finibus Domyn. Porro Saul et filii Israel congregati venerunt in vallem therebynthi : et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philistiim.

Lectio iii. [1. *Regum xvii.* 3.]

Et Philistiim stabant super montem ex parte hac, et Israel stabat super montem ex altera parte : vallisque erat inter eos. Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum et palmi*. Et cassis ærea super caput ejus : et lorica hamata induebatur. Porro pondus loricæ ejus quinque milia siclorum æris erat : et ocreas æreas habebat in cruribus, et clipeus æreus tegebat humeros ejus. Hastile autem hastæ ejus : erat quasi liciatorium texentium. Ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri : et armiger ejus antecedebat eum.

Lectio i. (*Legenda* 36.) [1. *Regum xvii.* 8.]

Stans Goliath clamabat adversus phalangas Israel : et dicebat eis, Quare venistis parati ad prœlium? Nunquid non ego sum Philisteus, et vos servi Saul? Eligite ex vobis virum : et descendat ad singulare certamen. Si quiverit pugnare mecum et percusserit me : erimus vobis servi. Si autem ego prævaluero et percussero eum : vos servi eritis et servietis nobis.

Lectio ii. [1. *Regum xvii.* 10.]

Et aiebat Philisteus, Ego exprobravi agminibus Israelis hodie. Date michi virum : et ineat mecum singulare certamen. Audiens autem Saul et omnes viri Israelitæ sermones Philistei hujuscemodi : stupebant et metuebant nimis. David autem erat filius viri Effratei, de quo supradictum est : de Bethleem Juda cui nomen erat Isay, qui habebat octo filios. Et erat vir in diebus Saul : senex et grandævus inter viros. Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prœlium. Et nomina trium filiorum ejus qui perrexerunt ad bellum : Helyab primogenitus, et secundus Aminadab, et tertius Samma. David autem erat minimus.

Lectio iii. [1. *Regum xvii.* 14.]

Tribus ergo majoribus secutis Saulem abiit David et reversus est a Saul : ut pasceret gregem patris sui

* 'palmo' *Chevallon.*

in Bethleem. Procedebat vero Philisteus mane et vespere : et stans improperabat filiis Israel quadraginta diebus. Dixit autem Isay ad David filium suum, Accipe fratribus tuis ephi polentæ*, et decem panes istos, et curre in castra ad fratres tuos : et decem formellas casei has deferes ad tribunum. Et fratres tuos visitabis si recte agant : et cum quibus ordinati sunt disce. Saul autem et omnes illi filii Israel in valle therebinti pugnabant adversus Philistiim. Tu autem.

Lectio i. (*Legenda* 37.) [1. *Regum xvii.* 20.]

Surrexit itaque mane David, et commendavit gregem custodi : et onustus abiit sicut præceperat ei Isay. Et venit in Magala : et ad exercitum qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine. Direxerat enim aciem Israel : sed et Philistiim ex adverso fuerant præparati. Derelinquens ergo David vasa quæ attulerat sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis : et interrogabat si omnia recte agerentur erga fratres suos.

Lectio ii. [1. *Regum xvii.* 23.]

Cunque adhuc loqueretur eis : apparuit vir ille spurius ascendens Goliath nomine Philisteus de Geth, ex castris Philistinorum. Et loquente eo hæc eadem verba : audivit David. Omnes autem Israelitæ cum vidissent virum fugerunt a facie ejus : timentes eum valde. Et dixit unusquispiam de Israel, Num vidistis virum hunc qui ascendit? Ad exprobrandum enim Israel ascendit. Virum ergo qui percusserit eum ditabit rex divitiis magnis, et filiam suam dabit ei : et domum patris ejus faciet absque tributo in Israel.

Lectio iii. [1. *Regum xvii.* 26.]

Et ait David ad viros qui secum stabant dicens, Quid dabitur viro qui percusserit Philisteum hunc et tulerit opprobrium de Israel? Quis est enim hic Philisteus incircuncisus qui exprobravit aciem Dei viventis? Referebat autem populus eundem sermonem dicens : hæc dabuntur viro qui percusserit eum. Quod cum audisset Helyab frater ejus major : loquente eo cum aliis, iratus est contra David et ait, Quare venisti, et quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? Ego novi superbiam tuam et nequitiam cordis tui : quia ut videres prœlium descendisti. Tu autem.

Lectio i. (*Legenda* 38.) [1. *Regum xvii.* 29.]

Et dixit David, Quid feci? Nunquid non verbum est? Et declinavit paululum ab eo ad alium : dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum : sicut et prius. Audita sunt autem verba quæ locutus est David : et annunciata in conspectu Saul. Ad quem cum fuisset adductus : locutus est ei, Non concidat cor cujusquam in eo. Ego servus tuus vadam : et pugnabo adversus Philisteum.

Lectio ii. [1. *Regum xvii.* 33.]

Et ait Saul ad David, Non vales resistere Philisteo isti, nec pugnare adversus eum : quia puer es. Hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. Dixitque David ad Saul, Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo vel ursus, tollebatque arietem de medio gregis : et persequebar eos et percutiebam eruebamque de ore eorum. Et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum et suffocabam interficiebamque eos. Tu autem.

Lectio iii. [1. *Regum xvii.* 36.]

Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus. Erit igitur et Phi-

* 'polenta' *Chevallon.*

listeus hic incircuncisus: quasi unus ex eis. Nunc vadam et auferam opprobrium populi. Quoniam quis est Philisteus hic incircuncisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis? Et ait David, Dominus qui eripuit me de manu leonis et de manu ursi: ipse liberabit me de manu Philistei hujus. Dixit autem Saul ad David, Vade, et Dominus tecum sit. Et induit Saul David vestimentis suis, et imposuit galeam æream super caput ejus: et vestivit eum lorica.

Lectio i. (*Legenda* 39.) [1. *Regum xvii.* 39.)

Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam: cœpit tentare si armatus posset incedere. Non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul, Non possum sic incedere: quia nec usum habeo. Et deposuit ea, et tulit baculum suum quem semper habebat in manibus: et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastoralem quam habebat secum, et fundam in manu tulit, et processit adversum Philisteum. Tu autem.

Lectio ii. [1. *Regum xvii.* 41.]

Ibat autem Philisteus incedens: et appropinquans adversum David: et armiger ejus ante eum. Cunque inspexisset* Philisteus, et vidisset David: despexit eum. Erat enim adolescens rufus: et pulcher aspectu. Et dixit Philisteus ad David, Nunquid ego canis sum, quia tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisteus David in diis suis. Dixitque ad David, Veni ad me: et dabo carnes tuas volatilibus cæli, et bestiis terræ.

Lectio iii. [1. *Regum xvii.* 45.]

Dixit autem David ad Philisteum, Tu venis ad me cum gladio et hasta et clipeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie: et dabit te Dominus hodie in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te, et dabo cadavera castrorum Philistiim hodie volatilibus cæli et bestiis terræ, ut sciat omnis terra quia est Dominus Deus in Israel: et noverit universa ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus. Ipsius enim est bellum: et tradet vos in manus nostras. Tu autem.

Lectio i. (*Legenda* 40.) [1. *Regum xvii.* 48.]

Cum ergo surrexisset Philisteus et veniret et appropinquaret contra David: festinavit David et occurrit ad pugnam ex adverso Philistei. Et misit manum suam in peram: tulitque unum lapidem et funda jecit. Et circunducens percussit Philisteum in fronte, et infixus est lapis in fronte ejus: et cecidit in faciem suam super terram. Prævaluitque David adversum Philisteum in funda et lapide: percussumque Philisteum interfecit.

Lectio ii. [1. *Regum xvii.* 50.]

Cumque gladium non haberet in manu David: cucurrit et stetit super Philisteum, et tulit gladium ejus: et eduxit de vagina sua, et interfecit eum præciditque caput ejus. Videntes autem Philistiim quod mortuus esset fortissimus eorum: fugerunt. Et consurgentes viri Israel et Juda vociferati sunt: et persecuti sunt Philisteos usque dum venirent in vallem, et usque ad portas Accharon. Cecideruntque vulnerati de Philisteis in via Sarim: et usque ad Geth, et usque ad Accharon. Tu.

* 'imspexisset' *Chevallon.*

Lectio iii. [1. *Regum xvii.* 53.]

Et revertentes filii Israel postquam persecuti fuerant Philisteos: invaserunt castra eorum. Assumens autem David caput Philistei attulit illud in Hierusalem: arma vero ejus posuit in tabernaculo suo. Eo autem tempore quo viderat Saul David egredientem contra Philisteum: ait ad Abner principem militiæ, De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixit Abner, Vivit anima tua, rex, si novi. Et ait rex, Interroga tu: cujus filius sit iste puer. Tu autem, Domine, miserere nostri.

*HISTORIA** In principio.

UBI FIUNT COMMEMORATIONES, *videlicet una de Festo loci, et alia de sancta Maria : hoc modo inchoatur Hystoria* In principio.

Littera Dominicalis A. *Tertio Kalendas Augusti, tota cantetur Hystoria, et tantum Memoria de sanctis martyribus Abdon et Sennen : et sexta Feria et Sabbato fient Commemorationes : secundum usum Sarum. Responsoria ferialia non dicuntur.*

In sequenti ebdomada, Feria Secunda et Sabbato fient Commemorationes :

In tertia ebdomada nullæ fiant Commemorationes.

In quarta ebdomada, Sexta Feria et Sabbato fient Commemorationes.

In quinta ebdomada, Feria Quinta et Sabbato fient Commemorationes.

Littera Dominicalis B. *Pridie Kalendas Augusti, tota cantetur Hystoria, et Memoria tantum de sancto Germano. Quinta Feria et Sabbato fient Commemorationes, et in crastino sancti Bartholomei Responsoria ferialia cantentur.*

In secunda ebdomada, Feria Secunda et Sexta fient Commemorationes. Et in Dominica fiet Missa de Vigilia Assumptionis beatæ Mariæ in capitulo, cum hoc Alleluya, *V.* Post partum.

In tertia ebdomada nullæ fient Commemorationes propter Octavas Assumptionis.

In quarta ebdomada, Feria Sexta et Sabbato fient Commemorationes.

In quinta ebdomada, Feria Sexta et Sabbato fient Commemorationes, et ad primas Vesperas sancti Augustini, et in Dominica Memoriæ de sancto Hermete, de Dominica, et de Trinitate fiant privatim : et nulla processio ante crucem : et ad secundas Vesperas fiant de sancto Johanne et de sancta Sabina Memoriæ, et prius de Dominica privatim.

Littera Dominicalis C. *Kalendis Augusti inchoetur Hystoria cum Memoria tantum. Feria Quarta et Sabbato fiant Commemorationes.*

In sequenti Dominica tota cantetur Hystoria, et tantum Memoria de sancto Cyryaco sociisque ejus. Responsoria ferialia non dicantur. In Quarta et Quinta Feria fient Commemorationes.

In tertia ebdomada nullæ fiant Commemorationes propter Octavas Assumptionis beatæ Mariæ : et ibidem differatur una Dominica.

In quarta ebdomada, Feria Quarta et Quinta fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis D. *Quarto Nonas Augusti tota cantetur Hystoria, et Memoria tantum de sancto Stephano. Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes. Responsoria ferialia non dicantur.*

In secunda ebdomada, Tertia Feria et Quarta fient Commemorationes, et

* Historia *Chevallonius in hoc loco, sed alibi* Hystoria.

in ipsa Dominica Missa de Vigilia sancti Laurentii in capitulo dicitur.

In tertia ebdomada nullæ fient Commemorationes propter Octavas Assumptionis beatæ Mariæ.

In quarta ebdomada, Feria Tertia et Quarta fient Commemorationes, et in ipsa Dominica nichil de Vigilia sancti Bartholomei præter Memoriam, et in Sabbato ultimæ Vesperæ erunt de Octavis, et solennis Memoria de Dominica, et de Trinitate, post Memoriam de Martyre, et Processio ante crucem fiat. In Dominica Vesperæ erunt de sancto Bartholomeo, et solennis Memoria de Dominica post Memoriam de sancto Audoeno.

Littera Dominicalis E. *Tertio Nonas Augusti tota cantetur Hystoria, et Festum sancti Stephani in crastinum differatur. Feria Quinta et Sexta fient Commemorationes, et tantum Memoria de Sanctis. Et in crastino sancti Bartholomei Responsoria ferialia dicantur.*

In secunda ebdomada, Feria Secunda et Tertia fient Commemorationes.

In tertia ebdomada nullæ fient Commemorationes propter Octavas Assumptionis, et in Dominica infra Octavas fiat Missa de sancto Laurentio in capitulo. Et in Vigilia sancti Bartholomei dicitur Missa Dominicalis in capitulo, nisi aliqua Dominica differatur.

In quarta ebdomada, Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes ad primas Vesperas sancti Bartholomei, et in die fient Memoriæ de sancto Audoeno, de Dominica, et de Trinitate privatim, et nulla fiet processio ante crucem.

Littera Dominicalis F. *Pridie Nonas Augusti tota cantetur Hystoria : Feria Quarta et Quinta fient Commemorationes: Responsoria ferialia non dicantur.*

In secunda ebdomada, Feria Secunda fiet Commemoratio beatæ Mariæ.

In tertia ebdomada nullæ fient Commemorationes propter Octavas Assumptionis beatæ Mariæ.

In quarta ebdomada, Feria Secunda et Sabbato fient Commemorationes, et in Sabbato ad secundas Vesperas sancti Bartholomei fiat Memoria de Dominica et de Trinitate privatim : et nulla fiat processio ante crucem.

Littera Dominicalis G. *Quarto Kalendas Augusti inchoetur Hystoria, et fiant mediæ Lectiones de sancto Felice sociisque ejus. Feria Tertia et Sabbato fient Commemorationes. Et secundo Idus Augusti fiant mediæ Lectiones de sancto Laurentio : et septimo Kalendas Septembris tota cantetur Hystoria. Responsoria ferialia non dicuntur.*

In secunda ebdomada, Feria Tertia et Sabbato fient Commemorationes.

In tertia ebdomada nullæ fient Commemorationes propter Octavas Assumptionis.

In quarta ebdomada, in Sabbato fiet Commemoratio beatæ Mariæ : et nulla Commemoratio de Festo loci in illa ebdomada.

In quinta ebdomada, Feria Secunda et Sexta fiant Commemorationes, et tantum Memoria de Sanctis.

[DOMINICA I. POST KALENDAS AUGUSTI.]

A. Littera Dominicalis *A.* Tertio Kalendas Augusti tota dicitur hystoria *In principio* et memoria tantum de Martyribus [Abdon et Sennen]. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii., vi., et Sabbato de commemorationibus, et memoria de Sanctis [Germano; et Oswaldo]. Et R. ferialia prætermittantur.

Dominica II. de Transfiguratione Domini, minus duplex. Memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio; et nulla processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate. Secundæ vesperæ erunt de Nomine Jesu et memoria de Dominica sub silentio: et postea solennis memoria de Transfiguratione Domini; et nichil de Sanctis [Sixto Felicissimo et Agapito].

Feria ii. de Solennitate Nominis Jesu, majus duplex, et Octavæ cum regimine chori, et nichil de S. Donato. Ad ii. vesperas nichil de Martyribus [Cyriaco &c.].

Feria iii. et iv. de servitio Octavarum, et memoria de Sanctis [Ciriaco &c. et Romano]. Missa de Octavis dicitur post tertiam, et missa de Vigilia post sextam, utraque ad principale altare.

Dominica III. de S. Ypolyto, ix lectiones. Ad i. vesperas memoria de Octavis Nominis Jesu de Octavis S. Laurentii, de Dominica, de Trinitate; et processio. In introitu chori dicitur Ant. de S. Maria, nisi aliqua dominica debeat differri; tunc nulla fiat memoria de Dominica, nec de Trinitate; neque processio. Mediæ lectiones de Nomine Jesu. Nonum R. a duobus cantetur. Missa dominicalis dicitur in capitulo, et memoria de Trinitate tantum. Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de S. Ypolyto, de S. Eusebio, de Octavis S. Laurentii, et de Dominica.

Feria ii. de Octava ix lectiones. Invitatorium triplex; omnia sicut in i. die, præter lectiones: et mediæ lectiones de S. Eusebio, et tantum memoria de Octavis S. Laurentii. Missa de Octava Nominis Jesu, post* tertiam dicitur, missa de Vigilia [Assumptionis] post sextam dicitur: utraque ad principale altare.

Feria iii. de Assumptione. Ad i. vesperas solennis memoria de Octava Nominis Jesu tantum. Missa de Octava S. Laurentii dicitur in capitulo in v. Feria.

Dominica IV. de servitio Octavæ. Ad i. vesperas memoria de Dominica, de Trinitate; et processio. In redeundo Ant. *Salvator.* Ad matutinas memoria de Dominica et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo, et in summa missa nulla memoria.

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

*** Et nota quod lectiones et sequentiæ de Commemoratione B. Mariæ dicuntur eodem ordine sicut ante Octavas Assumptionis: eodem modo fiat post Octavas Nativitatis.

Dominica V. de servitio dominicali; memoria et mediæ lectiones de S. Ruffo. Secundæ vesperæ erunt de S. Augustino, et memoria de Dominica sub silentio: deinde memoria de S. Hermete solenniter.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de S. Egidio: et mediæ lectiones de S. Prisco: cum V. et R. de ii. nocturno unius Martyris.

B. LITTERA DOMINICALIS *B.* pridie Kalendas Augusti tota cantetur hystoria *In principio;* et memoria tantum de S. Germano. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

* 'et post' *Chevallon.*

Feria iii., v., et vi. de commemorationibus.

Sabbato de Transfiguratione: minus duplex.

Dominica II. de solennitate Nominis Jesu: majus duplex. Ad i. vesperas memoria de Dominica, et de Trinitate, sub silentio, nisi aliqua dominica debeat differri; tunc nulla memoria de Dominica neque de Trinitate; et postea fiat solennis memoria de Transfiguratione. Missa dominicalis dicitur in capitulo infra Octavas.

Feria ii. et iii. de servitio Octavarum, et memoria de Sanctis [Cyriaco &c. et Romano]. Missa de Vigilia S. Laurentii dicitur post sextam ad principale altare.

Sabbato de S. Ypolito; ix lectiones propter Octavas: mediæ lectiones de Nomine Jesu.

Dominica III. de Octava, ix lectiones. Invitatorium triplex. Ad i. vesperas, quæ erunt de Octava, fiat memoria de S. Ypolito, de S. Eusebio, et de S. Laurentio, de Dominica, de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de S. Eusebio.

Missa dominicalis dicitur in capitulo per ebdomadam.

Missa de Vigilia Assumptionis dicitur in capitulo cum memoria de S. Eusebio, de S. Laurentio; et ad altam missam fiat memoria de Dominica et de Trinitate.

Ad i. vesperas de Assumptione fiat memoria de Dominica sub silentio, et postea de Octava Nominis Jesu solenniter.

Dominica IV. de servitio Octavarum. Ad i. vesperas fiat memoria de Dominica, de Trinitate; et processio. In redeundo Ant. *Salvator.* Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus: et responsoria finalia prætermittantur.

*** Nota quod lectiones et sequentiæ de Commemoratione B. Mariæ dicantur eodem ordine sicut ante Octavas.

Dominica v. de S. Augustino. Ad i. vesperas fiat memoria sub silentio de Sancto [Hermete], de Dominica, de Trinitate; sed nulla processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo. Secundæ vesperæ erunt de S. Augustino et memoria sub silentio de Dominica. Deinde solennis memoria de S. Johanne, et de S. Sabina.

Feria v. de S. Egidio, et mediæ lectiones de S. Prisco cum V. et R. de ii. nocturno unius Martyris.

Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.

C. LITTERA DOMINICALIS *C.*, primo die Augusti totum servitium de S. Petro. Ad i. vesperas memoria de Martyribus [Machabæis], et inchoatur hystoria *In principio* cum memoria, et memoria de Trinitate; et processio: et hystoria cantatur per ebdomada, scilicet in ii., iv., et v. Feriis, et tunc nichil fiet de Sanctis ibidem contingentibus [sc. Stephano; et Oswaldo], nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

In ii. Feria dicitur missa dominicalis.

Feria iv. Epistola et Evangelium ejusdem feriæ.

Feria v. missa *Salus Populi.*

*** Nota quod Festum S. Petri non debet differri propter hystoriam inchoandam: ut patet expresse in Magna Rubrica.

Feria vi. de Transfiguratione Domini, minus duplex, et nichil de Martyribus [Sixto, Felicissimo et Agapito].

Sabbato de solennitate Nominis Jesu. Ad i. vesperas, quæ erunt de Nomine Jesu, fiat solennis memoria de Transfiguratione tantum.

Dominica II. de servitio Octavarum Nominis Jesu. Ad i. vesperas fiat memoria de Dominica, de Trinitate, sub silentio; et nulla processio. Ad matutinas tantum memoria de Martyribus [Cyriaco &c.], de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria ii. de servitio Octavarum, et memoria de Sancto [Romano]. Missa de Vigilia [Laurentii] dicitur post sextam, et memoria de S. Romano tantum.

Feria vi. de S. Ypolito, ix lectionum; et mediæ lectiones de Nomine Jesu: tres primæ lectiones de Communi Plurimorum Martyrum: tres ultimæ lectiones de Proprietate Sanctorum; et memoria de Octavis Nominis Jesu et de Octavis S. Laurentii. Secundæ vesperæ erunt de Octavis, et memoria de Sanctis et de Octavis S. Laurentii. Ad matutinas mediæ lectiones de S. Eusebio. Missa de Vigilia Assumptionis post sextam dicitur ad summum altare; memoria de Sancto [Ypolito] et de Octavis S. Laurentii.

Dominica III. Festum Assumptionis. Ad i. vesperas memoria de Dominica, et de Trinitate, sub silentio, nisi aliqua dominica debeat differri: et postea solennis memoria de Octava Nominis Jesu. Missa dominicalis dicitur in capitulo infra ebdomadam.

Dominica IV. totum servitium de Octava. Ad i. vesperas memoria de Martyribus [Timotheo et Symphoriano], de Dominica, et de Trinitate; et processio. In redeundo Ant. *Salvator.* V. *Exultent justi;* cum missa dominicali in capitulo.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

*** Nota quod lectiones de commemoratione B. Mariæ et sequentiæ dicuntur eodem ordine sicut ante Octavas.

D. Littera Dominicalis *D.* Secundo die Augusti cantetur hystoria. Ad i. vesperas, quæ erunt de Dominica, memoria de S. Petro, de S. Stephano, de Trinitate; et processio; et memoria et mediæ lectiones de S. Stephano: et tota cantetur hystoria in Vigilia S. Bartholomei, quia illi Sancti non habeant proprias lectiones. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iii. et iv. de commemorationibus.

Feria v. de Transfiguratione Domini, minus duplex; et nichil de Sanctis [Sixto, Felicissimo et Agapito]. Secundæ vesperæ erunt de Nomine Jesu, et solennis memoria de Transfiguratione.

Feria vi. de Nomine Jesu.

Dominica II. de servitio Octavarum. Ad i. vesperas memoria de Sancto [Cyriaco et Sociis], de Dominica, et de Trinitate; et processio. Ad matutinas totum servitium de Octavis, et tantum memoria de S. Romano, de Dominica, et de Trinitate. Missa de Vigilia [S. Laurentii] dicitur in capitulo.

Missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

Feria v. de S. Ypolito, ix lectiones; et mediæ lectiones de Nomine Jesu, et tantum memoria de Octavis S. Laurentii.

Feria vi. de Octava Nominis Jesu, ix lectionum. Invitatorium triplex. Ad i. vesperas memoria de S. Ypolito, de S. Eusebio, et de S. Laurentio.

Ad matutinas mediæ lectiones de S. Eusebio. Missa de Octava post tertiam dicitur, et nulla memoria. Missa de Vigilia post sextam cantetur et duæ memoriæ, utraque ad summum altare. Ad vesperas, quæ erunt de Assumptione, solennis memoria de Octava Nominis Jesu tantum.

Dominica III. de servitio Octavarum. Ad i. vesperas memoria de Dominica, et de Trinitate, sub silentio, nisi aliqua dominica debeat differri: tunc nulla fiat memoria neque processio. Ad matutinas memoria de Octavis S. Laurentii, de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria ii. de servitio Octavarum. Ant. super psalmum Benedictus *Virgo prudentissima*, et missa de Octava S. Laurentii dicitur in capitulo; et nulla memoria ad altam missam. Eodem die Ant. super Magnificat *Qualis est dilectus.*

Dominica IV. tota cantetur hystoria. Ad i. vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de Martyribus [Timotheo et Apollinari], de Dominica, et de Trinitate; et processio. In redeundo Ant. *Salvator.* V. *Exultent justi.* Ad matutinas tantum memoria de Martyre et de Trinitate. Secundæ vesperæ erunt de Apostolo [Bartholomeo], et solennis memoria de S. Audoeno ac de Dominica, secundum Ordinale Sarum*.

Feria iii., iv., et v. de commemorationibus.

E. Littera Dominicalis *E.* Tertio die Augusti tota cantetur hystoria *In principio*, et Festum S. Stephani differatur in crastinum. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii. de S. Stephano, ix lectiones.

Feria iii. de commemoratione B. Mariæ, et memoria de Sancto [Oswaldo].

Feria iv. de Transfiguratione Domini, minus duplex, et nihil de Sanctis [Sixto, Felicissimo et Agapito]. Secundæ vesperæ erunt de Festo Nominis Jesu, et solennis memoria de Transfiguratione.

Feria v. de Nomine Jesu, majus duplex, et nichil de Sanctis.

Feria vi., et Sabbato de servitio Octavarum. In Sabbato missa de Vigilia [S. Laurentii] dicitur post sextam ad summum altare, et memoria de Sancto [Romano].

Dominica II. de S. Laurentio. Ad i. vesperas memoria de Nomine Jesu, de Dominica, et de Trinitate; et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo. Secundæ vesperæ erunt de S. Laurentio, et memoria de Nomine Jesu, de Martyre [Tiburtio], et de Dominica.

Feria iv. de S. Ypolito, ix lectionum. Tres primæ lectiones de Communi, tres mediæ lectiones de Octavis Nominis Jesu, tres ultimæ lectiones de Proprietate Sanctorum; et memoria de utrisque Octavis [Laurentii scilicet et Nominis Jesu]. Secundæ vesperæ erunt de Octava [Nominis Jesu], cum memoria de S. Ypolito et Eusebio, et de S. Laurentio.

Feria v. de Octava Nominis Jesu. Invitatorium triplex, et mediæ lectiones de S. Eusebio, et memoria; et altera memoria de S. Laurentio. Missa de Octava post tertiam dicitur, et nulla memoria. Missa de Vigilia

* 'de Apostolo; et memoria de Dominica sub silentio, et postea solennis memoria de sancto Audoeno.' *Portif.* 'Ad ves. fiat memo. de sancto audoeno & de dominica solenniter. quia ista dominica caret utrisque vesperis.' *Directorium* 1495.

[Assumptionis B. Mariæ] post sextam dicitur, et duæ memoriæ; utraque ad summum altare.

Feria vi. de Assumptione. Ad i. vesperas solennis memoria de Octava Nominis Jesu.

Dominica III. de servitio Octavarum [Assumptionis]. Ad i. vesperas memoria de S. Laurentio, de Dominica, de Trinitate; et processio fiat, nisi aliqua dominica debeat differri; tunc nulla memoria neque processio. In redeundo Ant. *Salvator.* Missa de Octava S. Laurentii dicitur in capitulo. Ad summam missam memoria de Dominica, et de Trinitate tantum; et missa dominicalis in capitulo dicitur in Vigilia S. Bartholemei.

Dominica IV. de S. Bartholemeo. Ad i. vesperas memoria de Sancto [Audoeno], de Dominica, et de Trinitate sub silentio: nulla processio fiat; et missa dominicalis dicitur in capitulo in Dominica cum memoria de Sancto [Audoeno] et de Trinitate. Ad ii. vesperas memoria de Dominica sub silentio: deinde solennis memoria de commemoratione.

Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.

F. LITTERA DOMINICALIS *F.* Quarto die Augusti tota cantetur hystoria *In principio.* Ad i. vesperas memoria de S. Stephano, de Trinitate; et processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur, et responsoria ferialia prætermittuntur.

Feria ii. de commemoratione B. Mariæ.

Feria iii. de Transfiguratione Domini, minus duplex.

Feria iv. de Nomine Jesu. Ad i. vesperas, quæ erunt de Nomine Jesu, solennis memoria de Transfiguratione.

Feria v. et vi. de Octavis, et memoria de Sanctis [Cyriaco &c. et Romano]. Missa de Vigilia S. Laurentii dicitur post sextam ad summum altare, et memoria de Sancto [Romano].

Dominica II. de servitio Octavarum Nominis Jesu. [Mediæ lectiones de S. Tiburtio. Memoria de S. Tiburtio, de S. Laurentio, de Dominica, et de Trinitate]. Ad primas vesperas memoria de S. Tiburtio, de S. Laurentio, de Dominica, et de Trinitate*. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate.

Feria iii.† de S. Ypolito, ix lectionum; mediæ lectiones de Octavis Nominis Jesu, et memoria de S. Laurentio.

Feria iv. de Octava Nominis Jesu. Invitatorium triplex. Ad i. vesperas memoria de S. Ypolito, de S. Eusebio, de S. Laurentio. Missa de Octava post tertiam dicitur, et nulla memoria. Missa de Vigilia [Assumptionis B. Mariæ] post sextam dicitur et duæ memoriæ, et utraque missa ad summum altare.

Feria v. de Assumptione. Ad i. vesperas solennis memoria de Octava Nominis Jesu.

Dominica III. de servitio Octavarum. Ad i. vesperas memoria de Sancto [Agapito], de Dominica, de Trinitate; et processio. In redeundo Ant. *Salvator.* Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de

* 'ad 1. vesperas que erunt de s. laurentio. memo. de octa. de marty. [Tiburtio] de do. de trini. & process. de do. & de tri' *Chevallon.*

† 'Fe. 2. de s. ypolito' *Chevallon.*

Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Sancto [Agapito] et de Omnibus Sanctis.

Dominica IV. de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de Apostolo*, [Bartholomeo] memoria de Dominica, de Trinitate sub silentio, et nulla processio. Secundæ vesperæ erunt de Dominica, et memoria de commemoratione.

Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.

G. LITTERA DOMINICALIS *G*. Quarto Kalendas Augusti inchoetur hystoria; memoria et mediæ lectiones de Martyribus [Felice, Simplicio &c.]. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica II. de Dominica; memoria et mediæ lectiones de Sancto [Oswaldo]. Ad ii. vesperas memoria de Dominica sub silentio et nichil de Sanctis.

Feria ii. de Transfiguratione, minus duplex. Ad ii. vesperas, quæ erunt de Nomine Jesu, solennis memoria de Transfiguratione.

Feria iii. de Nomine Jesu: majus duplex.

Feria iv. et v. de servitio Octavarum, et memoria de Sanctis [Cyriaco &c., et Romano]. Missa de Vigilia S. Laurentii post sextam dicitur ad principale altare, et missa Octavarum [Nominis Jesu] post tertiam.

Dominica III. de servitio Octavarum Nominis Jesu, ix lectiones; et tantum memoria de Octavis S. Laurentii, de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo. Secundæ vesperæ erunt de S. Ypolito, et memoria de Octavis Nominis Jesu, et Octavis S. Laurentii, et de Dominica.

Feria ii. de S. Ypolito, ix lectionum; et mediæ lectiones de Octavis Nominis Jesu, et tantum memoria de Octavis S. Laurentii ad utrasque vesperas, ad matutinas et ad missam.

Feria iii. de Octava Nominis Jesu. Invitatorium triplex. Ad i. vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de S. Ypolito, de S. Eusebio, de Octavis S. Laurentii. Ad matutinas mediæ lectiones de S. Eusebio. Missa de Vigilia B. Mariæ post sextam dicitur ad principale altare, et duæ memoriæ.

Feria iv. de Assumptione. Ad [i.] vesperas solennis memoria de Octava Nominis Jesu, et nihil de S. Laurentio.

Dominica IV. de servitio Octavarum. Ad i. vesperas memoria de Sancto, [Agapito] de Dominica, de Trinitate; et processio. In redeundo Ant. *Salvator.* Ad matutinas memoria de Sancto† [Magno], de Dominica et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Sabbato de S. Maria.

Dominica V. tota cantetur hystoria, et responsoria ferialia prætermittuntur.

Feria ii., v., et vi. de commemorationibus.

In Sabbato fiant mediæ lectiones de S. Prisco, cum V. et R. de ii. nocturno unius Martyris.

* 'apostolis' *Chevallon.*

† 'de sancto' *non habet Portiforium, neque Directorium.*

[HYSTORIA SAPIENTIÆ.]

Dominica prima post quinto Kalendas Augusti.

Ad primas Vesperas.

Ant. Benedictus.

Ps. Ipsum (*cxliii.* p. 215).

Capitulum. Benedictus Deus.

R. Gyrum cæli. *infra ii.*

Hymnus. O lux beata Trinitas.

V. Vespertina oratio ascendat ad te, Domine.

R. Et descendat super nos misericordia tua.

Ant. Omnis sapientia a Domino Deo est : et cum illo fuit semper : et est ante ævum.

Ps. Magnificat.

Orationes Dominicales dicantur per ordinem, ut subnotatum est post Hystoriam Vidi Dominum.

Hæ sequentes Antiphonæ serviunt Hystoriæ In principio, *quamdiu cantabitur, super Psalmum* Magnificat, *in Sabbatis vel ad Memoriam de Dominica, cum de aliquo Festo novem Lectionum fit servitium.*

Ant. Sapientia ædificavit sibi domum : excidit columnas septem, subdidit sibi gentes : superborumque et sublimium colla propria virtute calcavit.

Ant. Sapientia clamitat in plateis : si quis diligit sapientiam ad me declinet et eam inveniet : et eam dum invenerit : beatus est si tenuerit illam.

Ant. Dominus possedit me initio viarum suarum antequam quicquam faceret a principio. nondum erant abyssi, et ego parturiebar : quando præparabat cælos aderam cum eo componens omnia.

Ant. Ego in altissimis inhabito et thronus meus in columna nubis.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Laudemus Jesum Christum.

Ps. Venite. *Ut supra in Hystoria* Deus omnium.

In primo Nocturno.

Ant. Pro fidei meritis.

Ps. Beatus vir [*i.* p. 5].

V. Memor fui nocte.

Hac die incipiatur Liber Ecclesiasticus : et legatur usque ad primam Dominicam post quinto Kalendas Septembris, quando de Temporali agitur.

Lectio i. (*Legenda* 1. *Ecclesiastici i.* [1.]).

Omnis sapientia a Domino Deo est : et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies seculi quis dinumeravit? Altitudinem cæli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit? Prior omnium creata est sapientia : et intellectus prudentiæ ab ævo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis : et ingressus illius mandata æterna. Tu autem.

R. 1. In principio Deus antequam terram faceret, priusquam abyssos constitueret, priusquam produceret fontes aquarum, Antequam montes collocarentur : ante omnes colles generavit me Dominus.

V. Quando præparabat cælos aderam cum eo : cuncta componens.

Antequam.

Lectio ii. [*Ecclesiastici i.* 6.]

Radix sapientiæ cui revelata est,

et astutias illius quis agnovit? Disciplina sapientiæ cui revelata est et manifestata, et multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Unus est altissimus Creator omnipotens rex potens et metuendus nimis : sedens super thronum illius et dominans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto : et vidit et dinumeravit et mensus est. Et effudit illam super omnia opera sua : et super omnem carnem. Secundum datum suum præbet illam diligentibus se.

R. 2. Gyrum cæli circuivi sola : et in fluctibus maris ambulavi. In omni gente et in omni populo primatum tenui. Superborum et sublimium colla propria virtute calcavi.

V. Ego in altissimis habito : et thronus meus in columna nubis.

Superborum.

Lectio iii. [*Ecclesiastici i.* 11.]

Timor Domini gloria et gloriatio : et læticia et corona exultationis. Timor Domini delectabit cor : et dabit læticiam et gaudium in longitudinem dierum. Timenti Deum bene erit in extremis : et in die defunctionis suæ benedicetur. Dilectio Dei honorabilis sapientia : quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, et in agnitione magnalium suorum.

R. 3. Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuæ, Ut mecum sit et mecum laboret : ut sciam quid acceptum sit coram te, Omni tempore.

V. Da michi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam,

Ut mecum. Gloria. Omni.

In secundo Nocturno.

Ant. Naturæ.
Ps. Conserva (*xv.* p. 17).
V. Media nocte surrexi.

Lectio iiii. (*Legenda* 2.) [*Ecclesiastici i.* 16.]

Initium sapientiæ timor Domini : et cum fidelibus in vulva concreatus est, et cum electis feminis graditur : et cum justis et fidelibus agnoscitur. Timor Domini : scientiæ religiositas. Religiositas custodiet et justificabit cor : jocunditatem atque gaudium dabit. Timenti Deum bene erit : et in diebus consummationis illius benedicetur. Plenitudo sapientiæ timere Deum : et plenitudo a fructibus illius. Omnem domum illius implebit a generationibus : et receptacula a thesauris illius. Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem et salutis fructum : et vidit et dinumeravit eam. Utraque autem sunt dona Dei. Scientiam et intellectum prudentiæ sapientia compartietur : et gloriam tenentium se exaltat.

R. 4. Da michi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis. Quoniam servus tuus sum ego : et filius ancillæ tuæ.

V. Domine Pater et Deus vitæ meæ : ne derelinquas me in cogitatu maligno.

Quoniam.

Lectio v. [*Ecclesiastici i.* 25.]

Radix sapientiæ est timere Dominum, rami enim illius longævi. In thesauris sapientiæ intellectus et scientiæ religiositas : execratio autem peccatoribus sapientia. Timor Domini : expellit peccatum. Nam qui sine timore est : non poterit justificari. Iracundia enim animositatis illius : subversio illius est. Usque in tempus sustinebit patiens : et postea redditio jocunditatis. Bonus sensus usque in tempus abscondet verba illius : et labia multorum enarrabunt sensum illius. In thesauris sapientiæ significatio dis-

ciplinæ : execratio autem peccatori cultura Dei. Tu autem.

R. 5. Domine Pater et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno : extollentiam oculorum meorum ne dederis michi, et desiderium malignum averte a me : Domine, aufer a me concupiscentiam. Et animo irreverenti et infrunito ne tradas me, Domine.

V. Ne derelinquas me, Domine, ne accrescant ignorantiæ meæ : et multiplicentur delicta mea.

Et animo irreverenti.

Lectio vi. (*Ecclesiastici i.* 33.)

Fili, concupiscens sapientiam conserva justiciam : et Deus præbebit illam tibi. Sapientia enim et disciplina timor Domini : et quod beneplacitum est illi fides et mansuetudo, et adimplebit thesauros illius. Ne fueris incredibilis timori Domini : et ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum : et non scandalizeris in labiis tuis. Attende in illis ne forte cadas, et adducas animæ tuæ inhonorationem : et revelet Deus absconsa tua, et in medio synagogæ elidat te, quoniam accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia. Tu autem, Domine [miserere nostri].

R. 6. Super salutem et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam et proposui pro luce habere illam. Venerunt michi omnia bona pariter cum illa.

V. Dixi sapientiæ, soror mea es : et prudentiam vocavi amicam meam.

Venerunt. Gloria. Venerunt.

In tertio Nocturno.

Ant. Sponsus.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

V. Exaltare, Domine, in virtute tua.

R. 7. Initium sapientiæ timor Domini : intellectus bonus omnibus facientibus eum. Laudatio ejus manet in seculum seculi.

V. Dilectio ejus custodia legum est : quia omnis sapientia timor Domini.

Laudatio.

R. 8. Verbum iniquum et dolosum longe fac a me, Domine, divitias et paupertates ne dederis michi. Sed tantum victui meo tribue necessaria.

V. Ne forte satiatus evomam illud : et perjurem nomen Dei mei.

Sed tantum.

Ferialia.

R. Ne derelinquas me, Domine Pater et Dominator vitæ meæ : ut non corruam in conspectu adversariorum meorum. Ne gaudeat de me inimicus meus.

V. Apprehende arma et scutum et exurge in adjutorium michi.

Ne gaudeat.

R. Magna enim sunt judicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua. Multiplicasti populum tuum et honorasti.

V. Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron.

Multiplicasti. Gloria. Multiplicasti.

Lectio i. Legenda 3. (*Ecclesiastici ii.* [1.])

Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore : et præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum et sustine, inclina aurem tuam et accipe verba intellectus : et ne festines in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei : conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, et in dolore sustine : et in humilitate tua patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum

et argentum : homines vero acceptabiles in camino humiliationis. Crede Deo et recuperabit te : et dirige* viam tuam, et spera in illum. Serva timorem illius : et in illo veterasce.

Lectio ii. [*Ecclesiastici ii.* 7.]

Metuentes Dominum sustinete ejus misericordiam : et non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum credite illi : et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum sperate in illum : et in oblectationem † veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum diligite illum : et illuminabuntur corda vestra. Respicite, filii, nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est : permansit in mandatis ejus et derelictus est. Aut quis invocavit illum, et despexit eum? Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in tempore tribulationis peccata : et protector est omnibus exquirentibus se in veritate. Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus : et peccatori terram ingredienti duabus viis.

Lectio iii. [*Ecclesiastici ii.* 15.]

Væ dissolutis corde qui non credunt Deo : et ideo non protegentur ab eo. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas : et diverterunt in vias pravas. Et quid facient cum inspicere cœperit Deus? Qui timent Deum non erunt incredibiles verbo illius : et qui diligunt illum conservabunt viam illius. Qui timent Dominum inquirent quæ beneplacita sunt illi : et qui diligunt eum replebuntur lege ipsius. Qui timent Dominum præparabunt corda sua : et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum custodiunt mandata illius : et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes, Si pœnitentiam non egerimus : incidemus in manus Dei et non in manus hominum. Secundum enim magnitudinem illius : sic et misericordia illius cum ipso est. Tu autem.

Lectio i. (*Legenda* 4. *Ecclesiastici iii.; Sed legatur per ordinem.*)

Filii sapientiæ ecclesia ‡ justorum : et natio illorum obedientia et dilectio. Judicium patris audite filii dilecti : et sic facite ut salvi sitis. Deus enim honoravit patrem in filiis : et judicium matris exquirens firmavit in filios. Qui diligit Deum exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis : et in oratione dierum exaudietur. Et sicut qui thesaurizat : ita et qui honorificat matrem suam.

Lectio ii. [*Ecclesiastici iii.* 6.]

Qui honorat patrem jocundabitur in filiis : et in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum vita vivet longiore : et qui obedit patri refrigerabit matrem. Qui timet Dominum honorat parentes : et quasi dominis serviet his qui se genuerunt, in opere et sermone et omni patientia. Honora patrem tuum ut superveniat tibi benedictio a Deo : et benedictio illius in novissimo manet. Benedictio patris firmat domos filiorum : maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne glorieris in contumelia patris tui : non est enim tibi gloria sed confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui : et dedecus filii pater sine honore.

* 'dilige' *Chevallon.* † 'oblectatione' *Chevallon.*
‡ 'ecclesie' *Chevallon.*

Lectio iii. [*Ecclesiastici iii.* 14.]

Fili, suscipe senectam patris tui : et non contristes eum in vita illius. Et si defecerit sensu veniam da : et ne spernas eum in tua virtute. Elemosyna enim patris non erit in oblivione : nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, et in justicia ædificabitur tibi : et in die tribulationis commemorabitur tui : et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. Quam malæ famæ est qui relinquit patrem : et est maledictus a Deo qui exasperat matrem.

Lectio i. (*Legenda* 5.) [*Ecclesiastici iii.* 19.]

Fili, in mansuetudine opera tua perfice : et super hominum gloriam diligeris. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam : quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris : sed quæ tibi præcepit Deus illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium : ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis.

Lectio ii. [*Ecclesiastici iii.* 24.]

In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter : et in pluribus operibus ejus non eris curiosus. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos enim supplantavit suspitio illorum : et in vanitate detinuit sensus illorum. Cor durum male habebit in novissimo : et qui amat periculum in illo peribit. Cor ingrediens duas vias non habebit successus : et pravicordius in illis scandalizabitur. Cor nequam gravabitur in doloribus : et peccator adjiciet ad peccandum.

Lectio iii. [*Ecclesiastici iii.* 30.]

Sinagogæ superborum non est sanitas : frutex enim peccati eradicabitur in illis et non intelligetur. Cor sapiens intelligetur in sapientia : et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis : et in operibus justiciæ successus habebit. Ignem ardentem extinguit aqua : et elemosyna resistit peccatis, et Deus prospector est ejus qui reddet gratiam, meminit in posterum, et in tempore casus sui inveniet firmamentum.

Lectio i. (*Legenda* 6. *Ecclesiastici iv.* [1.])

Fili, elemosynam pauperis ne defraudes : et oculos tuos ne transvertas a paupere. Animam esurientem ne despexeris : et ne exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris : et non protrahas datum angustianti. Rogationem contribulati ne abjicias : et non avertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram : et non relinquas quærentibus tibi retro maledicere.

Lectio ii. [*Ecclesiastici iv.* 6.]

Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius : exaudiet autem eum qui fecit illum. Congregationi pauperum affabilem te facito, et presbytero humilia animam tuam : et magnato humilia caput tuum. Declina pauperi sine tristicia aurem tuam, et redde debitum tuum : et responde illi pacifice in mansuetudine. Libera eum qui injuriam patitur de manu superbi : et non acide feras in anima tua.

Lectio iii. [*Ecclesiastici iv.* 10.]

Esto misericors pupillis in judicando ut pater, et pro viro matri illorum : et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam mater. Sapientia filiis suis vitam inspirat, et suscipit quæ-

rentes se : et præibit in via justiciæ. Et qui eam diligit, diligit vitam : et qui vigilaverint ad illam complectentur placorem ejus. Qui tenuerint illam vitam hereditabunt : et quo introibit benedicet Deus. Qui serviunt ei obsequentes erunt Sancto : et eos qui diligunt illam diligit Deus. Qui audit illam judicat gentes : et qui intuetur illam permanebit confidens.

Lectio i. (*Legenda* 7. *Ecclesiastici xiii.* [1.])

Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea : et qui communicaverit superbo induet superbiam. Pondus super se tollit : qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? Quando enim se colliserint : olla confringetur. Dives injuste aget et fremet* : pauper autem læsus tacebit. Si largitus ei fueris assumet te : et si non habueris derelinquet te.

Lectio ii. [*Ecclesiastici xiii.* 6.]

Si habes, convivet tecum et evacuabit te : et ipse non dolebit super te. Si necessarius illi fueris supplantabit te : et subridens spem dabit, narrans tibi bona et dicet, Quid opus est tibi? Et confundet te in cibis suis donec exinaniat te bis et ter, et in novissimo deridebit te. Postea videns derelinquet te : et caput suum movebit ad te.

Lectio iii. [*Ecclesiastici xiii.* 9.]

Humiliare Deo : et expecta manus ejus. Attende ne seductus in stultitia humilieris. Noli esse humilis in sapientia tua : ne humiliatus in stulticiam seducaris. Advocatus a potentiore discede : ex hoc enim magis te advocabit. Ne improbus sis, et impinguaris : et ne longe sis ab eo, ne eas in oblivionem. Ne retineas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis verbis illius. Ex multa enim loquela tentabit te : et subridens interrogabit te de absconditis tuis.

Lectio i. (*Legenda* 8.) [*Ecclesiastici xiii.* 15.]

Immitis animus illius conservabit verba tua : et non parcet de malitia et de vinculis. Cave tibi et attende diligenter auditui tuo : quoniam cum subversione tua ambulas. Audiens vero illa quasi in somnis vide : et vigilabis. Omni vita tua dilige Deum : et invoca illum in salute tua. Omne animal diligit simile sibi : sic et omnis homo proximum sibi.

Lectio ii. [*Ecclesiastici xiii.* 20.]

Omnis caro ad similem sibi conjungetur : et omnis homo simili sui sociabitur. Sicut communicabit lupus cum agno aliquando : sic peccator justo. Quæ communicatio sancto homini ad canem? Aut quæ pars bona diviti ad pauperem? Venatio leonis onager in heremo : sic pascua sunt divitum pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas : sic et execratio divitis pauper. Tu.

Lectio iii. [*Ecclesiastici xiii.* 25.]

Dives commotus confirmatur ab amicis suis, humilis autem cum ceciderit expelletur et a notis. Diviti decepto multi recuperatores : locutus est superbe, et justificaverunt illum. Humilis deceptus est insuper et arguitur : locutus est sensate, et non est datus ei locus. Dives locutus est et omnes tacuerunt : et verbum illius usque ad nubes perducent. Pauper locutus est, et dicunt, quis est hic? et si offenderit subvertunt illum. Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia : et nequissima paupertas in ore impii. Cor hominis immutat faciem illius : sive in bona sive in mala. Vestigium

* 'fremebit' : *Chevallon.*

cordis boni et faciem bonam difficile invenies et cum labore.

Lectio i. (*Legenda* 9. *Ecclesiastici xiv.* [1.])

Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo : et non est stimulatus in tristicia delicti Felix qui non habuit animi sui tristiciam : et non excidit a spe sua. Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia : et homini livido ad quid aurum? Qui acervat ex animo suo injuste, aliis congregat : et in bonis illius alius luxuriabitur. Tu autem.

Lectio ii. [*Ecclesiastici xiv.* 5.]

Qui sibi nequam est : cui alii bonus erit? Et non jocundabitur in bonis suis. Qui sibi invidet nichil est illo nequius : et hæc redditio est maliciæ illius Et si benefecerit, ignoranter et non volens facit : et in novissimo manifestat maliciam suam. Nequam est oculus lividi, et avertens faciem : et despiciens animam suam. Insatiabilis oculus cupidi in partem iniquitatis : non satiabitur donec consumet justiciam, arefaciens animam suam. Oculus malus ad mala, et non satiabitur pane, indigens et in tristicia erit super mensam suam.

Lectio iii. [*Ecclesiastici xiv.* 11.]

Fili, si habes benefac tecum : et dignas Deo oblationes offer. Memor esto quoniam mors non tardat : et testamentum inferorum quia demonstratum est tibi. Testamentum enim hujus mundi morte morietur. Ante mortem benefac amico tuo : et secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis a die bona : et particula boni doni non te prætereat. Nonne aliis relinques dolores et labores tuos? In divisione sortis da et accipe : et justifica animam tuam. Ante obitum tuum operare justiciam : quoniam non est apud inferos invenire cibum. Tu autem, Domine [miserere nostri].

Lectio i. (*Legenda* 10. *Ecclesiastici xiv.* [18.])

Omnis caro sicut fenum veterascet : et sicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur, et alia dejiciuntur : sic generatio carnis et sanguinis alia finitur et alia nascitur. Omne opus corruptibile in fine deficiet : et qui illud operatur ibit cum ipso. Et omne opus electum justificabitur : et qui operatur illud honorabitur in illo.

Lectio ii. [*Ecclesiastici xiv.* 22.]

Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justicia meditabitur : et in sensu cogitabit circunspectionem Dei. Qui excogitat vias illius in corde suo et in absconsis illius intelligens : vadens post illam quasi investigator et in viis illius consistens. Qui respicit per fenestras ejus, et in januis ejus audiens : qui requiescit juxta domum illius, et in parietibus illius figens palum. Statuet casulam suam ad manus illius : et requiescent in casula illius bona per ævum. Statuet filios suos sub tegmine illius : et sub ramis illius morabitur. Protegetur sub tegmine illius a fervore : et in gloria ejus requiescet.

Lectio iii. [*Ecclesiastici xv.* 1.]

Qui timet Deum faciet bona : et qui continens est justitiæ apprehendet illam; et obviabit illi quasi mater honorificata : et quasi mulier a virginitate suscipiet illum. Cibabit illum pane vitæ et intellectus : et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo et non flectetur, et continebit illum et non confundetur : et exaltabit illum apud proximos suos. Et in medio ecclesiæ aperiet os illius, et implebit illum spiritu sapientiæ et intellectus :

et stola gloriæ vestiet illum. Jocunditatem et exultationem thesaurizabit super illum : et nomine æterno hereditabit illum.

Lectio i. (*Legenda* 11.) [*Ecclesiastici xv.* 7.]

Homines stulti non apprehendent illam : et homines sensati obviabunt illi. Homines stulti non videbunt illam : longe enim abest a superbia et dolo. Viri mendaces non erunt illius memores : et viri veraces invenientur in illa : et successum habebunt usque ad inspectionem Dei. Non est speciosa laus in ore peccatoris : quia non est a Domino missus, quoniam a Deo perfecta est sapientia. Sapientiæ enim Dei astabit laus, et in ore fideli abundabit : et dominator Deus dabit eam illi. Ne dixeris per Deum abest : quæ enim odit ne feceris. Non dicas : ille me implanavit* : non enim necessarii sunt illi homines impii. Omne execramentum erroris odit Deus : et non erit amabile timentibus illum. Tu autem, Domine [miserere nostri].

Lectio ii. [*Ecclesiastici xv.* 14.]

Deus ab initio constituit hominem : et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit ei mandata : et præcepta sua. Si volueris mandata conservare, conservabunt te : et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei dabitur illi. Quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia : videns omnes sine intermissione. Oculi Domini ad timentes eum : et ipse agnoscit omnem operam hominis. Nemini mandavit impie agere : et nemini dedit spacium peccandi. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium.

Lectio iii. (*xvi.*)

Ne jocunderis in filiis impiis si multiplicentur : nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei cum illis. Non credas vitæ illorum, et ne respexeris in labores illorum. Melior est enim timens Deum unus, quam mille filii impii. Et utile est mori sine filiis : quam relinquere filios impios. Ab uno sensato inhabitabitur patria : et a tribus impiis deseretur. Multa alia vidit oculus meus : et fortiora horum audivit auris mea. Tu autem, Domine, miserere [nostri].

HISTORIA Si bona.

Littera Dominicalis A. *Tertio Nonas Septembris, tota cantetur Hystoria : Feria Quarta et Quinta fient Commemorationes : Responsorium feriale non dicitur.*

In secunda ebdomada nullæ fiant Commemorationes propter Octavas Nativitatis beatæ Mariæ, quæ sunt cum regimine chori.

Littera Dominicalis B. *Secundo Nonas Septembris, tota cantetur Hystoria, et Memoria tantum de sancto Cuthberto si fuerit cum tribus Lectionibus; tamen si fuerit cum novem Lectionibus, differatur in crastinum : et tunc ibidem fient tres mediæ Lectiones de sancto Bertino, cum Versiculis et Responsoriis de secundo Nocturno Hystoriæ unius Confessoris et Abbatis, cum Memoria ad Matutinas cum hac Antiphona* Iste est qui ante : *et in Tertia Feria et in Quarta fient Commemorationes : Responsorium feriale non dicitur.*

In secunda† *ebdomada, Sabbato fiat Commemoratio beatæ Mariæ, et*

* 'implanabit' *Chevallon.*
† '*secundo*' Chevallon.

Memoria de sancto Lamberto : et nichil de Festo loci in hac ebdomada.

Littera Dominicalis C. *Quarto Kalendas Septembris, inchoetur Hystoria cum Memoria sub silentio tantum, et de Trinitate; nulla vero fiat processio ante crucem : et solennis Memoria de sancto Johanne, et de sancta Sabina : et Missa de sancta Sabina in capitulo dicitur. Et Feria Quinta et Sexta fiant Commemorationes : et Missa Dominicalis dicitur in Festo sanctæ Cuthbergæ virginis non martyris pro magna Missa diei, et Memoria tantum de ea ad Missam. Tamen si Translatio sancti Cuthberti episcopi et confessoris in Quadragesima celebrata fuerit : tunc fiet Commemoratio Feria Quinta et Sabbato, et Missa Dominicalis in Sexta Feria cum Versibus et Responsoriis de primo Nocturno Hystoriæ Dominicalis :*

Et sequenti Dominica tota cantetur Hystoria, et Memoria tantum de sancto Bertino : et Feria Secunda et Tertia fiant Commemorationes : Responsorium feriale non dicatur.

Littera Dominicalis D. *Tertio Kalendas Septembris, inchoetur Hystoria cum Memoria propter secundas Vesperas de sancto Johanne, et fiant mediæ Lectiones de sancto Felice et Adaucto : et Feria Quinta et Sabbato fient Commemorationes : Et in sequente Dominica tota cantetur Hystoria : et Feria Secunda proxima sequente fiat Commemoratio beatæ Mariæ. Responsorium feriale non dicitur.*

Littera Dominicalis E. *Secundo Kalendas Septembris, tota cantetur Hystoria, et Memoria tantum de sancta Cuthburga : et in Tertia Feria et Sabbato fiant Commemorationes, et in Quarta Feria Responsorium feriale dicitur.*

In secunda ebdomada nullæ fient Commemorationes propter Octavas Nativitatis beatæ Mariæ.

Littera Dominicalis F. *Kalendis Septembris, tota cantetur Hystoria, et Memoria fiat de sancto Prisco martyre, et Festum sancti Egidii differatur in crastinum cum Expositione Evangelii* Nemo accendit lucernam : *et Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes : et viii. Idus Septembris dicitur Responsorium feriale.*

Littera Dominicalis G. *Quarto Nonas Septembris, in Dominica tota cantetur Hystoria : et Feria Secunda et Quinta fient Commemorationes : Responsorium feriale in Sexta Feria dicitur.*

In secunda ebdomada nullæ fient Commemorationes propter Octavas Nativitatis beatæ Mariæ.

[HYSTORIA JOB.]

A. 6. *Si bona.* Littera Dominicalis *A.* Tertio die Septembris tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. de S. Cuthberto, ix lectiones fiant, sicut in alio festo, nisi factæ fuerint in Quadragesima : tunc hic iii lectiones de Communi.

Feria iii., iv., et v. de commemorationibus : et R. ferialia prætermittantur.

Dominica II. de servitio Octavarum [Nativitatis B. Mariæ]. Ad i. vesperas memoria de Dominica, de Trinitate; et processio. In redeundo Ant. *Salvator.* Missa dominicalis dicitur in capitulo. Ad matutinas 3. R.

Regali, 6. R. *Nativitas*, 9. R. *Ad nutum*. Ad ii. vesperas memoria de Martyribus [Protho et Jacincto]: deinde de Dominica.

Sabbato de S. Editha, ix lectionum: mediæ lectiones de Martyribus [Eufemia &c.] cum V. et R. de iii. nocturno.

B. 6. Littera Dominicalis *B*. Secundo Nonas Septembris tota cantetur hystoria *Si bona*, et memoria tantum de S. Cuthberto Episcopo. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur tamen quando Festum S. Cuthberti in Quadragesima celebratum non fuerit: tunc differatur in ii. Feriam, et fiant mediæ lectiones de S. Bertino cum V. et R. ii. nocturni unius Confessoris et Abbatis.

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus tamen quando Festum S. Cuthberti differatur: tunc in hac ebdomade nihil fiat de tertia commemoratione.

Dominica ii. de servitio Octavarum. Ad i. vesperas memoria de Martyribus [Proto et Jacincto], de Dominica, de Trinitate; et processio. In redeundo Ant. *Salvator*, V. *Exultent justi*. Ad matutinas 3. R. *Nativitas*, 6. R. *Gloriose*, 9. R. *Ad nutum*. Missa dominicalis dicitur in capitulo, cum memoria de Trinitate. Ad altam missam memoria de Martyribus [Proto et Jacincto], et de Omnibus Sanctis tantum.

Feria iv. de Cruce: mediæ lectiones de Martyribus [Cornelio et Cypriano], cum V. et R. de ii. nocturno Plurimorum Martyrum. Ad matutinas de S. Maria extra chorum R. de iii. nocturno, 3. R. *Gloriose*, Ant. super psalmum Benedictus secundum ordinem. Ad vesperas solennis memoria de Octava [Nativitatis B. Mariæ] et de Martyre [Nichomede].

Feria vi. de S. Editha, ix lectionum: mediæ lectiones de Martyribus [Eufemia &c.] cum V. [et] R. de iii. nocturno. Secundæ vesperæ erunt de Festo; et memoria de S. Maria, Ant. *Sub tuam;* et memoria de Martyribus [Eufemia &c.].

*** Nota quod lectiones et sequentiæ dicuntur eodem ordine sicut ante Octavas.

C. 6. *Si bona*. Littera Dominicalis *C*. Quarto Kalendas Septembris inchoetur hystoria ad i. vesperas, quæ erunt de S. Augustino cum memoria de Dominica, de Trinitate, sub silentio; et postea memoria de S. Johanne, de S. Sabina, solenniter. Ad matutinas, quæ erunt de S. Johanne, memoria de S. Sabina, de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo in iii. Feria.

Feria iv. de S. Egidio, et mediæ lectiones de S. Prisco, cum V. et R. de ii. nocturno unius Martyris.

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus. Tamen quando Festum S. Cuthberti cum ix lectionibus celebratur, tunc in iii. Feria, v., et vi. de commemorationibus.

Dominica ii. tota cantetur hystoria, et tantum memoria de S. Bertino.

Feria ii. et iii. de commemorationibus, et nichil de Vigilia [Nativitatis B. Mariæ] nisi jejunium tantum. Ad vesperas Oratio *Supplicationem*.

D. 6. *Si bona*. Littera Dominicalis *D*. Tertio Kalendas Septembris inchoetur hystoria. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Johanne, memoria de Martyre [Sabina], de Dominica, et de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ

lectiones de Martyribus [Felice et Adaucto]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iii. de S. Egidio: mediæ lectiones de Sancto [Prisco] cum V. et R. de ii. nocturno unius Martyris.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de S. Cuthberto, ix lectiones, nisi factæ fuerint in Quadragesima: tunc fiant hic iii lectiones de communi unius Confessoris et Pontificis.

Dominica II. tota cantetur hystoria. Vesperæ erunt de S. Maria et memoria de Dominica.

Feria ii. de S. Maria; et nichil de Vigilia [Nativitatis B. Mariæ], nisi jejunium tantum. Oratio ad vesperas *Supplicationem.*

E. 6. *Si bona.* Littera Dominicalis *E.* Ultimo die Augusti tota cantetur hystoria, et memoria tantum de Festo [S. Cuthburgæ]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii. de S. Egidio, et mediæ lectiones de S. Prisco cum V. et R. de ii. nocturno unius Martyris.

Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus. Quando Festum S. Cuthberti celebratur cum iii lectionibus, tunc in Festo S. Bertini dicuntur V. et R. de i. nocturno unius Confessoris et Abbatis.

Dominica II. de Dominica. Ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Maria, memoria de Dominica sub silentio.

F. 6. *Si bona.* Littera Dominicalis *F.* Primo die Septembris tota cantetur hystoria. Ad i. vesperas, quæ erunt de Dominica, memoria de S. Prisco, de Trinitate; et processio. Ad matutinas tantum memoria de S. Prisco, et de Trinitate. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Festum S. Egidii differatur in crastinum.

Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. de S. Cuthberto; ix lectiones de alio Festo, nisi fuerint factæ in Quadragesima; tunc fiant iii lectiones de Communi.

Feria v. de S. Bertino cum V. et R. de i. nocturno unius Confessoris et Abbatis.

Dominica II. de Nativitate B. Mariæ: memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio, nisi aliqua dominica debeat differri; tunc nulla memoria de Dominica nec de Trinitate fiat. Missa dominicalis dicitur in capitulo in iv. Feria, nisi aliqua dominica debeat differri.

Sabbato de Cruce: mediæ lectiones de Martyribus [Cornelio et Cypriano]; V. et R. de ii. nocturno.

G. 6. *Si bona.* Littera Dominicalis *G.* Secundo die Septembris tota cantetur hystoria. Ad i. vesperas memoria de Sancto [Egidio], de Trinitate; et processio. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., v., et vi. de commemorationibus.

Feria iii. de S. Cuthberto; ix lectiones, nisi factæ fuerint in Quadragesima: tunc fiant iii lectiones de Communi.

Feria iv. de Sancto [Bertino]; cum V. et R. de i. nocturno unius Confessoris et Abbatis.

Sabbato de S. Maria. Ad ii. vesperas memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio; [et] nichil ad has vesperas [ut supra] de Sancto [Gorgonio].

Dominica II. de servitio Octavarum. Ad matutinas memoria de Sancto [Gorgonio], de Dominica, et de Trinitate; cum missa dominicali in capitulo, nisi aliqua dominica debeat differri: tunc nulla fiat memoria de Dominica nec de Trinitate.

Feria vi. de S. Cruce. Ad matutinas mediæ lectiones de Martyribus [Cornelio et Cypriano], cum V. et R. ii. nocturni Plurimorum Martyrum, et memoria de Martyribus et de S. Maria solenniter cum Ant. *Dignum namque.* Ad matutinas de S. Maria extra chorum Ant. super psalmum Benedictus *Benedicta et venerabilis.*

[HYSTORIA JOB.]

Dominica prima post quinto Kalendas Septembris.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ant. Benedictus.

Ps. *Ipsum* (*cxliii.* p. 215).

Capitulum. Benedictus Deus.

R. Antequam.

Hymnus. O lux beata Trinitas.

V. Vespertina oratio.

Ant. Cum audisset Job nunciorum verba sustinuit patienter et ait, Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non suscipiamus? in omnibus his non peccavit Job labiis suis neque aliquid stultum contra Deum locutus est.

Ps. Magnificat.

Ant. In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

Ps. Magnificat.

In mense Septembris recitabuntur singulis annis hæ tres Hystoriæ, scilicet Si bona, Peto Domine, *et* Adonay.

Hystoria Si bona *semper per xv dies durat.*

Hystoria Adonay *per octo semper durat.*

Hystoria vero Peto Domine *singulis annis non xv dies nec octo, sed aliquando quindecim durat, aliquando octo dies. Quando vero littera Dominicalis currit per* C *vel per* D, *tunc Hystoria* Peto Domine *semper durat per xv dies: per ceteras vero litteras Dominicales per octo dies durat.*

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Laudemus nomen Domini quoniam suavis est. In hymnis confitemini illi quia ipse est Dominus Deus noster.

Ps. Venite.

Hoc Invitatorium dicitur omnibus Dominicis diebus usque ad primam Dominicam post xv. Kalendas Octobris, quando de Dominica agitur.

Hac die incipiatur Liber Job, et legatur per xv dies, quando de Temporali agitur.

Lectio i. (*Legenda* 1. *Job i.* [1.])

Vir erat in terra Hus nomine Job. Et erat vir ille simplex et rectus ac timens Deum: et recedens a malo. Natique sunt ei septem filii: et tres filiæ. Et fuit possessio ejus septem milia ovium: et tria milia camelorum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ asinæ: ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes orientales. Tu autem.

R. 1. Si bona suscepimus de manu Domini: mala autem quare non suscipiamus? Dominus dedit,

Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.

V. In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

Dominus.

Lectio ii. [*Job i.* 4.]

Et ibant filii ejus et faciebant convivium per domos: unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas: ut comederent et biberent cum eis. Cumque in orbem transisent dies convivii, mittebat ad eos Job et sanctificabat illos: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim, Ne forte peccaverint filii mei: et benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus.

R. 2. Antequam comedam suspiro, et tanquam inundantis aquæ sic rugitus meus: quia timor quem timebam evenit michi: et quod verebar accidit. Nonne dissimulavi, nonne silui et jam quievi. Et venit super me indignatio tua, Domine.

V. Nolo multa fortitudine contendat mecum. ne magnitudinis suæ mole me premat. æquitatem proponat contra me.

Nonne [dissimulavi].

Ad primas Vesperas dicitur Gloria. Et venit.

Lectio iii. [*Job i.* 6.]

Quadam autem die cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino: affuit etiam inter eos Sathan. Cui dixit Dominus, Unde venis? Qui respondens ait, Circuivi terram: et perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum, Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit similis ei in terra homo simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo? Cui respondens Sathan ait, Nunquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti: et possessio ejus crevit in terra. Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet: nisi in faciem benedixerit tibi.

R. 3. Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui. Et calamitas quam patior in statera.

V. Quasi arena maris hæc gravior appareret. unde et verba mea dolore sunt plena.

Et calamitas. Gloria. Et.

In secundo Nocturno.

Ant. Naturæ genitor.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. Media nocte surgebam.

Lectio iiii. (*Legenda* 2.) [*Job i.* 12.]

Dixit ergo Dominus ad Sathan, Ecce universa quæ habet in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Sathan a facie Domini. Cum autem quadam die filii et filiæ ejus comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuncius venit ad Job qui diceret, Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos: et irruerunt Sabei tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio: et evasi ego solus ut nunciarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur: venit alius, et dixit, Ignis Dei cecidit de cælo, et tactas oves puerosque consumpsit: et effugi ego solus ut nunciarem tibi.

R. 4. Quare detraxistis sermonibus veritatis: ad increpandum verba componitis et subvertere nitimini amicum vestrum. Veruntamen quæ cogitatis explete.

V. Militia est vita hominis super terram: et sicut dies mercennarii dies ejus.

Veruntamen.

Lectio v. [*Job i.* 17.]

Venit alius nuncius ad Job: et dixit ei, Caldei fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos et tulerunt eos, necnon et pueros percusserunt gladio: et effugi ego solus ut nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille: et ecce alius intravit et dixit, Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti: repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos et mortui sunt, et effugi ego solus ut nunciarem tibi. Tu autem.

R. 5. Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris, cutis mea aruit et contracta est. Memento mei, Domine, quia ventus est vita mea.

V. Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut fenum arui.

Memento mei, Domine.

Lectio vi. [*Job i.* 20.]

Tunc surrexit Job et scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram adoravit et dixit, Nudus egressus sum de utero matris meæ: et nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccavit Job labiis suis: neque stultum quid contra Deum locutus est. Factum est autem cum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino, venisset quoque inter eos Sathan et staret in conspectu ejus: ut diceret Dominus ad Sathan, Unde venis? Qui respondens ait, Circuivi terram: et perambulavi eam.

R. 6. Paucitas dierum meorum finietur brevi: dimitte me, Domine. Sine plangam paululum dolorem meum. Antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine.

V. Ecce in pulvere sedeo et in pulvere dormio: et si mane me quæsieris non subsistam.

Sine. Gloria. Antequam.

In tertio Nocturno.

Ant. Sponsus.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

V. Exaltare Domine.

R. 7. Memento mei, Deus. Quia ventus est vita mea: nec aspiciat me visus hominis.

V. De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Quia.

R. 8. Ne abscondas me, Domine, a facie tua: manum tuam longe fac a me. Et formido tua non me terreat.

V. Voca me et respondebo tibi, aut certe loquar et tu responde michi.

Et formido.

Responsorium feriale. (9.)

Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt non dormiunt, a multitudine eorum consumitur vestimentum meum. Comparatus sum luto. Et assimilatus sum favillæ et cineri.

V. O custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum michimetipsi gravis, parce michi, Domine, nichil enim sunt dies mei.

Comparatus. Gloria. Et assimilatus sum.

Lectio i. (*Legenda* 3. *Job ii.* [3.])

Dixit ergo Dominus ad Sathan, Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra: vir simplex et rectus et timens Deum, ac recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum ut affligerem eum frustra. Respondens Sathan ait, Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro

anima sua. Alioquin mitte manum tuam et tange os ejus et carnem : et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.

Lectio ii. [*Job ii.* 6.]

Dixit ergo Dominus ad Sathan, Ecce in manu tua est : veruntamen animam illius serva. Egressus igitur Sathan a facie Domini : percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus. Qui testa saniem radebat : sedens in sterquilinio. Dixit autem illi uxor sua, Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo et morere. Qui ait ad illam, Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis.

Lectio iii. [*Job ii.* 11.]

Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei : venerunt singuli de loco suo, Eliphat Themanites, et Baldad Suites, et Sophar Naamathites. Condixerant enim sibi : ut pariter venientes visitarent eum, et consolarentur. Cumque elevassent procul oculos suos non cognoverunt eum, et exclamantes ploraverunt. Scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cælum : et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus. Et nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem esse vehementem. Tu autem.

Lectio i. (*Legenda* 4. *Job iii. sed legatur per ordinem.*)

Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo et locutus est, Pereat dies in qua natus sum : et nox in qua dictum est, conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras. Non requirat eum Deus de super, et non sit in recordationem : et non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ et umbra mortis. Occupet eum caligo, et involvatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Non computetur in diebus anni : nec numeretur in mensibus.

Lectio ii. [*Job iii.* 7.]

Sit nox illa solitaria : nec laude digna. Maledicant ei qui maledicunt diei : qui parati sunt suscitare leviathan. Obtenebrentur stellæ caligine ejus. Expectet lucem et non videat, nec ortum surgentis auroræ : quia non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus?

Lectio iii. [*Job iii.* 13.]

Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem, cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines : aut cum principibus qui possident aurum, et replent domos suas argento. Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem : vel qui concepti non viderunt lucem. Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi robore, et quondam vincti pariter : sine molestia. Non exaudierunt vocem exactoris. Tu autem, Domine.

Lectio i. (*Legenda* 5.) [*Job iii.* 19.]

Parvus et magnus ibi sunt : et servus liber a domino suo. Quare data est misero lux, et vita his qui in amaritudine animæ sunt, qui expectant mortem et non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum, viro cujus abscondita est via, et circundedit eum Deus tenebris.

Antequam comedam suspiro, et quasi inundantis aquæ sic rugitus meus: quia timor quem timebam evenit michi, et quod verebar accidit. Nonne dissimulavi? Nonne silui? Nonne quievi? Et venit super me indignatio. Tu autem, Domine.

Lectio ii. (*Job iv.*)

Respondens Eliphad Themanites: dixit, Si ceperimus loqui tibi: forsitan moleste accipies. Sed conceptum sermonem tenere quis poterit? Ecce docuisti plurimos, et manus lassas roborasti. Vacillantes confirmaverunt sermones tui: et genua trementia confortasti. Nunc autem venit super te plaga, et defecisti: tetigit te, et turbatus es. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum?

Lectio iii. [*Job iv.* 7.]

Recordare obsecro te, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos: flante Deo perisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos. Rugitus leonis et vox leænæ: et dentes catulorum leonum contriti sunt. Tigris periit eo quod non haberet prædam: et catuli leonis dissipati sunt. Porro ad me dictum est verbum absconditum: et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri* ejus.

Lectio i. (*Legenda* 6.) [*Job iv.* 13.]

In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me et tremor: et omnia ossa mea perterrita sunt. Et cum spiritus me præsente transiret: inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam cujus non agnoscebam vultum, ymago coram oculis meis: et vocem quasi auræ lenis audivi. Nunquid homo Dei comparatione justificabitur, aut Factore suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles: et in angelis suis reperit pravitatem. Quanto magis hii qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea? De mane usque ad vesperam succidentur: et quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Qui autem reliqui fuerint: auferentur ex eis. Morientur et non in sapientia.

Lectio ii. (*Job v.*)

Voca ergo si est qui tibi respondeat: et ad aliquem sanctorum convertere. Virum stultum interficit iracundia: et parvulum occidit invidia. Ego vidi stultum firma radice: et maledixi pulchritudini ejus statim. Longe fient filii ejus a salute: et conterentur in porta, et non erit qui eripiat. Cujus messem famelicus comedet, et ipsum rapiet armatus: et bibent sitientes divitias ejus. (*Job vi.*) Respondens autem Job dixit, Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui: et calamitas quam patior in statera. Tu autem, Domine.

Lectio iii. [*Job vi.* 3.]

Quasi arena maris hæc gravior appareret. Unde et verba mea dolore sunt plena. Quia sagittæ Domini in me sunt: quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me. Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? Aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit? Aut poterit comedi insulsum quod non est sale conditum? Aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Quæ prius tangere nolebat anima mea: nunc præ angustia cibi mei sunt. Tu autem, Domine.

* 'susurrij' *Chevallon.* *non male.*

Lectio i. (*Legenda* 7.) [*Job vi.* 8.]

Quis det ut veniat petitio mea, et quod expecto tribuat michi Deus? Qui cœpit ipse me conterat: solvat manum suam et succidat me. Et hæc michi sit consolatio: ut affligens me dolore non parcat. Nec contradicam sermonibus Sancti. Quæ est enim fortitudo mea ut sustineam? Aut quis finis meus ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea: nec caro mea aenea est. Ecce non est auxilium michi in me: necessarii quoque mei recesserunt a me. Qui tollit ab amico suo misericordiam: timorem Domini dereliquit. Fratres mei præterierunt me: sicut torrens qui raptim transit in convallibus. Tu autem.

Lectio ii. [*Job vi.* 16.]

Qui timent pruinam: irruet super eos nix. Tempore quo fuerint dissipati peribunt: et ut incaluerit, solventur de loco suo. Involutæ sunt semitæ gressuum eorum. Ambulabunt in vacuum, et peribunt. Considerate semitas Theman, itinera Saba: et expectate paulisper. Confusi sunt: quia speravi. Venerunt quoque usque ad me: et pudore cooperti sunt. Nunc venistis, et modo videntes plagam meam timetis. Tu autem.

Lectio iii. [*Job vi.* 22.]

Nunquid dixi, afferte michi, et de substantia vestra donate michi, vel liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me? Docete me, et ego tacebo: et si quid forte ignoravi, instruite me. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit arguere me? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis: et in ventum verba profertis. Super pupillum irruitis: et subvertere nitimini amicum vestrum. Veruntamen quod cœpistis: explete. Præbete aurem et videte an mentiar.

Ferialis Lectio i. (*Legenda* 8.) [*Job vi.* 29.]

Respondete obsecro absque contentione, et loquentes id quod justum est judicate: et non invenietis in linguâ mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. (*Job vii.*) Militia est vita hominis super terram: et sicut dies mercennarii dies ejus. Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercennarius præstolatur finem operis sui: sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi michi. Si dormiero dicam, Quando consurgam? Et rursum expectabo vesperam: et replebor doloribus usque ad tenebras. Tu autem, Domine [miserere nostri].

Lectio ii. [*Job vii.* 5.]

Induta est caro mea putredine: et sordibus pulveris. Cutis mea aruit: et contracta est. Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur: et consumpti sunt absque ulla spe. (*Job viii.*) Respondens Baldad Suites dixit, Usquequo loqueris talia, et spiritus multiplex sermonis oris tui. Tu autem, Domine [miserere nostri].

Lectio iii. [*Job viii.* 3.]

Nunquid Deus supplantat judicium, et Omnipotens subvertit quod justum est? Etiam si filii tui peccaverunt ei et dimisit eos in manu iniquitatis suæ: tu tamen si diluculo surrexeris ad Deum et Omnipotentem fueris deprecatus, si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justiciæ tuæ in tantum ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis. Tu autem, Domine.

REGULA DE HYSTORIA **Peto Domine** INCHOANDA : *ubi agitur de Festo loci, et de Sancta Maria.*

Littera Dominicalis A. *xv. Kalendas Octobris, tota cantetur Hystoria, et fiat Memoria de sancto Lamberto. Feria Secunda et Tertia fiant Commemorationes, et Quarta Feria dicitur Responsorium feriale : et ad Missam quatuor Temporum fiat Memoria de Vigilia sancti Mathei eodem die : et in Sabbato fiat servitium de sancta Tecla, cum Missa quatuor Temporum.*

Littera Dominicalis B. *xiiii. Kalendas Octobris, tota cantetur Hystoria ; et Secunda Feria dicitur de Sancta Maria, et in Sexta Feria dicuntur Matutinæ de sancta Tecla cum Nocturno, et Missa de Jejunio, secunda Oratio de sancta Tecla : cetera ut supra : et nulla Commemoratio de Festo loci fiat in hac ebdomada : et in Sabbato cantatur Responsorium feriale.*

Littera Dominicalis C. *ii. Idus Septembris, inchoetur Hystoria cum Memoria tantum, nisi forte propter prolixitatem temporis debeat una Missa Dominicalis differri : nullæ fiant Commemorationes per hanc ebdomadam.*

In sequenti vero Dominica tota cantetur Hystoria, et in Secunda Feria Responsorium feriale dicitur, et in Sexta Feria et Sabbato fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis D. *Idibus Septembris, inchoetur Hystoria cum Memoria tantum, et Missa Dominicalis in capitulo : et ad primas Vesperas Exaltationis Sanctæ Crucis fiat Memoria de Dominica privatim, et de Sanctis solennis Memoria : et in Quinta Feria dicitur de Sancta Maria, cum Memoria de sancto Lamberto.*

In sequenti ebdomada tota cantetur Hystoria, et Missa de Vigilia sancti Mathei in capitulo dicitur cum uno Alleluya : *et Feria Quinta et Sabbato fiant Commemorationes cum Memoria de sanctis Cipriano et Justina*. Responsorium feriale non dicitur.*

Littera Dominicalis E. *xviii. Kalendas Octobris, inchoetur Hystoria cum Memoria privatim. Eodem modo fiet de Trinitate : et de Sanctis solennis Memoria fiat, et mediæ Lectiones cum Responsoriis de secundo Nocturno Hystoriæ de Communi Plurimorum Martyrum : processio fiat ante crucem ibidem cum Missa Dominicali in capitulo. Feria Quarta, Sexta, et Sabbato cantetur Hystoria cum Responsorio feriali in tertio Nocturno, et in Sabbato ad Missam quatuor Temporum tantum Memoria de Vigilia sancti Mathei : et in Quinta Feria fiat Commemoratio beatæ Mariæ, nichilque de sancto Lamberto fiat hoc anno.*

Littera Dominicalis F. *xvii. Kalendas Octobris, inchoetur Hystoria cum Memoria tantum. Primo fiat Memoria de sancto Nichomede, deinde de Dominica, et de Trinitate, et solennis Memoria de Octavis Nativitatis beatæ Mariæ. Nulla processio fiat : et in Tertia Feria fiat Commemoratio beatæ Mariæ, cum Memoria de sancto Lamberto : et in Quarta, Quinta, et Sexta Feria cantetur Hystoria cum Responsorio feriali in tertio Nocturno : et ad Missam quatuor Temporum fiat tantum Memoria de Vigilia sancti Mathei.*

Littera Dominicalis G. *xvi. Kalendas Octobris, tota cantetur Hystoria, et tantum Memoria de Martyribus. In Sabbato secundæ Vesperæ de Octavis fiant, cum Memoria de Sanctis, de Dominica, et de Tri-*

* '*iustino.*' Chevallon.

nitate solenniter, cum processione ante crucem. Festum sanctæ Edithæ differatur in crastinum, et fiant ibi mediæ Lectiones de sancto Lamberto : et Feria Tertia fiat Commemoratio beatæ Mariæ : et Feria Quarta fiat de Jejunio quatuor Temporum : et in Quinta Feria dicitur Responsorium feriale in secundo Nocturno. Nulla fiat Commemoratio de Festo loci in hac ebdomada.

[HYSTORIA THOBIÆ.]

A. 6. *Peto Domine.* Littera Dominicalis *A.* Quinto decimo Kalendas Octobris tota cantetur hystoria, et memoria tantum de Sancto [Lamberto]. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii. et iii. de commemoratione.

Feria iv. de feria cum responsorio feriali, et nichil de Vigilia [S. Mathei] nisi tantum memoria ad missam de Jejunio.

Sabbato de S. Tecla, cum nocturno, usque ad missam quæ erit de Jejunio, et memoria de Festo.

Feria vi. de Martyribus [Mauricio &c.] ix lectiones : nulla memoria de Jejunio, sed tantum missa de Jejunio dicitur post missam de Martyribus ad summum altare.

B. 6. *Peto Domine.* Littera Dominicalis *B.* Quarto decimo Kalendas Octobris tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. de S. Maria.

Feria iii. de feria cum responsorio de i. nocturno. Missa de Vigilia.

Feria iv. de Apostolo [Matheo]. Missa Quatuor Temporum cantetur solenniter post missam de Apostolo.

Feria vi. de S. Tecla, cum nocturno, usque ad missam, quæ erit de Jejunio, et memoria de Festo.

Sabbato de feria. R. de ii. nocturno et R. feriale. Missa de Jejunio.

C. 6. *Peto Domine.* Littera Dominicalis *C.* Secundo Idus Septembris de servitio Octavarum [B. M.]. Ad. i. vesperas quæ erunt de Octavis memoria de Dominica, de Trinitate; et processio. In introitu Ant. *Salvator.* Ad matutinas de Dominica et de Trinitate, cum missa dominicali in capitulo.

Feria iv. de Octava [Nativitatis B. Mariæ]. Missa Quatuor Temporum cantetur post missam de Die ad summum altare.

Feria v. de Virgine [Editha]* : mediæ lectiones de Martyribus [Eufemia Lucina et Geminiano], cum V. et R. de iii. nocturno.

Feria vi. de Sancto [Lamberto] cum nocturno. Missa erit de Jejunio Quatuor Temporum, cum memoria de S. Lamberto.

Sabbato de feria, cum R. de i. nocturno, et missa de Jejunio.

Dominica II. tota cantetur hystoria. In laudibus una antiphona.

Feria ii. de feria, cum responsorio feriali et missa de Vigilia [S. Mathei].

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

D. 6. *Peto Domine.* Littera Dominicalis *D.* Idus Septembris totum servitium de Octavis [B. Mariæ], et hystoria inchoetur cum memoria. Missa

* 'Fe. 6. de vigi.' *Portif.* 1519.

dominicalis dicitur in capitulo. Secundæ vesperæ erunt de Cruce, et memoria de Dominica sub silentio, et postea memoria de Martyribus [Cornelio et Cypriano] solenniter ; et processio.

Feria ii. de Cruce, mediæ lectiones de Martyribus [Cornelio et Cypriano] cum V. et R. de ii. nocturno. Ad ii. vesperas fiat solennis memoria de Octava [Nativitatis B. Mariæ] et de Sancto [Nicomede]*.

Feria iv. de S. Editha, ix lectionum : mediæ lectiones de Martyribus [Eufemia Lucina et Geminiano] cum V. et R. de iii. nocturno. Post tertiam dicitur missa de Festo, et post sextam cantetur missa de Jejunio : utraque ad principale altare. Secundæ vesperæ erunt de Festo [S. Edithæ] et memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam*, et de Martyribus.

Feria v. de S. Maria, et memoria de Sancto [Lamberto].

Feria vi. et Sabbato de feriis, cum responsoriis hystorialibus per ordinem, et missa de Jejunio.

Dominica II. tota cantetur hystoria. In laudibus una antiphona. Missa de Vigilia dicitur in capitulo. Secundæ vesperæ erunt de S. Matheo, et memoria de Dominica sub silentio : deinde solennis memoria de S. Laudo.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus†.

E. 6. *Peto Domine.* Littera Dominicalis *E.* Decimo quarto die Septembris servitium de Cruce. Ad i. vesperas fiat memoria de Dominica, et de Trinitate, sub silentio : deinde solennis memoria de Martyribus [Cornelio et Cypriano], et processio : mediæ lectiones de Martyribus, cum V. et R. de ii. nocturno. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad ii. vesperas memoria de Sancto [Nicomede], et de Dominica, sub silentio : deinde solennis memoria de Octava [Nativitatis B. Mariæ].

Feria iii. de S. Editha, ix lectionum : mediæ lectiones de Martyribus [Eufemia &c.] cum V. et R. de iii. nocturno.

Feria v. de S. Maria.

Feria iv., vi., et Sabbato de Jejunio : cum responsorio hystoriali. Et in Sabbato dicitur responsorium feriale, et in his feriis dicitur missa Quatuor Temporum, et nichil de Sancto [Lamberto] nisi ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

In Sabbato ad missam de Jejunio fiat memoria de Vigilia S. Mathei.

F. 6. *Peto Domine.* Littera Dominicalis *F.* Quinto decimo die Septembris servitium de Octava [Nativitatis B. Mariæ]. Ad i. vesperas, quæ erunt de Cruce, memoria de Sancto [Nicomede] et de Dominica, et de Trinitate, sub silentio : et deinde solennis memoria de Octava [Nativitatis B. Mariæ] ; et nulla processio. Secundæ vesperæ erunt de Octava, et memoria de S. Editha, de Martyribus [Eufemia &c.], et de Dominica.

Feria ii. de S. Editha : mediæ lectiones de Martyribus [Eufemia Lucina et Geminiano] cum V. et R. de i. nocturno.

Feria iii. de S. Maria.

Feria iv., v., et vi. de feria cum responsorio hystoriæ [dominicalis]. In vi. Feria dicitur R. feriale, et in iv. Feria dicitur missa de Jejunio, et in v. Feria missa dominicalis. In vi. Feria missa de Jejunio, et memoria de Vigilia S. Mathei.

* 'sancta' *Portif.* 1519. † 'commemoratione.' *Chevallon.*

Sabbato de Apostolo, [Matheo]. Missa de Jejunio cantetur post missam de S. Matheo, utraque ad summum altare.

G. 6. *Peto Domine.* Littera Dominicalis *G.* Sexto decimo die Septembris tota cantetur hystoria, et Festum S. Edithæ differatur in crastinum. Ad i. vesperas, quæ erunt de Octava, memoria de [Nicomede] Martyre, de Dominica, de Trinitate; et processio. In redeundo Ant. *Salvator.* V. *Exultent justi.* Ad matutinas tantum memoria de Martyre et de Trinitate. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Secundæ vesperæ erunt de Dominica et memoria de S. Editha, et de S. Lamberto.

Feria ii. de S. Editha, et mediæ lectiones de S. Lamberto. Secundæ vesperæ erunt de S. Editha et memoria de S. Maria. Ant. *Sub tuam.*

Feria iii. de S. Maria.

Feria iv. de Jejunio Quatuor Temporum.

Et in v. Feria dicitur R. feriale cum missa de Vigilia [S. Mathei].

Feria vi. et Sabbato dicuntur missæ de Jejunio Quatuor Temporum post missam de Die ad summum altare.

[HYSTORIA THOBIÆ.]

Dominica prima post iii. Idus Septembris.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ant. Benedictus.
Ps. *Ipsum* [*cxliii.* p. 215].
Capitulum. Benedictus Deus.
R. Omni tempore.
Hymnus. O lux beata Trinitas.
V. Vespertina oratio.
Ant. Ingressus Raphael archangelus ad Thobiam salutavit eum dicens : gaudium tibi semper sit. cui Thobias ait, quale gaudium michi erit qui in tenebris sedeo et lumen cæli non video. cui angelus inquit : forti animo esto, in proximo est ut a Deo cureris.
Ps. Magnificat.
Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta mea vel parentum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis.
Ps. Magnificat.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Laudemus nomen.
Ps. Venite, *ut supra in Hystoria* Si bona.

In primo Nocturno.

Ant. Pro fidei meritis.
Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).
V. Memor fui.

Hac die incipiatur Liber Thobiæ, et legatur per quindecim dies vel octo, secundum quod tempus prolixum fuerit vel breve : quando de Temporali agitur.

Lectio i. (*Legenda* 1., *Thobiæ i.*)

Thobias ex tribu et civitate Neptalim, quæ est in superioribus Galileæ supra Naason post viam quæ ducit ad occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet, cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate tamen positus viam veritatis non deseruit : ita ut omnia quæ habere poterat quotidie concaptivis fratribus qui erant ex genere suo impartiret. Cumque esset junior omnibus in

tribu Neptalim : nichil tamen puerile gessit in opere. Tu.

R. 1. Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me : aut certe de super terram eripias me. Ne reminiscaris delicta mea vel parentum meorum : neque vindictam sumas de peccatis meis quia eruis sustinentes te* Domine.

V. Omnia judicia tua justa sunt : et omnes viæ tuæ misericordia et veritas : et nunc, Domine, memento mei.

Ne reminiscaris.

Lectio ii. [*Thobiæ i.* 5.]

Denique cum irent omnes ad vitulos aureos quos Hieroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, et pergebat ad Hierusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua et decimas suas fideliter offerens : ita ut in tertio anno proselitis† et advenis ministraret omnem decimationem. Hæc et his similia secundum legem Domini : adhuc puerulus observabat.

R. 2. Omni tempore benedic Deum et pete ab eo ut vias tuas dirigat. Et omni tempore consilia tua in ipso permaneant.

V. Memor esto, fili, quoniam pauperem vitam gerimus : habebis multa bona si timueris Deum.

Et omni tempore.

Lectio iii. [*Thobiæ i.* 9.]

Cum vero factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit : et abstinere ab omni peccato. Igitur cum per captivitatem devenisset cum uxore sua et filio in civitatem Ninive cum omni tribu sua, et omnes ederent ex cibis gentilium : iste custodivit animam suam, et nunquam contaminatus est in escis eorum.

R. 3. Memor esto, fili, quoniam pauperem vitam gerimus. Habebis multa bona si timueris Deum.

V. Fiducia magna est coram summo Deo elemosina : omnibus qui faciunt eam.

Habebis. Gloria. Habebis.

In secundo Nocturno.

Ant. Naturæ.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. Media nocte.

Lectio iiii. (*Legenda* 2.) [*Thobiæ i.* 13.]

Quoniam memor fuit Domini Thobias in toto corde suo : dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanazar regis. Et dedit illi potestatem quocunque vellet ire : habens libertatem quæcunque facere voluisset. Pergebat enim per omnes qui erant in captivitate : et monita salutis dabat eis. Cum autem venisset in Rages civitatem Medorum, et ex his quibus honoratus fuerat a rege habuisset decem talenta argenti, et cum in‡ multa turba generis sui Gabelum egentem videret qui erat ex tribu ejus : sub cyrographo dedit illi memoratum pondus argenti.

R. 4. Sufficiebat nobis paupertas nostra ut divitiæ computarentur, nunquam fuisset pecunia ista pro qua misisti filium nostrum, Baculum senectutis nostræ.

V. Heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum,

Baculum.

Lectio v. [*Thobiæ i.* 18.]

Post multum vero temporis mortuo Salmanazar rege : cum regnaret Sennacherib filius ejus pro eo, et

* 'de' *Chevallon.* † 'preselitis' *Chevallon.* ‡ 'in' *non habet Chevallon.*

filios Israel exosos haberet in conspectu suo, Thobias pergebat per omnem cognationem suam et consolabatur eos. Dividebatque unicuique prout poterat: de facultatibus suis.

R. 5. Benedicite Deum cæli et coram omnibus viventibus confitemini ei. Quia fecit nobiscum misericordiam suam.

V. Tempus est ut revertar ad eum qui me misit : vos autem benedicite Deum.

Quia fecit nobiscum.

Lectio vi. [*Thobiæ i.* 20.]

Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat : et mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat. Denique cum reversus esset rex Sennacherib fugiens a Judea plagam quam circa eum Deus fecerat propter blasphemiam suam, et iratus multos occideret ex filiis Israel : Thobias sepeliebat corpora eorum. At ubi nunciatum est regi, jussit eum occidi : et tulit omnem substantiam ejus.

R. 6. Tempus est ut revertar ad eum qui me misit : vos autem benedicite Deum. Et enarrate omnia mirabilia ejus.

V. Benedicite Deum cæli et coram omnibus viventibus confitemini ei.

Et enarrate. Gloria. Et.

In tertio Nocturno.

Ant. Sponsus.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

V. Exaltare, Domine.

R. 7. Tribulationes civitatum audivimus quas passæ sunt et defecimus. timor et hebetudo mentis cecidit super nos et super liberos nostros. ipsi montes nolunt recipere fugam nostram. Domine, miserere.

V. Peccavimus cum patribus nostris : injuste egimus, iniquitatem fecimus.

Domine, miserere.

R. 8. Nos alium Deum nescimus præter Dominum in quo speramus. Qui non despiciet nos nec amovit salutem suam a genere nostro.

V. Indulgentiam ejus fusis lachrymis postulemus : et humiliemus illi animas nostras.

Qui [non despiciet].

Responsorium feriale. (9.) Domine Deus, qui conteris bella ab initio, eleva brachium tuum super gentes quæ cogitant servis tuis mala. Et dextera tua glorificetur in nobis.

V. Allide virtutem illorum in virtute tua : cadat virtus illorum in iracundia tua.

Et dextera. Gloria. Et dextera tua.

Lectio i. (*Legenda* 3.) [*Thobiæ i.* 23.]

Thobias vero cum filio suo et cum uxore fugiens nudus latuit : quia multi diligebant eum. Post dies vero quadraginta quinque occiderunt regem filii ipsius, et reversus est Thobias ad domum suam : omnisque facultas ejus restituta est ei. (*Cap. ii.*) Post hæc vero cum dies esset festus Domini et factum esset prandium bonum in domo Thobiæ : dixit filio suo, Vade et adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum : et epulentur nobiscum.

Lectio ii. [*Thobiæ ii.* 3.]

Cumque abisset : reversus nunciavit ei unum ex filiis Israel jugulatum jacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo : relinquens prandium jejunus pervenit ad corpus. Et tollens illud portavit ad domum suam occulte : ut dum sol occubuisset caute sepeliret eum. Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu et tremore : memorans illum sermonem quem

dixit Dominus per Amos prophetam, Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum. Cum vero sol occubuisset : abiit et sepelivit eum.

Lectio iii. [*Thobiæ ii.* 8.]

Arguebant autem illum omnes proximi sui dicentes, Jam hujus rei causa interfici jussus es, et vix effugisti mortis imperium, et iterum sepelis mortuos? Sed Thobias plus timens Deum quam regem : rapiebat corpora occisorum et occultabat ea in domo sua et mediis noctibus sepeliebat ea. Contigit autem ut quadam die fatigatus Thobias a sepultura veniens domum suam jactasset se juxta parietem et obdormisset : et ex nido hyrundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus. Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi : ut posteris daretur exemplum patientiæ suæ sicut et sancti Job. Tu autem, Domine.

Ferialis Lectio i. (*Legenda* 4. *Thobiæ ii.* [13.])

Thobias cum ab infantia sua semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum quod plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit : agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Et sicut beato Job insultabant reges : ita isti parentes et cognati ejus, et irridebant vitam ejus, dicentes, Ubi est spes tua, pro qua elemosynas et sepulturas faciebas? Thobias vero increpabat eos dicens, Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus : et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Tu.

Lectio ii. (*Thobiæ ii.* 19.)

Anna vero uxor ejus ibat ad textrinum opus quotidie : et de labore manuum suarum victum quem consequi poterat deferebat. Unde factum est ut hædum caprarum accipiens : detulisset domi. Cujus cum vocem balantis vir ejus audisset : dixit, Videte ne furtivus sit. Reddite eum dominis suis : quia non licet nobis ex furto aliquid aut edere aut contingere. Ad hæc uxor ejus irata respondit, Manifeste vana facta est spes tua : et elemosinæ tuæ modo apparuerunt. Atque his et aliis hujuscemodi verbis exprobrabat ei. Tu autem, Domine.

Lectio iii. ([*Thobiæ*] *Cap. iii.*)

Tunc Thobias ingemuit : et cœpit orare cum lachrymis dicens, Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt : et omnes viæ tuæ misericordia et veritas et judicium. Et nunc, Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis : neque reminiscaris delicta mea vel parentum meorum, quoniam non obedivimus præceptis tuis : et traditi sumus in direptionem et captivitatem, et in mortem : et in fabulam et in improperium omnibus nationibus in quibus dispersisti nos. Et nunc, Domine, magna judicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, et non ambulavimus sinceriter coram te. Et nunc, Domine Deus, secundum voluntatem tuam fac mecum : et præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim michi magis mori quam vivere.

Lectio i. (*Legenda* 5., *Thobiæ iii.* [7.])

Contigit itaque eadem die ut Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum et ipsa audiret improperium ab una ex ancillis patris sui : quoniam tradita fuerat septem viris, et dæmonium nomine Asmodeus occiderat eos mox ut ingressi fuissent ad eam. Ergo cum pro culpa sua increparet

puellam : respondit ei dicens, Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. Nunquid et me occidere vis, sicut etiam occidisti septem viros?

Lectio ii. [*Thobiæ iii.* 10.]

Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ, et tribus diebus et tribus noctibus non manducavit neque bibit : sed in oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam. Factum est autem tertia die dum compleret Sara orationem : benedicens Dominum dixit, Benedictum est nomen tuum, Domine, Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris misericordiam facies : et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te. Ad te, Domine, faciem meam converto : ad te oculos meos erigo. Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me : aut certe de super terram eripias me.

Lectio iii. [*Thobiæ iii.* 16.]

Tu scis, Domine, quia nunquam concupivi virum : et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui. Virum autem cum timore tuo non cum libidine mea consensi suscipere, et aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me digni non fuerunt, quia forsitan viro alii* conservasti me. Non enim est in hominis potestate consilium tuum. Hoc autem habet certum omnis qui colit te : quia vita ejus si in probatione fuerit coronabitur. Si autem in tribulatione fuerit liberabitur, et si in correptione† fuerit ad misericordiam tuam pervenire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris : quia post tempestatem tranquillum facis : et post lachrymationem et fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in secula.

Lectio i. (*Legenda* 6.) [*Thobiæ iii.* 24.]

In illo tempore. Exauditæ sunt preces Thobiæ et Saræ in conspectu gloriæ summi Dei : et missus est angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore fuerat oratio in conspectu Domini recitata. (*Thob. iv.*) Igitur cum Thobias putaret orationem suam exaudiri ut mori potuisset : vocavit ad se Thobiam filium suum, et dixit ei, Audi, fili mi, verba oris mei : et ea in corde tuo quasi fundamentum construe. Cum acceperit Deus animam meam corpus‡ meum sepeli, et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Memor enim esse debes : quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Tu autem.

Lectio ii. [*Thobiæ iv.* 5.]

Cum autem et ipsa compleverit tempus vitæ suæ : sepelies eam circa me. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Dominum : et cave nequando peccato consentias et prætermittas præcepta Dei nostri. Ex substantia tua fac elemosynam : et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Si exiguum fuerit : etiam exiguum libenter impartiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam elemosyna ab omni peccato et a

* 'alio' *Chevallon.* † 'corruptione' *Chevallon.* ‡ 'cor' *Chevallon.*

morte liberat : et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo elemosyna : omnibus facientibus eam.

Lectio iii. [*Thobiæ iv.* 13.]

Dixit Thobias filio suo, Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione : præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas. In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicunque aliquid tibi operatus fuerit, statim mercedem ei restitue : et merces mercennarii tui apud te omnino non maneat. Quod ab alio oderis fieri tibi : vide ne alteri tu aliquando facias. Panem tuum cum esurientibus et egenis comede : et de vestimentis tuis nudos tege. Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue : et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus. Consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat : et omnia consilia tua in ipso permaneant.

Lectio i. (*Legenda* 7.) [*Thobiæ iv.* 21.]

Indico etiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum infantulus esses, Gabelo in Rages civitate Medorum : et cyrographum ejus apud me habeo. Et ideo perquire quo modo ad eum pervenias : et recipias ab eo supramemoratum pondus argenti : et restituas ei cyrographum suum. Noli timere, fili, pauperem quidem vitam gerimus : sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. (*Thobiæ v.*) Tunc Thobias respondit patri suo : et dixit, Omnia quæcunque præcepisti michi faciam, pater. Quo modo autem hanc pecuniam inquiram ignoro. Ille me nescit : et ego illum ignoro. Quod signum dabo ei? Sed neque viam per quam pergatur illuc : aliquando cognovi. Tu.

Lectio ii. [*Thobiæ v.* 3.]

Tunc pater suus respondit illi : et dixit, Cyrographum quidem illius penes me habeo. Quod dum illi ostenderis : statim restituet. Sed perge nunc et inquire tibi aliquem fidelem virum qui eat tecum salva mercede sua dum adhuc vivo ut recipias eam. Tunc Thobias egressus invenit juvenem splendidum stantem præcinctum et quasi paratum ad ambulandum : et ignorans quod angelus Dei esset salutavit eum et dixit, Unde te habemus, bone juvenis? At ille respondit, Ex filiis Israel. Et Thobias dixit ei, Nosti viam quæ ducit in regionem Medorum? Cui respondit, Novi : et omnia itinera ejus frequenter ambulavi.

Lectio iii. [*Thobiæ v.* 8.]

Et mansi apud Gabelum fratrem nostrum qui moratur in Rages civitate Medorum : quæ posita est in monte Egbathanis. Cui Thobias ait, Sustine me, obsecro, donec hæc ipsa nunciem patri meo. Tunc ingressus Thobias indicavit universa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater rogavit ut introiret ad eum. Ingressus itaque salutavit eum : et dixit, Gaudium tibi semper sit. Et Thobias ait, Quale michi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video? Cui ait juvenis, Forti animo esto : in proximo est ut a Deo cureris. Dixit itaque illi Thobias, Nunquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages civitatem Medorum? Et cum redieris restituam tibi mercedem tuam. Et dixit ei angelus, Ego ducam illum sanum : et reducam illum ad te.

Lectio i. (*Legenda* 8.) [*Thobiæ v.* 22.]

Paratis igitur omnibus quæ erant in via portanda : fecit Thobias vale patri suo et matri suæ. Cumque profecti essent : cœpit flere mater ejus ac dicere, Baculum senectutis nostræ tulisti : et transmisisti a nobis. Nunquam esset ipsa pecunia : pro qua misisti eum. Sufficiebat nobis paupertas nostra ut divitias computaremus hoc : quod videbamus filium nostrum. Dixitque ei Thobias, Noli flere. Salvus perveniet filius noster, et salvus revertetur ad nos : et oculi nostri videbunt eum. Credo enim quoniam angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia quæ circa ipsum geruntur : ita ut cum gaudio revertatur ad nos.

Lectio ii. (*Thobiæ vi.*)

Profectus est autem Thobias, et canis secutus est eum : et mansit prima mansione juxta fluvium Tygris. Et exivit ut lavaret pedes suos : et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. Quem expavescens Thobias : clamavit voce magna dicens, Domine, invadit me. Et dixit angelus, Apprehende branchiam ejus : et trahe eum ad te. Quod cum fecisset : dixit ei angelus, Exentera hunc piscem : et cor ejus et fel et jecur repone tibi. Sunt enim hæc necessaria ad medicamenta*. Tu autem, Domine.

Lectio iii. [*Thobiæ vi.* 7.]

Tunc interrogavit Thobias angelum : et dixit ei, Obsecro te, Azaria frater : ut dicas michi quod remedium habebunt ista quæ de pisce servari jussisti. Respondensque angelus dixit ei, Cordis ejus particulam si super carbones ponas : fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum sive a viro sive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. Et fel valet ad unguendos oculos in quibus fuerit albugo : et sanabuntur. Et dixit ei, Ubi vis ut maneamus? Respondensque angelus dixit ei, Est hic Raguel nomine propinquus vir de tribu tua : et hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum neque feminam ullam habet aliam præter illam. Tibi debetur omnis substantia ejus : et oportet eam te accipere in conjugem. Pete ergo eam a patre ejus : et dabit tibi eam uxorem. Tu autem, Domine, miserere [nostri].

Regula de Hystoria **Adonay** incipienda, *ubi sunt duæ Commemorationes, scilicet de Festo loci et de Sancta Maria.*

Littera Dominicalis A. *Octavo Kalendas Octobris. tota cantetur Hystoria : et in Secunda et in Quinta Feria fiant Commemorationes : Responsorium feriale non dicitur.*

Littera Dominicalis B. *vii. Kalendas Octobris, tota cantetur Hystoria, et Memoria tantum de sancto Firmino : Tertia Feria et Quarta fient Commemorationes : et Responsorium feriale non dicitur.*

Littera Dominicalis C. *Sexto Kalendas Octobris, tota cantetur Hystoria, et Memoria tantum de sanctis Cypriano et Justina ; et Tertia Feria et Sabbato fiant Commemorationes : et Responsorium feriale non dicitur.*

Littera Dominicalis D. *Quinto Kalendas Octobris. tota cantetur Hystoria, cum Memoria tantum de martyribus Cosma et Damiano : Feria Secunda et Sabbato fient Commemorationes ; et Responsorium feriale non dicitur.*

* 'medicamenta utiliter. (*vers.* 6.) Quod cum fecisset, assavit carnes ejus, et secum tulerunt in via: cetera salierunt, quæ sufficerent eis, quousque pervenirent in Rages civitatem Medorum.' *Ed. Vulgata.*

Littera Dominicalis E. *xi. Kalendas Octobris, inchoetur Hystoria cum Memoria privatim ; primo Memoria de Sancto, postea de Dominica et de Trinitate, et nulla fiet processio : et in Dominica ad secundas Vesperas sancti Mathei fiat solennis Memoria de sancto Mauricio sociisque ejus : et Tertia, Quarta, et Sexta* Feria cantentur Responsoria de Hystoria, cum Responsorio feriali in tertio Nocturno : et Festa in his Feriis contingentia omnino prætermittantur ; et Feria Quinta† et Sabbato fiant Commemorationes, cum Memoriis de Sanctis.*

Littera Dominicalis F. *x. Kalendas Octobris, tota cantetur Hystoria ; et Festum sancti Mauricii sociorumque ejus differatur in crastinum : et fiat Memoria de sancta Tecla : et in Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes : et Responsorium feriale non dicitur.*

Littera Dominicalis G. *ix. Kalendas Octobris, tota cantetur Hystoria, et Memoria tantum de sancta Tecla ; et Secunda Feria et Sexta fient Commemorationes : et Responsorium feriale non dicitur.*

[HYSTORIA JUDITH.]

6. A. *Adonay.* Littera Dominicalis *A.* Octavo Kalendas Octobris tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ.

‡Feria ii., iii., et v. de commemorationibus.

Feria iv. de Martyribus [Cosma et Damiano]. Tertium R. *Hæc est vera.*

Sabbato de S. Hieronymo. Et legatur Omelia ad matutinas sicut in die Ambrosii; scilicet *Prædixerat Dominus.*

6. B. Littera Dominicalis *B.* Septimo Kalendas Octobris tota cantetur hystoria et memoria tantum de Sancto [Firmino] et de Trinitate. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus.

Feria vi. de S. Hieronymo. Omelia ut supra in *A.*

6. C. Littera Dominicalis *C.* Sexto Kalendas Octobris tota cantetur hystoria, et memoria tantum de Martyribus [Cypriano et Justina] et de Trinitate. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.

Feria v. de S. Hieronymo; et legatur Omelia ut supra in *A.* Secundæ vesperæ erunt de S. Hieronymo et solennis memoria de S. Confessoribus [Remigio Germano Vedasto et Bavone] et de S. Meloro.

6. D. Littera Dominicalis *D.* Quinto Kalendas Octobris tota cantetur hystoria, et memoria tantum de Martyribus [Cosma et Damiano] et de Trinitate. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., vi.§, et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. de S. Hieronymo: ad matutinas omnia ut supra in *A.*

6. E. Littera Dominicalis *E.* Vicesimo primo die Septembris de S. Matheo;

* '*v.*' Chevallon. † '*vj.*' Chevallon. ‡ 'Fe. 2. 3. 4. & 5.' *Portif.* 1519. § 'vi' *non habet* Portif. 1519.

memoria de S. Laudo, de Dominica, et de Trinitate, sub silentio: nulla processio. Ad ii. vesperas de Apostolo fiat memoria de Dominica sub silentio, deinde memoria de Martyribus [Mauricio &c.] solenniter.

Feria ii. de Martyribus [Mauricio et Sociis], ix lectiones. Ad ii. vesperas nichil de S. Tecla, nisi ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

Feria iii., iv., et vi. de feria cum R. hystorialibus, et in vi. Feria dicitur responsorium feriale, missa *Salus populi*, et nichil de Martyre, nisi memoria ad vesperas et ad matutinas de S. Maria.

Feria v. et Sabbato de commemorationibus, et in hac ebdomada nichil de tertia commemoratione.

6. F. Littera Dominicalis *F*. Vicesimo secundo die Septembris tota cantetur hystoria. Ad i. vesperas, quæ erunt de Apostolo [Matheo], memoria de Dominica, de Trinitate, sub silentio; sine processione. In laudibus omnes antiphonæ, et Festum S. Mauricii differatur in crastinum. Secundæ vesperæ in Dominica erunt de Dominica, et memoria de Martyribus [Mauricio et Sociis] et de S. Tecla.

Feria ii. de Martyribus [Mauricio &c.], et tantum memoria de Virgine [S. Tecla]. Vesperæ erunt de Martyribus, et memoria de commemoratione.
Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

6. G. Littera Dominicalis *G*. Nono Kalendas Octobris tota cantetur hystoria. Ad i. vesperas, quæ erunt de Martyribus [Mauricio et Sociis], memoria de S. Tecla, de Dominica, de Trinitate; et processio. Ad matutinas tantum memoria de Virgine [S. Tecla] et de Trinitate. In laudibus omnes antiphonæ. Secundæ vesperæ erunt de Dominica, et memoria de commemoratione.
Feria ii., iii., et vi. de commemorationibus.

[HYSTORIA JUDITH.]

Dominica prima post xii. Kal. Octobris.

Ad primas Vesperas.

Ant. Benedictus.
Ps. *Ipsum* [*cxliii.* p. 215].
Capitulum. Benedictus.
R. Domine rex.
Hymnus. O lux beata Trinitas.
V. Vespertina oratio ascendet.
Ant. Adonay, Domine Deus, magne et mirabilis, qui dedisti salutem in manu feminæ, exaudi preces servorum tuorum.
Ps. Magnificat.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Laudemus nomen.
Ps. Venite, *ut supra in Hystoria* Si bona.

In primo Nocturno.

Ant. Pro fidei meritis.
Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).
V. Memor fui.
Hac die incipiatur Liber Judith: et legatur per ebdomadam, quando de Temporali agitur.

Lectio i. (*Legenda* 1, *Judith i.* [5.])

Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive civitate magna: misit ad omnes qui habitabant in Cilicia, et Damasco, et Libano, et ad gentes quæ sunt in Carmelo et Cedar, et inhabitantes Gali-

leam in campo magno Esdrelon*, et ad omnes qui erant in Samaria et trans flumen Jordanem usque ad† Hierusalem et omnem terram Jesse, quousque perveniatur ad montes Ethiopiæ.

R. 1. Adonay, Domine Deus, magne et mirabilis, qui dedisti salutem in manu feminæ.

Exaudi preces servorum tuorum.

V. Benedictus es, Domine, qui non derelinquis præsumentes de te, et de sua virtute gloriantes humilias. Exaudi.

Lectio ii. [*Judith i.* 10.]

Ad hos omnes misit nuncios Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui omnes uno animo contradixerunt, et remiserunt eos vacuos ac sine honore abjecerunt. Tunc indignatus est Nabuchodonosor rex ad omnem terram illam : et juravit per regnum et thronum suum quod defenderet se de omnibus regionibus his.

R. 2. Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ. Libera nos propter nomen tuum.

V. Exaudi, Domine, orationem nostram : et converte luctum nostrum in gaudium.

Libera nos.

Lectio iii. (*Judith ii.* [4.])

Tunc vocavit Holofernem principem militiæ suæ et dixit ei, Egredere·adversum omne regnum occidentis : et contra eos præcipue, qui contempserunt imperium meum. Non parcet oculus tuus ulli regno : omnemque urbem munitam subjugabis michi. Tunc Holofernes vocavit duces et magistratus virtutis Assyriorum : et dinumeravit viros in expeditionem, sicut præcepit ei rex.

R. 3. Dominator Domine cælorum et terræ, Creator aquarum, Rex universæ creaturæ tuæ. Exaudi orationem servorum tuorum.

V. Tu, Domine, cui humilium semper et mansuetorum placuit deprecatio.

Exaudi. Gloria. Exaudi.

In secundo Nocturno.

Ant. Naturæ.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. Media.

Lectio iiii. (*Legenda* 2.) [*Judith ii.* 11.]

Et profectus est Holofernes et omnis exercitus, cum quadrigis et equitibus et sagittariis : qui cooperuerunt faciem terræ sicut locustæ. Et cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram. (*Judith iii.* [9.]) Tantusque metus provinciis illis incubuit : ut universarum urbium habitatores principes et honorati simul cum populis exirent in obviam venienti : excipientes eum cum coronis et lampadibus, ducentes choros in tybiis et timpanis. Nec ista tamen facientes ferocitatem ejus pectoris mitigare potuerunt.

R. 4. Spem in alium nunquam habui præter in te, Deus Israel, Qui irasceris et propitius eris, et omnia peccata hominum in tribulatione dimittis.

V. Domine Deus cæli et terræ : respice ad humilitatem nostram,

Qui irasceris.

Lectio v. [*Judith iii.* 12.]

Nam et civitates eorum destruxit : et lucos eorum excidit. Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terræ exterminaret : videlicet ut ipse solus diceretur deus‡ ab his nationibus quæ potuissent Holofernis potentia subjugari. (*Judith iv.*) Tunc audientes hæc filii Israel qui habitabant in terra Juda : timuerunt valde a facie ejus.

* 'hesdrelon' *Leg.* 1518. † 'ad' *non habet Chevallon.* ‡ 'deus terre' *Chevallon.*

Tremor etiam et horror invasit sensus eorum ne hoc faceret Hierusalem et templo Domini : quod fecerat ceteris civitatibus et templis earum.

R. 5. Conforta me rex sanctorum principatum tenens. Et da sermonem rectum et bene sonantem in os meum.

V. Da nobis, Domine, locum pœnitentiæ, et ne claudas ora canentium te, Domine.

Et da.

Lectio vi. [*Judith iv.* 3.]

Et miserunt in omnem Samariam per circuitum usque Hierico : et præoccupaverunt omnes vertices montium, et muris circundederunt vicos suos, et congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ. Sacerdos etiam Eliachim scripsit ad universos qui erant contra Hesdrelon, quæ est contra faciem campi magni juxta Dothain : et universis per quos transitus esse poterat, ut obtinerent ascensus montium per quos via esse poterat ad Hierusalem : ut illic custodirent ubi angustum iter esse poterat inter montes. Et fecerunt filii Israel : secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim. Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna : et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus ipsi et mulieres illorum. Tu autem.

R. 6. Laudate Dominum Deum nostrum, Qui non deseruit sperantes in se : et in me adimplevit misericordiam suam quam promisit domui Israel.

V. Laudate Dominum omnes gentes, et collaudate eum omnes populi.

Qui. Gloria. Qui non.

In tertio Nocturno.

Ant. Sponsus.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23.)

V. Exaltare Domine.

R. Tribulationes.

R. Nos alium.

Require hæc duo Responsoria in proxima Dominica præcedente.

Responsorium feriale. Vos qui in turribus estis aperite portas : Dominus omnipotens fecit virtutem. Et victoriam dedit de inimicis nostris.

V. Laudate Dominum Deum nostrum : qui non deseruit sperantes in se.

Et victoriam. Gloria. Et.

Ferialis Lectio i. (*Legenda* 3. *Judith v.*)

Nunciatum est Holoferni principi militiæ Assyriorum quod filii Israel præparassent se ad resistendum : ac montium itinera conclusissent. Et furore nimio exarsit in iracundia magna : vocavitque omnes principes Moab, et duces Ammon, et dixit eis, Dicite michi quis sit populus iste qui montana obsidet, aut quæ et quales et quantæ sunt civitates eorum, quæ etiam sit virtus eorum, aut quæ sit multitudo eorum, vel quis rex militiæ illorum : quare præ omnibus qui habitant in oriente isti contempserunt, et non exierunt in obviam nobis ut susciperent nos cum pace. Tu autem.

Lectio ii. [*Judith v.* 5.]

Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens ait, Si digneris audire, domine meus : dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto qui in montanis habitat, et non egredietur verbum falsum ex ore meo. Populus iste ex progenie Chaldeorum est. Hi deserentes itaque cerimonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant : unum Deum cæli coluerunt. Quotienscunque autem præter ipsum Deum suum alterum coluerunt : dati sunt

in prædam et [in]* gladium et in opprobrium. Quotienscunque autem pœnituerunt se recessisse a cultura Dei sui : dedit eis Deus cæli virtutem resistendi.

Lectio iii. [*Judith v.* 24.]

Nunc ergo, mi domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, et ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, et subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ. Si autem non est offensio populi hujus coram Deo suo : non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, et erimus in opprobrium universæ terræ. Tu.

Ferialis Lectio i. (*Legenda* 4. *Judith vi.*)

Indignatus [est]* Holofernes vehementer : [et]* dixit ad Achior, Quoniam prophetasti nobis dicens quod gens Israel defendetur a Deo suo : ut ostendam tibi quia non est deus nisi Nabuchodonosor, cum percusserimus eos omnes sicut unum hominem, tunc et ipse cum illis gladio Assiriorum † interibis, et omnis Israel tecum perditione disperiet.

Lectio ii. [*Judith vi.* 7.]

Tunc Holofernes præcepit servis suis ut comprehenderent Achior et ducerent eum in Bethuliam : et traderent eum in manus filiorum Israel. Et accipientes eum servi Holofernis profecti sunt per campestria. Sed cum appropinquassent ad montana : exierunt contra eos fundibalarii. Illi autem divertentes a latere montis ligaverunt Achior ad arborem manibus et pedibus, et sic vinctum restibus ‡ dimiserunt eum : et reversi sunt ad dominum suum. Porro filii Israel descendentes de Bethulia : venerunt ad eum. Quem solventes duxerunt ad Bethuliam, atque in medium || populi illum statuentes : percunctati sunt quid rerum esset, quod illum vinctum Assirii reliquissent.

Lectio iii. [*Judith vi.* 12.]

In medio itaque seniorum et in conspectu omnium Achior dixit omnia quæ fuerat locutus ipse ab Holoferne interrogatus : et qualiter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum : et quemadmodum ipse Holofernes iratus jusserit eum Israelitis hac de causa tradi, ut dum vinceret filios Israel : tunc etiam ipsum Achior diversis jubeat suppliciis interire, propter hoc quod dixisset, Deus cæli defensor eorum est. Cumque universa Achior exposuisset : omnis populus cecidit in faciem adorantes Dominum : et communi lamentatione et fletu unanimes preces suas Domino effuderunt. [Tu autem.]

REGULA DE HYSTORIA **Adaperiat** *incipienda : ubi agitur de Festo loci vel de Sancta Maria.*

Littera Dominicalis A. *Kalendis Octobris, tota cantetur Hystoria, et Memoria de sancto Meloro ; tamen in Sabbato fiant Memoriæ de sancto Meloro, de Dominica, et de Trinitate privatim. Processio nulla fiet : et Festum Sanctorum§ differatur in crastinum : et fiant ibi mediæ Lectiones de sancto Leodegario ; et Feria Quinta et Sabbato fiant Commemorationes, et Quarta Feria in eadem ebdomada unum Responsorium feriale dicitur, et aliud in Vigilia Simonis et Judæ.*

In secunda ebdomada, Feria Quinta et Sabbato fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Tertia et Sexta fiant Commemorationes ; et in Sabbato dicitur de Festo Undecim milium Virginum secundum usum Sarum.

* *non habet Chevallon.* † 'Assyriorum gladio' *ed Vulg., cum Legend.* 1518.
‡ 'de restibus' *Chevallon. cum Leg.* 1518. || 'in medio' *Leg.* 1518.
§ scilicet *Remigii et sociorum ejus.*

In quarta ebdomada, Feria Tertia et Quinta fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis B. *vi. Nonas Octobris cantetur Hystoria, et mediæ Lectiones de sancto Leodegario : tamen in Sabbato præcedente fiant Vesperæ de sanctis Remigio et Germano et Vedasto, cum Memoria de Dominica et de Trinitate, et processio fiat ad crucem : Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes : et Responsorium feriale dicitur in crastino sancti Lucæ evangelistæ, et aliud in Vigilia Symonis et Judæ secundum usum Sarum.*

In secunda ebdomada, Feria Secunda et Quarta fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Quinta et Sabbato fiant Commemorationes.

In quarta ebdomada, Feria Secunda et Sabbato fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis C. *v. Nonas Octobris, tota cantetur Hystoria: et Feria Tertia et Sexta fiant Commemorationes, et in Quarta Feria post Festum sancti Lucæ evangelistæ unum Responsorium feriale dicitur, et aliud in crastino Symonis et Judæ.*

In secunda ebdomada, Feria Secunda et Tertia fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Sexta et Sabbato fiant Commemorationes.

In quarta ebdomada, Feria Sexta et Sabbato fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis D. *Quarto Nonas Octobris, tota cantetur Hystoria : et Feria Secunda et Sabbato fiant Commemorationes : et Quinta Feria post Festum sancti Lucæ dicitur unum Responsorium feriale, et secundum Responsorium in crastino Symonis et Judæ.*

In secunda ebdomada, Feria Secunda et Sabbato fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes.

In quarta ebdomada, Feria Secunda et Sabbato fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis E. *Quarto Kalendas Octobris, tota cantetur Hystoria. Feria Sexta et Sabbato fiant Commemorationes. Responsorium feriale primum dicitur in crastino sanctarum Undecim milium Virginum, et secundum in Vigilia Symonis et Judæ.*

In secunda ebdomada, Feria Quarta et Sabbato fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Tertia et Sexta fiant Commemorationes.

In quarta ebdomada, Feria Secunda et Sexta fiant Commemorationes.

In quinta ebdomada, Feria Quarta et Quinta fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis F. *Tertio Kalendas Octobris, inchoetur Hystoria cum Memoria sub silentio tantum ; et Feria Quinta et Sabbato fiant Commemorationes* : et in proxima Dominica fiant mediæ Lectiones de sancta Fide : et in proxima Dominica post Festum sancti Lucæ evangelistæ tota cantetur Hystoria : et in Quinta Feria sequenti dicantur Responsoria ferialia.*

In secunda ebdomada, Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Quinta et Sabbato fiant Commemorationes.

In quarta ebdomada, Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes.

In quinta ebdomada, Feria Tertia et Quarta fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis G. *ii. Kalendas Octobris, inchoetur Hystoria privatim cum Memoria tantum : eodem modo de Trinitate : et processio nulla fiat : et in Dominica ad secundas Vesperas fiat Memoria de Dominica in primis sub silentio, deinde*

* '*fiat cōme.*' Chevallon.

Memoriæ de Sanctis solennes fiant ; Feria Quarta et Sexta dicantur Responsoria de primo et de secundo Nocturno ejusdem ebdomadæ : et Feria Quinta et Sabbato fiant Commemorationes ; Responsorium feriale primum dicitur in Vigilia Symonis et Judæ, et secundum Responsorium feriale dicitur in crastino Symonis et Judæ.

In secunda ebdomada, Feria Secunda et Sexta fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Sexta et Sabbato fiant Commemorationes.

In quarta ebdomada, Feria Secunda et Sexta fiant Commemorationes.

In quinta ebdomada, Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes.

[DOMINICA I. POST V. KALEN. OCTOBRIS.]*

6. A. *ADAPERIAT.* Littera Dominicalis *A.* Kalendas Octobris. Ad ii vesperas de S. Hieronymo fiat memoria de S. Meloro, de Dominica, et de Trinitate, sub silentio; nulla processio. Ad matutinas tota cantetur hystoria, et tantum memoria de S. Meloro, et de Trinitate. In laudibus omnes antiphonæ; et Festum S. Remigii sociorum ejus differatur in crastinum, et ibi fiant mediæ lectiones de S. Leodegario. Tamen in diocesi Norwittensi inchoetur hystoria cum memoria, et totum servitium fiet de Festo S. Remigii sociorumque ejus, et hoc propter aliud festum ix lectionum in crastino contingens, et tunc in Dominica fiant mediæ lectiones de S. Meloro.

Hæc regula habetur in Magna Rubrica.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. de feria; et dicitur i. R. feriale extra diocesin Norwittensem.

*** Et nota quod epistola et evangelium de iv. Feria in ebdomade xxiii. per Æstatem pertinent ad iv. Feriam in ebdomada xvii. cum fuerit tempus opportunum.

Feria vi. de S. Fide. Tamen ubi celebratur Translatio S. Hugonis tunc servitium erit de translatione cum ix lectionibus. Invitatorium triplex. Tres primæ lectiones de Communi unius Confessoris et Pontificis, tres mediæ lectiones de S. Fide, tres ultimæ lectiones de expositione evangelii *Videte, vigilate.*

Dominica ii. de servitio dominicali.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de S. Edwardo. Ad ii. vesperas memoria de S. Calixto, sub silentio : deinde solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Dominica iii. de S. Vulframno; ix lectiones de communi. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate.

Feria iii. de S. Ethekdreda; ix lectiones de communi unius Virginis non martyris.

Feria v. de S. Fredeswida; ix lectiones de communi unius Virginis non martyris.

Feria vi. et Sabbato de commemoratione.

*** Et nota quod illa regula de xi milibus Virginibus, scilicet si hoc Festum in Sabbato continget, servitium erit de Festo, et fiat servitium de

* '*Dñica p'ma octobris celebret^r festū dedicationis ecclīe.*' memorandum ms. in capite folii cxcv. versi, in exemplari Breviarii e coll. Exon. Oxon.

S. Maria in aliqua alia feria convenienti, et habet intelligi si tot feriæ vacaverint in quibus commemorationes possint celebrari et si tot feriæ non vacaverint tunc in Sabbato servitium erit de S. Maria et tantum memoria de [Undecim milibus] Virginibus.

Dominica IV. de servitio dominicali.

Feria ii., iii., et v. de commemorationibus.

Feria iv. de Festo Sanctorum Crispini et Crispiniani, ix lectionum. Tres primæ lectiones de proprietate, cum iii. R. Plurimorum Martyrum, iii. mediæ lectiones de S. Johanne Beverlaco de Communi unius Confessoris et Pontificis, iii ultimæ de expositione evangelii *Descendens Jesus de monte.* Ad missam dicitur graduale cum utrisque versibus.

Feria vi. de feria; et dicitur ii. R. feriale. Missa de Vigilia [Symonis et Judæ Apostolorum].

6. B. LITTERA DOMINICALIS *B.* Sexto Nonas Octobris de Dominica, et inchoetur hystoria. Ad i. vesperas, quæ erunt de Confessoribus [Remigio et sociis], memoria de S. Leodegario, de Dominica, et de Trinitate; processio ad matutinas, mediæ lectiones de Sancto [Leodegario]: et tota cantetur hystoria in Festo S. Romani, quia illud festum non habet proprias lectiones. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., iii., et Sabbato de commemoratione.

Feria iv. de feria, cum R. de primo nocturno.

Feria v. de S. Fide: tamen ubi celebratur Translatio S. Hugonis tunc servitium erit de translatione ut supra in *A.*

*** Nota quod epistola et evangelium de iv. Feria in ebdomade xxiii. per Æstatem pertinent ad iv. Feriam in ebdomade xvii. cum fuerit tempus opportunum.

Dominica II. de S. Dionysio: memoria de Dominica, de Trinitate; et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo et nulla memoria ad altam missam.

Feria ii., iii., et iv. de commemorationibus.

Dominica III. de S. Michaele: memoria de Dominica, de Trinitate; et processio.

Feria ii. de S. Etheldreda: ix lectiones de Communi unius Virginis non martyris.

Feria iv. de S. Fredeswida: ix lectiones de Communi unius Virginis non martyris.

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus: memoria de Sanctis [Undecim milibus Virg.].

Dominica IV. tota cantetur hystoria, et tantum memoria de Sancto [Romano] et de Trinitate.

Feria ii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iii. de Martyribus Crispino et Crispiniano, ix lectionum, ut supra in *A.*

Feria v. de feria, et dicuntur duo responsoria ferialia. Missa de Vigilia [Apostolorum Symonis et Judæ]. Ad ii. vesperas de Apostolis memoria de S. Maria, Ant. *Sub tuam.*

6. C. LITTERA DOMINICALIS *C.* Quinto Nonas Octobris tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., iii., et vi. de commemorationibus.

Feria iv. de S. Fide : tamen ubi celebratur Translatio S. Hugonis tunc erit servitium de translatione, ut supra in *A*.

Dominica II. de Dominica, et mediæ lectiones de Martyribus [Gereone et sociis].

Feria ii., iii., et v. de commemorationibus.

Dominica III. de S. Etheldreda; ix lectiones de Communi unius Virginis non martyris. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Etheldreda, memoria de S. Michaele, de Dominica, de Trinitate ; et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Luca, memoria de Dominica sub silentio : deinde memoria de S. Etheldreda et de S. Justo solenniter.

Feria iii. de S. Fredeswida; ix lectiones de Communi unius Virginis non martyris.

Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica IV. de Dominica. Secundæ vesperæ erunt de Martyribus [Crispino et Crispiniano], et memoria de S. Johanne Beverlacensi et de Dominica.

Feria ii. de Martyribus Crispino et Crispiniano, ix lectionum. Tres primæ lectiones de proprietate, iii mediæ lectiones de Communi unius Confessoris et Pontificis, iii ultimæ lectiones de expositione evangelii *Descendens Jesus de monte*.

Feria iii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. de feria; et dicuntur duo R. ferialia. Missa de Vigilia [Apostolorum Symonis et Judæ].

6. D. LITTERA DOMINICALIS *D.* Quarto Nonas Octobris tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iii. de S. Fide : tamen ubi celebratur Translatio S. Hugonis tunc servitium erit de translatione, ut supra in *A*.

Dominica II. de Dominica et mediæ lectiones de Martyribus [Nichasio et sociis].

Feria ii. et iv. de commemorationibus, et nihil de iii. commemoratione.

Feria iii. de S. Edwardo. Ad ii. vesperas memoria de S. Calixto sub silentio : deinde solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam*.

Sabbato de S. Etheldreda, ix lectiones de Communi unius Virginis et non martyris.

Dominica III. de S. Luca. Ad i. vesperas memoria de S. Justo, de Dominica, de Trinitate, sub silentio; et nulla processio : deinde solennis memoria de S. Etheldreda. Ad matutinas memoria de Sancto [Justo], de Dominica, et de Trinitate, sub silentio. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de S. Justo, et de Trinitate tantum. Ad vesperas de S. Luca memoria de Dominica sub silentio : deinde solennis memoria de S. Fredeswida.

Feria ii. de S. Fredeswida, ix lectiones de Communi unius Virginis et non martyris.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica IV. de Martyribus Crispino et Crispiniano ix lectionum. Ad i. vesperas memoria de S. Johanne, de Dominica, et de Trinitate; et processio. Ad matutinas tres primæ lectiones de proprietate, iii mediæ lectiones de S. Johanne de Communi unius Confessoris et Pontificis, iii ultimæ lectiones de expositione evangelii *Descendens Jesus de monte*, et memoria de Sancto [Johanne Beverlac.], de Dominica, et de Trinitate. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum.

Feria ii., v., et vi. de commemorationibus.

Et in iii. Feria dicitur i. R. hystoriale cum ii. R. feriæ. Missa de Vigilia [Apostolorum Symonis et Judæ].

6. E LITTERA DOMINICALIS *E*. Quarto Kalendas Octobris tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ. Ad vesperas de S. Michaele memoria de Dominica sub silentio.

Feria iii. de S. Hieronymo legatur omelia sicut in die S. Ambrosii. Ad ii. vesperas memoria de Confessoribus [Remigio et sociis] et de [Meloro] Martyre solenniter.

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica II. de Dominica; tota cantetur hystoria. In laudibus una antiphona.

Feria ii. de S. Fide : tamen ubi celebratur Translatio S. Hugonis tunc servitium erit de translatione, ut supra ad *A*.

Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica III. de Dominica. Ad i. vesperas S. Edwardi memoria de Dominica sub silentio. Ad ii. vesperas memoria de S. Calixto sub silentio : deinde solennis memoria de S. Maria, Ant. *Sub tuam*, cum pleno servitio in crastino.

Feria vi. de S. Etheldreda, ix lectiones : omnia de Communi unius Virginis non martyris.

Dominica IV. de S. Fredeswida, ix lectiones : omnia de Communi unius Virginis non martyris. Missa dominicalis dicitur in capitulo. Ad i. vesperas quæ erunt de S. Luca memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio, sine processione : deinde solennis memoria de S. Fredeswida. Secundæ vesperæ erunt de Virgine [Fredeswida], et memoria de commemoratione.

Feria ii. iv., et vi. de commemorationibus.

Sabbato de Martyribus Crispino et Crispiniano, ix lectionum : memoria et mediæ lectiones de S. Johanne Beverlacensi; tres primæ lectiones de proprietate, tres mediæ lectiones de Communi unius Confessoris et Pontificis, tres ultimæ lectiones de expositione evangelii *Descendens Jesus de Monte*.

Dominica V. de Dominica. Ad i. vesperas memoria de Martyribus [Crispino et Crispiniano], de Trinitate; et processio.

Feria ii. de feria, et dicuntur R. ferialia pariter. Missa de Vigilia [Apostolorum Symonis et Judæ].

Feria iv. et v. de commemorationibus, et nichil de iii. commemoratione.

6. F. LITTERA DOMINICALIS *F*. Tertio Kalendas Octobris de S. Michaele et hystoria inchoetur cum memoria sub silentio, et de Trinitate; et nulla

processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo. Secundæ vesperæ erunt de S. Hieronymo, et memoria de Dominica sub silentio : deinde solennis memoria de S. Michaele.

Feria ii. de S. Hieronymo. Ad matutinas legitur omelia sicut in festo Ambrosii.

Feria iv. de Sancto [Leodegario]. V. ante lectiones *Gloria et honore* cum R. de ii. nocturno unius Martyris.

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus.

⁂ Nota quod epistola et evangelium de iv. Feria in ebdomade xxiii. per Æstatem pertinent ad iv. Feriam in ebdomade xvii. cum fuerit tempus oportunum.

Dominica ii. de Dominica : mediæ lectiones de S. Fide. Tamen ubi celebratur festum S. Hugonis servitium erit de ipsa translatione, ut supra ad *A.*, et tunc ad i. vesperas fiat memoria de S. Fide, de Dominica, de Trinitate; et processio; et missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum.

Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica iii. de S. Edwardo. Ad i. vesperas et ad matutinas memoria de Dominica, et de Trinitate, sub silentio; nulla processio. Ad ii. vesperas memoria de S. Calixto, de Dominica sub silentio : deinde solennis memoria de S. Maria cum Ant. *Sub tuam.*

Feria ii. de S. Maria.

Feria v. de S. Etheldreda, ix lectiones : omnia de Communi unius Virginis non martyris.

Sabbato de S. Fredeswida, ix lectiones : omnia de Communi unius Virginis et non martyris.

Dominica iv. de Dominica.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de Martyribus Crispino et Crispiniano, ix lectionum : tres primæ lectiones de proprietate, tres mediæ de S. Johanne Beverlacensi de Communi, et tres ultimæ lectiones de expositione evangelii *Descendens Jesus de monte.*

Dominica v. tota cantetur hystoria. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum *Alleluya;* et ii. vesperæ erunt de Apostolis [Symone et Judæ], et memoria de Dominica sub silentio.

Feria iii. et iv. de commemoratione.

Sabbato de Commemoratione Animarum : ad matutinas de S. Maria fiat memoria de Martyribus [Eustachio et sociis].

6. G. Littera Dominicalis *G.* Dominica i., scilicet ultimo die Septembris de S. Hieronymo, et hystoria inchoetur cum memoria sub silentio. Ad i. vesperas, quæ erunt de S. Hieronymo, fiat memoria de Dominica, et de Trinitate, sub silentio : deinde solennis memoria de S. Michaele; et nulla processio. Secundæ vesperæ erunt de S. Hieronymo et memoria de Dominica sub silentio : deinde solennis memoria de Confessoribus [Remigio et sociis], et de [Meloro] Martyre.

Feria iii. de Sancto [Leodegario] : ante lectiones V. *Gloria et honore* cum R. de ii. nocturno.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria vi. de feria cum R. de i. nocturno et missa dominicali. Tamen ubi Translatio S. Hugonis celebratur, tunc in Sabbato servitium erit de translatione, ut supra in *A.*; et tunc Feria iv., v., et vi. de commemorationibus; et missa dominicalis dicitur in capitulo in Dominica cum memoria de Trinitate tantum.

Dominica II. tota cantetur hystoria, et tantum memoria de Martyribus [Marco Marcello et Apuleio], et de Trinitate; et processio.
Feria ii., iv., et vi. de commemorationibus.

Dominica III. de Dominica. Ad i. vesperas, quæ erunt de Festo [Translationis S. Edwardi Regis et Confessoris], fiat memoria de Sancto [Calixto], de Dominica, et de Trinitate, sub silentio; nulla processio. Ad matutinas mediæ lectiones de S. Calixto. Secundæ vesperæ erunt de Dominica, et memoria de S. Vulframno. Tamen ubi Festum Translationis S. Etheldredæ celebratur: tunc ista Dominica carebit utrisque vesperis, et vesperæ erunt de S. Vulframno.
*** Et sic nota quod omnes sunt dominicæ : et non alia festa, quæ omnino carent utrisque vesperis, nisi quando Festum simplex novem lectionum, vel trium lectionum cum regimine chori, inter duo festa duplicia evenerit.
Feria iv. de S. Etheldreda, ix lectiones de Communi unius Virginis et non martyris.
Feria vi. de S. Fredeswida, ix lectiones de Communi unius Virginis non martyris.
Sabbato de S. Maria.

Dominica IV. de Dominica, memoria et mediæ lectiones de [Undecim milibus] Virginibus.
Feria ii., iv., et vi. de commemorationibus.
Feria v. de Martyre ix lectionum : tres primæ lectiones de proprietate, iii mediæ lectiones de S. Johanne Beverlaco de Communi unius Confessoris et Pontificis cum R. de ii. nocturno, iii ultimæ lectiones de expositione evangelii *Descendens Jesus de monte.*
Sabbato de feria, et dicuntur duo responsoria ferialia. Missa erit de Vigilia [Apostolorum Symonis et Judæ].

Dominica V. de Festo Apostolorum, et memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio, et nulla processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate. Ad ii. vesperas de Apostolis fiat memoria de Dominica sub silentio : deinde solennis memoria de commemoratione.
Feria ii. et iii. de commemorationibus, et nihil de tertia commemoratione.
Sabbato de S. Wenefreda Virgine et Martyre, omnia de Communi unius Virginis et Martyris.

DOMINICA PRIMA POST V. KALENDAS OCTOBRIS.

Ad primas Vesperas.

Ant. Benedictus.
Ps. *Ipsum* [*cxliii.* p. 215].
Capitulum. Benedictus Deus.
R. Tua est potentia.
Hymnus. O lux beata Trinitas.
V. Vespertina oratio.
Ant. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua et in præceptis suis : et faciat pacem.
Ps. Magnificat.

Hæ sequentes Antiphonæ serviunt Hystoriæ Adaperiat *ad Vesperas in Sabbatis, quamdiu cantabitur, super Psalmum* Magnificat, *vel ad Memoriam de Dominica cum de aliquo Festo novem Lectionum fit servitium.*

Ant. Da pacem, Domine, in diebus nostris : quia non est alius qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster.
Ps. Magnificat.
Ant. Tua est potentia, tuum regnum, Domine, tu es super omnes gentes : da pacem, Domine, in diebus nostris, Alleluya.
Ps. Magnificat.
Ant. Accingimini filii potentes et estote parati in prœlio : quoniam melius est nobis mori in bello quam videre mala gentis nostræ et sanctorum. sicut fuerit voluntas in cælo sic fiat.
Ps. Magnificat.
Ant. Exaudiat Dominus orationes vestras et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo Dominus Deus noster, Alleluya.
Ps. Magnificat.

Ad Matutinas.

Invitatorium. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua. Et in præceptis suis et faciat pacem.
Ps. Venite.

In primo Nocturno.

Ant. Pro fidei meritis.
Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).
V. Memor fui nocte.
Hac die incipiatur Liber Machabeorum, et legatur usque ad primam Dominicam post v. Kalendas Novembris, quando de Temporali agitur.

Lectio i. (*Legenda* 1. 1. *Machab. i.*)

Et factum est postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Grecia, egressus de terra Cethim Darium regem Persarum et Medorum, constituit* prœlia multa : et omnium obtinuit munitiones, et interfecit reges terræ : et pertransiit usque ad fines terræ, et accepit spolia multitudinis gentium : et siluit terra in conspectu ejus. Et congregavit virtutem et exercitum fortem nimis, et exaltatum est et elevatum cor ejus : et obtinuit regiones gentium, et tyrannos, et facti sunt illi in tributum. Tu autem.
R. 1. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua et in præceptis suis, et faciat pacem in diebus nostris. Concedat vobis salutem et redimat vos a malis.
V. Exaudiat Dominus orationes vestras et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo.
Concedat.

* 'constituitq' *Chevallon.*

Lectio ii. [1. *Machab. i.* 6.]

Et post hæc decidit in lectum et cognovit quia moreretur, et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute sua : et divisit illis regnum suum cum adhuc viveret : et regnavit Alexander annis duodecim : et mortuus est. Et obtinuerunt pueri ejus regnum unusquisque in loco suo, et imposuerunt sibi omnes dyademata post mortem ejus, et filii eorum post eos annis multis : et multiplicata sunt mala in terra. Et exiit ex eis radix peccatrix* Antiochus illustris, filius Antiochi regis qui fuerat Romæ obses : et regnavit in anno centesimo tricesimo † septimo regni Grecorum. Tu.

R. 2. Exaudiat Dominus orationes vestras et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo Dominus Deus noster.

V. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua : et in præceptis suis, et faciat pacem.

Dominus Deus noster.

Lectio iii. [1. *Machab. i.* 12.]

In diebus illis, Exierunt ex Israel filii iniqui : et suaserunt multis dicentes, Eamus et disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt : quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinaverunt aliqui‡ de populo, et abierunt ad regem : et dedit illis potestatem ut facerent justiciam|| gentium. Et ædificaverunt gymnasium in Hierosolymis secundum leges nationum : et fecerunt sibi præputia, et recesserunt a testamento sancto, et juncti sunt nationibus, et venundati sunt ut facerent malum. Et prosperatum§ est regnum in conspectu regis Antiochi : et cœpit regnare in terra Egypti, ut regnaret super duo regna. Tu autem.

R. 3. Tua est potentia, tuum regnum, Domine. tu es super omnes gentes. Da pacem, Domine, in diebus nostris.

V. Creator omnium Deus terribilis et fortis justus et misericors.

Da pacem. Gloria. Da pacem.

In secundo Nocturno.

Ant. Naturæ genitor.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. Media nocte.

Lectio iiii. (*Legenda* 2.) [1. *Machab. i.* 18.]

Et intravit Antiochus in Egyptum in multitudine gravi, in curribus et elephantis et equitibus : et copiosa navium multitudine. Et constituit bellum adversus Ptolomeum regem Egypti, et veritus est Ptolomeus a facie ejus et fugit : et ceciderunt vulnerati multi. Et comprehendit civitates munitas in terra Egypti : et accepit spolia terræ Egypti. Et convertit Antiochus postquam percussit Egyptum, in centesimo et quadragesimo et tertio anno, et ascendit ad Israel : et ascendit Hierosolimam in multitudine gravi. [Tu.]

R. 4. Congregati sunt inimici nostri et gloriantur in virtute sua ; contere fortitudinem illorum, Domine, et disperge illos. Ut cognoscant quia non est alius qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster.

V. Disperge illos in virtute tua, et destrue eos, protector noster Domine.

Ut cognoscant quia non.

Lectio v. [1. *Machab. i.* 23.]

Et intravit in sanctificationem cum superbia : et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et

* 'peccati' *Legenda* 1518. † 'tricesimo &' *Chevallon.* 'trigesimo' *ed. Vulg.*
‡ 'aliquos' *Portif.* 1519, 1557. || 'iustitias' *Leg.* 1518. 'iusticias' *Chevallon.*
§ 'paratum' *ed. Vulg. cum Portiforiis.*

universa vasa ejus, et mensam propositionis, et libatoria, et phialas, et mortariola aurea, et velum, et coronas, et ornamentum aureum quod in facie templi erat, et comminuit omnia. Et accepit argentum et aurum : et vasa concupiscibilia. Et accepit thesauros occultos quos invenit : et sublatis omnibus abiit in terram suam. Et fecit cædem hominum : et locutus est in superbia magna. Et factus est planctus magnus in Israel: et in omni loco eorum. Et ingemuerunt principes, et seniores, juvenes et virgines infirmati sunt : et speciositas mulierum immutata est. Omnis maritus sumpsit lamentum : et quæ sedebant in thoro maritali lugebant. Et commota est terra super inhabitantes eam : et universa domus Jacob induit confusionem.

R. 5. Impetum inimicorum ne timueritis : memores estote quomodo salvi facti sunt patres nostri. Et nunc clamemus in cælum : et miserebitur nostri Deus noster.

V. Mementote mirabilium ejus quæ fecit Pharaoni et exercitui ejus in mari rubro.

Et nunc.

Lectio vi. [1. *Machab. i.* 30.]

Et post duos annos iterum misit rex principem tributorum in civitates Juda, et venit Hierusalem cum turba magna, et locutus est ad eos verba pacifica in dolo : et crediderunt ei. Et irruit super civitatem repente : et percussit eam plaga magna, et perdidit populum multum ex Israel. Et accepit spolia civitatis et succendit eam igni, et destruxit domos ejus et muros ejus in circuitu, et captivas duxerunt mulieres, et natos et pecora possederunt. Et ædificaverunt civitatem David muro magno et firmo et turribus firmis : et facta est illis in arcem.

R. 6. Refulsit sol in clipeos aureos et resplenduerunt montes ab eis. Et fortitudo gentium dissipata est.

V. Erat enim exercitus magnus valde et fortis, et appropiavit Judas et exercitus ejus in prœlium.

Et fortitudo. Gloria. Et.

In tertio Nocturno.

Ant. Sponsus.

Ps. Cæli enarrant (*xviii.* p. 23).

V. Exaltare, Domine, in virtute.

R. 7. Ornaverunt faciem templi coronis aureis : et dedicaverunt altare Domino. Et facta est lætitia magna in populo.

V. In hymnis et confessionibus benedicebant Dominum.

Et facta.

R. 8. In hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, Qui magna fecit in Israel : et victoriam dedit illis Dominus omnipotens.

V. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt altare Domino,

Qui magna.

Responsoria ferialia.

R. Congregatæ sunt gentes in multitudine ut dimicent contra nos : et ignoramus quid agere debeamus. Domine Deus, ad te sunt oculi nostri ne pereamus.

V. Tu scis quæ cogitant in nos, quomodo poterimus subsistere ante faciem illorum nisi tu adjuves nos.

* Domine.

R. Dixit Judas Symoni fratri suo, elige tibi viros : et vade libera fratres tuos in Galileam, ego autem et Jonathas frater meus ibimus in Galaadithim. Sicut fuerit voluntas in cælo sic fiat.

V. Et nunc clamemus in cælum : et miserebitur nostri [Deus noster].

Sicut. Gloria. Sicut.

* 'Et ignoramus' *Portiforium* 1557. *De repetitione in hoc loco nihil certum distinguit Portif.* 1519.

Lectio i. (*Legenda* 3. 1. *Machab. i.* [36.])

Et posuerunt illic gentem peccatricem viros iniquos : et convaluerunt in ea. Et posuerunt arma et escas, et congregaverunt spolia Hierusalem et reposuerunt illic : et facti sunt in laqueum magnum. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi : et in damnum magnum in Israel. Et effuderunt viri iniqui sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis : et contaminaverunt sanctificationem. Tu autem, Domine.

Lectio ii. [1. *Machab.* i. 40.]

Et fugerunt habitatores Hierusalem propter eos : et facta est habitatio exterorum. Et facta est extera a semine suo, et nati ejus reliquerunt eam. Sanctificatio ejus desolata est : sicut solitudo. Dies festi ejus conversi sunt in luctum, sabbata ejus in opprobrium : honores ejus in nichilum. Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus : et sublimitas ejus conversa est in luctum. Tu autem, Domine.

Lectio iii. [1. *Machab. i.* 43.]

Et scripsit rex Antiochus omni regno suo : ut esset* omnis populus unus. Et reliquerunt unusquisque legem suam : et consenserunt omnes gentes secundum verbum regis Antiochi. Et multi ex Israel consenserunt ei : et sacrificaverunt ydolis, et coinquinaverunt sabbatum. Et misit rex Antiochus libros per manus nunciorum in Hierusalem et in omnes civitates Judæ, ut sequerentur leges gentium terræ, et prohiberent olocausta, et sacrificia, et placationes fieri in templo Dei : et prohiberent celebrari sabbatum et dies solennes, et coinquinari sancta et sanctum populum Israel. Tu autem, Domine.

Lectio i. (*Legenda* 4. 1. *Machab. i.* [50.])

Et jussit Antiochus ædificari aras et templa et idola : et immolari carnes suillas et pecora communia; et relinquere filios suos incircuncisos, et coinquinari animas eorum in omnibus immundiciis et abominationibus, ita ut obliviscerentur legem : et immutarent omnes justificationes Dei. Et quicunque non fecissent secundum verbum regis Antiochi : morerentur. Secundum omnia verba hæc scripsit omni regno suo : et præposuit principes populo qui hæc fieri cogerent. Et jusserunt civitatibus Judæ sacrificare. Et congregati sunt multi de populo ad eos qui dereliquerant legem Domini, et fecerunt mala super terram : et effugaverunt populum Israel in abditis, et in absconditis fugitivorum locis.

Lectio ii. [1. *Machab. i.* 57.]

Die quintadecima mensis Casleu quinto et quadragesimo et centesimo anno : ædificavit rex Antiochus abominandum ydolum desolationis super altare Dei, et per universas civitates Judæ in circuitu ædificaverunt aras. Et ante januas domorum et in plateis : incendebant thura et sacrificabant. Et libros legis Dei combusserunt igni : scindentes eos. Et apud quencunque inveniebantur libri testamenti Domini : et quicunque observabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum. Tu autem.

Lectio iii. [1 *Machab. i.* 61.]

In virtute sua faciebat hæc populo Israel qui inveniebatur in omni mense in civitatibus. Et quinta et vicesima die mensis : sacrificabant super aram quæ erat contra altare. Et mulieres quæ circuncidebant filios suos trucidabantur : secundum

* 'essent' *Chevallon.*

jussum regis Antiochi. Et suspendebant pueros a cervicibus per universas domos eorum : et eos qui circunciderant illos* trucidabant. Et multi de populo Israel diffinierunt apud se : ut non manducarent immunda. Et elegerunt magis mori : quam cibis coinquinari immundis. Et noluerunt infringere legem Dei sanctam, et trucidati sunt : et facta est ira magna super populum valde. Tu autem, Domine.

Lectio i. (*Legenda* 5. 1. *Machab. ii.*)

In diebus illis, Surrexit Mathathias filius Johannis, filii Symeonis sacerdotis ex filiis Joarim, ab Hierusalem : et consedit in monte Modin. Et habebat filios quinque, Johannan qui cognominabatur‡ Gaddis, et Symon qui cognominabatur Thasy, et Judas qui vocabatur Machabeus, et Eleazarus|| qui cognominabatur Abaron : et Jonathas qui cognominabatur Apphus. Hi viderunt mala quæ fiebant in populo Juda et Hierusalem.

Lectio ii. [1. *Machab. ii.* 7.]

Et dixit Mathathias, Væ michi. Ut quid natus sum videre contritionem civitatis sanctæ : et sedere illic cum datur in manibus inimicorum. Sancta in manu extraneorum facta sunt : templum ejus sicut homo ignobilis. Vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt. Trucidati sunt senes ejus in plateis : et juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum. Quæ gens non hereditavit regnum ejus, et non obtinuit spolia ejus? Omnis compositio ejus ablata est. Quæ erat libera : facta est ancilla. Et ecce sancta nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est : et coinquinaverunt eam gentes. Quid ergo nobis adhuc vivere? Tu autem, Domine.

Lectio iii. [1. *Machab. ii.* 14.]

Scidit Mathathias et filii ejus vestimenta sua : et operuerunt se ciliciis et planxerunt valde. Et venerunt illuc qui missi erant a rege Antiocho : ut cogerent eos qui confugerant in civitatem Modin immolare et accendere thura, et a lege Dei discedere. Et multi de populo Israel consentientes accesserunt ad eos : sed Mathathias et filii ejus constanter steterunt. Et respondentes qui missi erant ab Antiocho : dixerunt Mathathiæ, Princeps et clarissimus et magnus es in hac civitate, et ornatus filiis et fratribus.

Lectio i. (*Legenda* 6.) [1. *Machab. ii.* 18.]

Ergo accede prior, et fac jussum regis sicut fecerunt omnes gentes et viri Juda : et qui remanserunt in Hierusalem : et eris tu et filii tui inter amicos regis, et amplificatus argento et auro et muneribus multis. Et respondit Mathathias : et dixit magna voce, Et si omnes gentes regi Antiocho obediunt : ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consentiant mandatis ejus : ego et filii mei et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. Propicius sit nobis Deus. Non est nobis utile relinquere legem et justicias Dei. Non audiemus verba regis Antiochi : nec sacrificabimus ydolis transgredientes legis nostræ mandata ut eamus altera via.

Lectio ii. [1. *Machab. ii.* 23.]

Ut cessavit Mathathias loqui : accessit quidam Judeus in omnium oculis sacrificare ydolis super aram in civitate Modin secundum jussum regis. Et vidit Mathathias et doluit, et contremuerunt renes ejus : et accensus est furor ejus secundum judicium legis, et insiliens trucidavit

* 'eos' *Leg.* 1518. ‡ 'cognominatur' *Leg.* 1518. 'Judam...Eleazarum...Jonathan' *Ed. Vulg.* || 'elazarus' *Leg.* 1518.

eum super aram. Sed et virum quem miserat rex Anthiochus qui cogebat immolare occidit in ipso tempore : et aram destruxit. Et zelatus est legem sicut fecit Phinees : Zambri filio Salomi. Tu autem.

Lectio iii. [1. *Machab. ii.* 27.]

Et exclamavit Mathathias voce magna in civitate dicens, Omnis qui zelum habet legis : statuens testamentum exeat post me. Et fugit ipse et filii ejus in montes : et reliquerunt quæcunque habebant in civitate. Tunc descenderunt multi quærentes judicium et justiciam in desertum : et sederunt ibi ipsi et filii eorum, et mulieres eorum, et pecora eorum, quoniam inundaverunt super eos mala.

† *Lectio i.* (*Legenda* 7. 1. *Machab. ii.* [31.])

Renunciatum est viris regis et exercitui qui erant in Hierusalem civitate David : quoniam discessissent viri quidam qui dissipaverunt mandatum regis in loca occulta in deserto, et abiissent post illos multi. Et statim perrexerunt adversus eos : et constituerunt adversus eos prœlium in die sabbatorum. Et dixerunt ad eos, Resistitis et nunc adhuc? Exite et facite secundum verbum regis : et vivetis.

Lectio ii. [1. *Machab. ii.* 34.]

Et dixerunt, Non exibimus neque faciemus verbum regis : ut polluamus diem sabbatorum. Et concitaverunt adversus eos prœlium, et non responderunt eis nec lapidem miserunt in illos : nec oppilaverunt loca occulta dicentes, Moriamur omnes in simplicitate nostra, et testes erunt super nos cælum et terra : quod injuste perditis nos.

Lectio iii. [1. *Machab. ii.* 38.]

Et intulerunt eis bellum sabbatis. Et mortui sunt ipsi et uxores eorum et filii eorum et pecora eorum : usque ad mille animas hominum. Et cognovit Mathathias et amici ejus : et luctum habuerunt super eos valde. Et dixit vir proximo suo, Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, et non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris et justificationibus nostris : citius disperdent nos a terra. Et cogitaverunt die illa dicentes, Omnis homo quicunque venerit ad nos in bello die sabbatorum : pugnemus adversus eum, et non moriamur omnes sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.

Lectio i. (1. *Machabeorum ii.* [42.] *Legenda* 8.)

Tunc congregata est ad eos synagoga Judeorum fortis viribus ex Israel : omnis voluntarius in lege. Et omnes qui fugiebant a malis additi sunt ad eos : et facti sunt illis ad firmamentum. Et collegerunt exercitum, et percusserunt peccatores in ira sua, et viros iniquos in indignatione sua : et ceteri fugerunt ad nationes ut evaderent. Et circuivit Mathathias et amici ejus : et destruxerunt aras. Et circunciderunt pueros incircuncisos quotquot invenerunt in finibus Israel in fortitudine, et persecuti sunt filios superbiæ : et prosperatum est opus in manibus eorum. Et obtinuerunt legem de manibus gentium et de manibus regum : et non dederunt cornu peccatori. Tu autem.

Lectio ii. [1. *Machab. ii.* 49.]

Et appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi : et dixit filiis suis, Nunc confortata est superbia et castigatio : et tempus eversionis et

* '*HISTORIA*' Chevallon in hoc loco et ad p. mcccclxxix.
† '*Feria. ij.*' Legend. 1518.

ira indignationis. Nunc ergo, O filii, æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum, et mementote operum patrum quæ fecerunt in generationibus suis : et accipietis gloriam magnam et nomen æternum.

Lectio iii. [1. *Machab. ii.* 62.]

Dixit Mathathias filiis suis, A verbis viri peccatoris non timueritis : quia gloria ejus stercus et vermis est. Hodie extollitur, et cras non invenietur : quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periet. Vos ergo, filii, confortamini, et viriliter agite in lege : quia cum feceritis quæ vobis præcepta sunt a Domino Deo vestro, in ipsa gloriosi eritis. Et ecce Symon frater vester, scio quod vir consilii est : ipsum semper audite et ipse vobis erit pater. Et Judas Machabeus fortis viribus a juventute sua, sit vobis princeps militiæ : et ipse aget bellum populi. Et adducetis ad vos omnes factores legis : et vindicate vindictam populi vestri. Retribuite retributionem gentibus : et intendite in præceptum legis. Et benedixit eos : et appositus est ad patres suos. Et defunctus est centesimo et quadragesimo et sexto anno : et sepultus est a filiis suis in sepulchris patrum suorum in Modin, et planxerunt eum omnis Israel planctu magno.

Lectio i. (1. *Machabeorum iii. Legenda* 9.)

Et surrexit Judas qui vocabatur Machabeus, pro patre suo, et adjuvabant eum omnes fratres ejus et universi qui se conjunxerant patri ejus : et prœliabantur prœlium Israel cum læticia, et dilatavit gloriam populo suo. Et induit se loricam sicut gygas, et succinxit se arma bellica sua in prœliis : et protegebat castra gladio suo.

Lectio ii. [1. *Machab. iii.* 4.]

Similis factus est leoni in operibus suis : et sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persecutus est iniquos perscrutans eos : et qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis. Et repulsi sunt inimici præ timore ejus, et omnes operarii iniquitatis turbati sunt : et directa est salus in manu ejus. Et exacerbabat Judas reges multos, et lætificabat Jacob in operibus suis : et in seculum memoria ejus in benedictione. Et perambulavit civitates Juda, et perdidit impios ex eis, et avertit iram ab Israel : et nominatus est usque ad novissimum terræ, et congregavit pereuntes.

Lectio iii. [1. *Machab. iii.* 10.]

Et congregavit Appollonius gentes, et a Samaria virtutem multam et magnam : ad bellandum contra Israel. Et cognovit Judas et exiit obviam illi : et percussit et occidit illum. Et ceciderunt vulnerati multi, et reliqui fugerunt : et accepit spolia eorum. Et gladium Appollonii abstulit Judas : et erat pugnans in eo omnibus diebus. Et audivit Seron princeps exercitus Syriæ, quod congregavit Judas congregationem et ecclesiam fidelium secum : et præparavit se, et ascenderunt cum eo castra impiorum fortes auxiliarii, ut facerent vindictam in filios Israel, et appropinquaverunt usque ad Bethoron. Et exivit Judas obviam illi cum paucis. [Tu autem.]

Lectio i. (*Legenda* 10.) [1. *Machab. iii.* 17.]

Ut autem viderunt filii Israel exercitum venientem sibi obviam :

* '*HISTORIA*' *Chevallon.*

dixerunt Judæ, Quomodo poterimus pauci contra tantam pugnare multitudinem et tam fortem? Et nos jejunio fatigati sumus hodie. Et ait Judas, Facile est concludi multos in manibus paucorum, et non est differentia in conspectu Dei cæli liberare in multis aut in paucis, quia non in multitudine exercitus victoria belli : sed de cælo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci et superba : ut disperdant nos et uxores nostras et filios nostros, et ut spolient nos. Nos vero pugnabimus pro animabus nostris et legibus nostris : et ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram. Vos autem ne timueritis eos. [Tu autem.]

Lectio ii. [1. *Machab. iii.* 23.]

Ut cessavit autem loqui, insiluit* in eos subito : et contritus est Seron et exercitus ejus in conspectu ipsius. Et persequebatur eum in descensu Bethoron usque in campum. Et ceciderunt ex eis octingenti viri : reliqui autem fugerunt in terram Philistiim. Et cecidit timor Judæ ac fratrum ejus et formido super omnes gentes in circuitu eorum, et pervenit ad regem Antiochum nomen ejus : et de prœliis Judæ narrabant omnes gentes. Ut audivit autem Antiochus rex sermones istos : iratus est animo. Et misit et congregavit exercitum universi regni sui : castra fortia valde. Et aperuit ærarium suum : et dedit stipendia exercitui in annum, et mandavit illis ut essent parati ad omnia. [Tu autem.]

Lectio iii. [1. *Machab. iii.* 29.]

Et vidit quod defecit pecunia de thesauris suis, et tributa regionis modica propter dissensionem et plagam quam fecit in terra, ut tolleret legitima, quæ erant a primis diebus : et timuit ne non haberet ut semel et bis in sumptus et donaria, quæ dederat ante larga manu et abundaverat super reges qui ante eum fuerant, et consternatus erat animo valde. Et cogitavit ire in Persidem ut acciperet tributa regionum : et congregaret argentum multum. Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali super negocia regia a flumine Eufrate† usque ad flumen Egypti : et ut nutriret Antiochum filium suum donec rediret. [Tu.]

Lectio i. (1. *Machabeorum iii.* [34.] *Legenda* 11.)

Et tradidit ei medium‡ exercitum et elephantos, et mandavit ei de omnibus quæ volebat, et de inhabitantibus Judeam et Hierusalem : et ut mitteret ad eos exercitum ad conterendam et extirpandam virtutem Israel, et reliquias Hierusalem, et auferendam memoriam eorum de loco, et ut constitueret habitatores alienigenas in omnibus finibus eorum, et sorte distribueret terram eorum.

Lectio ii. [1. *Machab. iii.* 38.]

Et elegit Lysias Ptolomeum filium Dorimini‖ : et Nichanorem et Gorgyam viros potentes ex amicis regis. Et misit cum eis quadraginta milia virorum et septem milia equitum : ut venirent in terram Juda, et disperderent eam secundum verbum regis. Et processerunt ut irent cum universa virtute sua : et venerunt et applicuerunt Ammaum in terra campestri.

Lectio iii. [1. *Machab. iii.* 41.]

Et audierunt mercatores regionum nomen eorum, et acceperunt argentum et aurum multum valde et pueros : et venerunt in castra ut acciperent filios Israel in servos. Et additi sunt ad eos exercitus Syriæ : et terræ alienigenarum. Et vidit

* 'insiliuit' *Chevallon.*
† 'eufraten' *Chevallon cum Legend.* 1518.
‡ 'dimidium' *Chevallon.*
‖ 'dorim:' *Chevallon.*

Judas et fratres ejus quia multiplicata sunt mala, et exercitus applicabat ad fines eorum : et cognoverunt verba regis quæ mandavit populo facere in interitum et consummationem. Et dixerunt unusquisque ad proximum suum, Erigamus dejectionem populi nostri : et pugnemus pro populo nostro et sanctis nostris. Tu autem.

Lectio i. (*Legenda* 12. 1. *Machab. iii.* [44.])

Et congregatus est conventus : ut essent parati in prœlium : et ut orarent et peterent misericordiam et miserationes. Et Hierusalem non habitabatur : sed erat sicut desertum. Non erat qui ingrederetur et egrederetur de natis ejus : et sanctum conculcabatur : et filii alienigenarum erant in arce. Ibi erat habitatio gentium. Et ablata est voluptas ab Jacob : et defecit ibi tibia et cythara. Et congregati sunt et venerunt in Masphat contra Hierusalem : quia locus orationis erat in Masphat ante in Israel.

Lectio ii. [1. *Machab. iii.* 47.]

Et jejunaverunt illa die et induerunt se ciliciis et miserunt cinerem in capite suo * et destituerunt vestimenta sua : et expanderunt libros legis de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum. Et attulerunt ornamenta sacerdotalia, et primitias et decimas, et suscitaverunt Nazareos qui impleverant dies : et clamaverunt voce magna in cælum dicentes, Quid faciemus viris istis, et quo eos ducemus? Et sancta tua conculcata sunt et contaminata sunt : et sacerdotes tui facti sunt in luctu et in humilitate. Tu autem.

Lectio iii. [1. *Machab. iii.* 52.]

Et ecce nationes convenerunt adversum nos : ut nos disperdant. Tu scis quæ cogitant in nos. Quomodo poterimus subsistere ante faciem illorum nisi tu adjuves nos? Et tubis exclamaverunt voce magna. Et constituit Judas duces populi tribunos et centuriones : et pentacontarchos et decuriones. Dixitque his qui ædificabant domos, et sponsabant uxores, et plantabant vineas, et formidolosis : ut redirent unusquisque in domum suam secundum legem. Et moverunt castra : et collocaverunt ad austrum Ammaum. Tu autem, Domine, miserere nostri.

Lectio i. (*Legenda* 13. 1. *Machab. iii.* [58.])

Ait Judas, Accingimini : et estote filii potentes. Estote parati in mane ut pugnetis adversus nationes has, quæ convenerunt disperdere nos et sancta nostra : quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cælo : sic fiat. Et assumpsit Gorgias quinque milia virorum et mille equites electos, et moverunt castra nocte ut applicarent ad castra Judeorum : et percuterent eos subito. Et filii qui erant ex arce : erant illis duces. Et audivit Judas et surrexit ipse et potentes percutere virtutem exercituum regis quæ erat in Ammaum. Adhuc enim dispersus erat exercitus a castris.

Lectio ii. [1. *Machab. iv.* 5.]

Venit Gorgias in castra Judæ noctu : et neminem invenit. Et quærebat † eos in montibus : quoniam dixit, fugiunt hi a nobis. Et cum dies factus esset, apparuit Judas

* 'et cinerem imposuerunt capiti suo,' *Ed. Vulg.* 'et cinerem in capite suo sparserunt,' *Leg.* 1518.

† 'querebant' *Chevallon.*

in campo cum tribus milibus virorum tantum : qui tegumenta et gladios non habebant. Et viderunt castra gentium valida, et loricatos et equitatus in circuitu eorum : et hi docti ad prœlium. Et ait Judas viris qui secum erant, Ne timueritis multitudinem illorum : et impetum eorum ne formidetis. Mementote qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari rubro : cum persequeretur eos Pharao cum exercitu multo*. Et nunc clamemus in cælum, et miserebitur nostri Dominus, et memor erit testamenti patrum nostrorum : et conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie, et scient omnes gentes quia est qui redimat et liberet Israel.

Lectio iii. [1. *Machab. iv.* 12.]

Et levaverunt † alienigenæ oculos suos, et viderunt eos venientes ex adverso : et exierunt de castris in prœlium. Et tuba cecinerunt hi qui fuerant ‡ cum Juda. Et congressi sunt, et contritæ sunt gentes : et fugerunt in campum. Novissimi autem ceciderunt in gladio, et persecuti sunt eos usque Gazeron : et usque in campos Ydumeæ et Azoti et Jamniæ. Et ceciderunt ex illis tria milia virorum : et reversus est Judas et exercitus ejus sequens eum. Tu autem, Domine.

Lectio i. (*Legenda* 14.) [1. *Machab. iv.* 17.]

Et dixit Judas ad populum, Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est : et Gorgias et exercitus ejus in monte prope nos, sed state nunc contra inimicos vestros et expugnate eos, et post hæc sumetis spolia. Et adhuc loquente Juda : ecce apparuit pars quædam prospiciens de monte. Et vidit Gorgias quod in fugam conversi sunt sui, et succensa sunt castra : fumus enim qui videbatur declarabat quod factum est. Quibus illi conspectis timuerunt valde : aspicientes simul et|| Judam et exercitum in campo paratum ad prœlium. Et fugerunt omnes in campum alienigenarum : et Judas reversus est ad spolia castrorum. Et acceperunt aurum multum et argentum et jacinctum et purpuram marinam, et opes magnas : et conversi hymnum canebant, et benedicebant in cælum Deum, quoniam bonus est. quoniam in seculum misericordia ejus. Et facta est salus magna in Israel in illa die. [Tu.]

Lectio ii. [1. *Machab. iv.* 28.]

Congregavit Lysias virorum electorum sexaginta milia, et quinque milia equitum : ut debellaret Judeos. Et venerunt in Judeam : et castra posuerunt in Bethoron. Et occurrit illis Judas : cum decem milibus viris. Et viderunt exercitum fortem : et oravit et dixit, Benedictus es salvator Israel qui contrivisti impetum potentis in manu servi tui David : et tradidisti castra alienigenarum in manu Jonathæ filii Saul et armigeri ejus. Conclude exercitum istum in manu populi tui Israel : et confundantur in exercitu suo et equitibus. Da illis formidinem, et tabefac audaciam virtutis eorum : et commoveantur contritione sua. Dejice eos gladio diligentium te : et collaudent te omnes qui noverunt nomen tuum in hymnis. Et commiserunt prœlium : et ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque milia virorum. Tu autem.

Lectio iii. [1. *Machab. iv.* 35.]

Videns autem Lysias suorum fugam et Judeorum audaciam, et quod parati sunt aut vivere aut mori fortiter : abiit Antiochiam, et elegit

* 'suo multo.' *Chevallon.*
‡ 'erant' *Ed. Vulg. cum Portiforiis.*
† 'Et elevaverunt' *Ed. Vulg.*
|| 'et' *non habet Chevallon.*

milites ut multiplicati rursus venirent in Judeam. Dixit autem Judas et* fratres ejus, Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta et renovare. Et congregatus est omnis exercitus : et ascenderunt in montem Syon. Et ut viderunt sanctificationem desertam, et altare prophanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata sicut in saltu vel in montibus, et pastoforia diruta, sciderunt vestimenta sua, et planxerunt planctu magno : et imposuerunt cinerem super caput suum, et ceciderunt in faciem super terram, et exclamaverunt tubis signorum, et clamaverunt in cælum. Tu autem, Domine, miserere.

Lectio i. (*Legenda* 15. 1. *Machab. iv.* [41.])

Tunc ordinavit Judas viros ut pugnarent adversus eos qui erant in arce : donec emundarent sancta. Et elegit sacerdotes sine macula voluntatem habentes in lege Dei : et mundaverunt sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. Et cogitavit de altari olocaustorum quod prophanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illi consilium bonum ut destrueret illud, ne forte esset illis in opprobrium : quia contaminaverunt illud gentes, et demoliti sunt illud. Et reposuerunt lapides in monte domus, in loco apto : quoadusque veniret propheta et responderet de eis.

Lectio ii. [1. *Machab. iv.* 47.]

Et acceperunt lapides integros secundum legem : et ædificaverunt altare novum, secundum illud quod fuit prius. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, et obtulerunt olocausta cum læticia, et sacrificaverunt sacrificium salutis et laudis†. Et ornaverunt faciem templi coronis aureis et scutulis, et dedicaverunt portas et pastoforia : et imposuerunt eis januas. Et facta est læticia in populo magna valde : et aversum est opprobrium gentium.

Lectio iii. [1. *Machab. v.* 1.]

Ut audierunt gentes in circuitu quia ædificatum est altare et sanctuarium sicut prius : iratæ sunt valde. Et cogitabant tollere genus Jacob qui erant inter eos, et cœperunt occidere de populo et persequi. Et debellabat Judas filios Esau in Idumea, et eos qui erant in Arabatane, quia circumsedebant Israelitas : et percussit eos plaga magna. Et recordatus est Judas maliciam filiorum Bean, qui erant populo in laqueum et in scandalum : insidiantes ei in via. [Tu autem Domine.]

Lectio i. (*Legenda* 16. 1. *Machab. v.* [5.])

Et conclusi sunt ab eo in turribus : et applicuit ad eos, et anathematizavit eos : et incendit turres eorum igni cum omnibus quæ in eis erant. Et transiit ad filios Ammon, et invenit manum fortem : et populum copiosum, et Timotheum ducem ipsorum. Et commisit cum eis prœlia multa, et contriti sunt in conspectu eorum‡ : et percussit eos. Et cepit Gazer civitatem et filias ejus : et reversus est in Judeam. Tu autem.

Lectio ii. [1. *Machab. v.* 9.]

Et congregatæ sunt gentes quæ sunt in Galaad adversus Israelitas qui erant in finibus eorum ut tollerent eos : et fugerunt in Datheman munitionem, et miserunt litteras ad

* 'ad' *Ed. Vulg. cum Portiforiis.*

† 'læticia, et sacrificium salutaris et laudis.' *Ed. Vulg.* 'leticia: & salutaria laudis.' *Legend.* 1518.

‡ 'eius :' *Chevallon.*

Judam et fratres ejus dicentes, Congregatæ sunt adversum nos gentes per circuitum ut auferant nos, et parant venire et occupare munitionem in quam confugimus : et Timotheus est dux exercitus eorum. Nunc ergo veni et eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis : et omnes fratres nostri qui erant in locis Tubin interfecti sunt.

Lectio iii. [1. *Machab. v.* 13.]

Et captivas abduxerunt*, uxores eorum et natos et spolia : et peremerunt illic ferme mille viros. Adhuc epistolæ legebantur, et ecce alii nuncii venerunt de Galilea conscissis tunicis nunciantes secundum verba hæc, dicentes convenisse adversum se a Ptolomaida et Tyro et Sydone : et repleta est omnis Galilea alienigenis ut nos consumant. Ut audivit autem Judas et populus sermones istos : convenit ecclesia magna cogitare quid facerent fratribus suis qui in tribulatione erant et expugnabantur ab eis. [Tu autem.]

Lectio i. (*Legenda* 17. 1. *Machab. v.* [17.])

Dixitque Judas Symoni fratri suo, Elige tibi viros : et vade et libera fratres tuos in Galilea. Ego enim et Jonathas frater meus : ibimus in Galaadithim. Et reliquit Josephum filium Zachariæ et Azariam duces populi cum residuo exercitu in Judea ad custodiam : et præcepit illis dicens, Præestote populo huic, et nolite bellum committere adversus gentes, donec revertamur. Tu autem.

Lectio ii. [1. *Machab. v.* 20.]

Et dati sunt Symoni viri tria milia ut iret in Galileam : Judæ autem octo milia in Galaadithim. Et abiit Symon in Galileam et commisit prœlia multa cum gentibus : et contritæ sunt gentes a facie ejus. Et persecutus est eos usque ad portam Ptolomaidis. Et ceciderunt de gentibus fere tria milia virorum : et accepit spolia eorum. Et assumpsit eos qui erant in Galilea et in Arbatanis† cum uxoribus et natis et omnibus quæ erant illis : et adduxit in Judeam cum læticia magna.

Lectio iii. [1. *Machab. v.* 24.]

Judas Machabeus et Jonathas frater ejus transierunt Jordanem : et abierunt viam trium dierum per desertum. Et occurrerunt eis Nabuthei : et susceperunt eos pacifice. Et narraverunt eis omnia quæ acciderant fratribus eorum in Galaadithide : et quia multi ex eis comprehensi sunt in Barasa‡, et Bosor, et in Alimis, et in Casphor, et Mageth, et Carnaim. Hæ omnes civitates munitæ et magnæ. Sed et in ceteris civitatibus Galaadithidis tenentur comprehensi. Et in crastinum constituerunt admovere exercitum civitatibus his : et comprehendere et tollere eos in una die. Et convertit Judas et exercitus ejus viam in deserto Bosor|| repente : et occupavit civitatem et occidit omnem masculum in ore gladii. Et accepit omnia spolia eorum, et succendit eam igni : et surrexerunt inde nocte, et ibant usque ad munitionem. Tu autem.

Lectio i. (*Legenda* 18.) [1. *Machab. v.* 30.]

Et factum est diluculo cum elevassent oculos suos, ecce populus multus cujus non erat numerus : portantes scalas et machinas ut comprehenderent munitionem, et expug-

* 'adduxerunt,' *Chevallon.* 'duxerunt,' *Ed. Vulg.*
† 'Arbatis' *Ed. Vulg. cum Leg.* 1518. ‡ 'basaca,' *Chevallon.*
|| 'Basor' *Chevallon.*

narent eos. Et vidit Judas quia cœpit bellum, et clamor belli ascendit ad cælum sicut tuba : et clamor magnus de civitate, et dixit exercitui suo, Pugnate hodie pro fratribus vestris. Et venit tribus ordinibus post eos.

Lectio ii. [1. *Machab. v.* 33.]

Et exclamaverunt tubis : et clamaverunt in oratione. Et cognoverunt castra Timothei quia Machabeus est : et fugerunt a facie ejus. Et percusserunt eos plaga magna : et ceciderunt ex eis in illa die fere octo milia virorum. Et divertit Judas in Maspha* : et expugnavit et cepit eam. Et occidit omnem masculum ejus, et sumpsit spolia ejus : et succendit eam igni. Inde perrexit et cepit Casbon, et Maged †, et Bosor : et reliquas civitates Galaadithidis. [Tu autem.]

Lectio iii. [1. *Machab. v.* 37.]

Post hæc autem verba congregavit Timotheus exercitum alium : et castra posuit contra Raphon trans torrentem. Et misit Judas speculari exercitum et renunciaverunt ei dicentes, quia convenerunt omnes gentes quæ in circuitu nostro sunt : exercitus multus nimis. Et Arabes conduxit in auxilium sibi, et castra posuerunt trans torrentem : parati ad te venire in prœlium. Et abiit Judas obviam illis. [Tu autem.]

Lectio i. (*Legenda* 19. 1. *Machab. v.* [40.])

Et ait Timotheus principibus exercitus sui, Cum appropinquaverit Judas et exercitus ejus ad torrentem aquæ, si transierit ad nos prior : non poterimus sustinere eum, quia potens poterit adversum nos. Si vero timuerit transire, et posuerit castra circa flumen : transfretemus ad eos et poterimus adversus illum.

Lectio ii. [1. *Machab. v.* 42.]

Ut autem appropinquavit Judas ad torrentem aquæ, statuit scribas populi secus torrentem : et mandavit eis dicens, Neminem hominum reliqueritis : sed veniant omnes in prœlium. Et transfretavit ad illos prior : et omnis populus post eum. Et contritæ sunt ante faciem eorum omnes gentes et projecerunt arma sua : et fugerunt ad phanum quod est in Carnaim. Et occupavit ipsam civitatem : et phanum succendit igni cum omnibus qui erant in ipso. Et oppressa est Carnaim, et non potuit sustinere contra faciem Judæ.

Lectio iii. [1. *Machab. v.* 45.]

Congregavit Judas universos Israelitas qui erant in Galaadithide a minimo usque ad maximum, et uxores eorum et natos, et exercitum magnum valde, ut venirent in terram Juda : et venerunt usque Ephron. Et hæc civitas magna in ingressu posita munita valde, et non erat declinare ab ea dextera vel sinistra : sed per mediam iter erat. Et incluserunt se qui erant in civitate : et obstruxerunt portas lapidibus. Et misit ad eos Judas verbis pacificis, dicens, Transeamus per terram vestram, ut eamus in terram nostram : et nemo vobis nocebit. Tantum pedibus transibimus. Et nolebant eis aperire.

Lectio i. (*Legenda* 20. 1. *Machab. v.* [49.])

Et præcepit Judas prædicare in castris : ut applicarent unusquisque in quo erant loco. Et applicuerunt viri virtutis, et oppugnavit civitatem

* 'masphat' *Leg.* 1518.

† 'Mageth' *Ed. Vulg.* 'maghet' *Leg.* 1518.

illam tota die et tota nocte. Et tradita est civitas in manu ejus. Et peremerunt omnem masculum in ore gladii : et eradicavit eam, et accepit spolia ejus, et transiit per totam civitatem super interfectos. Et transgressi sunt Jordanem in campo magno contra faciem Bethsan*, et erat Judas congregans extremos : et exhortabatur populum per totam viam donec venirent in terram Juda.

Lectio ii. [1. *Machab. v.* 54.]

Et ascenderunt in montem Syon cum læticia et gaudio et obtulerunt olocausta : quod nemo ex eis cecidisset donec reverterentur in pace. Et in diebus quibus erat Judas et Jonathas in terra Galaad, et Symon frater ejus in Galilea contra faciem Ptolomaidis : audivit Josephus Zachariæ filius et Azarias princeps virtutis res bene gestas et prœlia quæ facta sunt, et dixit, Faciamus et ipsi nobis nomen : et eamus pugnare adversus gentes quæ in circuitu nostro sunt. Tu autem, Domine, miserere.

Lectio iii. [1. *Machab. v.* 58.]

Et præcepit his qui erant in exercitu suo : et abierunt Jamniam. Et exivit Gorgias de civitate et viri ejus obviam illis in pugnam : et fugati sunt Josephus et Azarias usque in fines Judeæ. Et ceciderunt illa die de populo Israel ad duo milia viri. Et facta est plaga magna in populo, quia non audierunt Judam et fratres ejus : existimantes se fortiter facturos. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel. Et viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel et gentium omnium : ubi audiebatur nomen eorum. Tu autem, Domine, miserere [nostri].

REGULA DE HYSTORIA **Vidi Dominum,** *ubi agitur de Festo loci, vel de Sancta Maria.*

Littera Dominicalis A. *Quarto Kalendas Novembris, tota cantetur Hystoria, et Feria Secunda dicitur unum Responsorium feriale, et Sexta Feria et Sabbato fiant Commemorationes secundum usum Sarum; secundum Responsorium feriale dicitur in crastino sancti Lini papæ.*

In secunda ebdomada, Feria Tertia et Sexta fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes, et Memoria tantum de Octavis sancti Martini, cum Missa in capitulo.

In quarta ebdomada, Feria Tertia et Sexta fiant Commemorationes.

In quinta ebdomada, Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes secundum usum Sarum. In aliis, Sexta Feria et Sabbato fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis B. *Tertio Kalendas Novembris, tota cantetur Hystoria, et Feria Sexta et Sabbato fiant Commemorationes secundum usum Sarum : Responsoria ferialia dicuntur : primum Responsorium dicitur in Sexta Feria sequente ejusdem ebdomadæ, et secundum Responsorium in crastino sancti Leonardi secundum usum Sarum.*

In secunda ebdomada, Feria Quinta et Sabbatò fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Secunda et Sabbato fiant Commemorationes.

In quarta ebdomada, Feria Secunda et Sabbato fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis C. *Pridie Kalendas Novembris, inchoetur Hystoria, et mediæ Lectiones de sancto Quintino, et Memoria de eo ad Vesperas, et ad Matutinas, et ad Missam*

* 'bethsau' *Chevallon.*

de Dominica, et Missa de Vigilia in capitulo dicitur sine aliqua Memoria cum hoc Alleluya, *V.* Mirabilis. *Feria Quinta et Sexta fient Commemorationes. Responsorium feriale non dicitur in isto anno.*

In secunda ebdomada, Feria Tertia et Sexta fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Quinta et Sexta fiant Commemorationes, et Memoria tantum de Octavis sancti Martini.

In quarta ebdomada, Feria Quarta et Sabbato fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis D. *Kalendis Novembris, inchoetur Hystoria cum Memoria tantum privatim, etiam de Trinitate. Processio nulla fiat ad crucem. Feria Quinta et Sabbato fiant Commemorationes. Responsoria ferialia non dicantur.*

In secunda ebdomada, Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Quinta et Sabbato fiant Commemorationes.

In quarta ebdomada, Feria Sexta et Sabbato fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis E. *Quarto Nonas Novembris, tota cantetur Hystoria, et Memoria tantum de martyribus Eustachio sociisque ejus. In Sabbato tamen Memoria fiet de Dominica et de Trinitate privatim: processio nulla fiet ad crucem. Commemoratio Animarum differatur in crastinum, ubi fient Vesperæ de sancta Venefreda virgine et martyre: et Feria Tertia servitium cum novem Lectionibus, totum de Communi: et Feria Sexta et Sabbato fiant Commemorationes: et Responsoria ferialia non dicantur: et in proxima Dominica dicitur de Hystoria cum Memoria, et mediæ Lectiones de sancto Theodoro martyre.*

In secunda ebdomada, Feria Secunda et Sexta fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Quarta et Sexta fient Commemorationes.

In quarta ebdomada, Feria Quinta et Sexta fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis F. *Tertio Nonas Novembris, tota cantetur Hystoria, et Festum [Venefredæ] differatur in crastinum; Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes: et Responsoria ferialia dicantur in crastino sancti Leonardi.*

In secunda ebdomada, Feria Tertia et Quinta fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Tertia et Quinta fiant Commemorationes.

In quarta vero ebdomada, Feria Quarta et Quinta fiant Commemorationes.

Littera Dominicalis G. *Pridie Nonas Novembris, tota cantetur Hystoria: et Feria Secunda et Sabbato fiant Commemorationes. Responsoria ferialia dicantur, videlicet primum in crastino sancti Edmundi regis et martyris, secundum Responsorium dicitur Feria Quarta post Festum sancti Lini papæ.*

In secunda ebdomada, Feria Secunda et Quarta fiant Commemorationes.

In tertia ebdomada, Feria Secunda et Sabbato fiant Commemorationes.

In quarta ebdomada, Feria Tertia et Sabbato fiant Commemorationes.

[DOMINICA I. POST V. KALENDAS NOVEMBRIS.]

6. A. *VIDI DOMINUM.* Littera Dominicalis *A.* Quarto Kalendas Novembris tota cantetur hystoria. Ad i. vesperas quæ erunt de Apostolis [Symone et Juda] fiat memoria de Dominica, de Trinitate, sub silentio, et nulla processio. In laudibus omnes antiphonæ dicuntur.

Feria ii. et Sabbato de commemoratione.

Feria vi. de S. Wenefreda, ix lectiones de Communi unius Virginis et Martyris. Ad matutinas de S. Maria fiat memoria de Martyre* in Die Animarum.

Dominica ii. de Dominica.

Feria iii., v., et vi. de commemorationibus.

Dominica iii. de servitio dominicali : mediæ lectiones de S. Martino, cum R. de i. nocturno S. Martini.

Feria iii. et Sabbato de commemorationibus, et nichil de iii. commemoratione, et R. *O beatum virum* hoc anno prætermittitur.

Feria v. de S. Edmundo, ad matutinas et ad missam, ut patet postea in *B.*

Dominica iv. de Dominica. Ad ii. vesperas, quæ erunt de S. Edmundo, antiphona super psalmos *Beatus vir,* Capitulum *Iste Sanctus,* R. *Percepturus* †, memoria de Dominica.

Feria iii. et vi. de commemorationibus, et nichil de tertia commemoratione.

Sabbato de S. Katherina, Cap. *Confitebor.*

Dominica v. de servitio dominicali. Ad i. vesperas super psalmum Magnificat Ant. *Qui cœlorum.* Oratio *Excita quæsumus Domine,* et memoria de S. Katherina, de Martyre [Lino], de Trinitate; et processio.

Ad matutinas mediæ lectiones de S. Lino Martyre, et legatur expositio evangelii *Cum sublevasset.* R. *Summæ Trinitati.* In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Super psalmum Benedictus antiphona *Cum sublevasset.* Ad missam officium *Dicit Dominus.* Oratio *Excita quæsumus Domine.* Epistola *Ecce dies.* Evangelium *Cum sublevasset.*

Feria ii., iii., et Sabbato de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

Feria vi. de Octavis [S. Andreæ]. Missa erit de Dominica, si fuerit aliqua cantanda; sin autem, missa erit *Salus populi,* et memoria de Octavis.

6. B. Littera Dominicalis *B.* Tertio Kalendas Novembris tota cantetur hystoria. Nonum R. *Summæ Trinitati.* In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii. de S. Quintino cum nocturno. Missa de Vigilia [Omnium Sanctorum], nulla memoria.

Feria iv. Commemoratio Animarum. Ad matutinas B. Mariæ memoria de Martyribus [Eustachio et sociis].

* Eustachio et sociis ejus.

† '*Precepturus.*' Chevallon.

Feria v. de S. Wenefreda, ix lectiones de Communi unius Virginis et Martyris.

Feria vi. et Sabbato de commemorationibus, et nichil de iii. commemoratione.

Dominica II. de S. Leonardo, memoria de Dominica, de Trinitate; et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate.

Feria ii., v., et Sabbato de commemorationibus, et responsoria ferialia prætermittuntur.

Dominica III. de S. Bricio, ix lectionum. Ad i. vesperas memoria de Octavis [S. Martini], de Dominica, de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Octavis. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Octavis [S. Martini] et de Omnibus Sanctis.

Feria ii., vi., et Sabbato de commemorationibus.

Feria iv. de S. Edmundo: lectio septima cum pronunciatione Evangelii, sed absque omelia, secundum Sarum. Ad missam dicitur sic, *Sub honore Edmundi Confessoris* Ps. *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor* (lxiii. p. 121).

Dominica IV. de S. Edmundo. Ad i. vesperas antiphona super psalmos *Beatus vir.* Capitulum *Iste Sanctus.* Responsorium *Percepturus**, memoria de Dominica, de Trinitate; et processio. Oratio *Excita quæsumus Domine.* Ad matutinas memoria de Dominica, Ant. *Cum sublevasset.* Missa dominicalis dicitur in capitulo.

Feria ii., v., et Sabbato de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

*** Nota quod in Die Omnium Sanctorum omnes horæ de S. Maria† dicuntur extra chorum more solito.

6. C. LITTERA DOMINICALIS *C.* Pridie Kalendas Novembris inchoetur hystoria: mediæ lectiones de Sancto [Quintino]. In laudibus omnes antiphonæ. Missa de Vigilia [Omnium Sanctorum] dicitur in capitulo sine memoria. Ad altam missam memoria de Sancto [Quintino] et de Trinitate.

Feria ii. Festum Omnium Sanctorum. Ad i. vesperas memoria de Dominica [et de Trinitate]‡ sub silentio.

Feria iii. de Commemoratione Animarum. Ad matutinas de S. Maria memoria de Martyribus [Eustachio et sociis].

Feria iv. de S. Wenefreda, ix lectiones de Communi unius Virginis et Martyris.

Feria v. et vi. de commemorationibus, et nichil de iii. commemoratione.

Dominica II. tota cantetur hystoria. Ad i. vesperas memoria de Sancto [Leonardo], de Trinitate; et processio.

Feria iii., iv., et vi. de commemorationibus.

Dominica III. de Dominica, et mediæ lectiones de S. Martino.

Feria iii. de S. Edmundo. Ad matutinas et ad missam ut supra in *B.*

Feria v. et vi. de commemorationibus, et nichil de iii. commemoratione.

Dominica IV. de Dominica. Ad i. vesperas Ant. super psalmum Magnificat *Sustinuimus.* Oratio *Excita quæsumus*, memoria de Sancto‖ [Ed-

* '*Precepturus.*' Chevallon. † 'hore s. ma.' *Portif.* 1519.
‡ 'et de Trinitate' *non habet Chevallon.* ‖ 'de sancto' *non habet Portif.* 1519.

mundo], de Trinitate; et processio. Ad matutinas legatur expositio evangelii *Cum sublevasset:* nonum R. *Summæ Trinitati.* In laudibus omnes antiphonæ dicuntur. Ad missam officium *Dicit Dominus.* Oratio *Excita quæsumus.* Epistola *Ecce dies.* Evangelium *Cum sublevasset.*

Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.* Si fuerint plures missæ dominicales cantandæ prætermittuntur hoc anno.

6. D. LITTERA DOMINICALIS *D.* Kalendis Novembris de Festo Omnium Sanctorum, et hystoria inchoetur cum memoria sub silentio et memoria de Trinitate, secundum Ordinale.

Feria ii. Commemoratio Animarum et memoria de Martyribus [Eustachio et sociis] ad matutinas de S. Maria.

Feria iii. de S. Wenefreda, ix lectiones de Communi unius Virginis et Martyris.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus : et missa dominicalis dicitur in capitulo in iv. Feria.

Dominica II. tota cantetur hystoria, et memoria tantum de Martyribus [iv coronatis] et de Trinitate. Nonum R. *Summæ Trinitati.* In laudibus omnes antiphonæ.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica III. de S. Machuto. Ad i. vesperas memoria de Octavis [S. Martini], de Dominica, de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Octavis [S. Martini] cum R. de i. nocturno. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate.

Feria iv., v., et Sabbato de commemorationibus.

Feria ii. de S. Edmundo. Ad matutinas et ad missam ut supra in *B.*

Dominica IV. de S. Cecilia : memoria de Dominica cum Ant. *Sustinuimus.* Oratio *Excita quæsumus.*

Feria v., vi., et Sabbato de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

Feria iii. de Sancto [Grisogono*] cum R. de iii. nocturno : et missa dominicalis dicitur pro alta missa, et memoria de Sancto, cum aliis memoriis consuetis.

Et si fuerint plures missæ dominicales cantandæ, hoc anno præmittuntur.

6. E. LITTERA DOMINICALIS *E.* Quarto Nonas Novembris tota cantetur hystoria. Ad i. vesperas memoria de Dominica et de Trinitate sub silentio; sed nulla processio. Ad matutinas memoria tantum de Martyribus [Eustachio et sociis] et de Trinitate. In laudibus omnes antiphonæ. Commemoratio Animarum differatur in crastinum.

Feria iii. de S. Wenefreda, ix lectiones : omnia de Communi unius Virginis et Martyris.

Feria iv., vi., et Sabbato de commemorationibus : et R. ferialia prætermittuntur.

Dominica II. de Dominica : et fiant mediæ lectiones de Sancto [Theodoro]. In laudibus omnes antiphonæ. Nonum R. *Summæ Trinitati.*

Feria ii., iv., et vi. de commemorationibus. Ad memoriam de S. Martino dicitur Ant. *Sacerdos,* cum sequentibus.

Dominica III. de S. Edmundo. Ad i. vesperas memoria de S. Machuto,

* 'Gorgonio' *Direct.* 1495.

de Octavis [S. Martini], de Dominica, de Trinitate; et processio. Ad matutinas et ad missam de S. Edmundo, ut supra in *B*. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Octava et de Omnibus Sanctis.

Feria iii., iv., et vi. de commemorationibus.

Feria v. de S. Edmundo. Ad vesperas antiphona super psalmos *Iste Sanctus.* Capitulum *Beatus vir qui suffert.*

Dominica IV. de S. Clemente. Ad i. vesperas memoria de S. Cecilia, de S. Felicitate : deinde de Dominica cum Ant. *Sustinuimus.* Oratio *Excita quæsumus;* et de Trinitate; et processio.

Feria ii. de Sancto [Grisogono], cum R. de iii. nocturno unius Martyris. Tertium R. *Percepturus** et missa dominicalis dicitur pro alta missa [Officium] *Dicit Dominus.* Oratio *Excita quæsumus.* Epistola *Ecce dies.* Evangelium *Cum sublevasset.* Et aliæ missæ dominicales quæ fuerint cantandæ hoc anno prætermittuntur.

Feria iv., v., et vi. de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

6. F. LITTERA DOMINICALIS *F.* Tertio die Novembris tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ; et Festum S. Wenefredæ differatur in crastinum, et ibi fiant ix lectiones de Communi unius Virginis et Martyris.

Feria iii., v., et Sabbato de commemorationibus.

Dominica II. de Dominica.

Feria iii. et v. de commemoratione.

Sabbato de S. Edmundo : ad matutinas et ad missam ut supra in *B.*

Dominica III. de† S. Hugone, et mediæ lectiones de S. Aniano. Ad i. vesperas memoria de S. Edmundo, de S. Aniano, de Octavis [S. Martini], de Dominica, et de Trinitate; et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria tantum de Trinitate. ‡Ad altam missam memoria de Sancto [Aniano] et de Octavis [S. Martini].

Feria ii., iii., et v. de commemorationibus. R. *O beatum virum* prætermittitur.

Feria iv. de S. Edmundo. Ad vesperas Ant. super psalmos‖ *Beatus vir.* Cap. *Iste Sanctus.*

Dominica IV. de Dominica. Ad [i.] vesperas super psalmum Magnificat, antiphona *Sustinuimus.* Oratio *Excita quæsumus;* memoria de S. Clemente, de S. Grisogono, §et de Trinitate; et processio. Ad matutinas mediæ lectiones de Sancto [Grisogono], et legatur expositio Evangelii *Cum sublevasset.* Nonum R. *Summæ Trinitati.* In laudibus omnes antiphonæ. Ad missam Officium *Dicit Dominus.* Oratio *Excita quæsumus.* Epistola *Ecce dies.* Evangelium *Cum sublevasset.*

Feria iii., iv., et v. de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

Et si plures missæ dominicales fuerint cantandæ in hoc anno prætermittuntur.

6. G. LITTERA DOMINICALIS *G.* Quarto die Novembris tota cantetur hystoria. In laudibus omnes antiphonæ.

* '*Precep.*' Chevallon. † 'de do.' *Portif.* 1519. ‡ 'de trini. tantū.' *Portif.* 1519. ‖ 'p̄m.' *Chevallon.* § 'mēo. de sctō.' *Port.* 1519.

Feria ii., iv., et Sabbato de commemorationibus; et R. ferialia prætermittuntur.

Dominica II. de S. Martino; et memoria de Sancto [Menna], de Dominica, de Trinitate; et processio. Missa dominicalis dicitur in capitulo cum memoria de Trinitate tantum. Ad altam missam memoria de Sancto [Menna] et de Omnibus Sanctis.

Feria ii. et iv. de commemoratione.

Feria vi. de S. Edmundo : ad matutinas et ad missam ut supra in *B*.

In Sabbato ad vesperas, quæ erunt de Dominica, memoria de S. Hugone, de Octavis [S. Martini], de Trinitate; et processio.

Tamen in dyocese Lincolniensi vesperæ erunt de S. Hugone quia duplex festum est; et memoria de Octavis [S. Martini], de Dominica, et de Trinitate, sub silentio : et nulla processio.

Dominica III. de Dominica : mediæ lectiones de Octava [S. Martini] cum ii. R. de i. nocturno. Sextum R. *O beatum virum.* Nonum R. *Summæ Trinitati.* In laudibus omnes antiphonæ.

Feria ii., iv., et Sabbato de commemorationibus, et responsoria ferialia prætermittuntur.

Feria iii. de S. Edmundo. Ad i. vesperas antiphona super psalmos *Beatus vir.* Capitulum *Iste Sanctus.*

Dominica Ultima ante Adventum : de S. Katherina. Ad i. vesperas fiat memoria [de] dominica cum Ant. *Sustinuimus.* Oratio *Excita;* et expositio evangelii in hoc anno prætermittitur. Ad matutinas memoria de Dominica cum antiphona *Cum sublevasset.*

Feria iii., iv., et Sabbato de commemorationibus, cum V. *Spiritus et alme.*

Et missa dominicalis dicitur in capitulo in Dominica cum memoria de Trinitate tantum.

Si fuerint plures missæ dominicales cantandæ in hoc anno prætermittuntur.

Et si acciderit quod duo missæ dominicales, quæ propriis officiis carent, pro brevitate temporis, nequeant in feriis cantari; non est inconveniens si omnino omittantur.

Feria vi. de Apostolo [Andrea]. Ad ii. vesperas memoria de S. Maria. Ant. *Sub tuam.*

DOMINICA PRIMA POST V. KALENDAS NOVEMBRIS.

Ad primas Vesperas.

Ant. Benedictus.
Ps. *Ipsum* [*cxliii.* p. 215].
Capitulum. Benedictus.
R. Aspice, Domine, de sede.
Hymnus. O lux beata Trinitas.
V. Vespertina oratio.
Ant. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum : et plena erat omnis terra majestate ejus, et ea quæ sub ipso erant replebant templum.
Ps. Magnificat.

Hæ *sequentes Antiphonæ serviunt Hystoriæ* Vidi Dominum, *quamdiu cantabitur, in Sabbatis super Psalmum*

Magnificat: *vel ad Memoriam de Dominica cum de aliquo Festo novem Lectionum fit servitium.*

Ant. Muro tuo inexpugnabili circuncinge nos, Domine: et armis tuæ potentiæ protege nos semper Deus noster.

Ant. Qui cælorum contines thronos, et abyssos intueris, Domine, rex regum, montes ponderas, terram palmo concludis, exaudi nos, Domine, in gemitibus nostris.

Ant. Sustinuimus pacem et non venit, Domine: quæsivimus bona et ecce turbatio. cognovimus, Domine, peccata nostra: ne in æternum irascaris nobis, Deus Israel.

Si vero quinta Dominica in mense Novembris forte contigerit, tunc repetatur Antiphona Qui cælorum *in Sabbato ad Vesperas ipsius Dominicæ.*

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Deus rex cælestis, Qui sedes in throno, miserere nobis.

Ps. Venite.

In primo Nocturno.

Ant. Pro fidei meritis.

Ps. Beatus vir (*i.* p. 5).

V. Memor fui nocte.

Hac die incipiatur Hystoria Ezechielis, et legatur usque ad Adventum Domini, quando de Temporali agitur.

Lectio i. (*Legenda* 1. *Ezechiel. i.*)

Et factum est in tricesimo anno, in quarto mense, in quinta mensis, cum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar: aperti sunt cæli, et vidi visiones Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachin: factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Caldeorum secus flumen Chobar. Et facta est super eum ibi manus Domini. Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, et nubes magna et ignis involvens: et splendor in circuitu ejus.

Et tunc omnis Lectio de prophetia finiatur cum hac clausula,

Hæc dicit Dominus Deus, convertimini ad me: et salvi eritis.

R. 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et plena erat omnis terra majestate ejus. Et ea quæ sub ipso erant replebant templum.

V. Seraphim stabant super illud, sex alæ uni et sex alæ alteri.

Et ea quæ sub.

Lectio ii. [*Ezechiel. i.* 4.]

Et de medio ejus quasi species electri: id est de medio ignis. Et in medio ejus similitudo quatuor animalium: et hic aspectus eorum. Similitudo hominis in eis. Et quatuor facies uni: et quatuor pennæ uni. Et pedes eorum pedes recti, et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli: et scintillæ quasi aspectus æris candentis. Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus. Et facies et pennas per quatuor partes habebant: junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. Non revertebantur cum incederent: sed ununquodque ante faciem suam gradiebatur. Hæc dicit Dominus Deus.

R. 2. Aspice, Domine, de sede sancta tua, et cogita de nobis: inclina, Deus meus, aurem tuam et audi. Aperi oculos tuos et vide tribulationem nostram.

Versus. Respice, Domine, de sanctuario tuo, et de excelso cælorum habitaculo.

Aperi.

Lectio iii. [*Ezechiel. i.* 10.]

Similitudo autem vultus eorum: facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor. Facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor: et

facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Et facies eorum et pennæ eorum extentæ desuper. Duæ pennæ singulorum jungebantur, et duæ tegebant corpora eorum : et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat. Ubi erat impetus spiritus illuc gradiebantur : nec revertebantur cum ambularent. Et similitudo animalium et aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium : et quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens, in medio animalium. Splendor ignis : et de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant et revertebantur : in similitudinem fulguris choruscantis. Hæc dicit Dominus.

R. 3. Aspice, Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristitia domina gentium. Non est qui consoletur eam nisi tu Deus.

V. Plorans ploravit in nocte : et lachrymæ ejus in maxillis ejus.

Non est. Gloria. Non.

In secundo Nocturno.

Ant. Naturæ.

Ps. Conserva (*xv.* p. 17).

V. Media nocte.

Lectio iv. (*Legenda* 2.) [*Ezechiel. i.* 15.]

Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia : habens quatuor facies. Et aspectus rotarum et opus earum : quasi visio maris. Et una similitudo ipsarum quatuor. Et aspectus earum et opera : quasi si sit rota in medio rotæ. Per quatuor partes earum euntes ibant : et non revertebantur cum ambularent. Statura quoque erat rotis et altitudo, et horribilis aspectus : et totum corpus plenum oculis in circuitu ipsarum* quatuor. Cumque ambularent animalia : ambulabant pariter et rotæ juxta ea. Et cum elevarentur animalia de terra : elevabantur simul et rotæ. Hæc dicit.

R. 4. Super muros tuos, Hierusalem, constitui custodes. Tota die et nocte non tacebunt laudare nomen Domini.

V. Qui reminiscimini Domini ne taceatis et ne detis silentium ei.

Tota die.

Lectio v. [*Ezechiel. i.* 20.]

Quocunque ibat spiritus : illuc eunte spiritu et rotæ pariter levabantur†, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis. Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant, et cum elevatis a terra pariter elevabantur et rotæ sequentes ea : quia spiritus vitæ erat in rotis. Et similitudo super capita animalium firmamenti : quasi aspectus cristalli horribilis : et extenti super capita eorum desuper. Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum. Unumquodque duabus alis velabat corpus suum : et alterum similiter velabatur. Et audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum : quasi sonum sublimis Dei. Hæc dicit.

R. 5. Muro tuo inexpugnabili circuncinge nos, Domine, et armis tuæ potentiæ protege nos semper. Libera, Domine Deus Israel, clamantes ad te.

V. Erue nos in mirabilibus tuis : et da gloriam nomini tuo.

Libera.

Lectio vi. [*Ezechiel. i.* 24.]

Cum ambularent quasi sonus erat multitudinis : ut sonus castrorum. Cumque starent : demittebantur pennæ eorum. Nam cum fieret vox super firmamentum quod erat super caput eorum : stabant et submittebant alas suas. Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum : quasi

* 'ipsorum' *Legend.* 1518. *Sed* 'ipsarum' *in hoc loco ed. Vulg. cum Chevallonio.*
† 'elevabantur' *Leg.* 1518. *cum ed. Vulg.*

aspectus lapidis saphyri similitudo throni. Et super similitudinem throni : similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus per circuitum ejus : a lumbis ejus et desuper. Et a lumbis ejus usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu : velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviæ. Hic erat aspectus splendoris per gyrum : et hæc visio similitudinis gloriæ Domini. Hæc dicit.

R. 6. Sustinuimus pacem et non venit : quæsivimus bona, et ecce turbatio. cognovimus, Domine, peccata nostra. Non in perpetuum obliviscaris nos.

V. Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus.

Non. Gloria. Non.

In tertio Nocturno.

Ant. Sponsus.

Ps. Cæli enarrant (*xvii.* p. 23).

V. Exaltare, Domine.

R. 7. Angustiæ michi sunt undique, et quid eligam ignoro. Melius est michi incidere in manus hominum quam derelinquere legem Dei mei.

V. Si enim hoc egero mors michi est : si autem non egero non effugiam manus vestras.

Melius est.

R. 8. Laudabilis populus quem Dominus exercituum benedixit dicens. opus manuum mearum tu es, Hereditas mea Israel.

V. Beata gens cujus est Dominus Deus ejus : populus quem elegit in hereditatem sibi.

Hereditas.

Quando ultimo fit servitium de ista propria Hystoria, dicitur Responsorium Summæ Trinitati : *et omnes Antiphonæ ad Laudes dicantur.*

Feriale Responsorium. (9.)

Misit Dominus angelum suum et conclusit ora leonum. Et non me contaminaverunt. Quia coram eo justicia inventa est in me.

V. Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam : animam meam eripuit de medio catulorum leonum.

Et non. Gloria. Quia.

Aliud Responsorium feriale. Qui cælorum contines thronum et abyssos intueris, Domine rex regum, montes ponderas, terram palmo concludis. Exaudi nos, Deus, in gemitibus nostris.

V. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam : sed in miserationibus tuis multis.

Exaudi. Gloria. Exaudi.

Lectio i. (*Legenda* 3. *Ezechiel. ii.*)

Dixit Dominus ad me, Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est michi : et statuit me supra pedes meos. Et audivi loquentem ad me, et dicentem, Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me. Hæc dicit Dominus.

Lectio ii. [*Ezechiel. ii.* 3.]

Patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hunc, et filii dura facie et indomabili corde sunt ad quos ego mitto te : et dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus. Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant* : quoniam domus exasperans est. Et sciant quia propheta fuerit in medio eorum. Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam increduli et subversores sunt tecum : et cum scorpionibus habitas.

Lectio iii. [*Ezechiel. ii.* 6.]

Verba eorum ne timeas, et vultus

* 'acquiescant' *Legend.* 1518.

eorum ne formides : quia domus exasperans est. Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant : quoniam irritatores sunt. Tu autem, fili hominis, audi quæcunque loquar ad te : et noli esse exasperans sicut domus [Israel]* exasperatrix est. Aperi os tuum : et comede quæcunque ego do tibi.

Lectio i. (*Ezechiel. ii.* [9.] *Legenda* 4.)

Et vidi, et ecce manus missa ad me : in qua erat involutus liber. Et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris : et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ. Et dixit ad me, (*Eze. iii.*) Fili hominis: quodcunque inveneris comede. Comede volumen istud : et vadens loquere ad filios Israel. Et aperui os meum : et cibavit me volumine illo. Hæc dicit.

Lectio ii. [*Ezechiel. iii.* 3.]

Dixit Dominus ad me, Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud : et factum est in ore meo sicut mel dulce. Et dixit Dominus ad me, Fili hominis, vade ad domum Israel : et loqueris verba mea ad eos. Non enim ad populum profundi sermonis et ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Israel : neque ad populos multos profundi sermonis et ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones. Et si ad illos mittereris : ipsi audirent te. Hæc dicit.

Lectio iii. [*Ezechiel. iii.* 7.]

Domus autem Israel nolunt† audire te : quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Israel attrita fronte est : et duro corde. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum : et frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam. Ne timeas eos neque metuas a facie eorum : quia domus exasperans est.

Lectio i. (*Ezechiel. iii.* [10.] *Legenda* 5.)

Dixit Dominus ad me, Fili hominis, omnes sermones meos quos loquor ad te, assume in corde tuo : et auribus tuis audi. Et vade et ingredere ad transmigrationem ad filios populi tui : et loqueris ad eos, et dices eis, Hæc dicit Dominus Deus. Si forte audiant et quiescant. Et assumpsit me spiritus. Et audivi post me vocem commotionis magnæ, Benedicta gloria Domini de loco suo, et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, et vocem rotarum sequentium animalia : et vocem commotionis magnæ. Spiritus quoque levavit me et assumpsit me : et abii amarus in indignatione spiritus mei.

Lectio ii. [*Ezechiel. iii.* 14.]

Manus enim Domini erat mecum : confortans me. Et veni ad transmigrationem ad acervum novarum frugum : ad eos qui habitabant juxta flumen Chobar. Et sedi ubi illi sedebant. Et mansi ibi septem diebus mærens in medio eorum. Cum autem pertransisissent septem dies : factum est verbum Domini ad me dicens, Fili hominis : speculatorem dedi te domui Israel. Et audies de ore meo verbum : et annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium Morte morieris, non annunciaveris ei, neque locutus ei fueris ut avertatur a via sua impia et vivat : ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Hæc dicit.

Lectio iii. [*Ezechiel. iii.* 19.]

Si autem tu annunciaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia : ipse quidem in iniquitate sua morietur,

* *non habent* Leg. 1518. ed. Vulg.

† 'noluit' *Leg.* 1518.

tu autem animam tuam liberasti. Sed et si conversus justus a justitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem : ponam offendiculum coram eo. Ipse morietur : quia non annunciasti ei. In peccato suo morietur, et non erunt in memoria justiciæ ejus quas fecit : sanguinem vero ejus de manu tua requiram. Si autem tu annunciaveris justo ut non peccet justus, et ille non peccaverit : vivens vivet quia annunciasti ei, et tu animam tuam liberasti.

Lectio i. (*Ezechiel. iii.* [22.] *Legenda* 6, *sed legatur per ordinem.*)

Et facta est [ibi]* super me manus Domini : et dixit ad me, Surgens egredere in campum : et ibi loquar tecum. Et surgens egressus sum in campum : et ecce ibi gloria Domini stabat, quasi gloria Domini quam vidi juxta fluvium Chobar. Et cecidi in faciem meam. Et ingressus est in me spiritus : et statuit me super pedes meos, et locutus est michi, et dixit ad me, Ingredere, et includere in medio domus tuæ. Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis : et non egredieris in medio eorum. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo : et eris mutus nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.

Lectio ii. [*Ezechiel. iii.* 27.]

Cum autem locutus fuero tibi : aperies os tuum et dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus. Qui audit audiat, et qui quiescit quiescat : quia domus exasperans est. (*Eze. iv.*) Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te : et describe in eo civitatem Hierusalem. Et ordinabis adversus eam obsidionem : et ædificabis munitiones. Et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra : et pones arietes in gyro.

Lectio iii. [*Ezechiel. iv.* 3.]

Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et inter civitatem : et obfirmabis faciem tuam, et erit in obsidionem, et circundabis eam. Signum est domui Israel. Et tu dormies super latus tuum sinistrum, et pones iniquitates domus Israel super eo numero dierum in quibus dormies super illud : et assumes iniquitatem eorum. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum trecentos et nonaginta dies : et portabis iniquitatem domus Israel.

Lectio i. (*Legenda* 7.) [*Ezechiel. iv.* 6.]

Et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dextrum secundo : et assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus. Diem pro anno : diem, inquam, pro anno dedi tibi. Et ad obsidionem Hierusalem convertes faciem tuam, et brachium tuum erit extentum : et prophetabis adversum eam. Ecce circundedi te vinculis, et non te convertes a latere tuo in latus aliud : donec compleas dies obsidionis tuæ. Et tu sume tibi frumentum et ordeum et fabam et lentem et milium et viciam, et mittes ea in vas unum : et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum. Trecentis et nonaginta diebus comedes illud. Cibus autem tuus quo vesceris erit in pondere : viginti stateres in die.

Lectio ii. [*Ezechiel. iv.* 10.]

A tempore usque ad tempus comedes illud. Et aquam in mensura bibes : sextam partem hyn. A tempore usque ad tempus bibes illud. Et quasi subcinericium ordeaceum comedes illud, et stercore quod egredietur de homine operies illud in oculis eorum. Et dixit Dominus, Sic comedent filii Israel panem suum

* *non habent* Leg. 1518. ed. Vulg.

pollutum inter gentes : ad quas* ejiciam eos. Et dixi, A. a. a. Domine Deus. Ecce anima mea non est polluta, et morticinum, et laceratum a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc : et non est ingressa in os meum omnis caro immunda. Hæc dicit.

Lectio iii. [*Ezechiel. iv.* 15.]

Et dixit ad me, Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis : et facies panem tuum in eo. Et dixit ad me, Fili hominis : ecce ego conteram baculum panis in Hierusalem. Et comedent panem in pondere et in sollicitudine, et aquam in mensura et in angustia bibent, ut deficientibus pane et aqua corruat unusquisque ad fratrem suum : et contabescat in iniquitatibus suis.

Lectio i. (*Ezechiel. v. Legenda* 8.)

Fili hominis, sume tibi gladium acutum : radentem pilos. Assumes eum et duces per caput tuum et per barbam tuam. Et assumes tibi stateram ponderis : et divides eos. Tertiam partem igni combures in medio civitatis : juxta completionem dierum obsidionis. Et assumens† tertiam partem [et] concides gladio in circuitu ejus. Tertiam vero aliam disperges in ventum : et gladium nudabis post eos. Et sumes inde parvum numerum : et ligabis eos in summitate pallii tui. Hæc dicit.

Lectio ii. [*Ezechiel. v.* 4.]

Et ex eis rursum tolles, et projicies in medio ignis, et combures eos igni : et ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel. Hæc dicit Dominus Deus. Ista est Hierusalem. In medio gentium posui eam : et in circuitu ejus terras. Et contempsit judicia mea, ut plus esset impia quam gentes : et præcepta mea ultra quam terræ, quæ in circuitu ejus sunt. Judicia enim mea projecerunt : et in præceptis meis non ambulaverunt.

Lectio iii. [*Ezechiel. v.* 7.]

Idcirco hæc dicit Dominus Deus, Quia superastis gentes quæ in circuitu vestro sunt, et in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis, et juxta judicia gentium quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati : ideo hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad te : et ipse ego faciam in medio tui judicia in oculis gentium. Et faciam in te quæ non feci, et quibus similia ultra non faciam : propter omnes abominationes tuas. Ideo patres comedent filios in medio tui : et filii comedent patres suos. Et faciam in te‡ judicia : et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum.

Lectio i. (*Legenda* 9. *Ezechiel. v.* [11.])

Vivo ego, dicit Dominus Deus, Nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, et in omnibus abominationibus tuis : ego quoque confringam, et non parcet oculus meus, et non miserebor. Tertia pars tui peste morietur, et fame consumetur in medio tui : et tertia tui pars gladio cadet in circuitu tuo. Tertiam vero partem tui in omnem ventum dispergam : et gladium evaginabo post eos. Et complebo furorem meum : et requiescere faciam indignationem meam in eis.

Lectio ii. [*Ezechiel. v.* 13.]

Et consolabor, et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo : cum implevero indignationem meam in eis. Et dabo te in desertum et in opprobrium in gentibus quæ in circuitu tuo sunt : in conspectu

* 'quos' *Leg.* 1518. † 'assumes' *ed. Vulg.* 'assumēs' *Chevallon.* ‡ 'te in' *Chev.*

omnis prætereuntis. Et eris opprobrium, et blasphemia, [et]* exemplum, et stupor in gentibus quæ in circuitu tuo sunt : cum fecero in te judicia in furore et indignatione : et increpationibus iræ.

Lectio iii. [*Ezechiel. v.* 16.]

Ego Dominus locutus sum, quando misero sagittas famis pessimas in eos, quæ erunt mortiferæ : et quas mittam ut dispergam vos. Et famem congregabo super vos, et conteram vobis baculum panis, et mittam in vos famem et bestias pessimas : usque ad internitionem. Et pestilentia et sanguis transibunt per te : et gladium inducam super te. Ego Dominus locutus sum.

Lectio i. (*Ezechiel. vi. Legenda* 10: *sed legatur per ordinem.*)

Et factus est sermo Domini ad me, dicens, Fili hominis, pone faciem tuam ad montes Israel : et prophetabis ad eos, et dices, Montes Israel, audite verbum Domini Dei. Hæc dicit Dominus Deus montibus et collibus, rupibus et vallibus, Ecce ego inducam super vos gladium, et disperdam excelsa vestra, et demoliar aras vestras : et confringentur simulacra vestra. Et dejiciam interfectos vestros ante ydola vestra. Et dabo cadavera filiorum Israel : ante faciem simulacrorum vestrorum. Et dispergam ossa vestra circum aras vestras : in omnibus habitationibus vestris. Urbes desertæ erunt : et excelsa demolientur et dissipabuntur. Et interibunt aræ vestræ et confringentur : et cessabunt ydola vestra. Hæc dicit Dominus Deus.

Lectio ii. [*Ezechiel. vi.* 6.]

Et conterentur delubra vestra : et delebuntur opera vestra. Et cadent interfecti in medio vestri : et scietis quoniam ego Dominus. Et relinquam in vobis eos qui fugerint gladium † in gentibus : cum dispersero vos in terras. Et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus ad quas captivi ducti sunt : quia contrivi cor eorum fornicans et recedens a me, et oculos eorum fornicantes post ydola sua. Et displicebunt sibimet super malis quæ fecerant in universis abominationibus suis : et scient quoniam ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc.

Lectio iii. [*Ezechiel. vi.* 11.]

Hæc dicit Dominus Deus, Percute manum tuam, et allide pedem tuam, et dic heu ad omnes abominationes malorum domus Israel : qui gladio et fame et peste ruituri sunt. Qui longe est peste morietur : qui autem prope est gladio corruet. Et qui relictus fuerit et obsessus : fame morietur. Et complebo indignationem meam in eis : et scietis quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio ydolorum vestrorum in circuitu ararum vestrarum : in omni colle excelso, et in cunctis summitatibus montium, et subtus universam quercum frondosam : [id est]* locum ubi accenderunt thura redolentia universis ydolis suis. Et extendam manum meam super eos : et faciam terram eorum desolatam et destitutam ‡ a deserto Deblata, in omnibus habitationibus eorum, et scient quia ego Dominus.

Lectio i. (*Legenda* 11. *Ezechiel. vii.*)

Et factus est sermo Domini ad me : dicens, Et tu, fili hominis : hæc dicit Dominus Deus terræ Israel. Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ. Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te : et judicabo te juxta vias tuas.

* *non habent* Leg. 1518. ed. Vulg. † 'gladio' *Leg.* 1518. ‡ 'destituam' *Chevallon.*

Et ponam contra [te] omnes abominationes tuas, et non parcet oculus meus super te : et non miserebor. Sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt : et scietis quia ego Dominus.

Lectio ii. [*Ezechiel. vii.* 5.]

Hæc dicit Dominus Deus, Afflictio una : afflictio ecce venit. Finis venit, venit finis. Evigilabit* adversum te : ecce venit. Venit contritio super te : qui habitas in terra. Venit tempus, prope est dies occisionis : et non gloriæ montium. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, et complebo furorem meum in te : et judicabo te juxta vias tuas. Et imponam tibi omnia scelera tua, et non parcet oculus meus neque miserebor : sed vias tuas imponam tibi, et abominationes tuæ in medio tui erunt, et scietis quia ego sum Dominus percutiens. Ecce dies : ecce venit. Egressa est contritio. Floruit virga, germinavit superbia : iniquitas surrexit in virga impietatis. Non ex eis et non ex populo neque ex sonitu eorum : et non erit requies in eis.

Lectio iii. [*Ezechiel. vii.* 12.]

Venit tempus : appropinquavit dies. Qui emit non lætetur, et qui vendit non lugeat, quia ira super omnem populum ejus. Quia qui vendit ad id quod vendidit non revertetur : et adhuc in viventibus vita eorum. Visio enim ad omnem multitudinem ejus non egredietur : et vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur. Canite tuba, præparentur omnes : et non est qui vadat ad prœlium. Ira enim mea super universum populum ejus. Gladius foris : pestis et fames intrinsecus. Qui in agro est, gladio morietur : et qui in civitate, pestilentia et fame devorabuntur.

* 'evigilavit' *Legend.* 1518. *cum ed. Vulg.*

Lectio i. (*Legenda* 12. *Ezechiel. vii.* [16.])

Et salvabuntur qui fugerint ex eis, et erunt in montibus quasi columbæ convallium : omnes trepidi unusquisque in iniquitate sua. Omnes manus dissolventur : et omnia genua fluent aquis. Et accingent se ciliciis, et operiet eos formido. Et in omni facie confusio : et in universis capitibus eorum calvicium. Hæc dicit Dominus.

Lectio ii. [*Ezechiel. vii.* 19.]

Argentum eorum foras projicietur : et aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum et aurum eorum non valebit liberare eos : in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, et ventres eorum non implebuntur : quia scandalum iniquitatis eorum factum est, et ornamenta monilium suorum in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum et simulachrorum fecerunt ex eo. Hæc dicit Dominus.

Lectio iii. [*Ezechiel. vii.* 21.]

Propter hoc dedi eis illud in immundiciam, et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum : et impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud. Et avertam faciem meam ab eis, et violabunt archanum meum, et introibunt in illud emissarii : et contaminabunt illud. Fac conclusionem, quoniam terra plena est judicio sanguinum : et civitas plena [est]† iniquitate. Hæc dicit Dominus.

Lectio i. (*Legenda* 13. *Ezechiel. viii.*[= *vii.* 24—*viii.* 1.])

Et adducam pessimos de gentibus : et possidebunt domus eorum. Et quiescere faciam superbiam potentium : et possidebunt sanctuaria eorum. Et factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis :

† *non habent* Legend. 1518. ed. Vulg.

ego sedebam in domo mea, et senes Juda sedebant coram me.

Lectio ii. [*Ezechiel. viii.* 1.]

Et cecidit super me ibi manus Domini Dei : et vidi, et ecce similitudo quasi aspectus ignis. Ab aspectu lumborum ejus et deorsum ignis : et a lumbis ejus et sursum quasi aspectus splendoris ut visio electri. Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei. Hæc dicit Dominus.

Lectio iii. [*Ezechiel. viii.* 3.]

Et elevavit me spiritus inter terram et cælum : et adduxit in Hierusalem in visione Dei, juxta ostium interius quod respiciebat ad aquilonem, ubi erat statutum ydolum zeli ad provocandum æmulationem. Et ecce ibi gloria Dei Israel, secundum visionem quam videram in campo. Et dixit ad me, Fili hominis, leva oculos tuos ad viam aquilonis. Et levavi oculos meos ad viam aquilonis : et ecce ab aquilone portæ altaris ydolum zeli in ipso introitu. Hæc dicit.

Lectio i. (*Legenda* 14. *Ezechiel. viii.* [6.])

Et dixit Dominus ad me, Fili hominis, putasne vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas quas domus Israel facit* hic, ut procul recedam a sanctuario meo? Et adhuc conversus : videbis abominationes majores. Et introduxit me ad ostium atrii, et vidi, et ecce foramen unum in pariete.

Lectio ii. [*Ezechiel. viii.* 8.]

Et dixit ad me, Fili hominis, fode parietem. Et cum perfodissem parietem : apparuit ostium unum. Et dixit ad me, Ingredere et vide abominationes pessimas : quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio, et universa ydola domus Israel : depicta erant in pariete in circuitu per totum.

Lectio iii. [*Ezechiel. viii.* 11.]

Et septuaginta viri de senioribus domus Israel : et Jechonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas. Et unusquisque habebat thuribulum in manu sua : et vapor nebulæ de thure consurgebat. Et dixit ad me, Certe vides, fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris : unusquisque in abscondito cubilis sui. Dicunt enim, Non videt Dominus nos : dereliquit Dominus terram.

Lectio i. (*Legenda* 15.) [*Ezechiel. viii.* 13.]

Et dixit ad me, Adhuc conversus videbis abominationes majores quas isti faciunt. Et introduxit me per ostium portæ domus Domini quod respiciebat ad aquilonem : et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem. Et dixit ad me, Certe vidisti, fili hominis. Adhuc conversus videbis abominationes majores his. Et introduxit me in atrium domus Domini interius : et ecce in ostio templi inter vestibulum et altare, quasi vigintiquinque viri, dorsa habentes contra templum Domini et facies ad orientem, et adorabant ad ortum solis. Hæc dicit Dominus.

Lectio ii. [*Ezechiel. viii.* 17.]

Et dixit ad me, Certe vidisti, fili hominis. Nunquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abominationes istas quas fecerunt hic? Quia replentes terram iniquitate : conversi sunt ad irritandum me. Et ecce applicant ramum ad nares suas. Ergo et ego faciam in furore meo : non parcet oculus meus nec miserebor. Hæc dicit Dominus.

* 'fecit' *Legend.* 1518.

Lectio iii. [*Ezechiel. viii.* 18.]

Et cum clamaverint ad aures meas voce magna : non exaudiam eos. (*Ezech. ix.*) Et clamavit in auribus meis voce magna, dicens, Appropinquaverunt visitationes urbis : et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua. Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris quæ respicit ad aquilonem : et uniuscujusque vas interitus* in manu ejus. Hæc dicit Dominus.

Lectio i. (*Legenda* 16.) [*Ezechiel. ix.* 2.]

Vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis : et atramentarium † scriptoris ad renes ejus. Et ingressi sunt et steterunt juxta altare æreum : et gloria Domini Israel assumpta est de cherub quæ erat super eum ad limen domus. Et vocavit virum qui indutus erat lineis et atramentarium † scriptoris habebat in lumbis suis : et dixit Dominus ad eum, Transi per mediam civitatem in medio Hierusalem : et signa Thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus. Hæc dicit Dominus.

Lectio ii. [*Ezechiel. ix.* 5.]

Et dixit illis ‡ audiente me, Transite per civitatem sequentes eum : et percutite. Non parcat oculus vester : neque misereamini. Senem, adolescentulum et virginem, parvulum et mulieres interficite : usque ad internecionem. Hominem autem super quem videritis Thau : ne occidatis. Et a sanctuario meo incipite. Hæc dicit Dominus.

Lectio iii. [*Ezechiel. ix.* 6.]

Cœperunt ergo a viris senioribus qui erant ante faciem domus : et dixit ad eos, Contaminate domum : et implete atria interfectis. Egredimini. Et egressi sunt : et percutiebant eos qui erant in civitate. Et cæde completa remansi ego : ruique super faciem meam, et clamans aio, Heu, heu, heu, Domine Deus. Ergone disperdes omnes reliquias Israel, effundens furorem tuum super Hierusalem. Hæc dicit.

Lectio i. (*Legenda* 17.) [*Ezechiel. ix.* 9.]

Et dixit ad me, Iniquitas domus Israel et Juda magna est nimis valde, et repleta est terra sanguinibus : et civitas repleta est aversione. Dixerunt enim, Dereliquit Dominus terram : et Dominus non videt. Igitur et meus non parcet oculus : neque miserebor. Viam eorum super caput eorum reddam. Et ecce vir qui indutus erat lineis qui habebat atramentarium in dorso suo : respondit verbum dicens, Feci sicut præcepisti michi.

Lectio ii. [*Ezechiel. x.*]

Et vidi, et ecce in firmamento quod erat super caput cherubin quasi lapis saphyrus : et quasi species similitudinis solii apparuit super eum. Et dixit ad virum qui indutus erat lineis : et ait, Ingredere in medio rotarum quæ sunt subter cherubin : et imple manum tuam prunis ignis quæ sunt inter cherubin, et effunde super civitatem. Ingressusque est in conspectu meo. Cherubin autem stabant a dextris domus cum ingrederetur vir : et nubes implevit atrium interius. Hæc dicit.

Lectio iii. [*Ezechiel. x.* 4.]

Et elevata est gloria Domini desuper cherubin ad limen domus. Et repleta est domus nube : et atrium

* 'interius' *Chevallon.* † 'attramentarium' *Chevallon.*
‡ 'illis dixit' *Leg.* 1518. *ed. Vulg.*

repletum est splendore gloriæ Domini. Et sonitus alarum cherubin audiebatur usque ad atrium exterius : quasi vox Dei omnipotentis loquentis. Cumque præcepisset viro qui indutus erat lineis : dicens, Sume ignem de medio rotarum quæ sunt inter cherubin, ingressus ille stetit juxta rotam. Et extendit cherub manum [suam]* de medio cherubin ad ignem qui erat inter cherubin : et sumpsit et dedit in manus ejus qui indutus erat lineis. Qui accipiens egressus est.

Lectio i. (*Legenda* 18. *Ezechiel. x.* [8.])

Et apparuit in cherubin similitudo manus hominis : subtus pennas eorum. Et vidi, et ecce quatuor rotæ juxta cherubin : rota una juxta cherub unum, et rota alia juxta cherub unum. Species autem erat rotarum quasi visio lapidis crisoliti. Et aspectus earum similitudo una quatuor : quasi si sit rota in medio rotæ.

Lectio ii. [*Ezechiel. x.* 11.]

Cunque ambularent : in quatuor partes gradiebantur. Et non revertebantur ambulantes : sed ad locum ad quem ire declinabat quæ prima erat, sequebantur et ceteræ, nec revertebantur. Et omne corpus earum et colla et manus et pennæ et circuli plena erant oculis, in circuitu quatuor rotarum. Et rotas istas vocavit volubiles, audiente me. Quatuor autem facies habebat unum, facies una facies cherub : et facies secunda facies hominis. Et in tertio facies leonis : et in quarto facies aquilæ. Et elevata sunt cherubin. Ipsum est animal : quod videram juxta fluvium Chobar.

Lectio iii. [*Ezechiel. x.* 16.]

Cumque ambularent cherubin : ibant pariter et rotæ juxta ea. Et cum elevarent cherubin alas suas ut exaltarentur a terra : non residebant rotæ, sed et ipsæ juxta erant. Stantibus illis stabant : et cum elevatis elevabantur. Spiritus enim vitæ erat in eis. Et egressa est gloria Domini a limine templi : et stetit super cherubin. Et elevantia cherubin alas suas, exaltata sunt a terra coram me. Et illis egredientibus : rotæ quoque subsecutæ sunt.

Lectio i. (*Legenda* 19.) [*Ezechiel. x.* 19.]

Et stetit in introitu portæ domus Domini orientalis : et gloria Dei Israel erat super ea. Ipsum est animal quod vidi subter Deum Israel juxta fluvium Chobar. Et intellexi quia cherubin essent. Quatuor per quatuor † vultus uni : et quatuor alæ uni, et similitudo manus hominis sub alis eorum. Hæc dicit Dominus Deus.

Lectio ii. [*Ezechiel. x.* 22.]

Et similitudo vultuum eorum : ipsi vultus quos videram juxta fluvium Chobar. Et intuitus eorum et impetus singulorum : ante faciem suam ingrediebantur. (*Ezech. xi.*)‡ Et elevavit me spiritus et introduxit me ad portam domus Domini orientalem quæ respicit solis ortum : et ecce in introitu portæ vigintiquinque viri. Et vidi in medio eorum Jechoniam filium Azur, et Felchiam filium Banaiæ, principes populi. Hæc dicit.

Lectio iii. [*Ezechiel. xi.* 2.]

Dixitque ad me, Fili hominis, hi sunt viri qui cogitant iniquitatem et tractant consilium pessimum in urbe ista, dicentes, Nonne dudum ædificatæ sunt domus? Hæc est lebes :

* *non habent* Legend. 1518. ed. Vulg.
† 'per quatuor' *non habet* ed. Vulg.

‡ '*Ezec.* 15.' Chevallon.

nos autem carnes. Idcirco vaticinare de eis : vaticinare, fili hominis. Et irruit in me Spiritus Domini : et dixit ad me, Loquere, Hæc dicit Dominus Deus. Sicut locuti estis domus Israel : et cogitationes cordis vestri ego novi, Plurimos occidistis in urbe hac : et implestis vias ejus interfectis. Hæc dicit Dominus Deus.

Lectio i. (*Legenda* 20.) [*Ezechiel. xi.* 7.]

Propterea hæc dicit Dominus Deus. Interfecti vestri quos posuistis in medio ejus : hi sunt carnes, et hæc est lebes. Et educam vos de medio ejus. Gladium metuistis : et gladium inducam super vos : ait Dominus Deus. Et factum est cum prophetarem : Felchias filius Banaiæ mortuus est. Et cecidi in faciem meam : clamans voce magna et dixi, Heu, heu, heu, Domine Deus. Consummationem tu facis* reliquiarum Israel.

Lectio ii. [*Ezechiel. xi.* 14.]

Et factum est verbum Domini ad me : dicens, Fili hominis, fratres tui, viri propinqui tui, et omnis domus Israel universi, quibus dixerunt habitatores Hierusalem, Longe recedite a Domino : nobis data est terra in possessionem.

Lectio iii. [*Ezechiel. xi.* 16.]

Propterea [quidem]† hæc dicit Dominus Deus, Quia longe feci eos in gentibus, et quia dispersi eos in terris : ero eis in sanctificationem modicam in terris ad quas venerunt. Propterea loquere, Hæc dicit Dominus Deus. Congregabo vos de populis, et adunabo de terris in quibus dispersi estis : daboque vobis humum Israel. Et ingredientur illuc : et auferent omnes offensiones cunctasque abominationes ejus de ea.

Ferialis Lectio i. (*Legenda* 21. *Ezechiel. xi.* [19.])

Et dabo eis cor unum : et spiritum novum tribuam in visceribus eorum. Et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant : faciantque ea, et sint michi in populum, et ego sim eis in Deum. Quorum autem cor post offendicula et abominationes ambulat : horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus. Et elevaverunt cherubin alas suas et rotæ cum eis : et gloria Dei Israel erat super ea.

Lectio ii. [*Ezechiel. xi.* 23.]

Et ascendit gloria Domini de medio civitatis : stetitque super montem qui est ad orientem urbis. Et spiritus elevavit‡ me, adduxitque me in Caldeam ad transmigrationem in visione in spiritu Dei : et sublata est a me visio quam videram. Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini, quæ ostenderat michi.

Lectio iii. (*Ezechiel. xii.*)

Et factus est sermo Domini ad me : dicens, Fili hominis : in medio domus exasperantis tu habitas. Qui oculos habent ad videndum et non vident, et aures ad audiendum et non audiunt : quia domus exasperans est. Tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis : et transmigrabis per diem coram eis. Transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum, si forte aspiciant : quia domus exasperans est. Hæc dicit [Dominus Deus : Convertimini ad me, et salvi eritis].

* 'facies' *Legend.* 1518. † *non habent* Leg. 1518. ed. Vulg. ‡ 'levavit' *ed. Vulg.*

INCIPIUNT EXPOSITIONES EVANGELIORUM DOMINICALIUM

seriatim per totam Æstatem
quando de Dominica fiunt Lectiones,
et Expositiones Evangeliorum, scilicet
a Deus omnium *usque ad Adventum Domini, hoc modo*
cum Oratione et Antiphonis
eisdem Dominicis pertinentibus.

Dominica i. post Festum Sanctæ Trinitatis.

Evangelium. Secundum Lucam xvi. [19.]

Lectio vii. In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam erat dives et induebatur purpura et bisso : et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus. Et reliqua.

*Omelia beati Gregorii papæ**. (*Omelia xl. A.*)

Nonnulli putant præcepta Veteris Testamenti esse districtiora quam Novi. Sed hi nimirum improvida consideratione falluntur. In illo enim non tenacia, sed rapina mulctatur. Ibi res injuste sublata restitutione quadruplici punitur : hic autem dives iste non abstulisse aliena reprehenditur, sed propria non dedisse. Nec dicitur quia vi quempiam oppressit : sed quia in acceptis rebus se extulit. Tu autem [Domine, miserere nostri].

Lectio viii. Hinc ergo summopere colligendum est, qua pœna mulctandus sit qui aliena diripit, si inferni damnatione percutitur qui propria non largitur. Nemo itaque securum se existimet dicens, Ecce aliena non rapio : sed concessis licite rebus utor. Quia dives iste non idcirco punitus est quia aliena abstulit, sed quia acceptis rebus semetipsum male dereliquit. Hocque † fuit quod hunc inferno tradidit : quia in sua felicitate timidus non fuit, quia percepta dona ad usum arrogantiæ inflexit : quia viscera pietatis ignoravit, quia peccata sua redimere etiam cum sibi abundaret precium noluit.

Lectio ix. Sunt nonnulli qui cultum subtilium preciosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si videlicet peccatum non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret quod dives qui torquetur apud inferos, bisso atque purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta præcipua nisi ad inanem gloriam quærit : videlicet ut honorabilior ceteris esse videatur. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum preciosius quæritur, res ipsa testatur, quod nemo vult ibi preciosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. Quam culpam possumus melius etiam ex diverso colligere : quia si abjectio vilis vestimenti virtus non esset, evangelista vigilanter de Johanne non diceret, Erat indutus pilis camelorum. Tu autem, Domine.

Ant. Pater Abraham, miserere mei : et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam : ut refrigeret linguam meam.

* *Gregorii* in Evangelia Lib. II. Homil. xl. § 3. *Opera* I. 1654.
† 'Hoc quoque' *Portiforia cum Gregorio.*

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus in te sperantium fortitudo, adesto propicius invocationibus nostris : et quia sine te nichil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis et voluntate tibi et actione placeamus. Per Dominum nostrum Jesum.

AD VESPERAS. *Ant.* Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua : et Lazarus similiter mala.

Ps. Magnificat.

Dominica ii. post Festum Sanctæ Trinitatis.

Evangelium. Secundum Lucam xiiii. [16.]

Lectio vii. In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam fecit cenam magnam : et vocavit multos. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. (xxxvi.) *

Quis iste homo est nisi ille de quo per prophetam dicitur, Et homo est et quis cognovit eum? Qui fecit cenam magnam : quia satietatem nobis internæ dulcedinis præparavit. Qui vocat multos, sed pauci veniunt, quia nonnunquam ipsi qui ei per fidem subjecti sunt, æterno ejus convivio male vivendo contradicunt. Misit autem servum suum hora cenæ dicere invitatis ut venirent. Quid hora cenæ nisi finis est mundi? In quo nimirum nos sumus, sicut jamdudum Paulus testatur, dicens, Nos sumus in quos fines seculorum devenerunt.

Lectio viii. Si ergo jam hora cenæ est cum vocamur, tanto minus excusari debemus a convivio Dei, quanto propinquasse cernimus finem seculi. Quo enim pensamus quia nichil est quod restat, eo debemus pertimescere, ne tempus gratiæ quod præsto est pereat. Idcirco autem hoc convivium Dei, non prandium sed cena vocatur, quia post prandium cena restat : post cenam vero nullum convivium restat. Et quia æternum Dei convivium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit ut hoc non prandium sed cena vocaretur.

Lectio ix. Sed quid per hunc servum qui a patrefamilias ad invitandum mittitur, nisi prædicatorum ordo signatur? De quo videlicet ordine quamvis adhuc indigni existimus, quamvis peccatorum ponderibus gravamur, et nos tamen in istis diebus sumus. Et cum de ædificatione vestra aliquid vobis loquor, hoc est quod ago. Servus enim sum summi patrisfamilias. Cum vos admoneo ad contemptum seculi, invitare vos venio ad convivium Dei. Nemo me propter me hoc in loco despiciat. Et si ad invitandum nequaquam dignus appareo, sed tamen magnæ sunt deliciæ quas promitto. Tu.

Ant. Homo quidam fecit cenam magnam et vocavit multos : et misit servum suum hora cenæ dicere invitatis ut venirent : quia omnia parata sunt, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum : quia nunquam tua gubernatione destituis quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum nostrum.

AD VESPERAS. *Ant.* Exi cito in plateas et vicos civitatis : et pauperes ac debiles, cæcos et claudos compelle intrare ut impleatur domus mea, Alleluya.

Ps. Magnificat.

* *Gregorii* in Evangelia Lib. II. Homil. xxxvi. § 2. *Opera* I. 1619.

Dominica tertia.

Lectio vii. Secundum Lucam xv.

In illo tempore. Erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores : ut audirent eum. Et reliqua.

*Omelia beati Gregorii papæ. (xxxiv.)**

Audistis in lectione evangelica, fratres mei, quia peccatores et publicani accesserunt ad Redemptorem nostrum : et non solum ad loquendum, sed etiam ad convescendum recepti sunt. Quod videntes Pharisei : dedignati sunt. Ex qua re colligite, quia vera justicia compassionem habet, falsa justicia dedignationem: quamvis et justi soleant recte peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. Dedig nantur etenim, sed non dedignantes. Despiciunt, sed non despicientes. Persecutionem commovent, sed amantes. Quia et si foris increpationes per disciplinam exaggerent, tamen intus dulcedinem per charitatem servant. Tu autem.

Lectio viii. At contra hi qui de falsa justitia superbire solent ceteros quosque despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt. Et quo se peccatores esse non credunt, eo quoque deterius peccatores fiunt. De quorum profecto numero Pharisei extiterant, qui dijudicantes Dominum quod peccatores susciperet, arenti corde ipsum fontem misericordiæ reprehendebant. Sed quia ægri erant, ita ut se ægros esse nescirent, quatenus quod erant cognoscerent, cælestis eos medicus blandis fomentis curat. Benignum paradigma objicit, et in eorum cordibus vulneris tumorem premit. Ait namque, Quis ex vobis homo qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonagintanovem in deserto et vadit ad illam quæ perierat donec inveniat illam?

Lectio ix. Ecce mira dispensatione pietatis similitudinem Veritas dedit, quam et in semetipso homo recognosceret, et tamen hæc spiritualiter† ad ipsum auctorem hominum pertineret. Quia etenim centenarius perfectus est numerus, ipse centum oves habuit, cum angelorum substantiam et hominum creavit. Sed una ovis tunc periit, quando peccando homo pascua vitæ dereliquit. Dimisit autem nonagintanovem oves in deserto, quia illos summos angelorum choros reliquit in cælo. Cur autem cælum desertum vocatur, nisi quod desertum dicitur derelictum? Tunc autem cælum homo deseruit cum peccavit. Tu.

Ant. Quis ex vobis homo qui habet centum oves et si perdiderit unam ex illis : nonne dimittit nonagintanovem in deserto et vadit ad illam quæ perierat donec inveniat illam, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deprecationem nostram, quæsumus, Domine, benignus exaudi : et quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium. Per Dominum.

AD VESPERAS. *Ant.* Quæ mulier habens dragmas decem et si perdiderit dragmam unam : nonne accendit lucernam et evertit‡ domum et quærit diligenter donec inveniat.

Ps. Magnificat.

Dominica quarta.

Lectio vii. (*Secundum Lucam vi.* [36.])

In illo tempore. Dixit Jesus dis-

* *Gregorii* in Evangelia, Lib. II. Homil. xxxiv. §§ 2, 3. *Opera* I. 1600.
† 'specialiter' *Legend.* 1518.
‡ 'everrit' *ed. Vulg.*

cipulis suis, Estote misericordes : sicut et Pater vester misericors est. Et reliqua.

Sermo ex Commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (Super Lucam xxiii. in fine, et cap. xxiv. libri II.)*

Misericors est Dominus super ingratos et malos, vel multiplici scilicet sua misericordia, qua etiam jumenta salvat temporalia bona largiendo, vel ad cælestia dona singulari gratia qua electos solum glorificat inspirando. Sed sive hoc sive illud sive utrumque intelligas, magna Dei bonitate fit quæ nobis imitanda proponitur, si filii Dei esse volumus. Nolite judicare : et non judicabimini. Duo autem sunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus. Cum incertum est quo animo quicquid factum sit, vel cum incertum est qualis futurus sit, qui nunc vel bonus vel malus apparet. Tu autem.

Lectio viii. Nolite condemnare, et non condemnabimini. Hoc loco nobis nichil aliud præcipi existimo, nisi ut ea facta quæ dubium est quo animo fiant in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est, Ex fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, sicuti sunt stupra, et blasphemiæ, vel furta, et ebrietates, et si qua sunt talia, de quibus nobis judicare permittitur. Dimittite : et dimittemini. Date : et dabitur vobis. Dimittere nos injurias, dare beneficia jubet, ut et nobis peccata dimittantur, et vita detur æterna. Qua sententia brevi sed eximia, cuncta quæ latissime de conversando cum inimicis mandaverat, comprehendendo concludit. Tu autem.

Lectio ix. Mensuram bonam et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Huic simile est quod alibi dicit : Ut et ipsi recipiant vos in æterna tabernacula. Non enim pauperes ipsi, sed Christus mercedem his qui elemosynam fecere redditurus est. Quam tamen in sinum dare dicuntur, quia promerendi illis occasionem dedere, cum vel egentes misere vel improbe sævientes|| fortiorum sunt et tolerati patientia et beneficio sustentati, et ad ipsam aliquotiens fidem dulci gratia provocati. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetietur vobis. Potest hoc non solum de elemosina, sed et de omnibus quæ mente, manu, lingua gerimus, accipi. Tu.

Ant. Estote ergo misericordes : quia et Pater vester misericors est, dicit Dominus.

Ps. Benedictus.

Oratio. Protector in te sperantium Deus, sine quo nichil est validum, nichil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam : ut te rectore te duce sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per Dominum nostrum.

AD VESPERAS. *Ant.* Nolite judicare ut§ non judicemini : in quo enim judicio judicaveritis judicabimini, dicit Dominus.

Ps. Magnificat.

Dominica v.

Lectio vii. Secundum Lucam, v.

In illo tempore. Cum turbæ irruerent ad Jesum ut audirent verbum Dei : et ipse stabat secus stagnum Genezareth †. Et reliqua.

Sermo ex Commentario venerabilis Bedæ presbyteri ‡.

Stagnum sive mare præsens seculum designat. Dominus vero secus mare stat, postquam vitæ labentis mortalitatem devincens in ea qua

* *Bedæ* in Lucam cap. vi. Lib. II. §§ 23, 24. *Opera* v. 290.

† 'Genezareh' *Chevallon.* ‡ *Bedæ* in Lucam cap. v. Lib. II. cap. 15. *Opera* v. 270.

|| 'servientes' *Chevallon.* § 'et' *Chevallon.*

passus est carne stabilitatem perpetuæ quietis adiit. Turbarum conventus ad eum, gentium in fide concurrentium typus est. Et vidit duas naves stantes secus stagnum. Duæ naves secus stagnum positæ, circuncisionem et præputium figurant. Quas bene Dominus vidisse perhibetur, quia in utroque populo novit Dominus qui sunt ejus, eorumque cor a fluctibus seculi hujus ad futuræ vitæ tranquillitatem quasi ad soliditatem litoris videndo hoc est visitando provehit. Tu autem, Domine, miserere.

Lectio viii. Piscatores autem descenderant : et lavabant rhetia. Piscatores sunt ecclesiæ doctores, qui nos rhete fidei comprehensos, et de profundo ad lumen elevatos*, quasi pisces litori, sic terræ viventium advehunt. Quasi enim quædam rhetia piscantium sunt complexæ prædicantium dictiones, quæ eos quos ceperint in fide non amittant. Unde et rhetia quasi retinentia sunt vocata. Sed hæc rhetia modo laxantur in capturam, modo lota plicantur : quia non omne tempus est habile doctrinæ, sed nunc exercenda † lingua doctoris, nunc suimet cura gerenda. Tu autem, Domine.

Lectio ix. Ascendens autem in unam navem quæ erat Symonis, rogavit eum a terra reducere pusillum : et sedens docebat de navicula turbas. Navis Symonis est ecclesia primitiva. De qua docebat turbas : quia de auctoritate ecclesiæ usque hodie gentes ad cælorum regnum invitat. Ut cessavit autem loqui : dixit ad Symonem, Duc in altum, et laxate rhetia vestra in capturam. Quod primo rogavit Symonem navem a terra reducere pusillum, significat vel temperate utendum verbo ad turbas, ut nec terrena eis præcipiantur, nec sic a terrenis in profunda sacramentorum recedatur ut ea penitus non intelligant, vel prius in proximis regionibus

* 'elatos' *Legend.* 1518.

gentium prædicandum. Ut quod dicit item Petro, Duc in altum et laxate rhetia vestra in capturam, ad remotiores gentes quibus postea prædicandum est pertineat. Tu autem, Domine.

Ant. Ascendens Jesus in navim, et sedens docebat turbas, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Da nobis, quæsumus, Domine, ut et mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur : et ecclesia tua tranquilla devotione lætetur. Per Dominum nostrum.

Ad Vesperas. *Ant.* Præceptor, per totam noctem laborantes nichil cepimus : in verbo autem tuo laxabo rhete.

Ps. Magnificat.

Dominica vi.

Lectio vii. Secundum Mattheum, v. [20.]

In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis, Amen dico vobis quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Phariseorum : non intrabitis in regnum cælorum. Et reliqua.

Omelia excerpta de diversis tractatibus.

Justicia Phariseorum est, ut non occidant. Justicia eorum qui intraturi sunt regnum Dei est, ut non irascantur. Minimum est ergo non occidere : et qui illud solverit, minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autem illud impleverit ut non occidat, non continuo magnus erit et aptus regno cælorum, sed tamen ascendit aliquem gradum. Perficietur autem, si nec irascitur. Quod si perfecerit, multo remotior erit ab homicidio. Quapropter qui docet ut non irascamur, non solvit legem ut non occidamus, sed implet potius, ut et foris dum non occidimus, et intus

† 'exarēda...nunc sumet' *id.*

dum non irascimur, innocentiam custodiamus*. Tu autem.

Lectio viii. Audistis quia dictum est antiquis, Non occides. Qui autem occiderit reus erit judicio. In lege enim judicabatur, ut qui alium occidebat, et ipse occideretur. Ego autem dico vobis, id est ego novus homo vobis novis nova loquor. Quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio. Videndum est quantum intersit inter justiciam Phariseorum et Christianorum quæ introducit in regnum cælorum. Ibi enim occisio reum facit judicio, hic autem ira reum facit nichilominus† judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio. Racha enim Hebraice, Græce ‡ dicitur cenos, id est inanis et vacuus : quem possumus vulgata injuria absque cerebro nuncupare. Si de ocioso sermone reddituri sumus rationem, quanto magis de contumelia? Tu autem, Domine, miserere [nostri].

Lectio ix. Signanter additur : qui dixerit fratri suo, Racha. Frater enim noster nullus est, nisi qui eundem nobiscum habet patrem. Cum ergo similiter credat in Deum, et Christum Dei noverit sapientiam, qua ratione stultitiæ elogio denotari potest? Quid interest autem inter reum judicio, et reum concilio, et reum gehennæ ignis? Nam hoc postremum gravissimum sonat, et admonet gradus quosdam factos a levioribus ad graviora, donec ad gehennam ignis veniret. Et ideo si levius est reum esse judicio quam reum esse concilio : item si levius est reum esse concilio quam reum esse gehennæ ignis : oportet ut levius esse intelligatur irasci fratri quam dicere, Racha, et rursus levius esse dicere, Racha, quam dicere, Fatue. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiam peccata commemorarentur. Tu autem, Domine, miserere nostri.

Ant. Audistis quia dictum est antiquis non occides : qui autem occiderit reus erit judicio.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum : ut te in omnibus et super omnia diligentes, promissiones tuas quæ omne desiderium superant consequamur. Per Dominum.

Ad Vesperas. *Ant.* Si offers munus tuum ante altare et recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te : relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Dominica vii.

Lectio vii. Evangelium. Secundum Marcum, viii.

In illo tempore. Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent : convocatis discipulis ait illis, Misereor super turbam : quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. Et reliqua.

Sermo ex Commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (Super Marcum Libro II., videlicet super cap. viii. A.)‖

In hac lectione consideranda est in uno eodemque Redemptore nostro distincta operatio divinitatis et humanitatis : atque error Euticetis, qui unam tantum in Christo operationem dogmatizare præsumit, procul a Christianis finibus expellendus. Quis enim non videat hoc quod Dominus miseretur super turbam (ne vel ine-

* Hucusque *Augustinus* Lib. II. de Sermone Domini in Monte, cap. 9.
† 'reum nichil facit nichilominus' *Chevallon.*
‡ 'grece hebraice' *Chevallon. et Legend.* 1518.
‖ *Bedæ* in Marci Evangelium cap. viii. Lib. II. cap. 32. *Opera* v. 144.

dia* vel viæ longioris labore deficiat) affectum esse et compassionem humanæ fragilitatis : quod vero de septem panibus et pisciculis paucis quatuor milia hominum satiavit, divinæ opus esse virtutis? Mistice autem hoc miraculo designatur quod viam præsentis seculi aliter incolumes transire nequimus, nisi nos gratia Redemptoris nostri alimento sui verbi reficiat.

Lectio viii. Hoc vero typice inter hanc refectionem et illam quinque panum ac duorum piscium distat, quod ibi litera veteris Testamenti spirituali gratia plena esse designata† est : hic autem novi veritas ac gratia Testamenti fidelibus ministranda monstrata. Sane utraque refectio in monte celebrata est, ut aliorum evangelistarum narratio declarat, quia utriusque scriptura Testamenti recte intellecta altitudinem nobis cælestium præceptorum mandat et præmiorum : utraque altitudinem Christi, qui est mons domus Domini in vertice montium, consona voce prædicat‡. Qui enim ædificatam super se civitatem sive domum Domini, id est ecclesiam in alta bonorum extollit operum, et cunctis manifestam gentibus exhibet, ipse hanc ab infimis delectationibus abstractam pane cæli reficit, atque ad appetitum supernæ suavitatis dato pignore cibi spiritualis accendit. Tu autem.

Lectio ix. Misereor (inquit) super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me : nec habent quod manducent. Et si dimisero eos jejunos in domum suam : deficient in via. Quare triduo turba Dominum sustinuerit Matheus exponit plenius, qui ait, Et ascendens in montem : sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, claudos, cæcos, debiles, et alios multos, et projecerunt eos ante pedes ejus : et curavit eos. Turba ergo Dominum sanatione infirmorum suorum triduo sustinet : cum electi quique fide Sanctæ Trinitatis lucidi Domino pro suis suorumque peccatis, animæ videlicet languoribus, perseveranti instantia supplicant. Tu autem, Domine.

Ant. Misereor super turbam : quia ecce jam triduo sustinent me : nec habent quod manducent. et si dimisero eos jejunos deficient in via, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et præsta in nobis religionis augmentum : ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias. Per Dominum.

AD VESPERAS. *Ant.* Et accipiens Jesus septem panes : gratias agens fregit et dedit discipulis suis ut apponerent : et apposuerunt turbæ, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Dominica viii.

Lectio vii. Secundum Mattheum, vii. [15.]

In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis, Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium : intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et reliqua.

Omelia Origenis.

Quod paulo superius, fratres charissimi, Dominus noster Jesus Christus spaciosam et latam viam nominavit, hoc nunc apertius falsos prophetas ostendit, per quos multi in perditionem abominabilem abierunt. Qui primo in Judea multi apparuerunt, et modo perfidia totum repleverunt mundum. Sed illi qui prius falsi prophetæ fuerunt, verissimos Domini prophetas usque ad

* 'inedie' *Chevallon.* † 'signata' *Leg.* 1518. ‡ 'predicant' *Chevallon.*

mortem persecuti sunt, sicut Hieremiam, et Micheam, aliosque multos. Isti autem nunc, falsi prophetæ et falsi Christiani qui sunt, veraces Christianos sine misericordia persequuntur, et opprimunt, aliquando si detur copia etiam gladiis, sine intermissione, aut suis pravis moribus et exemplis. Idcirco omnes præveniens Dominus adhortatur dicens, Attendite a falsis prophetis.

Lectio viii. Attendite diligentius, observate cautius, ut non seducamini, ut non circunveniamini, ut non fallamini *. Attendite ergo, hoc est considerate, quia non sunt oves, sed lupi in vestimentis ovium. Quia non sunt religiosi, sed irreligiosi in vestimento ovium, in figura religiositatis. Quia non sunt Christiani, sed veritate vacui, Christianorum persecutores. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ipsos et beatus Apostolus ad Ephesios loquens designabat, dicens, Scio enim quod post decessum meum : introibunt in vobis lupi graves, lupi rapaces. Tu autem, Domine.

Lectio ix. Lupi vero graves nominantur omnes infideles hæretici : qui graviter sanctam ecclesiam opprimunt et persequuntur, vel molestare frequentant, qui sine misericordia rapere et coacervare non desinunt. Aliquando enim pecuniæ irruunt alienæ, aliquando in ipsos pecuniarum dominos. Multo magis satagunt animas rapere, et secum miserabiliter deducere. Et vestitum ovium habere dicuntur, eo quod nomen habeant Christianitatis, vel quia assimilant se ministris justiciæ, figuram religiositatis mentientes. Per Christianum itaque nomen multos seducere nituntur, dulcibus sermonibus multis scandalum inferentes. Isti sunt de quibus ait Apostolus, Per suos dulces sermones et blandos, seducunt corda innocentium. Sed ex fructibus eorum cognoscetis eos. Tu autem.

Ant. Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium : intrinsecus autem sunt lupi rapaces. a fructibus eorum cognoscetis eos.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus : ut noxia cuncta submoveas, et omnia nobis profutura concedas. Per Dominum.

Ad Vesperas. *Ant.* Non omnis qui dicit michi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum : sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est : ipse intrabit in regnum cælorum, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Dominica nona.

Lectio vii. Secundum Lucam, xvi.

In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam erat dives qui habebat villicum : et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. (*Super Lucam Lib. v. cap. lxiii.*) †

Ad clementiam nos Dominus et Salvator noster hortatur sub exemplo villici et debitoris domini sui : ut si dimittimus debitoribus nostris dimittantur et nobis debita nostra. Dives autem iste qui habebat villicum, Dominus ipse est Jesus Christus, cujus villici, id est dispensatores, sunt omnes fideles in sancta ecclesia. Exules enim et peregrini sumus in

* 'ut fallamini' *Chevallon.*

† *Bedæ* in Lucæ Evangelium cap. xvi. Lib. v. cap. 64. *Opera* v. 376.

hoc mundo, et hic non habemus hereditatem : sed quæ in præsenti videmur habere, ad dispensandum nobis commissa sunt, non ad possidendum. Noster autem municipatus (ut ait Paulus) in cælis est.

**Lectio viii.* In villico igitur isto quem dominus suus ejiciebat de villicatione, et laudavit quia futuram sibi vitam prospexerit, non omnia debemus ad imitandum sumere. Non enim aut Domino nostro facienda est in aliquo fraus, ut de ipsa fraude elemosynas nos posse facere speremus, aut eos qui nos recipiant in æterna tabernacula, id est sanctos angelos, tanquam debitores esse Domini Dei nostri fas est intelligi †, cum fideles quique (sicut diximus) in sancta ecclesia significentur in villico. Si ergo laudatur a domino villicus qui fraudem faciebat, quanto amplius placent Domino Deo qui secundum ejus præceptum bona sua fideliter dispensant?

Lectio ix. Qui ergo juxta hujus servi exemplum sedulo rejiciendæ villicationis, id est ultimum temporis sui diem et rationis reddendæ tempus præviderit : facile terrenorum omnium delectatione simul et dilectione nudatus, plus sibi de amicis conquirendis in futuro, quam de divitiis in præsenti colligendis prospicere necessarium ducit. Quia ablata villicatione fodere non valemus : quia finita hac vita in qua laborare pro æterna debemus, nequaquam postea bonæ conversationis fructum licebit inquirere. Sed illo tunc tempore mendicare confusio est : illo scilicet pessimo genere mendicandi quo virgines illæ fatuæ, quæ hic pro operibus suis mercedem humanæ laudis percipiebant, mendicasse referuntur. Tu autem, Domine.

Ant. Dixit dominus villico quid hoc audio de te : redde rationem villicationis tuæ, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Largire nobis, Domine, quæsumus, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt propicius et agendi : ut, qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Per Dominum.

Ad Vesperas. *Ant.* Quid faciam quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. scio quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione recipiant me in domos suas.

Ps. Magnificat.

Dominica x.

Lectio vii. Secundum Lucam, xix. [41.]

In illo tempore. Cum appropinquaret Jesus Hierusalem : videns civitatem flevit super illam dicens, quia si cognovisses et tu. Et reliqua.

Omelia beati Gregorii papæ. (*xxxix.*)‡

Quod autem flente Domino illa Hierosolimorum subversio describatur, quæ a Vespasiano et Tyto Romanis principibus facta est, nullus qui hystoriam eversionis ejusdem legit ignorat. Romani enim principes denunciantur cum dicitur, Quia venient dies in te, et circundabunt te inimici tui vallo : et circundabunt te et coangustabunt te undique, et ad terram consternent te, et filios tuos qui in te sunt. Hoc quoque quod additur, Et non relinquent in te lapidem super lapidem, etiam ipsa ejusdem civitatis transmigratio testa-

* Lectiones viij. et ix., partim mutata, inveniuntur in *Bedæ* Sermonibus Æstival. de Tempore, *Opera* vii. 59.

† 'intelligendū' *Leg.* 1518. 'fas est intelligendi' *Portif.* 1557. 'esse intelligi' *Chev.*

‡ *Gregorii* in Evangelia Homil. xxxix. *Opera* i. 1641.

tur. Quia dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam crucifixus fuerat Dominus, prior illa Hierusalem, ut dicitur, funditus est eversa.

Lectio viii. Hierusalem ex qua culpa eversionis pœna fuerit illata, subjungitur, Eo quod non cognoveris* tempus visitationis tuæ. Creator quippe omnium per incarnationis suæ mysterium hanc visitare dignatus est : sed illa timoris et amoris illius recordata non est. Sed quærendum prius est quid sit quod dicitur, Videns civitatem flevit super illam dicens, Quia si cognovisses et tu. Flevit etenim pius† Redemptor ruinam perfidæ civitatis, quam ipsa sibi non cognoscebat esse venturam. Cui a flente Domino recte dicitur, quia si cognovisses et tu, subaudi‡ fleres : quæ modo, quia nescis quod imminet, exultas. Unde et subditur, Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Cum enim se carnis voluptatibus daret, et ventura mala non prospiceret, in die sua quæ ad pacem ei esse poterant habebat.

Lectio ix. Cur vero præsentia bona ad pacem habuerit, manifestatur cum subditur, Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Si enim a cordis ejus oculis mala quæ imminebant abscondita non essent, læta in præsentibus prosperis non fuisset. Cujus mox etiam pœna, quæ de Romanis (sicut prædixi) principibus imminebat, adjuncta est. Qua descripta, quid Dominus fecerit subditur : quia ingressus templum cœpit ejicere vendentes de illo et ementes, dicens illis, Scriptum est : quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Qui enim narravit mala ventura, et protinus templum ingressus est ut de illo vendentes et ementes eijceret : profecto innotuit, quia ruina populi maxime ex sacerdotum culpa fuit. Tu autem, Domine, miserere [nostri].

Ant. Cum appropinquaret Dominus Hierusalem : videns civitatem flevit super illam et dixit, quia si cognovisses et tu, quia venient dies in te et circundabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te. eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Pateant aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium : et ut petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare. Per Dominum.

Ad Vesperas. *Ant.* Scriptum est enim quia domus mea domus orationis est cunctis gentibus : vos autem fecistis illam speluncam latronum : et erat quotidie docens in templo.

Ps. Magnificat.

Dominica undecima.

Lectio vii. Secundum Lucam, xviii. [9.]

In illo tempore. Dixit Jesus ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur ceteros, parabolam istam, dicens, Duo homines ascenderunt in templum : ut orarent. Unus Phariseus : et alter publicanus. Et reliqua.

Sermo ex Commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (Libro v. cap. lxxi. super Lucam.)‖

Quia parabolam Dominus, qua semper orare et non deficere docebat, ita conclusit ut diceret veniente judice difficile fidem in terra repe-

* 'cognoveritis' *Chevallon.* † 'prius' *Portif.* 1557 *cum Gregorio.*
‡ 'subaudi scilicet' *Leg.* 1518.
‖ *Bedæ* in Lucæ Evangelium cap. xviii. Lib. v. cap. 72. *Opera* v. 392.

riendam : ne quis sibi forte de supervacua fidei cogitatione vel etiam confessione blandiretur, mox altera juncta parabola diligentius ostendit, a Deo fidei non verba examinanda sed opera. Inter quæ nimirum opera maxime regnat humilitas. Publicanus humiliter orans ad illa præfatæ viduæ hoc est ecclesiæ membra pertinet, de quibus supra dicitur, Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se? Phariseus autem merita jactans ad ea de quibus terribilis in conclusione sententia subditur, Veruntamen Filius hominis veniens : putas inveniet fidem in terra?

Lectio viii. Phariseus stans : hæc apud se orabat; Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum : raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur. Cum bonum aut a semetipsis se habere existimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certe cum jactant se habere quod non habent, aut despectis ceteris singulariter videri appetunt habere quod habent. Qua Phariseus iste jactantiæ peste laborasse deprehenditur, qui idcirco de templo absque justificatione descendit, quia bonorum operum merita sibi quasi singulariter tribuens oranti publicano se prætulit. Tu autem.

Lectio ix. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Ezechiel propheta de ostensis sibi cæli animalibus scribit, Et totum corpus plenum oculis, in circuitu ipsorum quatuor. Corpora quippe animalium idcirco plena oculis describuntur, quia sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter prævidens, mala solerter cavens. Sed nos sæpe dum aliis rebus intendimus, fit ut alia negligamus. Et ubi negligimus, ibi proculdubio oculum non habemus. Nam ecce Phariseus ad obtinendam abstinentiam, ad impendendam misericordiam, ad referendas Deo gratias oculum habuerat : sed ad humilitatis custodiam non habebat. Et quid prodest quod contra hostium insidias pæne tota civitas caute custoditur, si unum foramen apertum relinquitur unde ab hostibus intretur? Tu autem, Domine.

Ant. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent : unus Phariseus et alter publicanus : descendit hic justificatus in domum suam ab illo, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas : multiplica super nos gratiam tuam, ut ad tua promissa currentes cælestium bonorum facias esse consortes. Per Dominum.

Ad Vesperas. *Ant.* Stans a longe publicanus nolebat oculos ad cælum levare : sed percutiebat pectus suum dicens, Deus propicius esto michi peccatori.

Ps. Magnificat.

Dominica xii.

Lectio vii. Evangelium. Secundum Marcum, vii. [31.]

In illo tempore. Exiens Jesus de finibus Tyri : venit per Sydonem ad mare Galileæ : inter medios fines Decapoleos. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. (xvi. primi libri.) *

Surdus ille et mutus, quem mirabiliter curatum a Domino modo cum Evangelium legeretur audivimus, genus designat humanum, in his qui ab errore dyabolicæ deceptionis divina merentur gratia liberari. Obsurduit namque homo ab audiendo

* *Bedæ* Homiliæ Æstival. de Tempore, *Opera* vii. 65.

vitæ verbo, postquam mortifera serpentis verba contra Dominum tumidus audivit. Mutus a laude Conditoris effectus est, ex quo cum seductore colloquium habere præsumpsit. Et merito clausit aures ab audienda cum angelis laude Creatoris, quas ad audiendam ejusdem Creatoris vituperationem sermonibus hostis incautus aperuit. Merito clausit os a prædicanda cum angelis laude* Creatoris, quod velut ad meliorandum opus ejusdem Creatoris cibi vetiti prævaricatione superbus implevit.

Lectio viii. Et heu miser generis humani defectus. Quod in radice viciosum germinavit, viciosius multo dilatari cœpit in propagine ramorum. Ita ut veniente in carne Domino (exceptis paucis de Judea fidelibus) totus pæne mundus ab agnitione et confessione veritatis surdus erraret et mutus. Sed ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. Venit namque Dominus ad mare Galileæ, ubi noverat ægrotare quem sanaret. Venit gratia suæ pietatis ad tumentia turbida et instabilia gentium corda, in quibus noverat esse qui ad suam gratiam pertinerent. Et bene inter medios fines Decapoleos ad mare Galileæ, ubi ægrotum sanaret, venisse perhibetur : quia relicto ob perfidiam populo qui decalogi mandata acceperat exteras venit ad gentes, ut, sicut Johannes ait, filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum.

Lectio ix. Et adducunt (inquit) ei surdum et mutum : et deprecabantur eum ut imponat ei manum. Quia ipse surdus Salvatorem agnoscere, mutus nequibat rogare, adducunt eum amici, et pro ejus salute Domino supplicant. Sic nimirum, sic in spirituali necesse est curatione geratur, ut si quis humana industria ad auditum confessionemque veritatis converti non potest, divinæ pietatis offeratur aspectibus, atque ad sanandum eum supernæ manus flagitetur auxilium. Nec tardat cælestis misericordia medici, si intentio precantum † non hæsitat nec deficit oratio. Unde statim subinfertur, quia apprehendens Jesus ægrotum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens tetigit linguam ejus. Digitos quippe surdo in auriculas mittit, ut audiat : cum per dona gratiæ spiritualis aures diu non credentes ad auditum sui verbi convertit. Expuens, linguam muti ut loqui valeat tangit, cum per ministerium prædicationis rationem fidei qua confiteri debeat præstat. Tu autem.

Ant. Exiens Jesus de finibus Tyri venit per Sydonem ad mare Galileæ, inter medios fines Decapoleos, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ et merita supplicum excedis et vota : effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quæ conscientia metuit, et adijcias quod oratio non præsumit. Per Dominum.

Ad Vesperas. *Ant.* Bene omnia fecit : et surdos fecit audire et mutos loqui.

Ps. Magnificat.

Dominica xiii.

Lectio vii. Secundum Lucam, x. [23.]

In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis, Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Et reliqua.

Sermo ex Commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (Super Lucam Libro iii. cap. xlii. in fine, et cap. xliii.)‡

* 'ad predicandā...laudē' *Leg.* 1518.
† 'si intenta precantium' *Port.* 1519. ('peccantium' *Port.* 1530.)
‡ *Bedæ* in Lucæ Evangelium cap. x. Lib. iii. cap. 43, 44. *Opera* v. 332.

Non oculi scribarum et Phariseorum qui corpus tantum Domini videre, sed illi beati oculi qui ejus possunt cognoscere sacramenta, de quibus dicitur, Et revelasti ea parvulis. Beati oculi parvulorum, quibus et se et Patrem Filius revelare dignatur. Dico autem vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt. Tu autem.

Lectio viii. Abraham exultavit ut videret diem Christi : vidit et gavisus est. Esayas quoque, Micheas, et multi alii prophetæ viderunt gloriam Domini : qui et propterea videntes sunt appellati. Sed hi omnes a longe aspicientes et salutantes per speculum et in ænigmate viderunt. Apostoli autem in præsentia habentes Dominum, convescentesque ei, et quæque voluissent interrogando discentes, nequaquam per angelos aut varias visionum species opus habebant doceri. Quos vero Lucas multos prophetas et reges dicit, Matheus apertius prophetas et justos appellat. Ipsi sunt enim reges magni, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt.

Lectio ix. Et ecce quidam legisperitus surrexit : tentans eum et dicens, Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Legisperitus qui de vita æterna Dominum tentans interrogat, occasionem, ut reor, tentandi de ipsis Domini sermonibus sumpsit, ubi ait, Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis. Sed ipsa sua tentatione indicat quam vera sit illa Domini confessio qua Patri loquitur; Quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus : et revelasti ea parvulis. At ille dixit ad eum, In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens dixit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua : et proximum tuum sicut teipsum. Dum ergo legisperito respondet, profecto nobis Salvator iter vitæ cælestis ostendit. Cui primo de dilectione Dei et proximi legis scripta proponenti dicit, Recte respondisti. Hoc fac, et vives. Tu autem.

Ant. Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico et incidit in latrones, qui etiam dispoliaverunt eum, et plagis inpositis abierunt semivivo relicto.

Ps. Benedictus.

Oratio. Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur : tribue nobis, quæsumus, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per Dominum.

Ad Vesperas. *Ant.* Quis tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones : et ait ille, qui fecit misericordiam in illo. vade et tu fac similiter, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Dominica decimaquarta.

Lectio vii. Evangelium. Secundum Lucam, xvii. [11.]

In illo tempore. Dum iret Jesus in Hierusalem : transibat per mediam Samariam et Galileam. Et cum ingrederetur quoddam castellum : occurrerunt ei decem viri leprosi. Et reliqua.

*Sermo ex Commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (Super Lucam Libro v. cap. lxviii.)**

Leprosi non absurde intelligi possunt, qui scientiam veræ fidei non

* *Bedæ* in Lucæ Evangelium cap. xvii. Lib. v. cap. 69. *Opera* v. 385.

habentes varias doctrinas profitentur erroris. Hi autem tam vitandi sunt ecclesiæ, ut si fieri potest longius remoti magno clamore interpellent. Unde et apte subjungitur, Qui steterunt a longe : et levaverunt vocem dicentes, Jesu præceptor : miserere nostri. Et bene, ut salventur, Jesum præceptorem nominant. Quia enim in ejus verbis se errasse significant, hunc salvandi humiliter præceptorem vocant. Cunque ad cognitionem præceptoris redeunt, mox ad formam salutis recurrunt. Nam sequitur; Quos ut vidit, dixit, Ite, ostendite vos sacerdotibus.

Lectio viii. Et factum est dum irent, mundati sunt. Nullum Dominus eorum, quibus hæc corporalia beneficia præstitit, invenitur misisse ad sacerdotes nisi leprosos. Quia videlicet sacerdotium Judeorum figura erat futuri sacerdotii regalis, quod est in ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi summi et veri principis sacerdotum. Et quisquis vel hæretica pravitate, vel superstitione gentili, vel Judaica perfidia, vel etiam scismate fraterno, quasi vario colore per Christi gratiam caruerit, necesse est ut ad ecclesiam veniat, coloremque fidei verum quem acceperit ostendat. Cetera vero vicia tanquam valitudines et quasi morbos animæ atque sensuum, per seipsum interius in conscientia et intellectu Dominus sanat et corrigit.

Lectio ix. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes ejus : gratias agens. Unus iste qui magnificans Deum regressus est, unius ecclesiæ devotam Christo humilitatem significat. Qui bene cadens ante pedes Domini gratias egit. Ille enim vere Deo gratias agit, qui repressis* cogitationibus præsumptionis suæ, quam in semetipso infirmus sit humiliter videt, qui nichil sibi virtutis tribuit, qui bona quæ egit esse de misericordia Conditoris cognoscit. Unde et recte subjungitur, Et hic erat Samaritanus. Samaritanus quippe interpretatur custos. Quo nomine ille populus aptissime significatur, qui gratias agendo ei a quo accepit quodammodo cantat illud de Psalmo, Fortitudinem meam ad te custodiam : quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Tu autem.

Ant. Dum ingrederetur Jesus quoddam castellum : occurrerunt illi decem viri leprosi qui steterunt a longe et levaverunt vocem dicentes : Jesu præceptor miserere nobis.

Ps. Benedictus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei spei et charitatis augmentum : et ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per.

AD VESPERAS. *Ant.* Nonne decem mundati sunt : et novem ubi sunt? non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo nisi hic alienigena. vade quia fides tua te salvum fecit, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Dominica xv.

Lectio vii. Secundum Matheum, vi. [24.]

In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis, Nemo potest duobus dominis servire. Et reliqua.

Sermo ex Commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (Super Lucam Libro v. cap. lxiv.)†

Nemo potest duobus dominis servire : quia nemo valet transitoria

* 'expressis' *Chevallon.*

† *Bedæ* in Lucæ Evangelium cap. xvi. Lib. v. cap. 65. *Opera* v. 377.

simul et æterna diligere. Si enim æternitatem diligimus, cuncta temporalia in usu non in affectu possidemus. Aut enim unum odiet, et alterum diliget : aut uni adhærebit, et alterum contemnet. Hæc verba diligenter consideranda sunt. Nam qui sint duo domini consequenter exponit, dicens, Non potestis Deo servire et mammonæ. Audiat hoc avarus, audiat qui censetur nomine Christiano, non posse simul mammonæ, hoc est divitiis, Christoque servire. Et tamen non dicit*, qui habet divitias, sed qui servit divitiis. Qui enim divitiarum servus est, et divitias custodit ut servus. Qui autem servitutis excussit jugum, distribuit eas ut dominus. Sed qui servit mammonæ, illi utique servit qui rebus istis terrenis merito suæ perversitatis præpositus princeps hujus seculi a Domino dicitur.

Lectio viii. Ergo aut unum odiet, et alterum diliget, ut fieri debet, odiet scilicet dyabolum, diliget Deum : aut uni adhærebit, et alterum contemnet. Adhærebit scilicet diabolo, cum quasi ejus præmia temporalia sectatur : contemnet autem Deum. Non dixit, odiet, sed sicut solent minas ejus postponere cupiditatibus suis, qui de bonitate ejus sibi ad impunitatem blandiuntur. Quibus per Salomonem dicitur, Fili, ne adijcias peccatum super peccatum : et dicas, Miseratio Dei magna est. (*Beda super Lucam Libro iv. cap. lii. circa medium.*)

†Ideo dico vobis, Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis : aut corpori vestro quid induamini. Ergo quod omnibus natura tribuit, et jumentis ac bestiis, hominibus quoque commune est, hujus cura penitus non liberamur : sed præcipitur nobis ne solliciti simus quid comedamus. Et quia in sudore vultus præparamus nobis panem, labor exercendus est, sollicitudo tollenda.

Lectio ix. Anima plus est quam esca : et corpus plus quam vestimentum. Admonet ut meminerimus multo amplius nobis Deum dedisse quod nos fecit et composuit ex anima et corpore, quam est alimentum atque tegumentum. Ut intelligas eum qui dedit animam, multo facilius escas esse daturum. Similiter eum qui corpus dedit, multo facilius daturum esse vestimentum. Quo loco quæri solet, utrum ad animam cibus iste pertineat, cum anima incorporea sit, cibus autem iste corporeus. Sed animam hoc loco pro ista vita positam noverimus, cujus retinaculum est alimentum istud corporeum. Secundum hanc significationem dictum est etiam illud, Qui amat animam suam, perdet eam. Quod nisi de hac vita acceperimus, quam oportet pro regno Dei perdere, quod potuisse martyres claruit, contrarium hoc præceptum erit illi sententiæ qua dictum est, Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Tu autem.

Ant. Nolite solliciti esse dicentes quid manducabimus aut quid bibemus : scit enim Pater vester cælestis quid vobis necesse sit, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Custodi, Domine, quæsumus, ecclesiam tuam propiciatione perpetua : et quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis et abstrahatur a noxiis et ad salutaria dirigatur. Per.

Ad Vesperas. *Ant.* Quærite ergo primum regnum Dei et justiciam ejus : et hæc omnia adijcientur vobis, Alleluya.

Ps. Magnificat.

* 'dixit' *Leg.* 1518.

† *Bedæ* in Lucæ Evangelium cap. xii. Lib. iv. cap. 53. *Opera* v. 350.

Dominica xvi.

Lectio vii. Secundum Lucam, vii. [11.]

In illo tempore. Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naym : et ibant cum illo discipuli ejus et turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ civitatis : ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Et reliqua.

*Sermo ex Commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (Super Lucam Libro ii. cap. xxv.)**

Defunctus hic, qui extra portam civitatis multis est intuentibus elatus, significat hominem letali criminum funere soporatum, eandemque insuper animæ mortem non cordis adhuc cubili tegentem, sed ad multorum noticiam per locutionis operisve indicium quasi per suæ ostia civitatis propalantem. Qui bene filius unicus matris suæ dicitur †. Quia licet e multis collecta personis una sit perfecta et immaculata virgo mater ecclesia, singuli quique tamen fidelium universalis se ecclesiæ filios rectissime fatentur. Nam et electus quilibet quando ad fidem imbuitur, filius est. Quando ad fidem alios imbuit, mater est.

Lectio viii. Portam civitatis qua defunctus efferebatur, puto aliquem de sensibus esse corporeis. Qui enim seminat inter fratres discordias, qui iniquitatem in excelso loquitur, per oris portam extrahitur mortuus. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, per oculorum portam suæ mortis indicia profert. Qui fabulis ociosis, obscenisve carminibus, vel detractionibus aurem libenter aperit, hanc animæ suæ portam mortis efficit. Ceterosque qui non servat sensus, mortis sibi ipse reserat aditus. Et hæc vidua erat : et turba civitatis multa cum illa. Viduam esse ecclesiam omnis anima, quæ Sponsi Dominique sui se morte redemptam meminit, agnoscit. Divino autem nutu multa Dominum turba, multa viduam comitabatur, ut viso tanto miraculo multi testes, multi Domini fierent laudatores.

Lectio ix. Quam cum vidisset Jesus : misericordia motus super eam, dixit illi, Noli flere. Desiste, inquit, quasi mortuum flere, quem mox vivum resurgere videbis. Ubi mystice Novati dogma confunditur: qui de sua mundicia superbe gloriatus, humilem pœnitentium mundationem evacuare conatur, veramque matrem ecclesiam de natorum suorum extinctione spirituali plorantem, spe vitæ redonandæ negat consolari debere. Et pulchre Evangelista Dominum prius misericordia motum esse super matrem, ac filium ejus post suscitasse testatur, ut in uno nobis exemplum imitandæ pietatis ostenderet, in altero fidem mirandæ virtutis astrueret. Tu autem, Domine.

Ant. Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naym : et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ.

Ps. Benedictus.

Oratio. Ecclesiam tuam, quæsumus, Domine, miseratio continuata mundet et muniat : et quia sine te non potest salva consistere, tuo semper munere gubernetur. Per Dominum.

Ad Vesperas. *Ant.* Accepit autem omnes timor et magnificabant Deum, dicentes quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

Ps. Magnificat.

* *Bedæ* in Lucæ Evangelium cap. vii. Lib. ii. cap. 26. *Opera* v. 296.
† 'perhibetur' *Leg.* 1518.

Dominica xvii.

Lectio vii. Secundum Lucam, xiiii.

In illo tempore. Cum intrasset Jesus in domum cujusdam principis Phariseorum sabbato manducare panem : et ipsi observabant eum. Et ecce quidam ydropicus erat ante illum. Et reliqua.

*Sermo ex Commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (Super Lucam Libro iv. cap. lviii.)**

Idropisis† morbus ab aquoso humore vocabulum trahit. Græce enim aqua ydor vocatur. Est autem humor subcutaneus de vicio vesicæ natus, cum inflatione turgente et anhelitu fœtido. Propriumque est ydropici, quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius sitire‡. Et ideo recte comparatur ei quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat. Comparatur diviti avaro, qui quanto est copiosior divitiis, quibus non bene utitur, tanto ardentius talia concupiscit. Et respondens Jesus: dixit ad legisperitos et Phariseos, Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Tu autem, Domine.

Lectio viii. Quod dicitur respondisse Jesus, ad hoc respicit quod præmissum est : Et ipsi observabant eum. Dominus enim novit cogitationes hominum. Sed merito interrogati tacent, qui contra se dictum quicquid dixerint vident. Nam si licet sabbato curare, quare Salvatorem an curet observant? Si non licet, quare ipsi sabbato pecora curant? Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. Provida dispensatione Dominus ante legisperitos et Phariseos ydropicum curat, et mox contra avariciam disputat. Ut videlicet per ejus ægritudinem corporis in illis exprimeretur ægritudo cordis. Denique post multa disputationis ejus hortamenta subjunctum est, Audiebant autem hæc omnia Pharisei qui erant avari : et deridebant illum. Idropicus quippe quo amplius biberit, amplius sitit. Et omnis avarus sitim multiplicat, qui cum ea quæ appetit adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat.

Lectio ix. Et respondens dixit ad illos, Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati? Sic observatores suos Phariseos convincit ut eosdem etiam avariciæ condemnet. Si vos (inquit) sabbato asinum aut bovem, aut aliud quodlibet animal in puteum decidens eripere festinatis, non animali sed vestræ avariciæ consulentes : quanto magis ego hominem, qui multo melior est pecore, debeo liberare? Congruenter Dominus ydropicum animali quod cecidit in puteum comparavit, humore enim laborabat. Et bene utroque loco bovem posuit et asinum : ut sive sapientes quosque et hebetes, sive ut supradictum est utrumque populum eos significare sentiamus, eum videlicet cujus cervicem jugum legis attrivit, atque eum quem quilibet seductor repperit quasi brutum animal, et nulla ratione renitens, quo voluit errore subtraxit : omnes Salvator adveniens Sathanæ vinculis astrictos, omnes in unum concupiscentiæ puteum demersos invenit. Tu autem, Domine.

Ant. Dixit Jesus ad legisperitos et Phariseos : si licet sabbato curare. at illi tacuerunt. ipse vero apprehendens ydropicum. sanavit eum ac dimisit.

Ps. Benedictus.

Oratio. Tua nos, quæsumus, Domine, gratia semper et præveniat

* *Bedæ* in Lucæ Evangelium cap. xiv. Lib. iv. cap. 59. *Opera* v. 363.

† 'Idropis' *Leg.* 1518.

‡ 'sētire' *Leg.* 1518.

et sequatur : ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos. Per.

Ad Vesperas. *Ant.* Cum vocatus fueris ad nuptias recumbe in novissimo loco, ut dicat tibi qui te invitavit, amice, ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Dominica xviii.

Lectio vii. Secundum Matheum, xxii. [34.]

In illo tempore. Accesserunt ad Jesum Pharisei, audientes quod Jesus silentium imposuisset Saduceis*: convenerunt in unum, et interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum, Magister : quod est mandatum magnum in lege? Et reliqua.

Omelia beati Johannis episcopi. (Chrisostomus parte prima Omeliæ xxxvii.)

Convenerunt, ut multitudine vincerent quem ratione superare non poterant. A veritate nudos se esse professi sunt, qui multitudine se armaverunt. Dicebant enim apud se, Unus loquatur pro omnibus, et omnes loquamur per unum, ut si quidem vicerit, omnes videamur victores, si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. O Pharisei, qui omnia propter homines cogitatis et facitis. Primum quidem venientes cum uno, vincendi estis per unum. Tamen pone quia, uno victo, homines non intelligunt vos omnes esse victos. Nunquid conscientiæ vestræ non sentiunt se esse confusas? Levis enim est consolatio, qui in seipso confusus est, quod ab aliis ignoratur.

Lectio viii. Magister, quod est mandatum magnum in lege? Magistrum vocat, cujus non vult esse discipulus, non scire desiderans sed tentans. Simplicissimus interrogator, et malignissimus insidiator, de magno mandato interrogat qui nec minimum observat. Ille enim debet interrogare de majore justitia, qui jam minorem complevit. Dominus autem ei sic respondit, ut interrogationis ejus fictam conscientiam statim primo responso percuteret dicens, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum. Maximum autem et minimum mandatum dicimus, quantum ad dignitatem mandatorum, non quantum ad utilitatem. Alioquin utilitas omnium mandatorum una est, et omnia mandata quæ unum videntur esse mandatum ita sibi cohærent, ut alterum sine altero esse non possit.

Lectio ix. Itaque dignius est hoc mandatum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, quam illud, Non occides, Non concupisces : tamen utilitas una est. Nam qui diligit Deum, ille non occidit neque† concupiscit. Qui autem occidit aut concupiscit, non diligit Dominum Deum suum. Ecce autem minora mandata Dominus manifestat dicens, Si quis unum ex minimis istis mandatis solverit, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Diliges, inquit, non Timebis : quia diligere majus est quam timere. Minoratio enim culturæ Dei habet timorem, perfectio autem dilectionem, dicente Johanne, Perfecta dilectio foras mittit timorem. Donec enim homo timet Deum, non eum diligit. Cum autem diligere cœperit, jam non eum tantummodo timet, sed etiam amplius diligit. Timere enim servorum est, diligere filiorum. Timor sub necessitate est, dilectio in libertate. Tu autem.

* 'seduceis' *Chevallon.*

† 'aut non' *Leg.* 1518.

Ant. Magister, quod est mandatum magnum in lege? ait illi Jesus. diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Da, quæsumus, Domine, populo tuo dyabolica vitare contagia: et te solum Deum pura mente sectari. Per Dominum.

Ad Vesperas *Ant.* Quid vobis videtur de Christo cujus Filius est, dicunt ei omnes, David. dicit eis Jesus; quomodo David in spiritu vocat eum Dominum dicens; dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.

Ps. Magnificat.

Dominica xix.

Lectio vii. Secundum Matheum, ix.

In illo tempore. Ascendens Jesus in naviculam: transfretavit et venit in civitatem suam. Et reliqua.

Omelia beati Johannis episcopi. (*Chrisostomus parte prima Omeliæ xxxvi.*)*

Creator rerum, orbis Dominus, postea quam se propter nos angustiavit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit civitatis Judaicæ esse civis. Parentes cœpit habere, parentum omnium ipse parens, ut invitaret amor, attraheret caritas, vinceret affectio, suaderet humanitas, quos fugarat dominatio, metus dispersérat, et fecerat vis potestatis extorres†. Venit in civitatem suam, et obtulerunt ei paraliticum jacentem in lecto. Et videns (inquit) Jesus fidem illorum: dixit paralitico, Confide, fili: remittuntur tibi peccata tua.

Lectio viii. Audit veniam et tacet paraliticus, nec ullam respondet gratiam, quia plus animæ quam corporis tendebat ad curam, et temporales ærumnas resoluti corporis sic deflebat, ut æternas pœnas resolutionis animæ non defleret, gratiorem sibi præsentem vitam judicans quam futuram. Merito Christus offerentium fidem respicit, et vecordiam despicit sic jacentis, ut fidei alienæ suffragio paralitici anima ante curaretur quam corpus. Respiciens (inquit) fidem illorum. Cernitis in hoc loco, fratres, Deum non quærere insipientium voluntates, non expectare ignorantium fidem, non infirmi stulta desideria perscrutari, sed ad alterius fidem subvenire. (*Hucusque Chrisostomus ubi supra.*)

Lectio ix. Revera, fratres, quando medicus languentium quærit aut respicit voluntates, cum semper contraria desideret et requirat infirmus; hinc est quod nunc ferrum, nunc ignem, nunc amara pocula ingerit et apponit invitis, ut curam sani sentiant quam sentire non poterant ægrotantes. Et si homo injurias despicit, maledicta contemnit, ut sauciatis membris sponte vitam conferat et salutem, quanto magis Christus medicus bonitate divina morbis saucios peccatorum, et frenesi criminum laborantes, ad salutem etiam invitos attrahit et nolentes? O si vellemus, fratres, O si vellemus mentis nostræ omnem paralisim semper videre, et animam nostram virtutibus destitutam jacere in viciorum stratibus cerneremus: luceret nobis quemadmodum Christus, qui nostras quotidie noxias despicit voluntates, ad salutaria nos remedia pertrahit et perurget invitos. Tu autem.

Ant. Dixit Dominus paralitico; confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Dirigat corda nostra, quæsumus, Domine, tuæ miserationis operatio: quia tibi sine te placere non possumus. Per Dominum.

* Videndus est S. Petri Chrysologi Sermo 50. † 'exteros' *Legend.* 1518.

Ad Vesperas. *Ant.* Videntes autem turbæ timuerunt et glorificaverunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus.

Ps. Magnificat.

Dominica xx.

Lectio vii. Secundum Matheum, xxii.

In illo tempore. Loquebatur Jesus cum discipulis suis in parabolis : dicens, Simile factum est regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio suo. Et reliqua.

*Omelia beati Gregorii papæ. (xxxviii.)**

Plerumque in sancto evangelio regnum cælorum præsens ecclesia designatur. Congregatio quippe justorum regnum cælorum dicitur. Quia enim per prophetam Dominus dicit, Cælum michi sedes est : et Salomon ait, Anima justi, sedes sapientiæ. Paulus etiam dicit Christum Dei virtutem et Dei sapientiam : liquido colligere debemus quia si Deus sapientia, anima autem justi sedes est sapientiæ, dum cælum dicitur sedes Dei, cælum ergo est anima justi. Hinc per Psalmistam de sanctis prædicatoribus dicitur, Cæli enarrant gloriam Dei. Regnum ergo cælorum est ecclesia justorum : quia dum eorum corda in terra nil ambiunt, per hoc quod ad superna suspirant, jam in eis Dominus quasi in cælestibus regnat.

Lectio viii. Dicatur ergo, Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Jam intelligit caritas vestra, quis est iste rex regis filii pater. Ille nimirum cui Psalmista ait, Deus, judicium tuum regi da : et justitiam tuam filio regis. Qui fecit nuptias filio suo. Tunc enim Deus Pater Deo Filio nuptias fecit, quando hunc in utero virginis humanæ naturæ conjunxit, quando Deum ante secula fieri voluit hominem in fine seculorum. Sed quia ex duabus personis solet fieri ista conjunctio, absit hoc ab intellectibus nostris ut personam Dei et Hominis Redemptoris nostri Jesu Christi ex duabus personis credamus esse unitam. Ex duabus quippe atque in duabus hunc naturis existere dicimus : sed ex duabus personis compositum credi ut nephas vitamus.

Lectio ix. Apertius igitur atque securius dici potest, quia in hoc Pater Filio regi nuptias fecit, quo ei per incarnationis mysterium sanctam ecclesiam sociavit. Uterus autem genitricis virginis hujus Sponsi thalamus fuit. Unde et Psalmista dicit, In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Tanquam sponsus quippe de thalamo suo processit, qui ad conjungendam sibi ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto virginis utero exivit. Misit ergo servos suos, ut ad istas nuptias amicos invitarent : misit semel, misit iterum, quia incarnationis Dominicæ prædicatores, et prius prophetas, et postmodum apostolos fecit. Bis itaque servos ad invitandum misit, quia incarnationem Unigeniti et per prophetas dixit futuram, et per apostolos nunciavit factam. Tu autem.

Ant. Dicite invitatis, ecce prandium meum paravi, venite ad nuptias, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Omnipotens et misericors Deus, universa nobis adversantia propiciatus exclude : ut mente et corpore pariter expediti, quæ tua sunt liberis mentibus exequamur. Per Dominum.

* *Gregorii* in Evangelia, Lib. II. Homil. xxxviii. §§ 2, 3. *Opera* I. 1634.

Ad Vesperas. *Ant.* Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis vocate ad nuptias, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Dominica xxi.

Lectio vii. Secundum Johannem, iiii. [46.]

In illo tempore. Erat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judea in Galileam : abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet et sanaret filium ejus. Incipiebat enim mori. Et reliqua.

*Omelia beati Gregorii papæ. xxviii.)**

Lectio sancti Evangelii quam modo, fratres, audistis expositione non indiget. Sed ne hanc tacite præterisse videamur, exhortando potius quam exponendo in ea aliquid loquamur. Hoc autem nobis solummodo de expositione video esse requirendum, cur is qui ad salutem petendam venerat audivit, Nisi signa et prodigia videritis non creditis. Qui enim salutem quærebat filio proculdubio credebat. Neque enim ab illo quæreret salutem, quem non crederet Salvatorem. Quare ergo dicitur, Nisi signa et prodigia videritis non creditis, cum ante crederet quam signum videret? Sed mementote quod petiit, et aperte cognoscetis quia in fide dubitavit. Poposcit namque ut descenderet, et sanaret filium ejus. Tu autem.

Lectio viii. Corporalem ergo præsentiam Domini quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaque in illum credidit, quem non putavit posse salutem dare, nisi præsens esset et corpore. Si enim perfecte credidisset, proculdubio sciret quia non esset locus ubi non esset Deus. Ex magna ergo parte diffisus est, quia virtutem non dedit majestati, sed præsentiæ corporali. Et salutem itaque filio petiit, et tamen in fide dubitavit, quia eum ad quem venerat † et potentem ad curandum credidit, et tamen morienti filio esse absentem putavit. Sed Dominus, qui rogatur ut vadat, quia non desit ubi invitatur indicat. Solo jussu salutem reddidit, qui solo nutu omnia creavit.

Lectio ix. Hoc nobis est solerter intuendum, quod, sicut evangelista alio teste didicimus, centurio ad Dominum venit dicens, Domine, puer meus jacet paralyticus in domo : et male torquetur. Cui a Jesu protinus respondetur, Ego veniam et curabo eum. Quid est quod regulus rogat, ut ad ejus filium veniat, et tamen corporaliter ire recusat : ad servum vero centurionis non invitatur, et tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, centurionis servo non dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retunditur, qui ‡ in hominibus non naturam qua ad ymaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramur? Cunque pensamus quæ circa nos|| sunt, interiora profecto minime pervidemus §. Dum ea consideramus quæ in corporibus despecta sunt, negligimus pensare quod sunt. Tu autem.

Ant. Erat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum : hic cum audisset quia Jesus adveniret in Galileam : rogabat eum ut sanaret filium ejus.

Ps. Benedictus.

Oratio. Largire, quæsumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus et pacem : ut pariter ab

* *Gregorii* in Evangelia Lib. II. Homil. xxviii. §§ 1, 2. *Opera* I. 1566.

† 'non venerat' *Leg.* 1518.

‡ 'que' *Chevallon. cum Leg.* 1518.

|| 'eos' *Gregorius.*

§ 'preuidemus' *Leg.* 1518.

omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant. Per Dominum.

Ad Vesperas. *Ant.* Cognovit autem pater quia illa hora erat in qua dixit Jesus, filius tuus vivit, et credidit ipse et domus ejus tota.
Ps. Magnificat.

Dominica xxii.

Lectio vii. Evangelium. Secundum Matheum, xviii. [23.]

In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc, Simile est regnum cælorum homini regi : qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et reliqua.

Omelia beati Augustini episcopi. (In verbis Domini super Mat. Sermo xv. A.) *

Ecce, fratres, res in aperto est : admonitio utilis valde et salubris. Obedientia debetur, ut quod jussum est impleatur : quia omnis homo et debitor est Dei, et debitorem habet fratrem suum. Quis est enim qui non sit debitor, nisi in quo nullum potest peccatum inveniri ? Quis est autem qui non habeat debitorem, nisi ille in quem nemo peccavit ? Putasne quisquam in genere humano reperiri potest, qui non et ipse aliquo peccato obstrictus sit fratri suo ? Debitor ergo est omnis homo, habens tamen et ipse debitorem. Ideo Deus justus constituit tibi regulam in debitore tuo, quod faciet et ipse cum suo.

Lectio viii. Duo sunt opera misericordiæ quæ nos liberant : quæ breviter ipse Dominus posuit in evangelio. Dimittite, et dimittetur vobis. Date, et dabitur vobis. Dimittite et dimittetur vobis, ad ignoscendum pertinet. Date et dabitur vobis, ad præstandum beneficium pertinet. Quod ait de ignoscendo, et tu vis tibi ignosci quod peccas, et habes alium cui tu possis ignoscere. Rursus quod pertinet ad tribuendum beneficium, petit te mendicus, et tu es Dei mendicus. Omnes enim quando oramus mendici Dei sumus. Ante januam Patrisfamilias stamus, immo etiam prosternimur supplices, ingemiscimus, aliquid volentes accipere. Et ipsum aliquid ipse Deus est. Quid a te accepit mendicus ? Panem. Et tu quid petis ab eo, nisi Christum qui dicit, ego sum panis vivus qui de cælo descendi ? Tu autem.

Lectio ix. Ignosci vobis vultis ? Ignoscite. Remittite, et remittetur vobis. Accipere vultis ? Date et dabitur vobis. Sed quid in hac aperta præceptione movere possit, audite. In remissione ubi venia petitur, et ab ignoscente debetur, hoc potest movere quod et Petrum movit. Quotiens debeo, inquit, ignoscere ? Sufficit usque septies ? Non sufficit, ait Dominus. Non dico tibi septies, sed usque septuagiessepties. Jam tu enumera, quotiens in te peccaverit frater tuus. Si potueris pervenire ad septuagesimam octavam culpam, ut transeas septuagiessepties, tunc moliris vindictam. Itane verum est quod dicit, et vere ita se res habet, ut si peccaverit septuagies septies † ignoscas : si autem peccaverit septuagies octies †, jam liceat tibi non ignoscere ? Tu autem, Domine.

Ant. Dixit autem dominus servo, redde quod debes : procidens autem servus ille rogabat eum dicens, patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

Ps. Benedictus.

Oratio. Familiam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi : ut a cunctis adversitatibus te protegente sit libera, et in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Dominum.

* *Augustini* Sermo lxxxiii. §§ 2, 3. *Opera* v. 447.
† 'septuagesiessepties...septuagesiesocties' *Chevallon.*

Ad Vesperas. *Ant.* Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui sicut et ego tui misertus sum, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Dominica xxiii.

Lectio vii. Secundum Matheum, xxii. [15.]

In illo tempore. Abeuntes Pharisei consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone. Et reliqua.

Omelia beati Hieronymi presbyteri.

Quærentes Dominum comprehendere, principes sacerdotum et scribæ timuerunt populum : atque ideo quod per se non poterant præsidis manibus efficere tentabant, ut ipsi a morte ejus viderentur immunes. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis. Miserunt ergo discipulos suos quasi minus cognitos et minus suspectos, ut aut abscondite facileque deciperent eum, aut deprehensi minus erubescerent apud eum. Nam consilio malo deprehenso, tanto minus nascitur confusio, quanta fuerit persona deterior. Sed discipuli magistris suis ætate minores erant, malicia autem pares.

Lectio viii. Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces : et non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet censum dari Cæsari, an non? Magistrum eum vocant et veracem, ut quasi honoratus et laudatus mysterium sui cordis eis simpliciter aperiret, tanquam eos volens habere discipulos.* Blanda et fraudulenta interrogatio illuc provocat respondentem, ut magis Deum quam Cæsarem timendum doceat, et dicat non debere tributa solvi : ut statim audientes Herodiani seditionis contra Romanos auctorem teneant. Cognita autem Jesus nequitia eorum ait, Quid me tentatis, ypocritæ? Non secundum sermones eorum pacificos blande respondit, sed secundum conscientiam eorum crudelem aspere dixit : quia Deus plerumque ad animam loquitur non ad corpus, voluntatibus respondet non verbis. Prima virtus est respondentis interrogantium mentem agnoscere, et non discipulos sed tentatores vocare. Ipocrita ergo appellatur, qui aliud est et aliud simulat, id est aliud opere agit, aliud voce prætendit.

Lectio ix. Sequitur, Ostendite michi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Sapientia semper sapienter agit, ut suis potius tentatores sermonibus confutentur. Ostendite michi, inquit, denarium, hoc est genus nummi, quod pro decem nummis computabatur, et habebat nomen et imaginem Cæsaris. Et ait illis Jesus, Cujus est ymago hæc et superscriptio? Qui putant interrogationem Salvatoris ignorantiam esse et non dispensationem, discant ex præsenti loco quod utique potuerit scire Jesus cujus ymago esset in nummo, sed interrogat ut ad sermonem eorum competenter respondeat. Dicunt ei, Cæsaris. Cæsarem hoc loco non putemus Octavianum Augustum, sed Tiberium significari, privignum ejus, qui in loco successerat vittrici †, sub quo et passus est Dominus. Omnes autem reges Romani a primo Julio Cæsare, qui insuetum gentis suæ arripuit imperium, Cæsares sunt appellati. Tu.

Ant. Magister, scimus quia verax es : et viam Dei in veritate doces, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Oratio. Deus refugium nostrum et virtus, adesto piis ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis : et

* Cetera inveniuntur in *Hieronymi* Commentario in Matthæum cap. xxii. *Opera* vi. 47.

† 'vittrici' *Chevallon.* 'victrici :' *Leg.* 1518. 'in locum successit ipsius' *Hieron.*

præsta ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur. Per.

Ad Vesperas. *Ant.* Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari : et quæ sunt Dei Deo, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Dominica xxiiii.

Lectio vii. Secundum Matheum, ix. [18.]

In illo tempore. Loquente Jesu ad turbas : ecce princeps unus accessit et adoravit eum dicens, Domine, filia mea modo defuncta est : sed veni impone manum tuam super eam et vivet. Et reliqua.

Sermo ex Commentario beati Augustini episcopi.*

Princeps synagogæ, nullus melius quam ipse Moyses intelligitur. Unde bene Jairus, id est illuminans, sive illuminatus dicitur : quia qui accipit verba vitæ dare aliis, et per hæc ceteros illuminat, et ipse a Spiritu Sancto quo vitalia monita scribere vel docere possit illuminatur. Qui (juxta Evangelium Lucæ) videns Jesum procidit ad pedes ejus, quia in spiritu venturum in carne Dominum †, humili corde se ejus potentiæ subdidit, quem ita circa finem seculi hominem incarnandum esse cognovit, ut æternum ante omne seculum Deum existere non dubitaret.

Lectio viii. Si caput Christi Deus, pedes ejus quid aptius quam assumpta humanitas, qua terram nostræ mortalitatis tetigit, accipiendi sunt ? Et procidere archisynagogum ante pedes Jesu est legislatorem cum tota progenie Mediatorem Dei et hominum longe sibi dignitatis gloria præferendum esse cognoscere, et confiteri cum Apostolo, Quia quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Filia ergo archisynagogi ipsa est synagoga, quæ sola legali institutione composita quasi unica Moysi nata erat, et hæc velut duodecimo ætatis anno, hoc est tempore pubertatis appropinquante moriebatur : quia nobiliter a prophetis educata, postquam ad intelligibiles annos pervenerat, postquam spiritualem Deo sobolem generare deberet, subito erroris languore consternata spiritualis vitæ vias ingredi desperabiliter omisit : et si non ei a Christo succurreretur, in horrendam mortem per omnia corruisset. [Tu autem.]

Lectio ix. Et surgens Jesus sequebatur eum, et discipuli ejus. Ad puellam pergens sanandam Dominus a turba comprimitur : quia genti Judeæ salutaria monita præbens, quibus ægram viciis ejus conscientiam erigeret, noxia carnalium populorum est consuetudine gravatus. Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis. Mulier sanguine fluens a Domino curata, ecclesia est congregata de gentibus, quæ ingenti carnalium delectationum polluta fluxu, atque a cœtu jam fuerat segregata fidelium. Sed cum Verbum Dei Judeam salvare decerneret, illa paratam jam promissamque aliis præripuit spe certa salutem. Notandum quod et archisinagogi duodennis sit filia, et mulier hæc ab annis duodecim sanguine fluxerit : hoc est eodem quo hæc nata sit tempore, illa cœperit infirmari. Una enim pæne eademque seculi hujus ætate et synagoga in patriarchis nasci, et gentium exterarum natio per orbem cœpit ydolatriæ sanie fœdari. Tu autem.

Ant. Loquente Jesu ad turbas ecce princeps unus accessit et adoravit eum dicens, Domine, filia mea modo defuncta est : sed veni impone manum tuam super eam et vivet, Alleluya.

* Invenitur in *Bedæ* Homil. Æstival. de Tempore (Dominica xxiv.) *Op.* vii. 81.
† 'Dominum viderat:' *Portiforia.*

Ps. Benedictus.

Oratio. Absolve, quæsumus, Domine, tuorum delicta populorum : et* a peccatorum nostrorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per Dominum.

Ad Vesperas. *Ant.* Confide, filia : fides tua te salvam fecit, et salvata est mulier ex illa hora, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Dominica xxv.

Lectio vii. Secundum Johannem, vi. [5.]

In illo tempore. Cum sublevasset oculos Jesus et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum : dixit ad Philippum, Unde ememus panes ut manducent hi? Et reliqua.

Sermo ex Commentario beati Augustini episcopi. (Super Johannem Tractatus xlii. b.)†

Dominus in monte : Verbum in alto. Proinde non quasi humiliter jacet quod in monte factum est, nec transeunter prætereundum est, sed suscipiendum. Turbas vidit, esurientes agnovit, misericorditer pavit, non solum pro bonitate, verum etiam pro potestate. Quid enim sola prodesset bonitas, ubi non erat panis unde turba esuriens pasceretur? Nisi bonitati adesset potestas, jejuna illa turba et esuriens remaneret. Denique et discipuli qui erant cum Domino in fame, et ipsi turbas volebant pascere ut non remanerent inanes, sed unde pascerent non habebant.

Lectio viii. Interrogavit Dominus unde emerentur panes ad turbas pascendas : et ait scriptura, Hoc autem dicebat tentans eum, discipulum scilicet Philippum quem interrogaverat. Ipse enim sciebat quid esset facturus. Cur ergo de bono tentabat, nisi quia ignorantiam discipuli demonstrabat? Et forte in demonstratione ignorantiæ discipuli aliquid significavit. Apparebit ergo cum ipsum sacramentum de quinque panibus cœperit nobis loqui, et quid significet indicare. Ibi enim videbimus quare Dominus in hoc facto ignorantiam discipuli voluit interrogando quod sciebat ostendere. Nam interrogamus aliquando quod nescimus, audire volentes ut discamus. Aliquando interrogamus quod scimus, scire volentes utrum et ille sciat quem interrogamus.

Lectio ix. Utrumque hoc noverat Dominus : et quod interrogabat sciebat. Quid esset enim facturus ipse noverat, et hoc nescire Philippum sciebat similiter. Quare itaque interrogabat, nisi quia illius ignorantiam demonstrabat? Et hoc quare fecit (ut dixi) post intelligemus. Andreas ait, Est hic puer quidam qui habet quinque panes ordeaceos, et duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos? Cum dixisset Philippus ducentorum denariorum panes non sufficere quibus illa tanta turba reficeretur, erat ibi quidam puer portans quinque panes ordeaceos et duos pisces. Et ait Jesus, Facite homines discumbere. Erat autem ibi fenum multum : et discubuerunt fere quinque milia hominum. Accepit autem Jesus panes, gratias egit, et jussit frangi. Fracti sunt panes positi ante discumbentes : non jam quinque panes, sed quod adjecerat qui creaverat quod auctum erat. Tu autem [Domine, miserere nostri].

Ant. Cum sublevasset oculos Jesus et vidisset maximam multitudinem venientem ad se. dixit ad

* 'ut' *Breviarium Romanum hodiernum.* 'et' *Brev. Roman.* A.D. 1508.

† *Augustini* in Joannis Evangelium Tract. xxiv. §§ 3, 4. *Opera* iii. 1960, ed. Paris. 1837.

Philippum. unde ememus panes ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat quid esset facturus.

Ps. Benedictus.

Oratio. Excita, quæsumus, Domine, tuorum fidelium voluntates: ut divini operis fructum propensius exequentes pietatis tuæ remedia majora percipiant. Per Dominum.

Ad Vesperas. *Ant.* Illi homines cum signum vidissent quod factum fuerat. glorificabant Deum et dicebant. quia hic est Salvator mundi.

Ps. Magnificat.

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Duplex Festum principale.

Ad primas Vesperas.

Super psalmos feriales dicatur hæc sola Antiphona:

O quam metuendus est locus iste. vere non est hic aliud nisi domus Dei et porta cæli.

In tempore Paschali finiatur cum Alleluya.

Capitulum. (*Apocalyps. xxi.* [2.])

Vidi civitatem sanctam Hierusalem descendentem de cælo, a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.

R. Terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei et porta cæli. Vere etenim Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.

In tempore Paschali, Alleluya.

V. Cumque evigilasset Jacob quasi de gravi somno: ait,

Vere. Gloria. Vere.

Hymnus.

Urbs beata Hierusalem dicta pacis visio:
Quæ construitur in cælis vivis ex lapidibus,
Et angelis coornata ut sponsata comite.

Nova veniens e cælo nuptiali thalamo
Præparata ut sponsata copuletur Domino,
Plateæ et muri ejus ex auro purissimo.

Portæ nitent margaritis, aditis patentibus:
Et virtute meritorum illuc introducitur
Omnis qui pro Christi nomine hic in mundo premitur.

Tunsionibus, pressuris expoliti lapides
Suis coaptantur locis per manus artificis:
Disponuntur permansuri sacris ædificiis.

Gloria et honor Deo usque quo Altissimo:
Una Patri Filioque inclito Paraclito,
Cui laus est et potestas per æterna secula. Amen.

V. Domum tuam, Domine: decet sanctitudo.

R. In longitudinem dierum.

In tempore Paschali finiatur cum Alleluya.

Ant. Sanctificavit Dominus tabernaculum suum. hæc est domus Domini in qua invocetur nomen ejus de qua scriptum est. erit nomen meum ibi dicit Dominus.

In tempore Paschali, Alleluya.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repræsentas incolumes : exaudi preces populi tui, et præsta ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur cuncta se impetrasse lætetur. Per Dominum.

Quotidie *per Octavas et in Octava dicitur* Completorium *per omnia sicut in Festo Sanctæ Trinitatis, quando per Æstatem hoc Festum contigerit, vel ab Octavis Epiphaniæ usque ad Quadragesimam, sive de Octavis fit servitium, sive de aliquo Festo novem Lectionum.*

Cum a Circuncisione Domini usque ad Octavas Epyphaniæ, vel a quarta feria in Capite Jejunii usque ad quartam feriam ante Pascha, vel ab Octavis Paschæ usque ad Vigiliam Penthecostes, vel per Adventum Domini hoc Festum forte contigerit, Completorium de Temporali non mutatur, sed fiat more Duplicis Festi illius temporis.

Ad Matutinas.

Invitatorium.

Filiæ Syon currite,
Assunt enim celebria
Matris vestræ solennia.
Jubilemus igitur
Deo nostro unanimes
Qui sibi eam gratuita
Elegit clementia.

In tempore Paschali finiatur cum Alleluya.

Ps. Venite.

Hymnus. Urbs beata Hierusalem.

In primo Nocturno.

Ant. Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales. *In tempore Paschali* Alleluya.

Ps. Domini est terra (*xxiii.* p. 40).

Ant. Vidit Jacob scalam, summitas ejus cælos tangebat : et descendentes angelos, et dixit. vere locus iste sanctus est. *In tempore Paschali* Alleluya.

Ps. Deus noster refugium (*xlv.* p. 103).

Ant. Cum evigilasset Jacob de somno ait : vere locus iste sanctus est. *In tempore Paschali* Alleluya.

Ps. Magnus Dominus (*xlvii.* p. 104).

V. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.

Lectio i. (*Augustini sermo* 253 *de tempore.*)*

Quotienscunque, fratres charissimi, altaris vel templi festivitatem colimus, si fideliter et diligenter attendimus, et sancte ac juste vivimus, quicquid in templis manu factis agitur totum in nobis spirituali ædificatione completur. Non enim mentitus est ille qui dixit, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et iterum, Nescitis quia corpora vestra templum est Spiritus sancti? Quibus meritis nisi per gratiam Dei meruimus fieri templum Dei? Quantum ergo possumus cum ipsius adjutorio laboremus, ne Deus noster in templo suo, hoc est in nobisipsis inveniat quod oculos suæ majestatis offendat : sed habitaculum cordis nostri evacuetur viciis, et virtutibus repleatur, claudatur diabolo et aperiatur Christo. Ita igitur, fratres, laboremus, ut nobis bonorum operum clavibus januam regni cælestis aperire possimus. Sicut enim malis operibus quasi quibusdam seris ac vectibus vitæ nobis janua clauditur, ita absque dubio bonis operibus aperitur. Tu autem.

R. 1. In dedicatione templi decantabat populus laudem. Et in ore

* *Augustini* in Appendice Sermo ccxxix. *Opera* v. 2937, ed. Paris. 1838.

eorum dulcis resonabat sonus. *In tempore Paschali* Alleluya.

V. Obtulerunt sacrificium super altare Domini : et ceciderunt in facies suas : et adoraverunt Deum.

Et in ore.

Lectio ii. Et ideo, fratres charissimi, unusquisque consideret conscientiam suam, et quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, prius orationibus, jejuniis, vel elemosynis studeat mundare conscientiam suam, et sic eucharistiam præsumat accipere. Si enim cognoscens* reatum suum ipse se a divino altari subduxerit, cito ad indulgentiam divinæ misericordiæ perveniet. Qui enim (sicut dixi) agnoscens reatum suum, ipse se ab altari eodem pro emendatione vitæ removere voluerit, æterno illo et cælesti convivio excommunicari penitus non timebit. Rogo vos, fratres, diligenter attendite. Si ad mensam cujuscunque potentis hominis nemo præsumit cum vestibus conscissis et inquinatis accedere : quanto magis a convivio æterni regis, id est ab altari Domini debet se unusquisque invidiæ vel odii veneno percussus, iracundiæ furore repletus, cum reverentia et humilitate subtrahere, propter illud quod scriptum est, Vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc offeres munus tuum. Et iterum, Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Hoc enim habet textus evangelicæ lectionis, quod† quidam fecit nuptias filio suo, et intravit ut videret simul recumbentes. Videns autem hominem non habentem vestem nuptialem, dixit ministris. Ligate illi manus et pedes, et projicite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium. Tu autem.

R. 2. Fundata est domus Domini super verticem montium, et exaltata est super omnes colles, et venient ad eam omnes gentes. Et dicent, gloria tibi, Domine. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya.

V. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Et dicent.

Lectio iii. Ecce qualem sententiam merebitur audire, qui ad convivium nuptiale, id est ad altare Domini, aut ebriosus, aut adulter, aut odium in corde retinens præsumit accedere. Avertat a nobis Deus, fratres charissimi, mala suæ voluntati contraria, et concedat ut ea aut nunquam velimus admittere, aut si admissa fuerint, sine ulla mora pœnitentia vel pace studeamus sanare, et largioribus elemosynis festinemus abluere, ne forte si cum peccatorum vulneribus ante tribunal æterni judicis venerimus, ab illa æterna ecclesia et ab illa cælesti Hierusalem perpetua excommunicatione separemur. Hæc ergo cogitantes, fratres charissimi, tam casti et tam sobrii et tam pacifici ad istud altare Deo auxiliante studeamus accedere, ut ab illo æterno altari non mereamur excludi. Qui enim ad altare istud casto corpore et munda conscientia venerit, ad illud altare quod in cælis est felici transmigratione perveniet.

R. 3. Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum fundens oleum desuper votum vovit Domino. Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya, Alleluya.

V. Vidit Jacob scalam, summitas ejus cælos tangebat, et descendentes angelos, et dixit,

Vere. Gloria. Vere.

Tamen in tempore Paschali respondet Chorus Alleluya, Alleluya.

* 'agnoscens' *Legenda* 1518.

† 'quod quidam...' *usque ad finem lectionis non habet Leg.* 1518.

In secundo Nocturno.

Ant. Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cæli.

Ps. Quam dilecta (*lxxxiii.* p. 152).

Ant. Erexit Jacob lapidem in titulum fundens oleum desuper.

Ps. Benedixisti (*lxxxiiii.* p. 152).

Ant. Erit michi Dominus in Deum : et lapis iste vocabitur domus Dei.

Ps. Fundamenta (*lxxxvi.* p. 154).

V. Domus mea,

R. Domus orationis vocabitur.

Lectio iiii. (*Augustini sermo* 253 *de tempore.*)*

Recte festa ecclesiæ colunt, qui se ecclesiæ filios esse cognoscunt. Hæc enim omnium credentium mater est, quæ natos ad mortem regenerat ad salutem. Hæc est post synagogam quidem vocata, sed ante synagogam præmissa. Hæc enim jam in primo homine præfigurata est. Nam sicut ex Adæ latere fabricata est Eva, ita ex Christi corpore et vulnere redempta crevit ecclesia. Hæc intra archam diluvio inundante servata crucis beneficium et baptismatis mysterium præsignavit. Hanc Sara sterilis et desperata in senectute unico pignore fecundata præcinit. Ecclesia enim unicum id est dilectissimum Deo populum seculo jam senescente progenuit. Hæc est regina illa, de qua ad Dominum dicitur, Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circunamicta varietate, id est circundata diversarum precioso decore virtutum. Hæc est regina illa quæ venit† a partibus Ethiopiæ, audire sapientiam Salomonis. Sed hæc non tam ex una regione quam ex universis mundi partibus reges paritura convenit, sicut etiam Evangelista commemorat, Regina austri venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Venit ecclesia ad redemptorem et eruditorem suum, ut de stultitia erroris doctrinam perciperet veritatis.

R. 4. Benedic, Domine, domum istam quam ædificavi nomini tuo : venientium in locum istum Exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ.

V. Domine, si conversus fuerit populus tuus, et oraverit ad sanctuarium tuum,

Exaudi.

Lectio v. De qua plenius (sicut audivimus) regum scribit hystoria, ita dicens; Et ingressa regina Hierusalem cum multo comitatu et divitiis, cum camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas preciosas, venit ad Salomonem, et locuta est ei universa quæ habebat in corde suo. Ergo in figura reginæ hujus ecclesia venit ex gentibus, et a finibus terræ, imponens finem cupiditatibus viciisque terrenis, ut audiret sapientiam Salomonis, id est veri‡ pacifici Domini nostri Jesu Christi qui fecit utraque unum, solvens inimicitias inter Deum et hominem in carne sua. Venit post veteres et prophanas superstitiones audire et discere de fidei illuminatione et judicio futuro, de animæ immortalitate, de spe resursectionis et gloria. Venit ergo præfata regina in Hierusalem cum magno comitatu, id est non iam cum una tantum gente Judeorum, sicut prius synagoga solos habuit Hebreos, sed totius mundi gentibus diversisque nationibus. Venit ergo exhibens munera digna Christo, aurum et gemmas preciosas, et hoc camelis portantibus, id est ex gentili populo venientibus, qui prius fuerant ex

* *Augustini* in Appendice Sermo ccxxxi. *Opera* v. 2944.
† 'a partibus Ethiopiæ...austri venit' *non habet Leg.* 1518.
‡ 'viri' *Legend.* 1518.

viciorum fœditate distorti, et malorum onere curvi ac peccatorum pravitate deformes. Cum his tanquam* muneribus regina hæc ingreditur ad pacificum regem Christum exhibens fidei aurum, puritatis incensa preciosa, splendoresque gemmarum: morum scilicet insignia et ornamenta virtutum. Et locuta est ei universa quæ habebat in corde suo, id est aperuit ei cor suum, manifestavit ei occulta conscientiæ suæ in confessione et pœnitudine præcedentium delictorum. [Tu autem.]

R. 5. O quam metuendus est locus iste : vere Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cæli.

V. Mane surgens Jacob votum vovit Domino et dixit, Non est.

Lectio vi. Videamus quid agat hæc regina. Videns, inquit†, regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus, et olocausta quæ offerebat in domo Domini : non habebat ultra spiritum. Quid erat rationis, fratres, ut præpotens regina domum expensas et cibos regios tantopere miraretur? Ergo hoc in loco aliqua majora nos oportet inquirere. Vidit ergo ecclesia ex gentibus congregata sapientiam Christi, id est post carnalia instituta gentilium, post humilem et animalem doctrinam philosophorum, accepit intellectum salutis et vitæ, inspexit spiritualium mirabilia bonorum, agnovit verum cæli ac terræ fabricatorem et potentissimum humani generis conditorem. Vidit et domum quam ædificaverat, id est incarnationem hominis assumpti, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Vidit et cibos Salomonis, id est illos de quibus dicebat, Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris. Cibus enim Christi est salus nostra. Reficitur cælestibus epulis, profectibus nostris. Cibus ejus sumus, dum acquisiti ecclesiæ in membra ejus corpusque transimus. Dum ergo pervenerit‡ hæc regina sive ecclesia in æternam Hierusalem, id est visionem pacis, et ingressa fuerit beatam requiem, et gloriam cælestium promissorum, multo plura et magnificentiora perspiciet quam ei sunt in hac terra per sacra eloquia, per prophetas atque apostolos nunciata. Tunc inter stupendas remuneratoris sui constituta divitias, habebit de perceptione fructum, non habebit de satietate fastidium. Ad quæ nos bona perducat, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Tu autem.

R. 6. Beati qui habitant in domo tua, Domine. In secula seculorum laudabunt te.

V. Non privabis bonis eos qui ambulant in innocentia, Domine virtutum, beati omnes qui sperant in te. In secula. Gloria. In secula.

In tertio Nocturno.

Ant. Qui habitat in adjutorio Altissimi : in protectione Dei cæli commorabitur.

Ps. *Ipsum* (*xc.* p. 160).

Ant. Domum istam protege, Domine : et angeli tui custodiant muros ejus.

Ps. Cantate *i.* (*xcv.* p. 164).

Ant. Fundata est domus Domini super verticem montium : et exaltata est super colles.

Ps. Dominus regnavit, exultet (*xcvi.* p. 164).

Hæc videlicet ultima Antiphona finiatur cum Alleluya, *quandocumque dicitur extra Septuagesimam.*

V. Hæc est domus Domini firmiter ædificata.

R. Bene fundata est supra firmam petram.

* 'tandem' *Leg.* 1518.

† 'inquam' *Chevallon. et Leg.* 1518.

‡ 'peruenit' *Leg.* 1518.

Secundum Lucam, xix. Lectio vii.

In illo tempore : Egressus Jesus perambulabat Hierico. Et ecce vir nomine Zacheus, et hic erat princeps publicanorum : et ipse dives. Et reliqua.

*Sermo ex Commentario venerabilis Bedæ presbyteri. (Super Lucam Lib. v. cap. lxxvi.)**

Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ecce enim camelus deposita gibbi sarcina per foramen acus transit : hoc est dives et publicanus, relicto onere divitiarum, contempto censu fraudium, angustam portam arctamque viam quæ ad vitam ducit ascendit. Qui mira devotione fidei ad videndum Salvatorem, quod natura minus habuit, ascensu supplet arboris, atque ideo juste, quamvis ipse rogare non audeat, benedictionem Dominicæ susceptionis quam desiderabat accepit. Mistice autem Zacheus, qui interpretatur justificatus, credentem ex gentibus populum significat, qui quanto curis secularibus occupatior, tanto flagitiis deprimentibus erat factus humilior. Sed ablutus est, sed sanctificatus, sed justificatus in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.

R. 7. Orantibus in loco isto dimitte, Domine, peccata populi tui, et ostende eis viam bonam per quam ambulent. Et da gloriam nomini tuo.

V. Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Et da.

Lectio viii. Populus ergo gentilis intrantem Hierico Salvatorem videre quærebat, sed præ turba non poterat : quia gratiæ fidei quam mundo Salvator attulit participare cupiebat, sed inolita viciorum consuetudo ne ad votum perveniret obstiterat. Eadem namque turba noxiæ consuetudinis, quæ supra cæcum clamantem ne lumen peteret increpabat, etiam suspicientem publicanum ne Jesum videat tardat. Sed sicut cæcus turbarum voces magis ac magis clamando devicit, ita pusillus necesse est turbæ nocentis obstaculum altiora petendo transcendat, terrena relinquat, arborem crucis ascendat. Quam videlicet arborem pusillus statura Zacheus quo exaltari possit ascendit, dum quilibet humilis et propriæ conscius infirmitatis confidens in Domino proclamat, Michi autem absit gloriari : nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Ascensa autem sicomoro transeuntem prope Dominum cernit, quia per hanc fidem, etsi necdum ut est solide, jam tamen raptim et quasi in transitu luci sapientiæ cælestis intendit. Perambulans Hierico Salvator venit ad locum ubi præcurrens Zacheus sicomorum conscenderat, quia missis per mundum verbi sui præconibus, in quibus ipse nimirum et loquebatur et ibat, venit ad populum nationum qui passionis ejus fide jam† sublimis existens etiam divinitatis ejus ardebat agnita facie beari. [Tu.]

R. 8. Lapides preciosi omnes muri tui. Et turres Hierusalem gemmis ædificabuntur.

V. Hæc est domus Domini firmiter ædificata : bene fundata est supra firmam petram.

Et turres.

Lectio ix. Suspiciens, inquit, vidit illum : quia per gratiam fidei a terrenis cupiditatibus elevatum turbisque infidelium supereminentem elegit. Videre enim Dei est eligere atque amare. Vidit ergo videntem se, quia elegit eligentem se, et amavit amantem se. Hunc sane ordi-

* *Bedæ* in Lucæ Evangelium, cap. xix. Lib. v. cap. 77. *Opera* v. 398.

† 'tam' *Chevallon. et Leg.* 1518.

nem proficiendi, hoc est per fidem Dominicæ incarnationis ad cognitionem divinitatis perveniendi, quasi per sicomorum Jesu faciem speculandi, doctor egregius ostendit cum ait. Non enim judicavi scire me aliquid inter vos : nisi Christum Jesum et hunc crucifixum. Manebat aliquando Dominus in domo principis Phariseorum, hoc est in Judeorum synagoga docebat : sed quia non baptizatum* sabbato curantem, publicanos et peccatores recipientem, contra avariciam disputantem, et cetera digna Deo agentem, lingua venenata carpebant, pertæsus eorum facinora discessit et aufugit, dicens, Relinquetur vobis domus vestra deserta. Hodie autem in domo pusilli Zachei oportet eum manere : hoc est novæ lucis gratia choruscante in humili credentium nationum corde quiescere. Aliis autem calumniantibus hominem peccatorem, ipse Zacheus stans, id est in ea quam ceperat fidei veritate persistens, non solum se ex peccatore conversum, sed etiam inter perfectos probat esse conversatum. Filius autem Abrahæ dicitur, non quia de ejus stirpe generatus, sed quia ejus est fidem imitatus : ut sicut Abraham terram, cognationem, domumque paternam ob spem futuræ hereditatis Domino jubente deseruit, ita et ille, qui thesaurum in cælis acquireret, bona sua pauperibus partienda relinqueret. Bene autem dicit et ipse, ut non solum eos qui juste perseverant, sed et eos qui ab injusticia resipiscunt ad filios promissionis pertinere declaret. Tu autem.

R. 9. Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus. In ea omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur.

V. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum. In ea. Gloria. In ea.

Ante Laudes Versus, Domus mea,

R. Domus orationis vocabitur.

In tempore Paschali finiatur cum Alleluya.

Iste Versus dicatur quotidie per Octavas, quando de Dedicatione fit servitium, ante Laudes, nisi quando dicitur ante Lectiones in secundo Nocturno : tunc enim dicitur ante Laudes Versus, Hæc est domus Domini firmiter ædificata.

IN LAUDIBUS.

Ant. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum. *In tempore Paschali* Alleluya.

Ps. Dominus regnavit (*xcii.* p. 29).

Ant. Domus mea domus orationis vocabitur. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya.

Ps. Jubilate (*xcix.* p. 29).

Ant. Hæc est domus Domini firmiter ædificata : bene fundata est supra firmam petram. *In tempore Paschali* Alleluya.

Ps. Deus, Deus meus (*lxii.* p. 30).

Ant. Bene fundata est domus Domini supra firmam petram. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya.

Ps. Benedicite (*Daniel iii.* p. 31).

Ant. Lapides preciosi omnes muri tui : et turres Hierusalem gemmis ædificabuntur. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya.

Ps. Laudate (*cxlviii.* p. 32).

Capitulum. (1 *Cor. iii.* [10]).

Unusquisque autem videat quid superædificet : fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.

* 'non baptizatum ante prandium' *Beda.*

Hymnus.

Angulare fundamentum lapis Christus missus est,
Qui compage parietum in utroque nectitur,
Quem Syon sancta suscepit in quo credens permanet.
Omnis illa Deo grata et dilecta civitas,
Plena modulis in laude et canoro jubilo,
Trinum Deum Unum quoque cum favore prædicat.

Hoc in templo, summe Deus, exoratus adveni,
Et clementi bonitate precum vota suscipe,
Largam benedictionem hic infunde jugiter.
Hic promereantur omnes petita acquirere,
Et adepta possidere cum sanctis perenniter,
Paradisum introire translati in requiem.

Gloria et honor Deo usquequo altissimo,
Una Patri Filioque inclito Paraclyto:
Cui laus est et potestas per æterna secula. Amen.

V. Beati qui habitant in domo tua, Domine.

R. In secula seculorum laudabunt te. *In tempore Paschali,* Alleluya.

Ant. Zachee, festinans descende quia hodie in domo tua oportet me manere : at ille festinans descendit et suscepit illum gaudens in domum suam : hodie huic domui salus a Domino facta est, Alleluya.

Ps. Benedictus.

Et semper finiatur prædicta Antiphona cum Alleluya, *quandocunque dicitur extra Septuagesimam usque ad Pascha.*

Oratio. Deus, qui ecclesiam tuam sponsam vocare dignatus es, ut quæ habebat gratiam per fidei devotionem, haberet etiam ex nomine dignitatem : da ut omnis hæc plebs tuo nomini serviens hujus vocabuli consortio digna inveniatur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Ad Primam.

Ant. Domum tuam.

Ps. Deus in nomine (*liii.* p. 42).

Ant. Gratias tibi Deus.

Ps. Quicunque.

Si vero hoc Festum infra Octavas Sanctæ Trinitatis evenerit, tunc dicitur super Psalmum Quicunque *Antiphona* O beata et benedicta, *ut supra in Festo Sanctæ Trinitatis.*

R. Jesu Christe. *Et dicatur in secunda forma cum* Alleluya, *sicut in die Natalis Domini.*

V. Qui sedes.

Si vero hoc Festum infra Septuagesimam usque ad Pascha contigerit, dicatur Responsorium Jesu Christe *sine* Alleluya, *sicut in Dominicis illius temporis.*

Ad Tertiam.

Ant. Domus mea.

Ps. Legem pone (*cxviii.* 33, p. 57).

Capitulum. Unusquisque autem.

R. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. Alleluya, Alleluya.

V. In longitudinem dierum.

Alleluya. Gloria. Domum.

V. Domus mea,

R. Domus orationis vocabitur.

Si hoc Festum infra Septuagesimam evenerit usque ad Pascha, tunc dicuntur omnia Responsoria sine Alleluya.

Oratio. Deus qui ecclesiam tuam.

Hæc Oratio dicatur ad omnes Horas hujus diei præter ad secundas Vesperas.

Ad Sextam.

Ant. Hæc est domus Domini.
Ps. Defecit (*cxviii.* 81, p. 61).

Capitulum. (*Apocalyps. xxi.* [3]).

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis : et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

R. Domus mea, Alleluya, Alleluya,
V. Domus orationis vocabitur.
Alleluya. Gloria. Domus.
V. Beati qui habitant.

Ad Nonam.

Ant. Lapides preciosi.
Ps. Mirabilia (*cxviii.* 129, p. 65).

Capitulum. (1 *Cor. iii.* [8]).

Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, Dei enim adjutores sumus, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

R. Beati qui habitant in domo tua, Domine, Alleluya, Alleluya.
V. In secula seculorum laudabunt te.
Alleluya. Gloria. Beati.
V. Hæc est domus Domini firmiter ædificata.
R. Bene fundata est supra firmam petram.
Oratio ut supra.

Ad secundas Vesperas.

Ant. Domum tuam.
Ps. Credidi (*cxv.* p. 197).
Ps. Lætatus (*cxxi.* p. 199).
Ps. Nisi Dominus (*cxxvi.* p. 202).
Ps. Laudate Dominum quoniam bonus [est] psalmus (*cxlvi.* p. 218).
Ps. Lauda Hierusalem Dominum (*cxlvii.* p. 219).

Capitulum.

Hæc est domus Domini firmiter ædificata : bene fundata est supra firmam petram.

R. Domus mea.
Hymnus. Angulare fundamentum.
V. Beati qui habitant.
Ant. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et Spiritus Dei habitat in vobis : templum enim Dei sanctum est quod estis vos : pro cujus amore celebratis hodie gaudia templi tempore festi. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya.
Ps. Magnificat.
Oratio. Deus, qui nobis per singulos.

Et fiat Plenum Servitium de Dedicatione *per octo dies cum regimine chori, et etiam in Dominica, nisi Festum novem Lectionum intercurrat, vel trium cum regimine chori.*

Si ab Octavis Passionis usque ad Ascensionem Domini, vel a Festo Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum Domini hoc Festum contigerit, vel etiam ab Octavis Epyphaniæ usque ad Septuagesimam tantum : quotidie infra Octavas ad Vesperas, et ad Matutinas, et ad alias Horas dicatur hæc Oratio Deus qui ecclesiam tuam. *Cum vero fit Memoria de Dedicatione, tam ad Vesperas quam ad Matutinas dicatur Versus* Beati qui habitant *cum Oratione prædicta.*

Quotidie etiam per Octavas, ad Matutinas, Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ et Psalmi sicut in prima die dicuntur : Versiculus et Responsoria secundum ordinem Nocturnorum dicantur quotidie.

Ante Laudes dicatur Versus Domus mea, *nisi quando dicitur ante Lectiones : tunc enim dicatur ante Laudes Versus,* Hæc est domus Domini firmiter ædificata. *Et dicatur una sola Antiphona super Laudes : ita tamen quod Invitatorium dicatur a duobus in capis sericis ad gradum chori.*

LECTIONES PER OCTAVAS, *quando fit Plenum Servitium de Dedicatione: videlicet,*

Secunda die.

Lectio i. Anniversariam hujus sanctæ ecclesiæ consecrationis festivitatem totis nisibus, mente devota, puroque corde, Domini Salvatoris atque Sanctorum exempla sequentes, condigne, dilectissimi fratres, celebremus. Pulsemus ergo affectu pio, corde devoto, supplicando misericordiam Domini ut clementiæ suæ nobis tribuat felicitatem et indulgentiæ remissionem, atque regni cælestis pandat introitum, ut in cælesti templo, et in superna ac æterna ecclesia, Sanctorum consortio æternaliter potiamur. Tu autem.

Lectio ii. Majori autem gloria et veneratione in Novo Testamento et in isto homine* solennia dedicationum novarum ecclesiarum sunt veneranda, quam Veteris Testamenti observatio et legis præceptio instituerit : quoniam sicut major redemptio Christi sanguine postea in populo facta est Christiano, ita major et multo amplior veneratio dedicationum et consecrationum ecclesiarum, in quibus quotidie ipsius Domini nostri Jesu Christi Corpus et Sanguis immolatur ac a fidelibus sumitur, est præparanda et fideliter amplectenda. [Tu autem.]

Lectio iii. Sanctum est, fratres, ac Deo placitum, ut dedicationem hujus ecclesiæ præcipua devotione veneremur. Recte ergo festivitates et consecrationes sanctarum ecclesiarum venerabiliter colunt, qui filios se sanctæ Dei ecclesiæ esse cognoscunt. Hæc enim mater est omnium credentium, quæ natos ad mortem regenerat ad vitam. Idcirco, charissimi, summopere omnes qui Christiano nomine censentur, et filii Dei vocantur, oportet sacrationes novarum ecclesiarum solenniter et decenter celebrare, studiosissimeque venerari, et totis nisibus in eis Domini auxilium implorare. Non enim dubium est Dominum omnipotentem in templis manufactis inhabitare, et corda eorum qui ad ea conveniunt, et eorum dedicationes venerabiliter colunt, spiritualiter invisere, atque cunctos inibi deprecantes adjuvare, et eorum necessitatibus subvenire.

Tertia die.

Lectio i. Attendere oportet, fratres, unumquemque fidelem quanta est consecratio dedicationis ecclesiæ, et quanta oratio in ea ab episcopo sive a ceteris sacerdotibus et ministris exhibetur. Qualiter ex ministro consecrationis et ex intentione orationis corda fidelium accendantur, atque omnes diligentissime templi consecrationis festa venerentur. Flexis enim poplitibus a summo pontifice et a ceteris sacerdotibus Dei ministris summa cum devotione dicitur Letania : deinde reliquæ orationes, sicut ordo ecclesiasticus docet. Imploratur enim Dominus ab episcopo et a suis consacerdotibus et reliquis ministris in consecratione novæ ecclesiæ, ut omnium inibi advenientium preces a Domino exaudiantur, anxietatesque omnium inibi orantium relaxentur, et peccata deprecantibus remittantur.

Lectio ii. Postulatur etiam a Domino in consecratione ecclesiæ, ut ibidem ægritudines sanentur, vota suscipiantur, juste desiderata impetrentur, postulata concedantur, perpetualiter cuncti ad eam confugientes et in ea orantes, a Domino ab omnibus malis liberentur, Domino conserventur, sive a malis omnibus

* 'hodie' *Chevallon.* 'die' *Legend.* 1518: 'lumine' *legendum putat vir rev.* E. Atkinson, S.T.P.

illæsi misericorditer liberentur. Cetera quoque quæ in serie precum dedicationis et consecrationis ecclesiæ continentur, eundem deprecativum* continent modum. Multi ergo sancti, qui modo in cælis inter catervas sanctorum gloriantur, Dei templa in præsenti ecclesia consecraverunt : quorum ædificia una cum consecrationibus eorum adhuc manent, et quorum parietes hactenus consistere videntur.

Lectio iii. Nulli ergo dubium est, fratres, eorum preces a Deo exaudiri, et eorum impetrata adimpleri, quorum animæ sunt in cælis animabus sanctorum coæquales. Si enim viventes in carne et ecclesias plantaverunt et construxerunt, et eorum precibus consecraverunt, atque ea quæ in dedicationibus eorum sanctis precibus poscentes impetrare, ut certum est, meruerunt : quanto magis modo cum Domino regnantes, eorum† postulata et impetrata suis meritis in eos redundant, qui ad eadem templa devote deprecaturi advenientes, et eorum dedicationes festive venerantes conveniunt, seu venerabiliter celebrantes colunt? Sicut enim præfati sancti, sive cuncti sancti patres ex his factis retributionem perpetuam perceperunt, et æternam gloriam adipisci meruerunt : sic et modo omnes eorum vestigia imitantes præmia æterna Domino annuente adipisci indubitanter merentur.

Quarta die.

Lectio i. Summopere pensandum est omnibus fidelibus, ut præcedentium sanctorum vestigia in quantum possunt imitentur, et ad ecclesias quas illi consecraverunt, sive successores eorum postea dedicaverunt, seu quotidie dedicant, humiliter conveniant quatenus eorum postulata inibi impetrare valeant : et tam suis bonis intentionibus‡ et bonis actionibus, quam etiam eorum sacerdotum qui ipsas ecclesias dedicant, atque ipsorum sanctorum quorum reliquias inibi collocant, et quæ in ipsis ecclesiis venerantur, precibus ea quæ postulant impetrare mereantur.

Lectio ii. Monemus ergo vos, fratres charissimi, ne ista in vanum assumatis, nec cassare quoquomodo permittatis. Quoniam si dedicationes novarum ecclesiarum venerabiliter colitis, et earum solennia studiosissime celebratis, ea quæ ipsi sancti sacerdotes in ipsis dedicationibus ecclesiarum pro vobis, et pro cunctis inibi orantibus petierint, Domino auxiliante misericorditer impetrare gaudebitis, id est ut vestræ orationes in consecratis ab eis locis et in Dei ecclesiis exaudiantur, et ea quæ in eis impetrare nitimini, tam a pressuris seculi quam a cunctis tribulationibus et peccatis, sive ab omnibus perturbationibus et malis liberamini, et ea quæ ad cælestia pertinent, id est veniam delictorum et societatem sanctorum sive requiem sempiternam Domino miserante dulciter impetrabitis.

Lectio iii. Si ergo Dominus et Magister noster Jesus Christus ad festum dedicationis templi venire dignatus est, quanto magis nos ad festivitates dedicationum ecclesiarum venire, et eas solenniter|| prout poterimus et Dominus dederit mente et corpore et venerabiliter celebrare debemus? Audistis§ namque, fratres dilectissimi, ex lectione evangelica quia facta sunt encænia in

* 'deprecantium' *Chevallon.*
† 'regnantes et eorum' *Port.* 1519, 1525–6, 1543–4. 'regnantium' *Port.* 1557.
‡ 'in tentationibus' *Leg.* 1518.
|| 'solennitates prout...corpore solenniter et venerabiliter' *Legend.* 1518.
§ Cf. Bedæ *Homiliam in Dedicatione Ecclesiæ*, Op. VII. 174.

Hierosolymis : et hyems erat. Et ambulabat Jesus in templo : in porticu Salomonis. Encænia autem vocabantur solennitates sancti templi consecrationis et dedicationis, et quæ Dei populus ex patrum traditione et ex antiqua consuetudine per singulos celebrare annos consuevit. Quorum exempla hodierna die nos imitantes, juxta Christiani orbis morem, annuam ecclesiæ nostræ dedicationis diem divinis laudibus et vigiliis, sive ceteris bonis studiis et orationibus agere studemus solennem.

Quinta die.

Lectio i. Ambulare Dominus noster Jesus Christus voluit in templo, in quo caro et sanguis brutorum animalium offerebatur : multo magis ecclesiam et domum ad orandum et divina sacramenta in ea offeranda, sive domum consecratam ubi carnis ipsius et sanguinis celebrantur sacramenta, invisere delectabitur. Si enim non dedignatus est ambulare in porticu, in qua rex quondam, mortalis ac terrenus quamvis potentissimus, ad orandum solebat stare : quanto magis ecclesias a pontificibus dedicatas, et sacri chrismatis unctione delibutas, olei quoque sacri unctione inunctas, seu a ceteris sacerdotibus et Dei ministris instauratas visitare gaudebit? [Tu autem.]

Lectio ii. Nichil autem festivitates dedicationum ecclesiarum minus colendæ et venerandæ sunt quam natalicia Sanctorum, quoniam in ipsis ecclesiis Deo dicatis multi sancti orando et legitime certando gloriam et societatem sanctorum adipisci meruerunt. Si ergo Dominus et Magister noster Jesus Christus ad novi templi dedicationem, et ad sacri templi festum, et ad diem ejus consecrationis advenire voluit, et ipsam festivitatem cum aliis populis solenniter celebrare studuit, qui nullo pondere peccatorum gravabatur : quanto magis nos, qui oneribus peccaminum multorum gravamur et premimur, ad prædictas festivitates una cum nobis subditis ceteris populis advenire decenter et eas celebrare solenniter debemus, ut deprecata et postulata sanctorum sacerdotum qui eas consecraverunt Domino annuente adipisci mereamur.

Lectio iii. Festivitatem hanc, fratres, nos eo majore devotione celebrare oportet, quo eam Redemptori nostro gratissimam esse cognoscimus. Oppido autem Domino grata ipsa devotionis templi festivitas fuit, quando ipse in illa templum ingredi et sermonem ad populum facere voluit, divinitatisque suæ sacramenta inibi pandere dignatus est. Condigne enim in ecclesiis Deo ab episcopis et sacerdotibus divinis precibus dicatis visibiliter signa innumerabilia fiunt, sed invisibiliter majoris virtutis miracula prodeunt. Corpora namque sanantur exterius, sed vulnera animæ relaxantur interius. Corpora vero exterius restaurantur, sed animæ interius divinitus sanantur. [Tu autem, Domine, miserere nostri.]

Sexta die.

Lectio i. In dedicationibus ecclesiarum, fratres, signa multa nostris temporibus vidimus peracta, et idcirco nos dedicationes et solennitates consecrationum novarum ecclesiarum solenniter venerari oportet, ut sicut aliorum corpora in eis sanari et reformari videmus, ita animæ nostræ sanentur, et interius Domini misericordia renoventur, atque a peccatis resuscitentur, peccata quoque relaxentur, et divinæ miserationes implorentur. Illuminantur namque in ecclesiis Deo dicatis visi-

biliter cæci : sed corda fidelium in eis invisibiliter gratia spiritus sancti illustrantur. Leprosi etiam in ecclesiis visibiliter sanantur : sed invisibiliter hi qui variis doctrinis et cogitationibus sive hæresibus sunt aspersi, spiritualiter in ecclesiis dedicatis corda eorum tanguntur, et ad fidem catholicam sive ad bene agendum convertuntur. Multi quoque visibiliter in consecratis locis loquuntur : sed invisibiliter fatuis et utiliter loqui nescientibus Domini gratia recte loqui ministratur. Auditum quoque in prædictis sanctis locis visibiliter recipiunt surdi, sed invisibiliter aures præcordiorum Sancti Spiritus illustratione aperiuntur, quatenus ea quæ Dei sunt audire et intelligere valeant. [Tu.]

Lectio ii. Oportet itaque, fratres, nos præfata beneficia impetraturos ad ecclesias divinis precibus consecratas humiliter convenire, et festivitates dedicationum novarum ecclesiarum venerabiliter celebrare, quatenus Domino auxiliante prædicta beneficia sive majora in eis impetrare et percipere mereamur. O quam veneranda dies in qua parietes hujus templi divinis precibus consecrati sunt, et domus hæc divinis cultibus et sacris actionibus est dedicata, ut in ea perpetualiter nomen Domini invocetur, et orationes omnium in ea pie deprecantium a Domino exaudiantur, suarumque petitionum vota impetrentur, atque salutis æternæ remedia percipiantur. Hæc est sacratissima festivitas, fratres, in qua parietes hujus templi Dei sacris unctionibus chrismatis sunt delibuti, ut in ea demum populi oblationes Domino offerantur, et sacrificia in ea Domino a sacerdotibus consecrentur. Altaria etiam hujus ecclesiæ divinis unctionibus chrismatis ab episcopo venerabiliter inuncta, atque divinis precibus sunt consecrata, ut super ea sacerdotes hostias immolarent, corpusque Dominicum precibus conficerent, quatenus sacratio licita Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi nobis ac reliquis populis ad præsentem et perpetuam salutem proficeret, pariterque nobis expiationem et æternæ beatitudinis præmium concederet.

Lectio iii. Quanta devotione dedicationes ecclesiarum fideles celebrare debeant, hinc liquido ostenditur, quod in eisdem solennitatibus plura miracula virtute patrata divina in diversis locis sæpe cognovimus. In ecclesiis etiam et oratoriis Deo dicatis persæpe cæcos illuminari, claudos reformari, leprosos mundari, et reliqua signa manifeste visa sunt fieri. In aliis vero locis, minime : nisi forte in devotione eundi ad sancta loca aut redeundi, aut in bona devotione permanendi. Sed in eisdem ecclesiis consecratis sæpius petitiones fidelium adimpleri, quam in aliis locis non consecratis, experimento cognovimus. Antiqui patres templorum dedicationes, in quibus divinum deinceps erant acturi officium, per octo dies religiose et sancte viventes venerabantur : et in eisdem octo diebus hymnis et aliis divinis laudibus studiose insistebant. Solenniterque hos dies agentes, gratias ac laudem Domino agebant, et pro suis totiusque populi sceleribus veniam flagitabant. Quorum sequentes exempla intentissime Dominum deprecemur, ut fidelium suorum petitiones in præsenti loco dignanter exaudiat, nosque ipsos templa sibi munda clementer perficiat.

Dominica infra Octavas.

Lectio i. Natalem templi hujus diem, fratres dilectissimi, Christo propicio cum exultatione et gaudio hodie celebramus. * Et merito solen-

* 'Et merito' *non habet* Leg. 1518.

nitatem matris ecclesiæ Christiani populi colunt, per quam se spiritualiter renatos esse cognoscunt. Nam qui per primam nativitatem vasa iræ Dei fuimus, per secundam vasa fieri misericordiæ meruimus. Prima enim nativitas nos perduxit ad mortem, secunda revocavit ad vitam.

Lectio ii. Omnes nos, fratres charissimi, ante baptismum fana diaboli fuimus : post baptismum templa Christi esse meruimus. Et si de salute animæ nostræ attentius cogitamus, templum Dei verum et vivum nos esse cognoscemus*. Non solum in templis manufactis habitat Deus, nec in domo de lignis et lapidibus facta, sed præcipue in anima ad ymaginem Dei manu ipsius artificis condita. Sic enim beatus Paulus apostolus ait, Templum enim Dei sanctum est : quod estis vos. Templa ista ideo de lignis et lapidibus fabricantur, ut ibi templa Dei viventia congregentur, ac sic ad templum Dei conveniant. Unus Christianus unum templum Dei est : et multi Christiani multa templa sunt Dei.

Lectio iii. Et jam, fratres, videte quam pulchrum est templum quod ædificatur de templis, et quomodo multa membra faciunt unum corpus, sic multa templa faciunt unum templum. Sed ista templa Christi, hoc est sanctæ animæ Christianæ dispersæ sunt per universum mundum. Cum autem venerit dies judicii congregabuntur omnia, et in vita æterna facient templum unum. Quomodo multa membra Christi faciunt corpus unum, et habent unum caput Christum, sic et illa templa habent ipsum habitatorem Christum, quia membra ipsius sumus qui caput nostrum est. Sic enim dicit Apostolus, In interiore homine per fidem habitare in cordibus vestris Christum. Gaudeamus quia templum Dei esse meruimus : sed timeamus ne templum Dei malis operibus violemus. Timeamus quod dicit Apostolus, Si quis templum Dei violaverit : disperdet illum Deus.

Lectio iiii. Deus, †qui cælum et terram verbo potentiæ suæ sine ullo labore potuit fabricare, in te dignatur habitare : et ideo sic debes agere ut talem habitatorem non possis offendere. Nichil ergo in te, hoc est in templo suo Deus inveniat sordidum, nichil tenebrosum, nichil superbum : quia si ibi‡ aliquam injuriam pertulerit, cito discedit. Et si Redemptor discesserit, statim deceptor accedit. Et qualis erit illa anima infelix, quæ a summo Deo deseritur, et a diabolo occupatur : vacuatur lumine, et tenebris adimpletur : exhauritur dulcedine, et inebriatur amaritudine : perdit vitam, invenit mortem : acquirit supplicium, perdit paradisum ?

Lectio v. Fratres, quia igitur Deus sibi voluit de nobis templum facere, et in nobis dignatur jugiter habitare, quantum possumus cum ipsius adjutorio studeamus superflua projicere, utilia congregare : repudiare luxuriam, castitatem tenere, contemnere avariciam, misericordiam quærere, odium despicere, charitatem sectari. Hæc si auxiliante Deo facimus, fratres, in templum cordis et corporis nostri Deum jugiter invitamus. Unde nos, fratres charissimi, si natalem templi cum gaudio celebrare volumus, templa Dei viventia malis operibus in nobis destruere non debemus. Dicam, fratres, dicam quod omnes intelligere possint. Quotiens ad ecclesiam venimus, qualem illam invenire volumus, tales et animas nostras præparare debemus.

Lectio vi. Vis basilicam nitidam invenire ? Noli tuam animam peccatorum sordibus inquinare. Si tu vis ut basilica luminosa sit, et Deus

* 'cognoscamus' *Chevallon.* † 'qui in' *Chevallon.* ‡ 'sibi' *Chevallon.*

hoc vult ut anima tua tenebrosa non sit : sed fiat quod Dominus dicit, ut* luceat lux in vobis bonorum operum, et ille qui in cælis est glorificetur. Quomodo tu intras in ecclesiam istam, sic Deus vult in animam tuam intrare, sicut ipse promisit dicens, Et inhabitabo† in illis. Ergo quotiens natalem templi cupimus celebrare, sobrii et pacifici debemus ad ecclesiam convenire, et ante plures dies castitati studere, et secundum vires nostras pauperibus elemosinam exhibere, et tunc fiducialiter ad natalem basilicæ et ad Sanctorum solennitatem securi veniamus : et quicquid juste voluerimus a Deo petere totum merebimur obtinere. Hoc autem ante omnia oportet ut, quomodo ad ecclesiam nitidis vestibus venimus, ita etiam mundis cordibus veniamus. Nichil enim prodest ut nitidus appareas in oculis hominum, si sordidus fueris in oculis angelorum. Tu.

Secundum Lucam, vi. [47.] *Lectio vii.*

In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis, Omnis qui venit ad me : et audit sermones meos et facit eos : ostendam vobis cui similis est. Similis est homini ædificanti domum. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. (*xx. ii. Libri, ante medium.*)‡

Homo hic domum ædificans, ipse est Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus : qui dilectam sibi domum sanctam, videlicet ecclesiam in qua perpetuo maneret, ædificare et consecrare dignatus est. Qui fodit in altum et posuit fundamentum supra petram, quia in corde suorum fidelium quicquid terrenæ intentionis invenit funditus extirpare studuit : quatenus ejectis priscæ consuetudinis ruderibus et cogitationibus superfluis stabilem in eis ipse et inconcussam mansionem possit habere. Ipse est enim petra, supra quam hujuscemodi domus fundamenta locavit. Sicut in domo ædificanda nil petræ cui fundamentum imponitur antefertur, ita sancta ecclesia petram suam, videlicet Christum, imo§ habet in corde reconditam, neque aliquid fidei illius ac dilectioni præponit, adeo ut pro hac etiam mortem pati non dubitet.

Lectio viii. Cui nimirum petræ princeps ecclesiæ quia firmissime adhæsit, ab ea nomen accepit, quando audivit, quia Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Inundatione autem facta illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere : fundata enim erat supra petram. Patet expositio, quia pulsata est sæpe pressuris ecclesia, nec dejecta. Quod si qui credentium malis victi cesserunt, ad hanc utique domum non pertinebant, quia si supra petram fidei et non potius supra arenam perfidiæ vel levitatis fundati consisterent, labefactari nunquam prorsus valerent. Notandum autem quod hæc inundatio tentationum tribus modis ecclesiam impugnat. Nam vel a sua concupiscentia tentatur quisquam abstractus et illectus, vel falsorum fratrum improbitate fatigatur, vel apertius extererum ‖ appetitur insidiis : quæ videlicet tentamenta Dominus alibi portas inferi nuncupat. Et merito, quia nimirum si vicerint, in æternum trahunt interitum. Et super hanc petram, inquit, ædificabo ecclesiam meam : et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Etsi ergo pulsant, non tamen dejiciunt ecclesiam Christi portæ diaboli. Etsi irruit inundatio perfidiæ, non tamen subruit domum fidei.

* 'Sic' *Legend.* 1518. † 'habitabo' *Leg.* 1518.
‡ *Bedæ* In Dedicatione Altarium, *Opera* vii. 171. § 'immo' *Leg.* 1518.
‖ 'externorum' *Beda.*

Lectio ix. Sancta ecclesia quæ adjutori suo veraciter dicere potest, Dum anxiaretur cor meum in petra exaltasti me, non debellatur ab extraneis, quia rabiem persequentium infidelium cum corona martyrii patiendo superat. Non corrumpitur a falsis fratribus : quia et hæreticorum dogmata recte credendo refutat, et viciosa quorundam catholicorum exempla sobrie et juste et pie vivendo devitat. Non obcæcatur fumo propriæ cupiditatis : quia fervet interius solo ardore Dominicæ charitatis. Huic autem homini, id est Redemptori nostro, qui ecclesiam sibi universalem invincibili mentis fortitudine copulavit, pro modo suo quique similantur electi, quando quod ipse in tota ecclesia generaliter facit, hoc illi in suis singuli cordibus agere specialiter curant. Nam quasi in altum fodiendo suam vigilanter conscientiam discutiunt, ne quid in ea sordidum lateat solerter inquirunt, cunctas a fundo cordis supervacuorum cogitatuum latebras manu sedulæ discretionis exhauriunt, quatenus firmam in se quietamque sedem petræ illi fortissimæ id est Christo præparent. Fitque ut per ejus præsentiam insuperabiles* inter seculi terrentis adversa simul et prospera blandientis perdurent.

Si *vero infra Adventum Domini, vel infra Septuagesimam usque ad Caput Jejunii hoc Festum contigerit, erunt Octavæ sine regimine chori usque ad Octavam diem, tunc enim fient novem Lectiones, et Invitatorium triplex, nisi in Dominica contigerit. Et si aliquod Festum trium Lectionum vel Octava Sanctorum infra has Octavas contigerit, totum fiat servitium de Festo vel de Octava, et tantum Memoria de Dedicatione. Dominica, quæ tunc infra Octavas vel in Octava evenerit, totum fiat servitium de Dominica, et tantum Memoria de Dedicatione.*

Cum autem a Circumcisione Domini usque ad Octavas Epyphaniæ, vel a quarta feria in Capite Jejunii usque ad quartam feriam ante Pascha, vel a Vigilia Ascensionis Domini usque ad Vigiliam Penthecostes, hoc Festum forte contigerit, nichil fiat de Festo infra Octavas, nec etiam in Octava, nisi Memoria. Tamen si hoc Festum infra Octavas Epyphaniæ forte evenerit, tunc post Octavas Epyphaniæ fiat totum servitium de Octava die Dedicationis.

Si autem a Vigilia Natalis Domini usque ad Circuncisionem Domini, vel a quarta feria proxima ante Pascha usque ad Octavas Paschæ, vel in Vigilia Penthecostes, vel ab hinc usque ad Festum Sanctæ Trinitatis, hoc Festum evenerit, semper differatur ubi possit convenientius celebrari : videlicet post Octavas Epyphaniæ, vel post Octavas Paschæ, vel post primam Dominicam post Festum Sanctæ Trinitatis : et erunt Octavæ cum regimine chori.

Si hoc Festum in prima Dominica Adventus Domini, vel in quarta feria in Capite Jejunii, vel in Dominica Passionis Domini, vel Ramispalmarum, vel in Octavis Paschæ, vel in Festo Sanctæ Trinitatis, vel in Festo de Corpore Christi forte contigerit, differatur in crastinum si vacaverit a Festo cum regimine chori : et erunt Vesperæ de Dedicatione, et solennis Memoria de Festo. Similiter fiat si hoc Festum in Festo Ascensionis Domini evenerit : sed tunc nichil fiat de Dedicatione infra Octavas usque ad Octavam diem, nisi tantum Memoria.

Si hoc Festum a die Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum in Dominica forte contigerit, et in ipsa Dominica nova inchoanda fuerit Hy-

* 'inseparabiles' *Chevallon.*

storia, quæ non fuerit duratura nisi per unam ebdomadam tantum, tunc ibi inchoetur Hystoria cum Memoria sub silentio, et totum fiat servitium de Dedicatione, et in tribus Feriis per ebdomadam tota cantetur Hystoria cum Responsorio feriali in tertio Nocturno : et in his tribus Feriis fiat primo Memoria de Dedicatione, deinde Memoriæ consuetæ; et Expositio Evangelii de Dominica eo anno non dicatur : ita tamen quod si aliquod Festum trium Lectionum ibidem contigerit, illo anno omnino prætermittatur : tamen Octavæ Dedicationis in sequentibus diebus sine regimine chori erunt usque ad Octavam diem, et tunc fiant novem Lectiones, et Invitatorium triplex, nisi duplex Festum impedierit, vel alia Hystoria quæ non potest cantari in alia Dominica nec in feriis.

Similiter fiat de Festo Loci, ubi Octavæ habentur : scilicet Nativitate sancti Johannis Baptistæ, vel de passione Petri et Pauli, vel de Sancta Trinitate, vel de sancto Martino, et consimilibus.

In Tempore vero Paschali *hoc modo fiat servitium de Dedicatione. Ad utrasque Vesperas, et ad Laudes, et ad omnes Horas, omnia fiant ut supra dictum est. Completorium vero Paschalis temporis non mutatur. Ad Matutinas tres primæ Antiphonæ cum suis Psalmis et Versiculus et Responsoria de primo Nocturno dicantur cum tribus Lectionibus de Expositione Evangelii* Egressus Jesus perambulabat Hierico.

Secunda die infra Octavas, Antiphonæ, Psalmi, Versiculus et Responsoria de secundo Nocturno dicantur, licet Dominica fuerit.

Tertia die, Antiphonæ, Psalmi, Versiculus et Responsoria de tertio Nocturno, licet Dominica fuerit.

Quarta die, Antiphonæ et Psalmi, Versiculus et Responsoria de primo Nocturno dicantur : et sic fiat per ceteras dies infra Octavas cum Lectionibus prædictis.

Et si aliquod Festum cum regimine chori infra has Octavas intercurrat, deinceps non ordo dierum, sed Antiphonarum, Versiculorum, et Responsoriorum servetur diebus sequentibus. Ita tamen quod Dominica infra Octavas Lectiones legantur de Expositione Evangelii secundum Lucam, ut supra notatum est.

Antiphonæ, Psalmi, et Versiculus, et Responsoria secundum ordinem Nocturnorum dicantur. Ita tamen quod tertium Responsorium dicatur a duobus de superiori gradu in superpelliceis ad gradum chori, et cetera ut postea dicetur.

In Octava vero *Antiphonæ, Psalmi, et Versus, et Responsoria, sicut in prima die, cum Expositione Evangelii, ut sequitur in Octava die. Invitatorium triplex, et cetera omnia, ut in Octava patet.*

Per Æstatem, *scilicet a* Deus omnium *usque ad Adventum Domini, quotidie infra Octavas dicuntur Versiculi et Responsoria secundum ordinem Nocturnorum, nisi in Dominica infra Octavas, ut inferius patet, et una Antiphona super Laudes dicitur.*

Hæ *sequentes Antiphonæ dicuntur per Octavas Dedicationis super Psalmos* Magnificat *et* Benedictus, *vel ad Memoriam de Dedicatione, cum de aliquo Sancto* fit servitium : nisi in Dominica infra Octavas.*

Ant. Benedic, Domine, domum istam quam ædificavi nomini tuo. venientium in loco isto exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya.

Ant. Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum : fundens

* '*Festo*' legendum putavit C Seager.

oleum desuper votum vovit Domino. vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya.

Ant. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ quod ædificatum est ad laudem et gloriam nominis tui, Domine. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya.

Ant. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud denique quod positum est a Christo Domino. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya.

Ant. Hæc aula accipiet a Deo gratiam benedictionis et misericordiam a Christo Jesu*. *In tempore Paschali*, Alleluya.

Ant. In dedicatione hujus templi laudate Deum omnis militia cælorum : et omnis terra laudet nomen Domini quia exaltatum est nomen ejus solius. *In tempore Paschali*, Alleluya.

Ant. Fundamenta templi hujus sapientia sua fundavit Deus in quo Dominum cæli collaudant angeli. subruant venti et fluant flumina : non possunt eam movere unquam, fundata enim erat supra petram. *In tempore Paschali*, Alleluya.

Ant. Exurgat Deus ad nostri famulatus obsequium et in loco sancto ejus fiat benedictionis augmentum. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya.

Ant. Qui regis Israel intende super domum istam : qui deducis velut ovem Joseph, auge in ea benedictionem tuam, qui sedes super Cherubin : exaudi preces supplicum in ea tibi confitentium. *In tempore Paschali finiatur cum* Alleluya.

Ant. Benedic, Domine, domum istam quam ædificavi nomini tuo : ut sint oculi tui aperti super eam die ac nocte. *In tempore Paschali*, Alleluya.

Ant. Ornaverunt faciem templi coronis aureis : et dedicaverunt altare Domino. *In tempore Paschali*, Alleluya.

Et dicuntur prædictæ Antiphonæ per ordinem etiam in die lunæ.

Nulla fiat Memoria per totam Octavam de Cruce, de sancta Maria, nec de Omnibus Sanctis, quia chorus regitur : videlicet si per Æstatem, scilicet a Deus omnium *usque ad Adventum, vel ab Octavis Epyphaniæ usque ad Septuagesimam, vel in tempore Paschali usque ad Ascensionem Domini contigerit : nisi aliquod Festum sine regimine chori intercurrat. Tamen in tempore Natalis Domini usque ad Purificationem fiat solennis Memoria de sancta Maria, et ab Octavis Paschæ usque ad Ascensionem Domini fiat solennis Memoria de Resurrectione.*

Ad omnes Horas, *Capitulum, et Responsoria, et Versus, cum Oratione, sicut in die dicantur.*

Ad Vesperas, *Ant.* Domum tuam : *Ps.* Credidi (*cxv.* p. 197) *et ceteri Psalmi, sicut in die ad secundas Vesperas.*

Capitulum. Hæc est domus Domini.

Hymnus. Angulare fundamentum.

V. Beati qui habitant.

Antiphona super Psalmum Magnificat, *ut supra.*

Oratio. Deus qui ecclesiam tuam.

Hic ordo servetur quotidie infra Octavas ad Vesperas, nisi in Dominica, scilicet ad primas Vesperas tantum.

Si dies Dominicus *infra Octavas contigerit, totum servitium fiat de Dedicatione, hoc modo,*

Ad primas Vesperas, *super Psalmos hæc sola Antiphona* Domum tuam : *Ps.* Credidi, *et ceteri Psalmi, ut supra in die.*

Capitulum. Vidi civitatem.

* 'a Christo Domino.' *Portiforia.*

Non dicitur Responsorium.

Hymnus. Urbs beata Hierusalem.

V. Domum tuam.

Ant. Sanctificavit.

Ps. Magnificat.

Oratio. Deus, qui ecclesiam tuam.

Memoria de Dominica, et de Trinitate : et Processio ante crucem, sive nova Hystoria inchoanda fuerit sive non : nisi aliquam Dominicam omnino oporteat differri. In introitu chori, de sancta Maria.

AD MATUTINAS, *tota cantetur Hystoria, sicut in prima die. Lectiones, ut præintitulantur.*

AD LAUDES, *una sola Antiphona dicatur.*

AD PRIMAM, *et ad alias Horas, omnia fiant sicut infra Octavas.*

AD SECUNDAS VESPERAS, *omnia fiant sicut in prima die, præter Responsorium, quod non dicetur : cum Oratione,* Deus, qui ecclesiam tuam.

IN OCTAVA DIE.

AD PRIMAS VESPERAS, *super Psalmos Ant.* O quam metuendus. *Psalmi feriales. Capitulum, Responsorium, et cetera omnia sicut in Prima Die ad primas Vesperas, cum hac Oratione,* Deus, qui nobis per singulos. *Ita tamen quod Responsorium dicatur a duobus de superiori gradu in capis sericis ad gradum chori.*

AD MATUTINAS ET AD LAUDES *omnia fiant sicut in prima die, more Festi novem Lectionum. Invitatorium triplex, ut prædictum est in Octavis Epyphaniæ, dicatur.*

*Lectio i. (Bedæ Omelia xx. libri ii. post medium.)**

Congruum videtur, fratres, solennitati quam colimus de ædificatione templi aliqua commemorare, et quam decenter ornatus illius ecclesiæ significationi conveniat indagare. Narrat ergo Scriptura, quia præcepit Salomon ut tollerent lapides grandes et preciosos in fundamentum templi, et quadrarent eos. Lapides grandes et preciosi, qui in fundamento locati totum onus templi sibi superimpositum portant, eximios sanctæ ecclesiæ doctores insinuant, grandes nimirum excellentia meritorum, preciosos claritate signorum. Qui ab ipso Domino verbum audientes totam crescentis ecclesiæ fabricam sua prædicatione genuerunt.

Lectio ii. Fundamentum in sacra Scriptura Christus appellatur. In quo lapides grandes et preciosi qui templum omne gestarent sunt positi: quia per ipsum ad propagandam toto orbe ecclesiam et prius patriarchæ ac prophetæ, et postmodum sunt apostoli instructi. Qui quo artius ejus amori inhærebant, eo fortius sectatores suos in ædificatione cælesti sustentabant. Quos videlicet lapides rex quadrari præcepit : ut magistros ecclesiæ compositos moribus et immobiles animo esse debere signaret. Sicut enim quadratum quacunque vertitur parte stat : ita vita perfectorum nullis tentationum impulsibus a sua stabilitate deiici novit. Erat autem prædictum templum de marmore Pario (qui est lapis albus) extructum : ut candorem ecclesiasticæ castitatis exprimeret. Habebat vero sexaginta cubitos in longitudine, et viginti in latitudine, et triginta in altitudine.

Lectio iii. Longitudo templi fidem sanctæ ecclesiæ designat : per quam longanimiter pravorum adversa tolerat. Latitudo charitatem : qua ipsa intus per viscera pietatis spaciatur. Altitudo spem, qua propter bona quæ per charitatem operatur cælestis vitæ præmia expectat. Et bene longitudo senario numero exprimitur : quia eo bonorum operum

* *Bedæ* Homilia in Dedicatione Altarium, *Opera* VII. 172.

perfectio designari solet. Bene etiam latitudinis templi viginti sunt cubiti: quia geminum est præceptum charitatis, qua ecclesia in tribulatione dilatatur. Triginta autem in altitudine sunt cubiti : quia omnis electorum spes ad visionem Sanctæ Trinitatis quantum valet se exercendo præparat. Sex igitur ad fidei longanimitatem, tria ad celsitudinem spei, duo pertinent ad latitudinem amoris : quibus totum ecclesiæ statum perfici constat. Per denarium vero, qui perfectus est numerus, singula hæc multiplicantur : ut multiplex ejusdem perfectionis augmentum figurate denuncietur. Et hæc mensura inferioris templi : super quod cenaculum ejusdem longitudinis, latitudinis, et altitudinis surgebat. Super hoc vero nichilominus aliud cenaculum ejusdem longitudinis et latitudinis sexaginta cubitorum altitudinis eminebat.

Lectio iiii. Factus est vero medius paries in templo de tabulis cedrinis viginti cubitorum altitudinis, qui divideret oraculum, id est sanctum sanctorum, a priore parte templi. Eratque oraculum viginti cubitorum longitudinis. Porro ipsum templum præ foribus oraculi quadraginta cubitorum, in quo erant mensæ et candelabra de auro. Sed et altare aureum prope ostium oraculi, ut incenso in eo thymiamate* vapor fumi ascendens operiret oraculum, ubi erat archa testamenti, super quæ erant † Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium. Prior ergo domus præsentis ecclesiæ statum, interior vitæ cælestis ingressum designat. Unde recte in priori mensa et candelabra sunt facta : quia in hac vita lumine sacrarum Scripturarum et refectione sacramentorum cælestium opus habemus. In futura autem talibus subsidiis non egemus.

Lectio v. Altare aureum munda significat Sanctorum corda, desideriorum spiritualium aromatibus referta, incendio continui amoris flagrantia. Archa testamenti, quæ intra velum erat, naturam humanitatis Christi designat. Urna mannæ, plenitudinem divinitatis. Virga Aaron, inviolabilem potentiam sacerdotii ejus. Tabulæ testamenti, quia ipse est qui legem dedit. Erat quoque porticus ante templum viginti cubitorum longitudinis, et decem cubitorum latitudinis, habens ostium contra ostium templi ab oriente. Hæc porticus illam sanctæ ecclesiæ plebem designat, quæ Dominicæ incarnationis tempora præcessit, nec tamen ab ejusdem incarnationis fide vacua remansit. Hoc est enim ostium porticus contra ostium templi esse ad ortum solis, fidem populi prioris de Christo eandem esse quæ sequentis. Tu.

Lectio vi. Unde bene in eadem porticu duæ columnæ æreæ mirandi operis circa templi ostium narrantur esse statutæ : et his capitella quasi opere lilii superimposita. Columnæ enim ante ostium templi stabant : quia nostri Redemptoris adventum doctores egregii præcesserunt. Una autem columna a dextris ostii, altera a sinistris stabat : quia et populo Israel, qui tunc et divina fide et charitate calebat, incarnationem sui Redemptoris futuram præcinebant, et nichilominus gentibus, quæ adhuc quasi ad aquilonem positæ perfidiæ frigore torpebant, ejusdem Redemptoris‡ ingressum pandendum esse prædicabant. Capitella autem columnarum quasi opere lilii fabricata erant : quia tota prædicationis eorum summa de claritate perpetuæ beatitudinis insonuit, ejusque videndam gloriam suis auditoribus repromisit, qui æternus

* 'thimiamathe' *Chevallon.* 'thimiamate' *Leg.* 1518.
† 'superque eam' *Leg.* 1518. ‡ 'redemptionis' *Leg.* 1518.

ante secula Deus existens homo factus est in fine seculorum. Auri enim rubor in candore exprimit fulgorem divinitatis in homine. Quem videlicet hominem et prius virtutibus clarum ostendit, et post mortem niveo incorruptionis splendore vestivit. Tu autem, Domine.

Secundum Johannem, x. [22.] *Lectio vii.*

In illo tempore. Facta sunt encænia in Hierosolimis : et hyems erat. Et ambulavit Jesus in templo : in porticu Salomonis. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bedæ presbyteri. (*xix. II. Libri.*)*

Encænia vocabantur solennia dedicationis templi : quæ populus Dei ex antiqua patrum traditione per annos singulos celebrare consueverat. Quorum vestigia nos hodie, juxta morem Christiani orbis, sequentes annuam dedicationis ecclesiæ nostræ diem divinis laudibus et vigiliis studuimus agere solennem. Et hanc nos festivitatem eo majore devotione celebrare oportet, quo eam Redemptori nostro esse gratissimam cognovimus, adeo ut in illa templum ipse ingredi et sermonem facere ad populum, ac divinitatis suæ sacramenta pandere dignatus sit. Si ergo ambulare voluit Dominus in templo, in quo caro et sanguis brutorum animalium offerebatur, multo magis nostram orationis domum, ubi carnis ipsius ac sanguinis sacramenta celebrantur, visitare gaudebit.

Lectio viii. Si perambulare non despexit Dominus porticum, in qua rex quondam mortalis ac terrenus, quamvis potentissimus ac sapientissimus, ad orandum solebat stare : quanto magis penetralia cordium nostrorum invisere atque illustrare desiderat : si tamen ea porticum Salomonis esse, hoc est si ea timorem suum quod est initium sapientiæ habere perspexerit? Neque enim putandum est quia domus solummodo, in qua ad orandum vel ad mysteria celebranda convenimus, templum sit Domini, et non ipsi qui in nomine Domini convenimus multo amplius templum Dei appellemur et simus. Si ergo templum Dei sumus, fratres, curemus solerter et bonis satagamus actibus, ut in eodem suo templo sæpius ipse et venire et mansionem facere dignetur. Caveamus hyemis exemplum : ne videlicet corda nostra Dominus adveniens a charitatis ardore torpentia reperiat, ideoque ea citius aversatus relinquat. Quid enim pertinuit ad evangelistam hyemis tempus commemorare, nisi quia duriciam perfidiæ Judeorum per asperitatem aurarum voluit designare brumalium?

Lectio ix. Circundemus et nos, fratres charissimi, Christum, non sicut Judei insidiis appetendo, sed ut fidelissima domus ejus placitam illi in nobis sedem parando : de quibus merito dicatur, Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, Deus in medio ejus non commovebitur. Petamus eum non (ut illi) vesaniendo, Quousque animam nostram tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam : quid enim vesanius quam et magistrum veritatis ideo sibi animam tollere quererentur, quia non eis incredulis et contradicentibus aperte suæ majestatis archana reseravit : sed ut Scriptura admonet, sentiendo de illo in bonitate, et in simplicitate cordis quærendo illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum. Dicamus ei supplices, quia tu es Christus Filius Dei. Te Filium

* *Bedæ* Homiliæ Æstivales de Sanctis, *Opera* VII. 174. Cf. *ejusdem* in Evangelium Joannis cap. x. *Opera* v. 545.

Unigenitum Patri et Spiritui Sancto coæternum esse et consubstantialem in divinitate : te nostræ substantiæ participem ex tempore factum esse cognovimus. Da ut quod interim pia fide veneramur plena in futura visione speculemur. Hæc est enim unica animæ nostræ salus et vita, tuum perpetuo vultum, tuam cernere lucem. Nec dubitandum quia rogantes exaudiet nos, quando quod ipse præcepit rogamus, et quod dare ipse desiderat intenta mente poscimus. Quomodo enim pie supplicantibus famulis negare credendus est bona, quæ etiam rebellibus ultra quam petebant aperire non renuit? Qui cum illum an homo Christus esset interrogarent, ipse eis non hominem tantum, sed etiam Deum Christum, et Dei Filium se esse non tacuit. Respondit eis dicens, Loquor vobis : et non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei : hæc testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis : quia non estis ex ovibus meis. Tu autem, Domine [miserere nostri].

Ad Primam et ad alias Horas *omnia fiant sicut infra Octavas.*

Ad secundas Vesperas *omnia fiant sicut in Prima Die ad secundas Vesperas, præter Responsorium quod non dicetur, cum hac Oratione* Deus qui nobis per singulos annos, *et cetera.*

¶ FINIS OFFICIORUM DOMINICALIUM.

Sic codices huius partis iungendi sunt

[in libro nostro *a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. x. y. z* : *aa. bb. cc. dd. ee. ff. gg. hh. ii. kk. ll. mm. nn. oo. pp. qq. rr. ss. tt. uu. xx. yy. zz* : *aaa.*

in Registro Chevalloniano—]

a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. o. p. q. r. s. t. v. x. y. z: &. ꝯ. ꝶ. ĩ. ſ.

HYMNOS DUO,

per Chevallonium tam in Temporali quam in Psalterio plene prolatos, nos (per prima tantum verba ad pp. xii., xxix. indicantes) hucusque distulimus.

Hymnus.

Te lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus,
Ut solita clementia
Sis præsul ad custodiam.

Procul recedant somnia
Et noctium fantasmata:
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Præsta Pater omnipotens
Per Jesum Christum Dominum
Qui tecum in perpetuum
Regnat cum Sancto Spiritu.
Amen.

Hymnus.

Jam lucis orto sydere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus:

Linguam refrenans temperet,
Ne litis horror insonet:
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia:
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit,
Noctemque sol reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum.
Amen.

INDEX HYMNORUM

IN PRIMO HOC FASCICULO CONTENTORUM.

PROSÆ AD USUM SARUM.

Notandum est quod *prosæ* nuncupantur in *Missali Sarum* (ed. Forbes, 1861)—
Dies iræ, *pro Defunctis*, p. 884*.
Mulier laudabilis, *de Non Virgine*, p. 732*.
Proloquium altum, *de S. Gabriele*, p. 915—*.

et quod in appendice quodam Expositionis, a Ric. Pynson A.D. 1498 impresso, Sequentiæ quattuor *prosarum* tantum nomine exhibentur; scilicet,

Celebremus in hac die festum domus Zacharie.
Veni mater gratie fons misericordie.
Benedicta semper sit beata trinitas.
Dulcis Jesus Nazarenus, Judeorum rex amenus.

INDEX GENERALIS IN PRIORES DUO FASCICULOS BREVIARII SARUM.

(ACCEDUNT DEFINITIONES QUÆDAM IN LINGUA MATERNA, &c.)

* The other histories, less often referred to, are *Locutus est*, *Isti sunt*, *In monte Oliveti* (Processionale Sarum, ed. Henderson 1882, p. 60), *Dignus es*, and *Narrabo*.

* '*commemoratio*' is once used in this sense in the Sarum Portiforium (*Rubricæ Generales de Dedicatione Ecclesiæ*, ed. Seager, p. 202 § 182), but not in our Great Breviary.

* The form '*Responso.*' found in printed books is thought to be an abbreviation for *Responsorio*, &c., and not to point to a form *Responsum*.

* The *farsuræ* to the Introit (*Antiphona ad introitum*) were those which properly bore the name of *Tropi.* Those to the Alleluia were called originally *Prosæ ad Sequentiam*, and later *Sequentiæ.* All these *farsuræ* had disappeared completely by the thirteenth century, except (1) a certain number to the Kyrie, (2) one or two to the Gloria in excelsis, and (3) the *Sequentiæ.* The last alone *continued to be written* after this date.

The second fasciculus (as explained in its Introduction) was published first, in 1879. It contains the *Psalterium* and *Commune Sanctorum*, to the pages of which constant reference is made in both the other parts.

The third, or concluding fasciculus, containing the *Proprium Sanctorum* and *Accentuarium*, is now in the Press.

January, 1882.

CANTABRIGIÆ TYPIS ACADEMICIS EXCUDEBANT C. J. CLAY, A.M. ET FILIUS.

UNIVERSITY PRESS, CAMBRIDGE.
June, 1887.

CATALOGUE OF

WORKS

PUBLISHED FOR THE SYNDICS

OF THE

Cambridge University Press.

London: C. J. CLAY AND SONS,
CAMBRIDGE UNIVERSITY PRESS WAREHOUSE,
AVE MARIA LANE.
GLASGOW: 263, ARGYLE STREET.

Cambridge: DEIGHTON, BELL AND CO.
Leipzig: F. A. BROCKHAUS.

1000
6/6/87

PUBLICATIONS OF

The Cambridge University Press.

THE HOLY SCRIPTURES, &c.

THE CAMBRIDGE PARAGRAPH BIBLE of the Authorized English Version, with the Text Revised by a Collation of its Early and other Principal Editions, the Use of the Italic Type made uniform, the Marginal References remodelled, and a Critical Introduction prefixed, by F. H. A. SCRIVENER, M.A., LL.D., Editor of the Greek Testament, Codex Augiensis, &c., and one of the Revisers of the Authorized Version. Crown 4to. gilt. 21*s.*

From the *Times.*

"Students of the Bible should be particularly grateful (to the Cambridge University Press) for having produced, with the able assistance of Dr Scrivener, a complete critical edition of the Authorized Version of the English Bible, an edition such as, to use the words of the Editor, 'would have been executed long ago had this version been nothing more than the greatest and best known of English classics.' Falling at a time when the formal revision of this version has been undertaken by a distinguished company of scholars and divines, the publication of this edition must be considered most opportune."

From the *Athenæum.*

"Apart from its religious importance, the English Bible has the glory, which but few sister versions indeed can claim, of being the chief classic of the language, of having, in conjunction with Shakspeare, and in an immeasurable degree more than he, fixed the language beyond any possibility of important change. Thus the recent contributions to the literature of the subject, by such workers as Mr Francis Fry and Canon Westcott, appeal to a wide range of sympathies; and to these may now be added Dr Scrivener, well known for his labours in the cause of the Greek Testament criticism, who has brought out, for the Syndics of the Cambridge University Press, an edition of the English Bible, according to the text of 1611, revised by a comparison with later issues on principles stated by him in his Introduction. Here he enters at length into the history of the chief editions of the version, and of such features as the marginal notes, the use of italic type, and the changes of orthography, as well as into the most interesting question as to the original texts from which our translation is produced."

From the *Methodist Recorder.*

"This noble quarto of over 1300 pages is in every respect worthy of editor and publishers alike. The name of the Cambridge University Press is guarantee enough for its perfection in outward form, the name of the editor is equal guarantee for the worth and accuracy of its contents. Without question, it is the best Paragraph Bible ever published, and its reduced price of a guinea brings it within reach of a large number of students."

From the *London Quarterly Review.*

"The work is worthy in every respect of the editor's fame, and of the Cambridge University Press. The noble English Version, to which our country and religion owe so much, was probably never presented before in so perfect a form."

THE CAMBRIDGE PARAGRAPH BIBLE. STUDENT'S EDITION, on *good writing paper*, with one column of print and wide margin to each page for MS. notes. This edition will be found of great use to those who are engaged in the task of Biblical criticism. Two Vols. Crown 4to. gilt. 31*s.* 6*d.*

THE AUTHORIZED EDITION OF THE ENGLISH BIBLE (1611), ITS SUBSEQUENT REPRINTS AND MODERN REPRESENTATIVES. Being the Introduction to the Cambridge Paragraph Bible (1873), re-edited with corrections and additions. By F. H. A. SCRIVENER, M.A., D.C.L., LL.D., Prebendary of Exeter and Vicar of Hendon. Crown 8vo. 7*s.* 6*d.*

THE LECTIONARY BIBLE, WITH APOCRYPHA, divided into Sections adapted to the Calendar and Tables of Lessons of 1871. Crown 8vo. 3*s.* 6*d.*

London: C. J. CLAY & SONS, Cambridge University Press Warehouse, Ave Maria Lane.

BREVIARIUM AD USUM INSIGNIS ECCLESIAE SARUM. Juxta Editionem maximam pro CLAUDIO CHEVALLON ET FRANCISCO REGNAULT A.D. MDXXXI. in Alma Parisiorum Academia impressam: labore ac studio FRANCISCI PROCTER, A.M., ET CHRISTOPHORI WORDSWORTH, A.M.

FASCICULUS I. In quo continentur KALENDARIUM, et ORDO TEMPORALIS sive PROPRIUM DE TEMPORE TOTIUS ANNI, una cum ordinali suo quod usitato vocabulo dicitur PICA SIVE DIRECTORIUM SACERDOTUM. Demy 8vo. 18*s*.

"The value of this reprint is considerable to liturgical students, who will now be able to consult in their own libraries a work absolutely indispensable to a right understanding of the history of the Prayer-Book, but which till now usually necessitated a visit to some public library, since the rarity of the volume made its cost prohibitory to all but a few.... Messrs Procter and Wordsworth have discharged their editorial task with much care and judgment, though the conditions under which they have been working are such as to hide that fact from all but experts."—*Literary Churchman.*

FASCICULUS II. In quo continentur PSALTERIUM, cum ordinario Officii totius hebdomadae juxta Horas Canonicas, et proprio Completorii, LITANIA, COMMUNE SANCTORUM, ORDINARIUM MISSAE CUM CANONE ET XIII MISSIS, &c. &c. Demy 8vo. 12*s*.

"Not only experts in liturgiology, but all persons interested in the history of the Anglican Book of Common Prayer, will be grateful to the Syndicate of the Cambridge University Press for forwarding the publication of the volume which bears the above title, and which has recently appeared under their auspices."—*Notes and Queries.*

"Cambridge has worthily taken the lead with the Breviary, which is of especial value for that part of the reform of the Prayer-Book which will fit it for the wants of our time... For all persons of religious tastes the Breviary, with its mixture of Psalm and Anthem and Prayer and Hymn, all hanging one on the other, and connected into a harmonious whole, must be deeply interesting."—*Church Quarterly Review.*

"The editors have done their work excellently, and deserve all praise for their labours in rendering what they justly call 'this most interesting Service-book' more readily accessible to historical and liturgica students."—*Saturday Review.*

FASCICULUS III. In quo continetur PROPRIUM SANCTORUM quod et sanctorale dicitur, una cum accentuario. Demy 8vo. 15*s*.

FASCICULI I. II. III. complete, £2. 2*s*.

GREEK AND ENGLISH TESTAMENT, in parallel Columns on the same page. Edited by J. SCHOLEFIELD, M.A. late Regius Professor of Greek in the University. Small Octavo. New Edition, with the Marginal References as arranged and revised by Dr SCRIVENER. Cloth, red edges. 7*s*. 6*d*.

GREEK AND ENGLISH TESTAMENT. THE STUDENT'S EDITION of the above, on *large writing paper*. 4to. 12*s*.

GREEK TESTAMENT, ex editione Stephani tertia, 1550. Small 8vo. 3*s*. 6*d*.

THE NEW TESTAMENT IN GREEK according to the text followed in the Authorised Version, with the Variations adopted in the Revised Version. Edited by F. H. A. SCRIVENER, M.A., D.C.L., LL.D. Crown 8vo. 6*s*. Morocco boards or limp. 12*s*.

THE PARALLEL NEW TESTAMENT GREEK AND ENGLISH, being the Authorised Version set forth in 1611 Arranged in Parallel Columns with the Revised Version of 1881, and with the original Greek, as edited by F. H. A. SCRIVENER, M.A., D.C.L., LL.D. Prebendary of Exeter and Vicar of Hendon. Crown 8vo. 12*s*. 6*d*. *The Revised Version is the Joint Property of the Universities of Cambridge and Oxford.*

London: C. J. CLAY & SONS, Cambridge University Press Warehouse, Ave Maria Lane.

THE BOOK OF ECCLESIASTES, with Notes and Introduction. By the Very Rev. E. H. PLUMPTRE, D.D., Dean of Wells. Large Paper Edition. Demy 8vo. 7*s*. 6*d*.

"No one can say that the Old Testament is a dull or worn-out subject after reading this singularly attractive and also instructive commentary. Its wealth of literary and historical illustration surpasses anything to which we can point in English exegesis of the Old Testament; indeed, even Delitzsch, whose pride it is to leave no source of illustration unexplored, is far inferior on this head to Dr Plumptre."—*Academy*, Sept. 10, 1881.

THE GOSPEL ACCORDING TO ST MATTHEW in Anglo-Saxon and Northumbrian Versions, synoptically arranged: with Collations of the best Manuscripts. By J. M. KEMBLE, M.A and Archdeacon HARDWICK. Demy 4to. 10*s*.

New Edition. By the Rev. Professor SKEAT. [*Immediately.*

THE GOSPEL ACCORDING TO ST MARK in Anglo-Saxon and Northumbrian Versions, synoptically arranged: with Collations exhibiting all the Readings of all the MSS. Edited by the Rev. W. W. SKEAT, Litt.D., Elrington and Bosworth Professor of Anglo-Saxon. Demy 4to. 10*s*.

THE GOSPEL ACCORDING TO ST LUKE, uniform with the preceding, by the same Editor. Demy 4to. 10*s*.

THE GOSPEL ACCORDING TO ST JOHN, uniform with the preceding, by the same Editor. Demy 4to. 10*s*.

"*The Gospel according to St John, in Anglo-Saxon and Northumbrian Versions:* Edited for the Syndics of the University Press, by the Rev. Walter W. Skeat, M.A., completes an undertaking designed and commenced by that distinguished scholar, J. M. Kemble, some forty years ago. Of the particular volume now before us, we can only say it is worthy of its two predecessors. We repeat that the service rendered to the study of Anglo-Saxon by this Synoptic collection cannot easily be overstated."—*Contemporary Review.*

THE POINTED PRAYER BOOK, being the Book of Common Prayer with the Psalter or Psalms of David, pointed as they are to be sung or said in Churches. Royal 24mo. 1*s*. 6*d*.

The same in square 32mo. cloth. 6*d*.

THE CAMBRIDGE PSALTER, for the use of Choirs and Organists. Specially adapted for Congregations in which the "Cambridge Pointed Prayer Book" is used. Demy 8vo. cloth extra, 3*s*. 6*d*. cloth limp, cut flush. 2*s*. 6*d*.

THE PARAGRAPH PSALTER, arranged for the use of Choirs by BROOKE FOSS WESTCOTT, D.D., Regius Professor of Divinity in the University of Cambridge. Fcap. 4to. 5*s*.

The same in royal 32mo. Cloth 1*s*. Leather 1*s*. 6*d*.

"The Paragraph Psalter exhibits all the care, thought, and learning that those acquainted with the works of the Regius Professor of Divinity at Cambridge would expect to find, and there is not a clergyman or organist in England who should be without this Psalter as a work of reference."—*Morning Post.*

THE MISSING FRAGMENT OF THE LATIN TRANSLATION OF THE FOURTH BOOK OF EZRA, discovered, and edited with an Introduction and Notes, and a facsimile of the MS., by ROBERT L. BENSLY, M.A., Reader in Hebrew, Gonville and Caius College, Cambridge. Demy 4to. 10*s*.

"It has been said of this book that it has added a new chapter to the Bible, and, startling as the statement may at first sight appear, it is no exaggeration of the actual fact, if by the Bible we understand that of the larger size which contains the Apocrypha. and if the Second Book of Esdras can be fairly called a part of the Apocrypha."—*Saturday Review.*

GOSPEL DIFFICULTIES, or the Displaced Section of S. Luke. By the Rev. J. J. HALCOMBE, Rector of Balsham and Rural Dean of North Camps, formerly Reader and Librarian at the Charterhouse. Crown 8vo. 10*s*. 6*d*.

CODEX S. CEADDAE LATINUS. Evangelia SSS. Matthaei, Marci, Lucae ad cap. III. 9 complectens, circa septimum vel octavum saeculum scriptvs, in Ecclesia Cathedrali Lichfieldiensi servatus. Cum codice versionis Vulgata Amiatino consulit, prolegomena conscripsit, F. H. A. SCRIVENER, A.M., D.C.L., LL.D., Hendoni apud Trinobantes vicarius, Ecclesiae Cathedralis Exoniensis prebendarius, Collegii SS. Trinitatis apud Cantabrigienses olim scholaris. Imp. 4to. With 3 plates. £1. 1*s.*

THE ORIGIN OF THE LEICESTER CODEX OF THE NEW TESTAMENT. By J. RENDEL HARRIS, M.A. With 3 plates. Demy 4to. 10*s.* 6*d.*

THEOLOGY—(ANCIENT).

THE GREEK LITURGIES. Chiefly from original Authorities. By C. A. SWAINSON, D.D., Master of Christ's College, Cambridge. Crown 4to. Paper covers. 15*s.*

"Jeder folgende Forscher wird dankbar anerkennen, dass Swainson das Fundament zu einer historisch-kritischen Geschichte der Griechischen Liturgien sicher gelegt hat."—ADOLPH HARNACK, *Theologische Literatur-Zeitung.*

THE PALESTINIAN MISHNA. By W. H. LOWE, M.A., Lecturer in Hebrew at Christ's College, Cambridge. Royal 8vo. 21*s.*

THEODORE OF MOPSUESTIA'S COMMENTARY ON THE MINOR EPISTLES OF S. PAUL. The Latin Version with the Greek Fragments, edited from the MSS. with Notes and an Introduction, by H. B. SWETE, D.D., Rector of Ashdon, Essex, and late Fellow of Gonville and Caius College, Cambridge. In Two Volumes. Volume I., containing the Introduction, with Facsimiles of the MSS., and the Commentary upon Galatians—Colossians. Demy 8vo. 12*s.*

"In dem oben verzeichneten Buche liegt uns die erste Hälfte einer vollständigen, ebenso sorgfältig gearbeiteten wie schön ausgestatteten Ausgabe des Commentars mit ausführlichen Prolegomena und reichhaltigen kritischen und erläuternden Anmerkungen vor."—*Literarisches Centralblatt.*

"It is the result of thorough, careful, and patient investigation of all the points bearing on the subject, and the results are presented with admirable good sense and modesty."—*Guardian.*

"Auf Grund dieser Quellen ist der Text bei Swete mit musterhafter Akribie hergestellt. Aber auch sonst hat der Herausgeber mit unermüdlichem Fleisse und eingehendster Sachkenntniss sein Werk mit allen denjenigen Zugaben ausgerüstet, welche bei einer solchen Text-Ausgabe nur irgend erwartet werden können. . . . Von den drei Haupthandschriften . . . sind vortreffliche photographische Facsimile's beigegeben, wie überhaupt das ganze Werk von der *University Press* zu Cambridge mit bekannter Eleganz ausgestattet ist."—*Theologische Literaturzeitung.*

"It is a hopeful sign, amid forebodings which arise about the theological learning of the Universities, that we have before us the first instalment of a thoroughly scientific and painstaking work, commenced at Cambridge and completed at a country rectory."—*Church Quarterly Review* (Jan. 1881).

"Herrn Swete's Leistung ist eine so tüchtige dass wir das Werk in keinen besseren Händen wissen möchten, und mit den sichersten Erwartungen auf das Gelingen der Fortsetzung entgegen sehen."—*Göttingische gelehrte Anzeigen* (Sept. 1881).

VOLUME II., containing the Commentary on 1 Thessalonians—Philemon, Appendices and Indices. 12*s.*

"Eine Ausgabe . . . für welche alle zugänglichen Hülfsmittel in musterhafter Weise benützt wurden . . . eine reife Frucht siebenjährigen Fleisses."—*Theologische Literaturzeitung* (Sept. 23, 1882).

"Mit derselben Sorgfalt bearbeitet die wir bei dem ersten Theile gerühmt haben."—*Literarisches Centralblatt* (July 29, 1882).

"M. Jacobi...commença...une édition du texte. Ce travail a été repris en Angleterre et mené à bien dans les deux volumes que je signale en ce moment...Elle est accompagnée de notes érudites, suivie de divers appendices, parmi lesquels on appréciera surtout un recueil des fragments des oeuvres dogmatiques de Théodore, et précédée d'une introduction où sont traitées à fond toutes les questions d'histoire littéraire qui se rattachent soit au commentaire lui-même, soit à sa version Latine."—*Bulletin Critique*, 1885.

SAYINGS OF THE JEWISH FATHERS, comprising Pirqe Aboth and Pereq R. Meir in Hebrew and English, with Critical and Illustrative Notes. By CHARLES TAYLOR, D.D. Master of St John's College, Cambridge, and Honorary Fellow of King's College, London. Demy 8vo. 10*s.*

"The 'Masseketh Aboth' stands at the head of Hebrew non-canonical writings. It is of ancient date, claiming to contain the dicta of teachers who flourished from B.C. 200 to the same year of our era. Mr Taylor's explanatory and illustrative commentary is very full and satisfactory."—*Spectator.*

"A careful and thorough edition which does credit to English scholarship, of a short treatise from the Mishna, containing a series of sentences or maxims ascribed mostly to Jewish teachers immediately preceding, or immediately following the Christian era. . ."—*Contemporary Review.*

SANCTI IRENÆI EPISCOPI LUGDUNENSIS libros quinque adversus Hæreses, versione Latina cum Codicibus Claromontano ac Arundeliano denuo collata, præmissa de placitis Gnosticorum prolusione, fragmenta necnon Græce, Syriace, Armeniace, commentatione perpetua et indicibus variis edidit W. WIGAN HARVEY, S.T.B. Collegii Regalis olim Socius. 2 Vols. 8vo. 18*s.*

M. MINUCII FELICIS OCTAVIUS. The text revised from the original MS., withan English Commentary, Analysis, Introduction, and Copious Indices. Edited by H. A. HOLDEN, LL.D. Examiner in Greek to the University of London. Crown 8vo. 7*s.* 6*d.*

THEOPHILI EPISCOPI ANTIOCHENSIS LIBRI TRES AD AUTOLYCUM edidit, Prolegomenis Versione Notulis Indicibus instruxit GULIELMUS GILSON HUMPHRY, S.T.B. Collegii Sanctiss. Trin. apud Cantabrigienses quondam Socius. Post 8vo. 5*s.*

THEOPHYLACTI IN EVANGELIUM S. MATTHÆI COMMENTARIUS, edited by W. G. HUMPHRY, B.D. Prebendary of St Paul's, late Fellow of Trinity College. Demy 8vo. 7*s.* 6*d.*

TERTULLIANUS DE CORONA MILITIS, DE SPECTACULIS, DE IDOLOLATRIA, with Analysis and English Notes, by GEORGE CURREY, D.D. Preacher at the Charter House, late Fellow and Tutor of St John's College. Crown 8vo. 5*s.*

FRAGMENTS OF PHILO AND JOSEPHUS. Newly edited by J. RENDEL HARRIS, M.A., Fellow of Clare College, Cambridge. With two Facsimiles. Demy 4to. 12*s.* 6*d.*

THEOLOGY—(ENGLISH).

WORKS OF ISAAC BARROW, compared with the Original MSS., enlarged with Materials hitherto unpublished. A new Edition, by A. NAPIER, M.A. of Trinity College, Vicar of Holkham, Norfolk. 9 Vols. Demy 8vo. £3. 3*s.*

TREATISE OF THE POPE'S SUPREMACY, and a Discourse concerning the Unity of the Church, by ISAAC BARROW. Demy 8vo. 7*s.* 6*d.*

PEARSON'S EXPOSITION OF THE CREED, edited by TEMPLE CHEVALLIER, B.D. late Fellow and Tutor of St Catharine's College, Cambridge. New Edition. Revised by R. SINKER, B.D., Librarian of Trinity College. Demy 8vo. 12*s.*

"A new edition of Bishop Pearson's famous work *On the Creed* has just been issued by the Cambridge University Press. It is the well-known edition of Temple Chevallier, thoroughly overhauled by the Rev. R. Sinker, of Trinity College. The whole text and notes have been most carefully examined and corrected, and special pains have been taken to verify the almost innumerable references. These have been more clearly and accurately given in very many places, and the citations themselves have been adapted to the best and newest texts of the several authors—texts which have undergone vast improvements within the last two centuries. The Indices have also been revised and enlarged......Altogether this appears to be the most complete and convenient edition as yet published of a work which has long been recognised in all quarters as a standard one."—*Guardian.*

AN ANALYSIS OF THE EXPOSITION OF THE CREED written by the Right Rev. JOHN PEARSON, D.D. late Lord Bishop of Chester, by W. H. MILL, D.D. late Regius Professor of Hebrew in the University of Cambridge. Demy 8vo. 5*s*.

WHEATLY ON THE COMMON PRAYER, edited by G. E. CORRIE, D.D. late Master of Jesus College. Demy 8vo. 7*s*. 6*d*.

TWO FORMS OF PRAYER OF THE TIME OF QUEEN ELIZABETH. Now First Reprinted. Demy 8vo. 6*d*.

"From 'Collections and Notes' 1867—1876, by W. Carew Hazlitt (p. 340), we learn that—'A very remarkable volume, in the original vellum cover, and containing 25 Forms of Prayer of the reign of Elizabeth, each with the autograph of Humphrey Dyson, has lately fallen into the hands of my friend Mr H. Pyne. It is mentioned specially in the Preface to the Parker Society's volume of Occasional Forms of Prayer, but it had been lost sight of for 200 years.' By the kindness of the present possessor of this valuable volume, containing in all 25 distinct publications, I am enabled to reprint in the following pages the two Forms of Prayer supposed to have been lost."—*Extract from the* PREFACE.

CÆSAR MORGAN'S INVESTIGATION OF THE TRINITY OF PLATO, and of Philo Judæus, and of the effects which an attachment to their writings had upon the principles and reasonings of the Fathers of the Christian Church. Revised by H. A. HOLDEN, LL.D. Crown 8vo. 4*s*.

SELECT DISCOURSES, by JOHN SMITH, late Fellow of Queens' College, Cambridge. Edited by H. G. WILLIAMS, B.D. late Professor of Arabic. Royal 8vo. 7*s*. 6*d*.

"The 'Select Discourses' of John Smith, collected and published from his papers after his death, are, in my opinion, much the most considerable work left to us by this Cambridge School [the Cambridge Platonists]. They have a right to a place in English literary history."—Mr MATTHEW ARNOLD, in the *Contemporary Review*.

"Of all the products of the Cambridge School, the 'Select Discourses' are perhaps the highest, as they are the most accessible and the most widely appreciated...and indeed no spiritually thoughtful mind can read them unmoved. They carry us so directly into an atmosphere of divine philosophy, luminous with the richest lights of meditative genius... He was one of those rare thinkers in whom largeness of view, and depth, and wealth of poetic and speculative insight, only served to evoke more fully the religious spirit, and while he drew the mould of his thought from Plotinus, he vivified the substance of it from St Paul."—Principal TULLOCH, *Rational Theology in England in the 17th Century*.

"We may instance Mr Henry Griffin Williams's revised edition of Mr John Smith's 'Select Discourses,' which have won Mr Matthew Arnold's admiration, as an example of worthy work for an University Press to undertake."—*Times*.

THE HOMILIES, with Various Readings, and the Quotations from the Fathers given at length in the Original Languages. Edited by the late G. E. CORRIE, D.D. Demy 8vo. 7*s*. 6*d*.

DE OBLIGATIONE CONSCIENTIÆ PRÆLECTIONES decem Oxonii in Schola Theologica habitæ a ROBERTO SANDERSON, SS. Theologiæ ibidem Professore Regio. With English Notes, including an abridged Translation, by W. WHEWELL, D.D. late Master of Trinity College. Demy 8vo. 7*s*. 6*d*.

ARCHBISHOP USHER'S ANSWER TO A JESUIT, with other Tracts on Popery. Edited by J. SCHOLEFIELD, M.A. late Regius Professor of Greek in the University. Demy 8vo. 7*s*. 6*d*.

WILSON'S ILLUSTRATION OF THE METHOD OF explaining the New Testament, by the early opinions of Jews and Christians concerning Christ. Edited by T. TURTON, D.D. late Lord Bishop of Ely. Demy 8vo. 5*s*.

LECTURES ON DIVINITY delivered in the University of Cambridge, by JOHN HEY, D.D. Third Edition, revised by T. TURTON, D.D. late Lord Bishop of Ely. 2 vols. Demy 8vo. 15*s*.

S. AUSTIN AND HIS PLACE IN THE HISTORY OF CHRISTIAN THOUGHT. Being the Hulsean Lectures for 1885. By W. CUNNINGHAM, B.D., Chaplain and Birkbeck Lecturer, Trinity College, Cambridge. Demy 8vo. Buckram, 12*s*. 6*d*.

ARABIC, SANSKRIT, SYRIAC, &c.

THE DIVYÂVADÂNA, a Collection of Early Buddhist Legends, now first edited from the Nepalese Sanskrit MSS. in Cambridge and Paris. By E. B. COWELL, M.A., Professor of Sanskrit in the University of Cambridge, and R. A. NEIL, M.A., Fellow and Lecturer of Pembroke College. Demy 8vo. 18*s*.

POEMS OF BEHA ED DIN ZOHEIR OF EGYPT. With a Metrical Translation, Notes and Introduction, by E. H. PALMER, M.A., Barrister-at-Law of the Middle Temple, late Lord Almoner's Professor of Arabic, formerly Fellow of St John's College, Cambridge. 2 vols. Crown 4to.

Vol. I. The ARABIC TEXT. 10*s*. 6*d*.; cloth extra. 15*s*.

Vol. II. ENGLISH TRANSLATION. 10*s*. 6*d*.; cloth extra. 15*s*.

"We have no hesitation in saying that in both Prof. Palmer has made an addition to Oriental literature for which scholars should be grateful; and that, while his knowledge of Arabic is a sufficient guarantee for his mastery of the original, his English compositions are distinguished by versatility, command of language, rhythmical cadence, and, as we have remarked, by not unskilful imitations of the styles of several of our own favourite poets, living and dead."—*Saturday Review*.

"This sumptuous edition of the poems of Behá-ed-dín Zoheir is a very welcome addition to the small series of Eastern poets accessible to readers who are not Orientalists."—*Academy*.

THE CHRONICLE OF JOSHUA THE STYLITE, composed in Syriac A.D. 507 with an English translation and notes, by W. WRIGHT, LL.D., Professor of Arabic. Demy 8vo. 10*s*. 6*d*.

"Die lehrreiche kleine Chronik Josuas hat nach Assemani und Martin in Wright einen dritten Bearbeiter gefunden, der sich um die Emendation des Textes wie um die Erklärung der Realien wesentlich verdient gemacht hat . . . Ws. Josua-Ausgabe ist eine sehr dankenswerte Gabe und besonders empfehlenswert als ein Lehrmittel für den syrischen Unterricht; es erscheint auch gerade zur rechten Zeit, da die zweite Ausgabe von Roedigers syrischer Chrestomathie im Buchhandel vollständig vergriffen und diejenige von Kirsch-Bernstein nur noch in wenigen Exemplaren vorhanden ist."—*Deutsche Litteraturzeitung*.

KALĪLAH AND DIMNAH, OR, THE FABLES OF BIDPAI; being an account of their literary history, together with an English Translation of the same, with Notes, by I. G. N. KEITH-FALCONER, M.A., late Lord Almoner's Professor of Arabic in the University of Cambridge. Demy 8vo. 7*s*. 6*d*.

NALOPÀKHYÀNAM, OR, THE TALE OF NALA; containing the Sanskrit Text in Roman Characters, followed by a Vocabulary and a sketch of Sanskrit Grammar. By the late Rev. THOMAS JARRETT, M.A. Trinity College, Regius Professor of Hebrew. Demy 8vo. 10*s*.

NOTES ON THE TALE OF NALA, for the use of Classical Students, by J. PEILE, Litt. D., Fellow and Tutor of Christ's College. Demy 8vo. 12*s*.

CATALOGUE OF THE BUDDHIST SANSKRIT MANUSCRIPTS in the University Library, Cambridge. Edited by C. BENDALL, M.A., Fellow of Gonville and Caius College. Demy 8vo. 12*s*.

"It is unnecessary to state how the compilation of the present catalogue came to be placed in Mr Bendall's hands; from the character of his work it is evident the selection was judicious, and we may fairly congratulate those concerned in it on the result . . . Mr Bendall has entitled himself to the thanks of all Oriental scholars, and we hope he may have before him a long course of successful labour in the field he has chosen."—*Athenæum*.

GREEK AND LATIN CLASSICS, &c.

SOPHOCLES: The Plays and Fragments, with Critical Notes, Commentary, and Translation in English Prose, by R. C. JEBB, Litt.D., LL.D., Professor of Greek in the University of Glasgow.

Part I. Oedipus Tyrannus. Demy 8vo. *New Edition, In the Press.*
Part II. Oedipus Coloneus. Demy 8vo. 12*s.* 6*d.*
Part III. The Antigone. [*In the Press.*

"Of his explanatory and critical notes we can only speak with admiration. Thorough scholarship combines with taste, erudition, and boundless industry to make this first volume a pattern of editing. The work is made complete by a prose translation, upon pages alternating with the text, of which we may say shortly that it displays sound judgment and taste, without sacrificing precision to poetry of expression."—*The Times.*

"This larger edition he has deferred these many years for reasons which he has given in his preface, and which we accept with entire satisfaction, as we have now the first portion of a work composed in the fulness of his powers and with all the resources of fine erudition and laboriously earned experience...We will confidently aver, then, that the edition is neither tedious nor long; for we get in one compact volume such a cyclopædia of instruction, such a variety of helps to the full comprehension of the poet, as not so many years ago would have needed a small library, and all this instruction and assistance given, not in a dull and pedantic way, but in a style of singular clearness and vivacity. In fact, one might take this edition with him on a journey, and, without any other help whatever, acquire with comfort and delight a thorough acquaintance with the noblest production of, perhaps, the most difficult of all Greek poets—the most difficult, yet possessed at the same time of an immortal charm for one who has mastered him, as Mr Jebb has, and can feel so subtly perfection of form and language...We await with lively expectation the continuation, and completion of Mr Jebb's great task, and it is a fortunate thing that his power of work seems to be as great as the style is happy in which the work is done."—*The Athenæum.*

"An edition which marks a definite advance, which is whole in itself, and brings a mass of solid and well-wrought material such as future constructors will desire to adapt, is definitive in the only applicable sense of the term, and such is the edition of Professor Jebb. No man is better fitted to express in relation to Sophocles the mind of the present generation."—*The Saturday Review.*

AESCHYLI FABULAE.—ΙΚΕΤΙΔΕΣ ΧΟΗΦΟΡΟΙ IN LIBRO MEDICEO MENDOSE SCRIPTAE EX VV. DD. CONIECTURIS EMENDATIUS EDITAE cum Scholiis Graecis et brevi adnotatione critica, curante F. A. PALEY, M.A., LL.D. Demy 8vo. 7*s.* 6*d.*

THE AGAMEMNON OF AESCHYLUS. With a Translation in English Rhythm, and Notes Critical and Explanatory. **New Edition Revised.** By BENJAMIN HALL KENNEDY, D.D., Regius Professor of Greek. Crown 8vo. 6*s.*

"One of the best editions of the masterpiece of Greek tragedy."—*Athenæum.*

THE THEÆTETUS OF PLATO with a Translation and Notes by the same Editor. Crown 8vo. 7*s.* 6*d.*

ARISTOTLE.—ΠΕΡΙ ΨΥΧΗΣ. ARISTOTLE'S PSYCHOLOGY, in Greek and English, with Introduction and Notes, by EDWIN WALLACE, M.A., late Fellow and Tutor of Worcester College, Oxford. Demy 8vo. 18*s.*

"The notes are exactly what such notes ought to be,—helps to the student, not mere displays of learning. By far the more valuable parts of the notes are neither critical nor literary, but philosophical and expository of the thought, and of the connection of thought, in the treatise itself. In this relation the notes are invaluable. Of the translation, it may be said that an English reader may fairly master by means of it this great treatise of Aristotle."—*Spectator.*

"Wallace's Bearbeitung der Aristotelischen Psychologie ist das Werk eines denkenden und in allen Schriften des Aristoteles und grösstenteils auch in der neueren Litteratur zu denselben belesenen Mannes . . . Der schwächste Teil der Arbeit ist der kritische . . . Aber in allen diesen Dingen liegt auch nach der Absicht des Verfassers nicht der Schwerpunkt seiner Arbeit, sondern."—Prof. Susemihl in *Philologische Wochenschrift.*

ARISTOTLE.—ΠΕΡΙ ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΣ. THE FIFTH BOOK OF THE NICOMACHEAN ETHICS OF ARISTOTLE. Edited by HENRY JACKSON, Litt.D., Fellow of Trinity College, Cambridge. Demy 8vo. 6*s.*

"It is not too much to say that some of the points he discusses have never had so much light thrown upon them before. . . . Scholars will hope that this is not the only portion of the Aristotelian writings which he is likely to edit."—*Athenæum.*

ARISTOTLE. THE RHETORIC. With a Commentary by the late E. M. COPE, Fellow of Trinity College, Cambridge, revised and edited by J. E. SANDYS, Litt.D. With a biographical Memoir by the late H. A. J. MUNRO, Litt.D. 3 Vols., Demy 8vo. **Now reduced to 21*s*.** (*originally published at* 31*s*. 6*d*.)

"This work is in many ways creditable to the University of Cambridge. If an English student wishes to have a full conception of what is contained in the *Rhetoric* of Aristotle, to Mr Cope's edition he must go."—*Academy*.

"Mr Sandys has performed his arduous duties with marked ability and admirable tact. . . . . . In every part of his work—revising, supplementing, and completing—he has done exceedingly well."—*Examiner*.

PINDAR. OLYMPIAN AND PYTHIAN ODES. With Notes Explanatory and Critical, Introductions and Introductory Essays. Edited by C. A. M. FENNELL, Litt. D., late Fellow of Jesus College. Crown 8vo. 9*s*.

"Mr Fennell deserves the thanks of all classical students for his careful and scholarly edition of the Olympian and Pythian odes. He brings to his task the necessary enthusiasm for his author, great industry, a sound judgment, and, in particular, copious and minute learning in comparative philology."—*Athenæum*.

"Considered simply as a contribution to the study and criticism of Pindar, Mr Fennell's edition is a work of great merit."—*Saturday Review*.

—— THE ISTHMIAN AND NEMEAN ODES. By the same Editor. Crown 8vo. 9*s*.

". . . As a handy and instructive edition of a difficult classic no work of recent years surpasses Mr Fennell's 'Pindar.'"—*Athenæum*.

"This work is in no way inferior to the previous volume. The commentary affords valuable help to the study of the most difficult of Greek authors, and is enriched with notes on points of scholarship and etymology which could only have been written by a scholar of very high attainments."—*Saturday Review*.

PRIVATE ORATIONS OF DEMOSTHENES, with Introductions and English Notes, by F. A. PALEY, M.A. Editor of Aeschylus, etc. and J. E. SANDYS, Litt.D. Fellow and Tutor of St John's College, and Public Orator in the University of Cambridge.

PART I. Contra Phormionem, Lacritum, Pantaenetum, Boeotum de Nomine, Boeotum de Dote, Dionysodorum. **New Edition.** Crown 8vo. 6*s*.

"Mr Paley's scholarship is sound and accurate, his experience of editing wide, and if he is content to devote his learning and abilities to the production of such manuals as these, they will be received with gratitude throughout the higher schools of the country. Mr Sandys is deeply read in the German literature which bears upon his author, and the elucidation of matters of daily life, in the delineation of which Demosthenes is so rich, obtains full justice at his hands. . . . We hope this edition may lead the way to a more general study of these speeches in schools than has hitherto been possible."—*Academy*.

PART II. Pro Phormione, Contra Stephanum I. II.; Nicostratum, Cononem, Calliclem. **New Edition.** Crown 8vo. 7*s*. 6*d*.

"It is long since we have come upon a work evincing more pains, scholarship, and varied research and illustration than Mr Sandys's contribution to the 'Private Orations of Demosthenes'."—*Saturday Review*.

". . . . . . the edition reflects credit on Cambridge scholarship, and ought to be extensively used."—*Athenæum*.

DEMOSTHENES AGAINST ANDROTION AND AGAINST TIMOCRATES, with Introductions and English Commentary, by WILLIAM WAYTE, M.A., late Professor of Greek, University College, London. Crown 8vo. 7*s*. 6*d*.

"These speeches are highly interesting, as illustrating Attic Law, as that law was influenced by the exigences of politics . . . As vigorous examples of the great orator's style, they are worthy of all admiration; and they have the advantage—not inconsiderable when the actual attainments of the average schoolboy are considered—of having an easily comprehended subject matter . . . . Besides a most lucid and interesting introduction, Mr Wayte has given the student effective help in his running commentary. We may note, as being so well managed as to form a very valuable part of the exegesis, the summaries given with every two or three sections throughout the speech."—*Spectator*.

PLATO'S PHÆDO, literally translated, by the late E. M. COPE, Fellow of Trinity College, Cambridge, revised by HENRY JACKSON, Litt. D., Fellow of Trinity College. Demy 8vo. 5*s*.

THE BACCHAE OF EURIPIDES. With Introduction, Critical Notes, and Archæological Illustrations, by J. E. SANDYS, Litt.D. New and Enlarged Edition. Crown 8vo. 12*s*. 6*d*.

"Of the present edition of the *Bacchæ* by Mr Sandys we may safely say that never before has a Greek play, in England at least, had fuller justice done to its criticism, interpretation, and archæological illustration, whether for the young student or the more advanced scholar. The Cambridge Public Orator may be said to have taken the lead in issuing a complete edition of a Greek play, which is destined perhaps to gain redoubled favour now that the study of ancient monuments has been applied to its illustration."—*Saturday Review*.

"The volume is interspersed with well-executed woodcuts, and its general attractiveness of form reflects great credit on the University Press. In the notes Mr Sandys has more than sustained his well-earned reputation as a careful and learned editor, and shows considerable advance in freedom and lightness of style. . . . Under such circumstances it is superfluous to say that for the purposes of teachers and advanced students this handsome edition far surpasses all its predecessors."—*Athenæum*.

"It has not, like so many such books, been hastily produced to meet the momentary need of some particular examination; but it has employed for some years the labour and thought of a highly finished scholar, whose aim seems to have been that his book should go forth *totus teres atque rotundus*, armed at all points with all that may throw light upon its subject. The result is a work which will not only assist the schoolboy or undergraduate in his tasks, but will adorn the library of the scholar."—*The Guardian*.

THE TYPES OF GREEK COINS. By PERCY GARDNER, Litt. D., F.S.A., Disney Professor of Archæology. With 16 Autotype plates, containing photographs of Coins of all parts of the Greek World. Impl. 4to. Cloth extra, £1. 11*s*. 6*d*.; Roxburgh (Morocco back), £2. 2*s*.

"Professor Gardner's book is written with such lucidity and in a manner so straightforward that it may well win converts, and it may be distinctly recommended to that omnivorous class of readers—'men in the schools'."—*Saturday Review*.

"'The Types of Greek Coins' is a work which is less purely and dryly scientific. Nevertheless, it takes high rank as proceeding upon a truly scientific basis at the same time that it treats the subject of numismatics in an attractive style and is elegant enough to justify its appearance in the drawing-room."—*Athenæum*.

ESSAYS ON THE ART OF PHEIDIAS. By C. WALDSTEIN, M.A., Phil. D., Reader in Classical Archæology in the University of Cambridge. Royal 8vo. With numerous Illustrations. 16 Plates. Buckram, 30*s*.

"I acknowledge expressly the warm enthusiasm for ideal art which pervades the whole volume, and the sharp eye Dr Waldstein has proved himself to possess in his special line of study, namely, stylistic analysis, which has led him to several happy and important discoveries. His book will be universally welcomed as a very valuable contribution towards a more thorough knowledge of the style of Pheidias."—*The Academy*.

"'Essays on the Art of Pheidias' form an extremely valuable and important piece of work. . . . Taking it for the illustrations alone, it is an exceedingly fascinating book."—*Times*.

AN INTRODUCTION TO GREEK EPIGRAPHY. Part I. The Archaic Inscriptions and the Greek Alphabet by E. S. ROBERTS, M.A., Fellow and Tutor of Gonville and Caius College. Demy 8vo. With illustrations.

M. TULLI CICERONIS AD. M. BRUTUM ORATOR. A revised text edited with Introductory Essays and with critical and explanatory notes, by J. E. SANDYS, Litt.D. Demy 8vo. 16*s*.

"This volume, which is adorned with several good woodcuts, forms a handsome and welcome addition to the Cambridge editions of Cicero's works."—*Athenæum*.

"A model edition."—*Spectator*.

"The commentary is in every way worthy of the editor's high reputation."—*Academy*.

M. TULLI CICERONIS DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM LIBRI QUINQUE. The text revised and explained; With a Translation by JAMES S. REID, Litt. D., Fellow and Tutor of Gonville and Caius College. 3 Vols. [*In the Press*.

VOL. III. Containing the Translation. Demy 8vo. 8*s*.

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS LIBRI TRES, with Marginal Analysis, English Commentary, and copious Indices, by H. A. HOLDEN, LL.D. **Sixth Edition**, Revised and Enlarged. Cr. 8vo. 9*s*.

"Few editions of a classic have found so much favour as Dr Holden's *De Officiis*, and the present revision (sixth edition) makes the position of the work secure."—*American Journal of Philology*.

M. TVLLI CICERONIS PRO C RABIRIO [PERDVELLIONIS REO] ORATIO AD QVIRITES With Notes Introduction and Appendices by W. E. HEITLAND, M.A., Fellow and Tutor of St John's College, Cambridge. Demy 8vo. 7*s.* 6*d.*

M. TULLII CICERONIS DE NATURA DEORUM Libri Tres, with Introduction and Commentary by JOSEPH B. MAYOR, M.A., together with a new collation of several of the English MSS. by J. H. SWAINSON, M.A.

Vol. I. Demy 8vo. 10*s.* 6*d.* Vol. II. 12*s.* 6*d.* Vol. III. 10*s.*

"Such editions as that of which Prof. Mayor has given us the first instalment will doubtless do much to remedy this undeserved neglect. It is one on which great pains and much learning have evidently been expended, and is in every way admirably suited to meet the needs of the student . . . The notes of the editor are all that could be expected from his well-known learning and scholarship."—*Academy.*

"Der vorliegende zweite Band enthält N. D. II. und zeigt ebenso wie der erste einen erheblichen Fortschritt gegen die bisher vorhandenen commentirten Ausgaben. Man darf jetzt, nachdem der grösste Theil erschienen ist, sagen, dass niemand, welcher sich sachlich oder kritisch mit der Schrift De Nat. Deor. beschäftigt, die neue Ausgabe wird ignoriren dürfen."—P. SCHWENCKE in *JB. f. cl. Alt.* vol. 35, p. 90 foll.

P. VERGILI MARONIS OPERA cum Prolegomenis et Commentario Critico edidit B. H. KENNEDY, S.T.P., Graecae Linguae Prof. Regius. Extra Fcap. 8vo. 5*s.*

See also Pitt Press Series, pp. 24—27.

MATHEMATICS, PHYSICAL SCIENCE, &c.

MATHEMATICAL AND PHYSICAL PAPERS. By Sir W. THOMSON, LL.D., D.C.L., F.R.S., Professor of Natural Philosophy in the University of Glasgow. Collected from different Scientific Periodicals from May 1841, to the present time. Vol. I. Demy 8vo. 18*s.* Vol. II. 15*s.* [Volume III. *In the Press.*

"Wherever exact science has found a follower Sir William Thomson's name is known as a leader and a master. For a space of 40 years each of his successive contributions to knowledge in the domain of experimental and mathematical physics has been recognized as marking a stage in the progress of the subject. But, unhappily for the mere learner, he is no writer of text-books. His eager fertility overflows into the nearest available journal . . . The papers in this volume deal largely with the subject of the dynamics of heat. They begin with two or three articles which were in part written at the age of 17, before the author had commenced residence as an undergraduate in Cambridge." —*The Times.*

"We are convinced that nothing has had a greater effect on the progress of the theories of electricity and magnetism during the last ten years than the publication of Sir W. Thomson's reprint of papers on electrostatics and magnetism, and we believe that the present volume is destined in no less degree to further the advancement of physical science."—*Glasgow Herald.*

MATHEMATICAL AND PHYSICAL PAPERS, by G. G. STOKES, M.A., LL.D., F.R.S., Lucasian Professor of Mathematics in the University of Cambridge. Reprinted from the Original Journals and Transactions, with Additional Notes by the Author. Vol. I. Demy 8vo. 15*s.* Vol. II. 15*s.* [Vol. III. *In the Press.*

"...The same spirit pervades the papers on pure mathematics which are included in the volume. They have a severe accuracy of style which well befits the subtle nature of the subjects, and inspires the completest confidence in their author."—*The Times.*

A HISTORY OF THE THEORY OF ELASTICITY AND OF THE STRENGTH OF MATERIALS, from Galilei to the present time. VOL. I. Galilei to Saint-Venant, 1639-1850. By the late I. TODHUNTER, D. Sc., F.R.S., edited and completed by Professor KARL PEARSON, M.A. Demy 8vo. 25*s.*

A TREATISE ON GEOMETRICAL OPTICS. By R. S. HEATH, M.A., Professor of Mathematics in Mason Science College, Birmingham. Demy 8vo. 12*s.* 6*d.*

THE SCIENTIFIC PAPERS OF THE LATE PROF. J. CLERK MAXWELL. Edited by W. D. NIVEN, M.A. In 2 vols. Royal 4to. [*Nearly ready.*

A TREATISE ON NATURAL PHILOSOPHY. By Sir W. THOMSON, LL.D., D.C.L., F.R.S., and P. G. TAIT, M.A., Professor of Natural Philosophy in the University of Edinburgh. **Part I.** Demy 8vo. 16*s.* **Part II.** Demy 8vo. 18*s.*

ELEMENTS OF NATURAL PHILOSOPHY. By Professors Sir W. THOMSON and P. G. TAIT. Demy 8vo. *Second Edition.* 9*s.*

AN ATTEMPT TO TEST THE THEORIES OF CAPILLARY ACTION by FRANCIS BASHFORTH, B.D., and J. C. ADAMS, M.A., F.R.S. Demy 4to. £1. 1*s.*

A TREATISE ON THE THEORY OF DETERMINANTS and their applications in Analysis and Geometry, by R. F. SCOTT, M.A., Fellow of St John's College. Demy 8vo. 12*s.*

HYDRODYNAMICS, a Treatise on the Mathematical Theory of the Motion of Fluids, by HORACE LAMB, M.A., formerly Fellow of Trinity College, Cambridge. Demy 8vo. 12*s.*

THE ANALYTICAL THEORY OF HEAT, by JOSEPH FOURIER. Translated, with Notes, by A. FREEMAN, M.A., Fellow of St John's College, Cambridge. Demy 8vo. 16*s.*

PRACTICAL WORK AT THE CAVENDISH LABORATORY. HEAT. Edited by W. N. SHAW, M.A., Fellow and Lecturer of Emmanuel College. Demy 8vo. 3*s.*

THE ELECTRICAL RESEARCHES OF THE Hon. H. CAVENDISH, F.R.S. Written between 1771 and 1781. Edited from the original MSS. in the possession of the Duke of Devonshire, K. G., by the late J. CLERK MAXWELL, F.R.S. Demy 8vo. 18*s.*

"Every department of editorial duty appears to have been most conscientiously performed; and it must have been no small satisfaction to Prof. Maxwell to see this goodly volume completed before his life's work was done."—*Athenæum.*

AN ELEMENTARY TREATISE ON QUATERNIONS. By P. G. TAIT, M.A. *Second Edition.* Demy 8vo. 14*s.*

THE MATHEMATICAL WORKS OF ISAAC BARROW, D.D. Edited by W. WHEWELL, D.D. Demy 8vo. 7*s.* 6*d.*

COUNTERPOINT. A Practical Course of Study, by Professor Sir G. A. MACFARREN, M.A., Mus. Doc. New Edition, revised. Crown 4to. 7*s.* 6*d.*

A TREATISE ON THE GENERAL PRINCIPLES OF CHEMISTRY, by M. M. PATTISON MUIR, M.A., Fellow and Prælector in Chemistry of Gonville and Caius College. Demy 8vo. 15*s.*

"The value of the book as a digest of the historical developments of chemical thought is immense."—*Academy.*

"Theoretical Chemistry has moved so rapidly of late years that most of our ordinary text books have been left far behind. German students, to be sure, possess an excellent guide to the present state of the science in 'Die Modernen Theorien der Chemie' of Prof. Lothar Meyer; but in this country the student has had to content himself with such works as Dr Tilden's 'Introduction to Chemical Philosophy', an admirable book in its way, but rather slender. Mr Pattison Muir having aimed at a more comprehensive scheme, has produced a systematic treatise on the principles of chemical philosophy which stands far in advance of any kindred work in our language. It is a treatise that requires for its due comprehension a fair acquaintance with physical science, and it can hardly be placed with advantage in the hands of any one who does not possess an extended knowledge of descriptive chemistry. But the advanced student whose mind is well equipped with an array of chemical and physical facts can turn to Mr Muir's masterly volume for unfailing help in acquiring a knowledge of the principles of modern chemistry."—*Athenæum.*

ELEMENTARY CHEMISTRY. I. PRINCIPLES. By M. M. PATTISON MUIR, M.A., and CHARLES SLATER, M.A., M.B. II. COURSE OF LABORATORY WORK. By M. M. PATTISON MUIR, M.A., and D. J. CARNEGIE, B.A. [*In the Press.*

NOTES ON QUALITATIVE ANALYSIS. Concise and Explanatory. By H. J. H. FENTON, M.A., F.I.C., Demonstrator of Chemistry in the University of Cambridge. Cr. 4to. *New Edition.* 6*s.*

LECTURES ON THE PHYSIOLOGY OF PLANTS, by S. H. VINES, D.Sc., Fellow of Christ's College. Demy 8vo. With Illustrations. 21*s.*

"To say that Dr Vines' book is a most valuable addition to our own botanical literature is but a narrow meed of praise: it is a work which will take its place as cosmopolitan: no more clear or concise discussion of the difficult chemistry of metabolism has appeared.... In erudition it stands alone among English books, and will compare favourably with any foreign competitors."—*Nature.*

"It has long been a reproach to English science that the works in most general use in this country for higher botanical teaching have been of foreign origin....This is not as it should be; and we welcome Dr Vines' Lectures on the Physiology of Plants as an important step towards the removal of this reproach....The work forms an important contribution to the literature of the subject....It will be eagerly welcomed by all students, and must be in the hands of all teachers."—*Academy.*

A SHORT HISTORY OF GREEK MATHEMATICS. By J. GOW, Litt.D., Fellow of Trinity College. Demy 8vo. 10*s.* 6*d.*

DIOPHANTOS OF ALEXANDRIA; a Study in the History of Greek Algebra. By T. L. HEATH, M.A., Fellow of Trinity College, Cambridge. Demy 8vo. 7*s.* 6*d.*

"This study in the history of Greek Algebra is an exceedingly valuable contribution to the history of mathematics."—*Academy.*

"The most thorough account extant of Diophantus's place, work, and critics. . . . [The classification of Diophantus's methods of solution taken in conjunction with the invaluable abstract, presents the English reader with a capital picture of what Greek algebraists had really accomplished.]"—*Athenæum.*

THE FOSSILS AND PALÆONTOLOGICAL AFFINITIES OF THE NEOCOMIAN DEPOSITS OF UPWARE AND BRICKHILL with Plates, being the Sedgwick Prize Essay for the Year 1879. By W. KEEPING, M.A., F.G.S. Demy 8vo. 10*s.* 6*d.*

A CATALOGUE OF BOOKS AND PAPERS ON PROTOZOA, CŒLENTERATES, WORMS, and certain smaller groups of animals, published during the years 1861—1883, by D'ARCY W. THOMPSON, B.A. Demy 8vo. 12*s.* 6*d.*

ASTRONOMICAL OBSERVATIONS made at the Observatory of Cambridge by the late Rev. JAMES CHALLIS, M.A., F.R.S., F.R.A.S. For various Years, from 1846 to 1860.

ASTRONOMICAL OBSERVATIONS from 1861 to 1865. Vol. XXI. Royal 4to. 15*s.* From 1866 to 1869. Vol. XXII. Royal 4to. [*Nearly ready.*

A CATALOGUE OF THE COLLECTION OF BIRDS formed by the late H. E. STRICKLAND, now in the possession of the University of Cambridge. By O. SALVIN, M.A. Demy 8vo. £1. 1*s.*

A CATALOGUE OF AUSTRALIAN FOSSILS, Stratigraphically and Zoologically arranged, by R. ETHERIDGE, Jun., F.G.S. Demy 8vo. 10*s.* 6*d.*

ILLUSTRATIONS OF COMPARATIVE ANATOMY, VERTEBRATE AND INVERTEBRATE, for the Use of Students in the Museum of Zoology and Comparative Anatomy. Second Edition. Demy 8vo. 2*s.* 6*d.*

A SYNOPSIS OF THE CLASSIFICATION OF THE BRITISH PALÆOZOIC ROCKS, by the Rev. ADAM SEDGWICK, M.A., F.R.S., and FREDERICK McCOY, F.G.S. One vol., Royal 4to. Plates, £1. 1*s.*

A CATALOGUE OF THE COLLECTION OF CAMBRIAN AND SILURIAN FOSSILS contained in the Geological Museum of the University of Cambridge, by J. W. SALTER, F.G.S. With a Portrait of PROFESSOR SEDGWICK. Royal 4to. 7*s.* 6*d.*

CATALOGUE OF OSTEOLOGICAL SPECIMENS contained in the Anatomical Museum of the University of Cambridge. Demy 8vo. 2*s.* 6*d.*

LAW.

A SELECTION OF CASES ON THE ENGLISH LAW OF CONTRACT. By GERARD BROWN FINCH, M.A., of Lincoln's Inn, Barrister at Law; Law Lecturer and late Fellow of Queens' College, Cambridge. Royal 8vo. 28*s.*

"An invaluable guide towards the best method of legal study."—*Law Quarterly Review.*

THE INFLUENCE OF THE ROMAN LAW ON THE LAW OF ENGLAND. Being the Yorke Prize Essay for 1884. By T. E. SCRUTTON, M.A. Demy 8vo. 10*s.* 6*d.*

"Legal work of just the kind that a learned University should promote by its prizes."—*Law Quarterly Review.*

LAND IN FETTERS. Being the Yorke Prize Essay for 1885. By T. E. SCRUTTON, M.A. Demy 8vo. 7*s.* 6*d.*

THE HISTORY AND POLICY OF THE LAW OF COMMON LANDS AND ENCLOSURES IN THE UNITED KINGDOM. Being the Yorke Prize Essay for 1886. By T. E. SCRUTTON, M.A. [*In the Press.*

AN ANALYSIS OF CRIMINAL LIABILITY. By E. C. CLARK, LL.D., Regius Professor of Civil Law in the University of Cambridge, also of Lincoln's Inn, Barrister-at-Law. Crown 8vo. 7*s.* 6*d.*

"Prof. Clark's little book is the substance of lectures delivered by him upon those portions of Austin's work on jurisprudence which deal with the "operation of sanctions" . . . Students of jurisprudence will find much to interest and instruct them in the work of Prof. Clark."—*Athenæum.*

PRACTICAL JURISPRUDENCE, a Comment on AUSTIN. By E. C. CLARK, LL.D. Crown 8vo. 9*s.*

"Damit schliesst dieses inhaltreiche und nach allen Seiten anregende Buch über Practical Jurisprudence."—König. *Centralblatt für Rechtswissenschaft.*

A SELECTION OF THE STATE TRIALS. By J. W. WILLIS-BUND, M.A., LL.B., Professor of Constitutional Law and History, University College, London. Crown 8vo. Vols. I. and II. In 3 parts. **Now reduced to 30*s.*** (*originally published at* 46*s.*)

"This work is a very useful contribution to that important branch of the constitutional history of England which is concerned with the growth and development of the law of treason, as it may be gathered from trials before the ordinary courts. The author has very wisely distinguished these cases from those of impeachment for treason before Parliament, which he proposes to treat in a future volume under the general head 'Proceedings in Parliament.'"—*The Academy.*

"This is a work of such obvious utility that the only wonder is that no one should have undertaken it before . . . In many respects therefore, although the trials are more or less abridged, this is for the ordinary student's purpose not only a more handy, but a more useful work than Howell's."—*Saturday Review.*

"But, although the book is most interesting to the historian of constitutional law, it is also not without considerable value to those who seek information with regard to procedure and the growth of the law of evidence. We should add that Mr Willis-Bund has given short prefaces and appendices to the trials, so as to form a connected narrative of the events in history to which they relate. We can thoroughly recommend the book."—*Law Times.*

"To a large class of readers Mr Willis-Bund's compilation will thus be of great assistance, for he presents in a convenient form a judicious selection of the principal statutes and the leading cases bearing on the crime of treason . . . For all classes of readers these volumes possess an indirect interest, arising from the nature of the cases themselves, from the men who were actors in them, and from the numerous points of social life which are incidentally illustrated in the course of the trials."—*Athenæum.*

THE FRAGMENTS OF THE PERPETUAL EDICT OF SALVIUS JULIANUS, collected, arranged, and annotated by BRYAN WALKER, M.A., LL.D., Law Lecturer of St John's College, and late Fellow of Corpus Christi College, Cambridge. Crown 8vo. 6*s.*

"In the present book we have the fruits of the same kind of thorough and well-ordered study which was brought to bear upon the notes to the Commentaries and the Institutes . . . Hitherto the Edict has been almost inaccessible to the ordinary English student, and such a student will be interested as well as perhaps surprised to find how abundantly the extant fragments illustrate and clear up points which have attracted his attention in the Commentaries, or the Institutes, or the Digest."—*Law Times.*

AN INTRODUCTION TO THE STUDY OF JUSTINIAN'S DIGEST. Containing an account of its composition and of the Jurists used or referred to therein. By HENRY JOHN ROBY, M.A., formerly Prof. of Jurisprudence, University College, London. Demy 8vo. 9*s.*

JUSTINIAN'S DIGEST. Lib. VII., Tit. I. De Usufructu with a Legal and Philological Commentary. By H. J. ROBY, M.A. Demy 8vo. 9*s.*

Or the Two Parts complete in One Volume. Demy 8vo. 18*s.*

"Not an obscurity, philological, historical, or legal, has been left unsifted. More informing aid still has been supplied to the student of the Digest at large by a preliminary account, covering nearly 300 pages, of the mode of composition of the Digest, and of the jurists whose decisions and arguments constitute its substance. Nowhere else can a clearer view be obtained of the personal succession by which the tradition of Roman legal science was sustained and developed. Roman law, almost more than Roman legions, was the backbone of the Roman commonwealth. Mr Roby, by his careful sketch of the sages of Roman law, from Sextus Papirius, under Tarquin the Proud, to the Byzantine Bar, has contributed to render the tenacity and durability of the most enduring polity the world has ever experienced somewhat more intelligible."—*The Times.*

THE COMMENTARIES OF GAIUS AND RULES OF ULPIAN. With a Translation and Notes, by J. T. ABDY, LL.D., Judge of County Courts, late Regius Professor of Laws in the University of Cambridge, and BRYAN WALKER, M.A., LL.D., Law Lecturer of St John's College, Cambridge, formerly Law Student of Trinity Hall and Chancellor's Medallist for Legal Studies. New Edition by BRYAN WALKER. Crown 8vo. 16*s.*

"As scholars and as editors Messrs Abdy and Walker have done their work well . . . For one thing the editors deserve special commendation. They have presented Gaius to the reader with few notes and those merely by way of reference or necessary explanation. Thus the Roman jurist is allowed to speak for himself, and the reader feels that he is really studying Roman law in the original, and not a fanciful representation of it."—*Athenæum.*

THE INSTITUTES OF JUSTINIAN, translated with Notes by J. T. ABDY, LL.D., and BRYAN WALKER, M.A., LL.D. Crown 8vo. 16*s.*

"We welcome here a valuable contribution to the study of jurisprudence. The text of the *Institutes* is occasionally perplexing, even to practised scholars, whose knowledge of classical models does not always avail them in dealing with the technicalities of legal phraseology. Nor can the ordinary dictionaries be expected to furnish all the help that is wanted. This translation will then be of great use. To the ordinary student, whose attention is distracted from the subject-matter by the difficulty of struggling through the language in which it is contained, it will be almost indispensable."—*Spectator.*

"The notes are learned and carefully compiled, and this edition will be found useful to students."—*Law Times.*

SELECTED TITLES FROM THE DIGEST, annotated by B. WALKER, M.A., LL.D. Part I. Mandati vel Contra. Digest XVII. I. Crown 8vo. 5*s.*

"This small volume is published as an experiment. The author proposes to publish an annotated edition and translation of several books of the Digest if this one is received with favour. We are pleased to be able to say that Mr Walker deserves credit for the way in which he has performed the task undertaken. The translation, as might be expected, is scholarly." —*Law Times.*

—— Part II. De Adquirendo rerum dominio and De Adquirenda vel amittenda possessione. Digest XLI. I and II. Crown 8vo. 6*s.*

—— Part III. De Condictionibus. Digest XII. I and 4—7 and Digest XIII. I—3. Crown 8vo. 6*s.*

GROTIUS DE JURE BELLI ET PACIS, with the Notes of Barbeyrac and others; accompanied by an abridged Translation of the Text, by W. WHEWELL, D.D. late Master of Trinity College. 3 Vols. Demy 8vo. 12*s.* The translation separate, 6*s.*

HISTORY.

LIFE AND TIMES OF STEIN, OR GERMANY AND PRUSSIA IN THE NAPOLEONIC AGE, by J. R. SEELEY, M.A., Regius Professor of Modern History in the University of Cambridge, with Portraits and Maps. 3 Vols. Demy 8vo. 30*s.*

"DR BUSCH's volume has made people think and talk even more than usual of Prince Bismarck, and Professor Seeley's very learned work on Stein will turn attention to an earlier and an almost equally eminent German statesman. It has been the good fortune of Prince Bismarck to help to raise Prussia to a position which she had never before attained, and to complete the work of German unification. The frustrated labours of Stein in the same field were also very great, and well worthy to be taken into account. He was one, perhaps the chief, of the illustrious group of strangers who came to the rescue of Prussia in her darkest hour, about the time of the inglorious Peace of Tilsit, and who laboured to put life and order into her dispirited army, her impoverished finances, and her inefficient Civil Service. Stein strove, too, —no man more,—for the cause of unification when it seemed almost folly to hope for success. Englishmen will feel very pardonable pride at seeing one of their countrymen undertake to write the history of a period from the investigation of which even laborious Germans are apt to shrink."—*Times.*

"In a notice of this kind scant justice can be done to a work like the one before us; no short *résumé* can give even the most meagre notion of the contents of these volumes, which contain no page that is superfluous, and none that is uninteresting . . . . To understand the Germany of to-day one must study the Germany of many yesterdays, and now that study has been made easy by this work, to which no one can hesitate to assign a very high place among those recent histories which have aimed at original research."—*Athenæum.*

"We congratulate Cambridge and her Professor of History on the appearance of such a noteworthy production. And we may add that it is something upon which we may congratulate England that on the especial field of the Germans, history, on the history of their own country, by the use of their own literary weapons, an Englishman has produced a history of Germany in the Napoleonic age far superior to any that exists in German."—*Examiner.*

THE DESPATCHES OF EARL GOWER, English Ambassador at the court of Versailles from June 1790 to August 1792, to which are added the Despatches of Mr Lindsay and Mr Munro, and the Diary of Lord Palmerston in France during July and August 1791. Edited by OSCAR BROWNING, M.A., Fellow of King's College, Cambridge. Demy 8vo. 15*s.*

THE GROWTH OF ENGLISH INDUSTRY AND COMMERCE. By W. CUNNINGHAM, B.D., late Deputy to the Knightbridge Professor in the University of Cambridge. With Maps and Charts. Crown 8vo. 12*s.*

"Mr Cunningham is not likely to disappoint any readers except such as begin by mistaking the character of his book. He does not promise, and does not give, an account of the dimensions to which English industry and commerce have grown. It is with the process of growth that he is concerned; and this process he traces with the philosophical insight which distinguishes between what is important and what is trivial."—*Guardian.*

CHRONOLOGICAL TABLES OF GREEK HISTORY. Accompanied by a short narrative of events, with references to the sources of information and extracts from the ancient authorities, by CARL PETER. Translated from the German by G. CHAWNER, M.A., Fellow of King's College, Cambridge. Demy 4to. 10*s.*

CHRONOLOGICAL TABLES OF ROMAN HISTORY. By the same. [*Preparing.*

KINSHIP AND MARRIAGE IN EARLY ARABIA, by W. ROBERTSON SMITH, M.A., LL.D., Fellow of Christ's College and University Librarian. Crown 8vo. 7*s.* 6*d.*

"It would be superfluous to praise a book so learned and masterly as Professor Robertson Smith's; it is enough to say that no student of early history can afford to be without *Kinship in Early Arabia.*"—*Nature.*

"It is clearly and vividly written, full of curious and picturesque material, and incidentally throws light, not merely on the social history of Arabia, but on the earlier passages of Old Testament history . . . . We must be grateful to him for so valuable a contribution to the early history of social organisation."—*Scotsman.*

TRAVELS IN NORTHERN ARABIA IN 1876 AND 1877. By CHARLES M. DOUGHTY, of Gonville and Caius College. With Illustrations. Demy 8vo. [*Nearly ready.*

HISTORY OF NEPĀL, translated by MUNSHĪ SHEW SHUNKER SINGH and PANDIT SHRĪ GUNĀNAND; edited with an Introductory Sketch of the Country and People by Dr D. WRIGHT, late Residency Surgeon at Kāthmāndū, and with facsimiles of native drawings, and portraits of Sir JUNG BAHĀDUR, the KING OF NEPĀL, &c. Super-royal 8vo. 10*s.* 6*d.*

"The Cambridge University Press have done well in publishing this work. Such translations are valuable not only to the historian but also to the ethnologist; . . . Dr Wright's Introduction is based on personal inquiry and observation, is written intelligently and candidly, and adds much to the value of the volume"—*Nature.*

A JOURNEY OF LITERARY AND ARCHÆOLOGICAL RESEARCH IN NEPAL AND NORTHERN INDIA, during the Winter of 1884-5. By CECIL BENDALL, M.A., Fellow of Gonville and Caius College, Cambridge; Professor of Sanskrit in University College, London. Demy 8vo. 10*s.*

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE FROM THE EARLIEST TIMES TO THE ROYAL INJUNCTIONS OF 1535, by J. B. MULLINGER, M.A., Lecturer on History and Librarian to St John's College. Part I. Demy 8vo. (734 pp.), 12*s.*

Part II. From the Royal Injunctions of 1535 to the Accession of Charles the First. Demy 8vo. 18*s.*

"That Mr Mullinger's work should admit of being regarded as a continuous narrative, in which character it has no predecessors worth mentioning, is one of the many advantages it possesses over annalistic compilations, even so valuable as Cooper's, as well as over *Athenae.*"—Prof. A. W. Ward in the *Academy.*

"Mr Mullinger's narrative omits nothing which is required by the fullest interpretation of his subject. He shews in the statutes of the Colleges, the internal organization of the University, its connection with national problems, its studies, its social life, and the activity of its leading members. All this he combines in a form which is eminently readable."—PROF. CREIGHTON in *Cont. Review.*

"Mr Mullinger has succeeded perfectly in presenting the earnest and thoughtful student with a thorough and trustworthy history."—*Guardian.*

"The entire work is a model of accurate and industrious scholarship. The same qualities that distinguished the earlier volume are again visible, and the whole is still conspicuous for minuteness and fidelity of workmanship and breadth and toleration of view."—*Notes and Queries.*

"Mr Mullinger displays an admirable thoroughness in his work. Nothing could be more exhaustive and conscientious than his method: and his style...is picturesque and elevated."—*Times.*

HISTORY OF THE COLLEGE OF ST JOHN THE EVANGELIST, by THOMAS BAKER, B.D., Ejected Fellow. Edited by JOHN E. B. MAYOR, M.A. Two Vols. Demy 8vo. 24*s.*

"To antiquaries the book will be a source of almost inexhaustible amusement, by historians it will be found a work of considerable service on questions respecting our social progress in past times; and the care and thoroughness with which Mr Mayor has discharged his editorial functions are creditable to his learning and industry."—*Athenæum.*

"The work displays very wide reading, and it will be of great use to members of the college and of the university, and, perhaps, of still greater use to students of English history, ecclesiastical, political, social, literary and academical, who have hitherto had to be content with 'Dyer.'"—*Academy.*

SCHOLAE ACADEMICAE: some Account of the Studies at the English Universities in the Eighteenth Century. By CHRISTOPHER WORDSWORTH, M.A., Fellow of Peterhouse. Demy 8vo. 10*s.* 6*d.*

"Mr Wordsworth has collected a great quantity of minute and curious information about the working of Cambridge institutions in the last century, with an occasional comparison of the corresponding state of things at Oxford. . . . To a great extent it is purely a book of reference, and as such it will be of permanent value for the historical knowledge of English education and learning."—*Saturday Review.*

"Of the whole volume it may be said that it is a genuine service rendered to the study of University history, and that the habits of thought of any writer educated at either seat of learning in the last century will, in many cases, be far better understood after a consideration of the materials here collected."—*Academy.*

THE ARCHITECTURAL HISTORY OF THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE AND OF THE COLLEGES OF CAMBRIDGE AND ETON, by the late ROBERT WILLIS, M.A. F.R.S., Jacksonian Professor in the University of Cambridge. Edited with large Additions and brought up to the present time by JOHN WILLIS CLARK, M.A., formerly Fellow of Trinity College, Cambridge. Four Vols. Super Royal 8vo. £6. 6*s.*

Also a limited Edition of the same, consisting of 120 numbered Copies only, large paper Quarto; the woodcuts and steel engravings mounted on India paper; price Twenty-five Guineas **net** each set.

MISCELLANEOUS.

A CATALOGUE OF ANCIENT MARBLES IN GREAT BRITAIN, by Prof. ADOLF MICHAELIS. Translated by C. A. M. FENNELL, Litt. D., late Fellow of Jesus College. Royal 8vo. Roxburgh (Morocco back), £2. 2*s.*

"The object of the present work of Michaelis is to describe and make known the vast treasures of ancient sculpture now accumulated in the galleries of Great Britain, the extent and value of which are scarcely appreciated, and chiefly so because there has hitherto been little accessible information about them. To the loving labours of a learned German the owners of art treasures in England are for the second time indebted for a full description of their rich possessions. Waagen gave to the private collections of pictures the advantage of his inspection and cultivated acquaintance with art, and now Michaelis performs the same office for the still less known private hoards of antique sculptures for which our country is so remarkable. The book is beautifully executed, and with its few handsome plates, and excellent indexes, does much credit to the Cambridge Press. It has not been printed in German, but appears for the first time in the English translation. All lovers of true art and of good work should be grateful to the Syndics of the University Press for the liberal facilities afforded by them towards the production of this important volume by Professor Michaelis." —*Saturday Review.*

"Professor Michaelis has achieved so high a fame as an authority in classical archæology that it seems unnecessary to say how good a book this is."—*The Antiquary.*

RHODES IN ANCIENT TIMES. By CECIL TORR, M.A. With six plates. Demy 8vo. 10*s.* 6*d.*

RHODES IN MODERN TIMES. By the same Author. With three plates. Demy 8vo. 8*s.*

CHAPTERS ON ENGLISH METRE. By Rev. JOSEPH B. MAYOR, M.A. Demy 8vo. 7*s.* 6*d.*

THE WOODCUTTERS OF THE NETHERLANDS during the last quarter of the Fifteenth Century. In three parts. I. History of the Woodcutters. II. Catalogue of their Woodcuts. III. List of the Books containing Woodcuts. By WILLIAM MARTIN CONWAY. Demy 8vo. 10*s.* 6*d.*

A GRAMMAR OF THE IRISH LANGUAGE. By Prof. WINDISCH. Translated by Dr NORMAN MOORE. Crown 8vo. 7*s.* 6*d.*

LECTURES ON TEACHING, delivered in the University of Cambridge in the Lent Term, 1880. By J. G. FITCH, M.A., LL.D. Her Majesty's Inspector of Training Colleges. Cr. 8vo. New Edit. 5*s.*

"As principal of a training college and as a Government inspector of schools, Mr Fitch has got at his fingers' ends the working of primary education, while as assistant commissioner to the late Endowed Schools Commission he has seen something of the machinery of our higher schools . . . Mr Fitch's book covers so wide a field and touches on so many burning questions that we must be content to recommend it as the best existing *vade mecum* for the teacher." —*Pall Mall Gazette.*

"Therefore, without reviewing the book for the second time, we are glad to avail ourselves of the opportunity of calling attention to the re-issue of the volume in the five-shilling form, bringing it within the reach of the rank and file of the profession. We cannot let the occasion pass without making special reference to the excellent section on 'punishments' in the lecture on 'Discipline.'"—*School Board Chronicle.*

For other books on Education, see Pitt Press Series, pp. 30, 31.

FROM SHAKESPEARE TO POPE: an Inquiry into the causes and phenomena of the rise of Classical Poetry in England. By EDMUND GOSSE, M.A., Clark Lecturer in English Literature at Trinity College, Cambridge. Crown 8vo. 6*s*.

THE LITERATURE OF THE FRENCH RENAISSANCE. An Introductory Essay. By A. A. TILLEY, M.A., Fellow and Tutor of King's College, Cambridge. Crown 8vo. 6*s*.

STUDIES IN THE LITERARY RELATIONS OF ENGLAND WITH GERMANY IN THE SIXTEENTH CENTURY. By C. H. HERFORD, M.A. Crown 8vo. 9*s*.

ADMISSIONS TO GONVILLE AND CAIUS COLLEGE IN THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE March 1558—9 to Jan. 1678—9. Edited by J. VENN, Sc.D., Senior Fellow of the College, and S. C. VENN. Demy 8vo. 10*s*.

CATALOGUE OF THE HEBREW MANUSCRIPTS preserved in the University Library, Cambridge. By Dr S. M. SCHILLER-SZINESSY. Volume I. containing Section I. *The Holy Scriptures;* Section II. *Commentaries on the Bible*. Demy 8vo. 9*s*.

Volume II. *In the Press*.

A CATALOGUE OF THE MANUSCRIPTS preserved in the Library of the University of Cambridge. Demy 8vo. 5 Vols. 10*s*. each. INDEX TO THE CATALOGUE. Demy 8vo. 10*s*.

A CATALOGUE OF ADVERSARIA and printed books containing MS. notes, preserved in the Library of the University of Cambridge. 3*s*. 6*d*.

THE ILLUMINATED MANUSCRIPTS IN THE LIBRARY OF THE FITZWILLIAM MUSEUM, Catalogued with Descriptions, and an Introduction, by W. G. SEARLE, M.A., late Fellow of Queens' College, Cambridge. Demy 8vo. 7*s*. 6*d*.

A CHRONOLOGICAL LIST OF THE GRACES, Documents, and other Papers in the University Registry which concern the University Library. Demy 8vo. 2*s*. 6*d*.

CATALOGUS BIBLIOTHECÆ BURCKHARDTIANÆ. Demy 4to. 5*s*.

GRADUATI CANTABRIGIENSES: SIVE CATALOGUS exhibens nomina eorum quos ab Anno Academico Admissionum MDCCC usque ad octavum diem Octobris MDCCCLXXXIV gradu quocunque ornavit Academia Cantabrigiensis, e libris subscriptionum desumptus. Cura HENRICI RICHARDS LUARD S. T. P. Coll. SS. Trin. Socii atque Academiæ Registrarii. Demy 8vo. 12*s*. 6*d*.

STATUTES OF THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE and for the Colleges therein, made published and approved (1878—1882) under the Universities of Oxford and Cambridge Act, 1877. With an Appendix. Demy 8vo. 16*s*.

STATUTES OF THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE. With some Acts of Parliament relating to the University. Demy 8vo. 3*s*. 6*d*.

ORDINANCES OF THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE. Demy 8vo., cloth. 7*s*. 6*d*.

TRUSTS, STATUTES AND DIRECTIONS affecting (1) The Professorships of the University. (2) The Scholarships and Prizes. (3) Other Gifts and Endowments. Demy 8vo. 5*s*.

COMPENDIUM OF UNIVERSITY REGULATIONS, for the use of persons in Statu Pupillari. Demy 8vo. 6*d*.

London: C. J. CLAY & SONS, Cambridge University Press Warehouse, Ave Maria Lane.

The Cambridge Bible for Schools and Colleges.

GENERAL EDITOR: THE VERY REVEREND J. J. S. PEROWNE, D.D., DEAN OF PETERBOROUGH.

"It is difficult to commend too highly this excellent series, the volumes of which are now becoming numerous."—*Guardian.*

"The modesty of the general title of this series has, we believe, led many to misunderstand its character and underrate its value. The books are well suited for study in the upper forms of our best schools, but not the less are they adapted to the wants of all Bible students who are not specialists. We doubt, indeed, whether any of the numerous popular commentaries recently issued in this country will be found more serviceable for general use."—*Academy.*

"One of the most popular and useful literary enterprises of the nineteenth century."—*Baptist Magazine.*

"Of great value. The whole series of comments for schools is highly esteemed by students capable of forming a judgment. The books are scholarly without being pretentious: information is so given as to be easily understood."—*Sword and Trowel.*

The Very Reverend J. J. S. PEROWNE, D.D., Dean of Peterborough, has undertaken the general editorial supervision of the work, assisted by a staff of eminent coadjutors. Some of the books have been already edited or undertaken by the following gentlemen:

Rev. A. CARR, M.A., *late Assistant Master at Wellington College.*
Rev. T. K. CHEYNE, M.A., D.D., *late Fellow of Balliol College, Oxford.*
Rev. S. COX, *Nottingham.*
Rev. A. B. DAVIDSON, D.D., *Professor of Hebrew, Edinburgh.*
The Ven. F. W. FARRAR, D.D., *Archdeacon of Westminster.*
Rev. C. D. GINSBURG, LL.D.
Rev. A. E. HUMPHREYS, M.A., *late Fellow of Trinity College, Cambridge.*
Rev. A. F. KIRKPATRICK, M.A., *Fellow of Trinity College, Regius Professor of Hebrew.*
Rev. J. J. LIAS, M.A., *late Professor at St David's College, Lampeter.*
Rev. J. R. LUMBY, D.D., *Norrisian Professor of Divinity.*
Rev. G. F. MACLEAR, D.D., *Warden of St Augustine's College, Canterbury.*
Rev. H. C. G. MOULE, M.A., *late Fellow of Trinity College, Principal of Ridley Hall, Cambridge.*
Rev. W. F. MOULTON, D.D., *Head Master of the Leys School, Cambridge.*
Rev. E. H. PEROWNE, D.D., *Master of Corpus Christi College, Cambridge.*
The Ven. T. T. PEROWNE, B.D., *Archdeacon of Norwich.*
Rev. A. PLUMMER, M.A., D.D., *Master of University College, Durham.*
The Very Rev. E. H. PLUMPTRE, D.D., *Dean of Wells.*
Rev. W. SIMCOX, M.A., *Rector of Weyhill, Hants.*
W. ROBERTSON SMITH, M.A., *Fellow of Christ's College, and University Librarian.*
Rev. H. D. M. SPENCE, M.A., *Dean of Gloucester.*
Rev. A. W. STREANE, M.A., *Fellow of Corpus Christi College, Cambridge.*

London: C. J. CLAY & SONS, Cambridge University Press Warehouse, Ave Maria Lane.

THE CAMBRIDGE BIBLE FOR SCHOOLS & COLLEGES.

Continued.

Now Ready. Cloth, Extra Fcap. 8vo.

THE BOOK OF JOSHUA. By the Rev. G. F. MACLEAR, D.D. With 2 Maps. 2*s.* 6*d.*

THE BOOK OF JUDGES. By the Rev. J. J. LIAS, M.A. With Map. 3*s.* 6*d.*

THE FIRST BOOK OF SAMUEL. By the Rev. Professor KIRKPATRICK, M.A. With Map. 3*s.* 6*d.*

THE SECOND BOOK OF SAMUEL. By the Rev. Professor KIRKPATRICK, M.A. With 2 Maps. 3*s.* 6*d.*

THE FIRST BOOK OF KINGS. By the Rev. Prof. LUMBY, D.D. 3*s.* 6*d.*

THE BOOK OF JOB. By the Rev. A. B. DAVIDSON, D.D. 5*s.*

THE BOOK OF ECCLESIASTES. By the Very Rev. E. H. PLUMPTRE, D.D., Dean of Wells. 5*s.*

THE BOOK OF JEREMIAH. By the Rev. A. W. STREANE, M.A. With Map. 4*s.* 6*d.*

THE BOOK OF HOSEA. By Rev. T. K. CHEYNE, M.A., D.D. 3*s.*

THE BOOKS OF OBADIAH AND JONAH. By Archdeacon PEROWNE. 2*s.* 6*d.*

THE BOOK OF MICAH. By Rev. T. K. CHEYNE, D.D. 1*s.* 6*d.*

THE BOOKS OF HAGGAI AND ZECHARIAH. By Archdeacon PEROWNE. 3*s.*

THE GOSPEL ACCORDING TO ST MATTHEW. By the Rev. A. CARR, M.A. With 2 Maps. 2*s.* 6*d.*

THE GOSPEL ACCORDING TO ST MARK. By the Rev. G. F. MACLEAR, D.D. With 4 Maps. 2*s.* 6*d.*

THE GOSPEL ACCORDING TO ST LUKE. By Archdeacon F. W. FARRAR. With 4 Maps. 4*s.* 6*d.*

THE GOSPEL ACCORDING TO ST JOHN. By the Rev. A. PLUMMER, M.A., D.D. With 4 Maps. 4*s.* 6*d.*

THE ACTS OF THE APOSTLES. By the Rev. Professor LUMBY, D.D. With 4 Maps. 4*s.* 6*d.*

THE EPISTLE TO THE ROMANS. By the Rev. H. C. G. MOULE, M.A. 3*s.* 6*d.*

THE FIRST EPISTLE TO THE CORINTHIANS. By the Rev. J. J. LIAS, M.A. With a Map and Plan. 2*s.*

THE SECOND EPISTLE TO THE CORINTHIANS. By the Rev. J. J. LIAS, M.A. 2*s.*

THE EPISTLE TO THE EPHESIANS. By the Rev. H. C. G. MOULE, M.A. 2*s.* 6*d.*

THE EPISTLE TO THE HEBREWS. By Arch. FARRAR. 3*s.* 6*d.*

THE GENERAL EPISTLE OF ST JAMES. By the Very Rev. E. H. PLUMPTRE, D.D., Dean of Wells. 1*s.* 6*d.*

THE EPISTLES OF ST PETER AND ST JUDE. By the same Editor. 2*s.* 6*d.*

THE EPISTLES OF ST JOHN. By the Rev. A. PLUMMER, M.A., D.D. 3*s.* 6*d.*

THE CAMBRIDGE BIBLE FOR SCHOOLS & COLLEGES.

Continued.

Preparing.

THE BOOK OF GENESIS. By the Very Rev. the DEAN OF PETERBOROUGH.

THE BOOKS OF EXODUS, NUMBERS AND DEUTERONOMY. By the Rev. C. D. GINSBURG, LL.D.

THE SECOND BOOK OF KINGS. By the Rev. Prof. LUMBY, D.D.

THE BOOK OF PSALMS. By the Rev. Prof. KIRKPATRICK, M.A.

THE BOOK OF ISAIAH. By W. ROBERTSON SMITH, M.A.

THE BOOK OF EZEKIEL. By the Rev. A. B. DAVIDSON, D.D.

THE EPISTLE TO THE GALATIANS. By the Rev. E. H. PEROWNE, D.D.

THE EPISTLES TO THE PHILIPPIANS, COLOSSIANS AND PHILEMON. By the Rev. H. C. G. MOULE, M.A.

THE EPISTLES TO THE THESSALONIANS. By the Rev. W. F. MOULTON, D.D.

THE BOOK OF REVELATION. By the Rev. W. SIMCOX, M.A.

THE CAMBRIDGE GREEK TESTAMENT

FOR SCHOOLS AND COLLEGES,

with a Revised Text, based on the most recent critical authorities, and English Notes, prepared under the direction of the General Editor,

THE VERY REVEREND J. J. S. PEROWNE, D.D.

Now Ready.

THE GOSPEL ACCORDING TO ST MATTHEW. By the Rev. A. CARR, M.A. With 4 Maps. 4*s.* 6*d.*

"Copious illustrations, gathered from a great variety of sources, make his notes a very valuable aid to the student. They are indeed remarkably interesting, while all explanations on meanings, applications, and the like are distinguished by their lucidity and good sense."—*Pall Mall Gazette.*

THE GOSPEL ACCORDING TO ST MARK. By the Rev. G. F. MACLEAR, D.D. With 3 Maps. 4*s.* 6*d.*

"The Cambridge Greek Testament, of which Dr Maclear's edition of the Gospel according to St Mark is a volume, certainly supplies a want. Without pretending to compete with the leading commentaries, or to embody very much original research, it forms a most satisfactory introduction to the study of the New Testament in the original . . . Dr Maclear's introduction contains all that is known of St Mark's life, with references to passages in the New Testament in which he is mentioned; an account of the circumstances in which the Gospel was composed, with an estimate of the influence of St Peter's teaching upon St Mark; an excellent sketch of the special characteristics of this Gospel; an analysis, and a chapter on the text of the New Testament generally . . . The work is completed by three good maps."—*Saturday Review.*

THE GOSPEL ACCORDING TO ST LUKE. By Archdeacon FARRAR. With 4 Maps. 6*s.*

THE GOSPEL ACCORDING TO ST JOHN. By the Rev. A. PLUMMER, M.A., D.D. With 4 Maps. 6*s.*

"A valuable addition has also been made to 'The Cambridge Greek Testament for Schools,' Dr Plummer's notes on 'the Gospel according to St John' are scholarly, concise, and instructive, and embody the results of much thought and wide reading."—*Expositor.*

THE ACTS OF THE APOSTLES. By the Rev. Prof. LUMBY, D.D., with 4 Maps. 6*s.*

THE FIRST EPISTLE TO THE CORINTHIANS. By the Rev. J. J. LIAS, M.A. 3*s.*

THE EPISTLE TO THE HEBREWS. By Archdeacon FARRAR. [*In the Press.*

THE EPISTLES OF ST JOHN. By the Rev. A. PLUMMER, M.A., D.D. 4*s.*

THE PITT PRESS SERIES.

[*Copies of the Pitt Press Series may generally be obtained bound in two parts for Class use, the text and notes in separate volumes.*]

I. GREEK.

SOPHOCLES.—OEDIPUS TYRANNUS. School Edition, with Introduction and Commentary, by R. C. JEBB, Litt. D., LL.D., Professor of Greek in the University of Glasgow. 4*s.* 6*d.*

XENOPHON.—ANABASIS, BOOKS I. III. IV. and V. With a Map and English Notes by ALFRED PRETOR, M.A., Fellow of St Catharine's College, Cambridge. 2*s.* each.

"We welcome this addition to the other books of the *Anabasis* so ably edited by Mr Pretor. Although originally intended for the use of candidates at the university local examinations, yet this edition will be found adapted not only to meet the wants of the junior student, but even advanced scholars will find much in this work that will repay its perusal."—*The Schoolmaster.*

"Mr Pretor's 'Anabasis of Xenophon, Book IV.' displays a union of accurate Cambridge scholarship, with experience of what is required by learners gained in examining middle-class schools. The text is large and clearly printed, and the notes explain all difficulties. . . . Mr Pretor's notes seem to be all that could be wished as regards grammar, geography, and other matters."—*The Academy.*

BOOKS II. VI. and VII. By the same Editor. 2*s.* 6*d.* each.

"Another Greek text, designed it would seem for students preparing for the local examinations, is 'Xenophon's Anabasis,' Book II., with English Notes, by Alfred Pretor, M.A. The editor has exercised his usual discrimination in utilising the text and notes of Kuhner, with the occasional assistance of the best hints of Schneider, Vollbrecht and Macmichael on critical matters, and of Mr R. W. Taylor on points of history and geography. . . When Mr Pretor commits himself to Commentator's work, he is eminently helpful. . . Had we to introduce a young Greek scholar to Xenophon, we should esteem ourselves fortunate in having Pretor's text-book as our chart and guide."—*Contemporary Review.*

XENOPHON.—ANABASIS. By A. PRETOR, M.A., Text and Notes, complete in two Volumes. 7*s.* 6*d.*

XENOPHON.—AGESILAUS. The Text revised with Critical and Explanatory Notes, Introduction, Analysis, and Indices. By H. HAILSTONE, M.A., late Scholar of Peterhouse. 2*s.* 6*d.*

XENOPHON.—CYROPAEDEIA. BOOKS I. II. With Introduction, Notes and Map. By Rev. H. A. HOLDEN, M.A., LL.D. 2 vols. Vol. I. Text. Vol. II. Notes. 6*s.*

—— —— BOOKS III., IV., V. By the same Editor. [*Nearly ready.*

ARISTOPHANES—RANAE. With English Notes and Introduction by W. C. GREEN, M.A., late Assistant Master at Rugby School. 3*s.* 6*d.*

ARISTOPHANES—AVES. By the same Editor. *New Edition.* 3*s.* 6*d.*

"The notes to both plays are excellent. Much has been done in these two volumes to render the study of Aristophanes a real treat to a boy instead of a drudgery, by helping him to understand the fun and to express it in his mother tongue. —*The Examiner.*

ARISTOPHANES—PLUTUS. By the same Editor. 3*s.* 6*d.*

PLATONIS APOLOGIA SOCRATIS. With Introduction, Notes and Appendices by J. ADAM, B.A., Fellow and Classical Lecturer of Emmanuel College. 3*s.* 6*d.*

HERODOTUS, BOOK VIII., CHAPS. 1—90. Edited with Notes and Introduction by E. S. SHUCKBURGH, M.A., late Fellow of Emmanuel College. 3*s.* 6*d.*

HERODOTUS, BOOK IX., CHAPS. 1—89. By the same Editor. 3*s.* 6*d.*

EURIPIDES. HERCULES FURENS. With Introductions, Notes and Analysis. By A. GRAY, M.A., Fellow of Jesus College, and J. T. HUTCHINSON, M.A., Christ's College. New Edition. 2*s.*

"Messrs Hutchinson and Gray have produced a careful and useful edition."—*Saturday Review.*

EURIPIDES. HERACLEIDÆ. With Introduction and Critical Notes by E. A. BECK, M.A., Fellow of Trinity Hall. 3*s.* 6*d.*

LUCIANI SOMNIUM CHARON PISCATOR ET DE LUCTU, with English Notes by W. E. HEITLAND, M.A., Fellow of St John's College, Cambridge. New Edition, with Appendix. 3*s.* 6*d.*

PLUTARCH'S LIVES OF THE GRACCHI. With Introduction, Notes and Lexicon by Rev. HUBERT A. HOLDEN, M.A., LL.D. 6*s.*

PLUTARCH'S LIFE OF SULLA. With Introduction, Notes, and Lexicon. By the Rev. HUBERT A. HOLDEN, M.A., LL.D. 6*s.*

PLUTARCH'S LIFE OF NICIAS. With Introduction and Notes. By Rev. HUBERT A. HOLDEN, M.A., LL.D. [*In the Press.*

OUTLINES OF THE PHILOSOPHY OF ARISTOTLE. Edited by E. WALLACE, M.A. (See p. 31.)

II. LATIN.

M. T. CICERONIS DE AMICITIA. Edited by J. S. REID, Litt. D., Fellow and Tutor of Gonville and Caius College. New Edition, with Additions. 3*s.* 6*d.*

"Mr Reid has decidedly attained his aim, namely, 'a thorough examination of the Latinity of the dialogue.' . . . . The revision of the text is most valuable, and comprehends sundry acute corrections. . . . This volume, like Mr Reid's other editions, is a solid gain to the scholarship of the country."—*Athenæum.*

"A more distinct gain to scholarship is Mr Reid's able and thorough edition of the *De Amicitiâ* of Cicero, a work of which, whether we regard the exhaustive introduction or the instructive and most suggestive commentary, it would be difficult to speak too highly. . . . When we come to the commentary, we are only amazed by its fulness in proportion to its bulk. Nothing is overlooked which can tend to enlarge the learner's general knowledge of Ciceronian Latin or to elucidate the text."—*Saturday Review.*

M. T. CICERONIS CATO MAJOR DE SENECTUTE. Edited by J. S. REID, Litt. D. Revised Edition. 3*s.* 6*d.*

"The notes are excellent and scholarlike, adapted for the upper forms of public schools, and likely to be useful even to more advanced students."—*Guardian.*

M. T. CICERONIS ORATIO PRO ARCHIA POETA. Edited by J. S. REID, Litt. D. Revised Edition. 2*s.*

"It is an admirable specimen of careful editing. An Introduction tells us everything we could wish to know about Archias, about Cicero's connexion with him, about the merits of the trial, and the genuineness of the speech. The text is well and carefully printed. The notes are clear and scholar-like. . . . No boy can master this little volume without feeling that he has advanced a long step in scholarship."—*The Academy.*

M. T. CICERONIS PRO L. CORNELIO BALBO ORATIO. Edited by J. S. REID, Litt. D. 1*s.* 6*d.*

"We are bound to recognize the pains devoted in the annotation of these two orations to the minute and thorough study of their Latinity, both in the ordinary notes and in the textual appendices."—*Saturday Review.*

M. T. CICERONIS PRO P. CORNELIO SULLA ORATIO. Edited by J. S. REID, Litt. D. 3*s.* 6*d.*

"Mr Reid is so well known to scholars as a commentator on Cicero that a new work from him scarcely needs any commendation of ours. His edition of the speech *Pro Sulla* is fully equal in merit to the volumes which he has already published . . . It would be difficult to speak too highly of the notes. There could be no better way of gaining an insight into the characteristics of Cicero's style and the Latinity of his period than by making a careful study of this speech with the aid of Mr Reid's commentary . . . Mr Reid's intimate knowledge of the minutest details of scholarship enables him to detect and explain the slightest points of distinction between the usages of different authors and different periods . . . The notes are followed by a valuable appendix on the text, and another on points of orthography; an excellent index brings the work to a close."—*Saturday Review.*

M. T. CICERONIS PRO CN. PLANCIO ORATIO. Edited by H. A. HOLDEN, LL.D., Examiner in Greek to the University of London. Second Edition. 4*s*. 6*d*.

"As a book for students this edition can have few rivals. It is enriched by an excellent introduction and a chronological table of the principal events of the life of Cicero; while in its appendix, and in the notes on the text which are added, there is much of the greatest value. The volume is neatly got up, and is in every way commendable."—*The Scotsman.*

M. T. CICERONIS IN Q. CAECILIUM DIVINATIO ET IN C. VERREM ACTIO PRIMA. With Introduction and Notes by W. E. HEITLAND, M.A., and HERBERT COWIE, M.A., Fellows of St John's College, Cambridge. 3*s*.

M. T. CICERONIS ORATIO PRO L. MURENA, with English Introduction and Notes. By W. E. HEITLAND, M.A., Fellow and Classical Lecturer of St John's College, Cambridge. **Second Edition, carefully revised.** 3*s*.

"Those students are to be deemed fortunate who have to read Cicero's lively and brilliant oration for L. Murena with Mr Heitland's handy edition, which may be pronounced 'four-square' in point of equipment, and which has, not without good reason, attained the honours of a second edition."—*Saturday Review.*

M. T. CICERONIS IN GAIUM VERREM ACTIO PRIMA. With Introduction and Notes. By H. COWIE, M.A., Fellow of St John's College, Cambridge. 1*s*. 6*d*.

M. T. CICERONIS ORATIO PRO T. A. MILONE, with a Translation of Asconius' Introduction, Marginal Analysis and English Notes. Edited by the Rev. JOHN SMYTH PURTON, B.D., late President and Tutor of St Catharine's College. 2*s*. 6*d*.

"The editorial work is excellently done."—*The Academy.*

M. T. CICERONIS SOMNIUM SCIPIONIS. With Introduction and Notes. By W. D. PEARMAN, M.A., Head Master of Potsdam School, Jamaica. 2*s*.

M. TULLI CICERONIS ORATIO PHILIPPICA SECUNDA. With Introduction and Notes by A. G. PESKETT, M.A., Fellow of Magdalene College. 3*s*. 6*d*.

P. OVIDII NASONIS FASTORUM LIBER VI. With a Plan of Rome and Notes by A. SIDGWICK, M.A., Tutor of Corpus Christi College, Oxford. 1*s*. 6*d*.

"Mr Sidgwick's editing of the Sixth Book of Ovid's *Fasti* furnishes a careful and serviceable volume for average students. It eschews 'construes' which supersede the use of the dictionary, but gives full explanation of grammatical usages and historical and mythical allusions, besides illustrating peculiarities of style, true and false derivations, and the more remarkable variations of the text."—*Saturday Review.*

"It is eminently good and useful. . . . The Introduction is singularly clear on the astronomy of Ovid, which is properly shown to be ignorant and confused; there is an excellent little map of Rome, giving just the places mentioned in the text and no more; the notes are evidently written by a practical schoolmaster."—*The Academy.*

M. ANNAEI LUCANI PHARSALIAE LIBER PRIMUS, edited with English Introduction and Notes by W. E. HEITLAND, M.A. and C. E. HASKINS, M.A., Fellows and Lecturers of St John's College, Cambridge. 1*s*. 6*d*.

"A careful and scholarlike production."—*Times.*

"In nice parallels of Lucan from Latin poets and from Shakspeare, Mr Haskins and Mr Heitland deserve praise."—*Saturday Review.*

GAI IULI CAESARIS DE BELLO GALLICO COMMENT. I. II. III. With Maps and English Notes by A. G. PESKETT, M.A., Fellow of Magdalene College, Cambridge. 3*s*.

"In an unusually succinct introduction he gives all the preliminary and collateral information that is likely to be useful to a young student; and, wherever we have examined his notes, we have found them eminently practical and satisfying. . . The book may well be recommended for careful study in school or college."—*Saturday Review*.

"The notes are scholarly, short, and a real help to the most elementary beginners in Latin prose."—*The Examiner*.

—— COMMENT. IV. AND V. AND COMMENT. VII. by the same Editor. 2*s*. each.

—— COMMENT. VI. AND COMMENT. VIII. by the same Editor. 1*s*. 6*d*. each.

P. VERGILI MARONIS AENEIDOS LIBRI I., II., III., IV., V., VI., VII., VIII., IX., X., XI., XII. Edited with Notes by A. SIDGWICK, M.A., Tutor of Corpus Christi College, Oxford. 1*s*. 6*d*. each.

"Much more attention is given to the literary aspect of the poem than is usually paid to it in editions intended for the use of beginners. The introduction points out the distinction between primitive and literary epics, explains the purpose of the poem, and gives an outline of the story." —*Saturday Review*.

"Mr Arthur Sidgwick's 'Vergil, Aeneid, Book XII.' is worthy of his reputation, and is distinguished by the same acuteness and accuracy of knowledge, appreciation of a boy's difficulties and ingenuity and resource in meeting them, which we have on other occasions had reason to praise in these pages."—*The Academy*.

"As masterly in its clearly divided preface and appendices as in the sound and independent character of its annotations. . . . There is a great deal more in the notes than mere compilation and suggestion. . . . No difficulty is left unnoticed or unhandled."—*Saturday Review*.

BOOKS IX. X. in one volume. 3*s*.

BOOKS X., XI., XII. in one volume. 3*s*. 6*d*.

P. VERGILI MARONIS GEORGICON LIBRI I. II. By the same Editor. 2*s*.

—— —— Libri III. IV. By the same Editor. 2*s*.

QUINTUS CURTIUS. A Portion of the History. (ALEXANDER IN INDIA.) By W. E. HEITLAND, M.A., Fellow and Lecturer of St John's College, Cambridge, and T. E. RAVEN, B.A., Assistant Master in Sherborne School. 3*s*. 6*d*.

"Equally commendable as a genuine addition to the existing stock of school-books is *Alexander in India*, a compilation from the eighth and ninth books of Q. Curtius, edited for the Pitt Press by Messrs Heitland and Raven. . . . The work of Curtius has merits of its own, which, in former generations, made it a favourite with English scholars, and which still make it a popular text-book in Continental schools. . . . . . The reputation of Mr Heitland is a sufficient guarantee for the scholarship of the notes, which are ample without being excessive, and the book is well furnished with all that is needful in the nature of maps, indices, and appendices." —*Academy*.

BEDA'S ECCLESIASTICAL HISTORY, BOOKS III., IV., the Text from the very ancient MS. in the Cambridge University Library, collated with six other MSS. Edited, with a life from the German of EBERT, and with Notes, &c. by J. E. B. MAYOR, M.A., Professor of Latin, and J. R. LUMBY, D.D., Norrisian Professor of Divinity. Revised edition. 7*s*. 6*d*.

"To young students of English History the illustrative notes will be of great service, while the study of the texts will be a good introduction to Mediæval Latin."—*The Nonconformist*.

"In Bede's works Englishmen can go back to *origines* of their history, unequalled for form and matter by any modern European nation. Prof. Mayor has done good service in rendering a part of Bede's greatest work accessible to those who can read Latin with ease. He has adorned this edition of the third and fourth books of the 'Ecclesiastical History' with that amazing erudition for which he is unrivalled among Englishmen and rarely equalled by Germans. And however interesting and valuable the text may be, we can certainly apply to his notes the expression, *La sauce vaut mieux que le poisson*. They are literally crammed with interesting information about early English life. For though ecclesiastical in name, Bede's history treats of all parts of the national life, since the Church had points of contact with all."—*Examiner*.

BOOKS I. and II. *In the Press*.

III. FRENCH.

LA CANNE DE JONC. By A. DE VIGNY. Edited with Notes by Rev. H. A. BULL, M.A., late Master at Wellington College. 2*s*.

BATAILLE DE DAMES. By SCRIBE and LEGOUVÉ. Edited by Rev. H. A. BULL, M.A. 2*s*.

JEANNE D'ARC by A. DE LAMARTINE. With a Map and Notes Historical and Philological and a Vocabulary by Rev. A. C. CLAPIN, M.A., St John's College, Cambridge, and Bachelier-ès-Lettres of the University of France. 2*s*.

LE BOURGEOIS GENTILHOMME, Comédie-Ballet en Cinq Actes. Par J.-B. POQUELIN DE MOLIÈRE (1670). With a life of Molière and Grammatical and Philological Notes. By the same Editor. 1*s*. 6*d*.

LA PICCIOLA. By X. B. SAINTINE. The Text, with Introduction, Notes and Map, by the same Editor. 2*s*.

LA GUERRE. By MM. ERCKMANN-CHATRIAN. With Map, Introduction and Commentary by the same Editor. 3*s*.

LAZARE HOCHE—PAR ÉMILE DE BONNECHOSE. With Three Maps, Introduction and Commentary, by C. COLBECK, M.A., late Fellow of Trinity College, Cambridge. 2*s*.

LE VERRE D'EAU. A Comedy, by SCRIBE. With a Biographical Memoir, and Grammatical, Literary and Historical Notes. By the same Editor. 2*s*.

"It may be national prejudice, but we consider this edition far superior to any of the series which hitherto have been edited exclusively by foreigners. Mr Colbeck seems better to understand the wants and difficulties of an English boy. The etymological notes especially are admirable. . . . The historical notes and introduction are a piece of thorough honest work."—*Journal of Education.*

HISTOIRE DU SIÈCLE DE LOUIS XIV PAR VOLTAIRE. Part I. Chaps. I.—XIII. Edited with Notes Philological and Historical, Biographical and Geographical Indices, etc. by GUSTAVE MASSON, B.A. Univ. Gallic., Assistant Master of Harrow School, and G. W. PROTHERO, M.A., Fellow and Tutor of King's College, Cambridge. 2*s*. 6*d*.

—— Part II. Chaps. XIV.—XXIV. With Three Maps of the Period. By the same Editors. 2*s*. 6*d*.

—— Part III. Chap. XXV. to the end. By the same Editors. 2*s*. 6*d*.

M. DARU, par M. C. A. SAINTE-BEUVE, (Causeries du Lundi, Vol. IX.). With Biographical Sketch of the Author, and Notes Philological and Historical. By GUSTAVE MASSON. 2*s*.

LA SUITE DU MENTEUR. A Comedy in Five Acts, by P. CORNEILLE. Edited with Fontenelle's Memoir of the Author, Voltaire's Critical Remarks, and Notes Philological and Historical. By GUSTAVE MASSON. 2*s*.

LA JEUNE SIBÉRIENNE. LE LÉPREUX DE LA CITÉ D'AOSTE. Tales by COUNT XAVIER DE MAISTRE. With Biographical Notice, Critical Appreciations, and Notes. By G. MASSON. 2*s*.

LE DIRECTOIRE. (Considérations sur la Révolution Française. Troisième et quatrième parties.) Par MADAME LA BARONNE DE STAËL-HOLSTEIN. With a Critical Notice of the Author, a Chronological Table, and Notes Historical and Philological, by G. MASSON, B.A., and G. W. PROTHERO, M.A. Revised and enlarged Edition. 2*s.*

"Prussia under Frederick the Great, and France under the Directory, bring us face to face respectively with periods of history which it is right should be known thoroughly, and which are well treated in the Pitt Press volumes. The latter in particular, an extract from the world-known work of Madame de Staël on the French Revolution, is beyond all praise for the excellence both of its style and of its matter."—*Times.*

DIX ANNÉES D'EXIL. LIVRE II. CHAPITRES 1—8. Par MADAME LA BARONNE DE STAËL-HOLSTEIN. With a Biographical Sketch of the Author, a Selection of Poetical Fragments by Madame de Staël's Contemporaries, and Notes Historical and Philological. By GUSTAVE MASSON and G. W. PROTHERO, M.A. Revised and enlarged edition. 2*s.*

FRÉDÉGONDE ET BRUNEHAUT. A Tragedy in Five Acts, by N. LEMERCIER. Edited with Notes, Genealogical and Chronological Tables, a Critical Introduction and a Biographical Notice. By GUSTAVE MASSON. 2*s.*

LE VIEUX CÉLIBATAIRE. A Comedy, by COLLIN D'HARLEVILLE. With a Biographical Memoir, and Grammatical, Literary and Historical Notes. By the same Editor. 2*s.*

LA METROMANIE, A Comedy, by PIRON, with a Biographical Memoir, and Grammatical, Literary and Historical Notes. By the same Editor. 2*s.*

LASCARIS, OU LES GRECS DU XVE. SIÈCLE, Nouvelle Historique, par A. F. VILLEMAIN, with a Biographical Sketch of the Author, a Selection of Poems on Greece, and Notes Historical and Philological. By the same Editor. 2*s.*

LETTRES SUR L'HISTOIRE DE FRANCE (XIII—XXIV.). Par AUGUSTIN THIERRY. By GUSTAVE MASSON, B.A. and G. W. PROTHERO, M.A. With Map. 2*s.* 6*d.*

IV. GERMAN.

SELECTED FABLES. LESSING and GELLERT. Edited with Notes by KARL HERMANN BREUL, M.A., Lecturer in German at the University of Cambridge. 3*s.*

DIE KARAVANE von WILHELM HAUFF. Edited with Notes by A. SCHLOTTMANN, Ph. D. 3*s.* 6*d.*

CULTURGESCHICHTLICHE NOVELLEN, von W. H. RIEHL, with Grammatical, Philological, and Historical Notes, and a Complete Index, by H. J. WOLSTENHOLME, B.A. (Lond.). 4*s.* 6*d.*

ERNST, HERZOG VON SCHWABEN. UHLAND. With Introduction and Notes. By H. J. WOLSTENHOLME, B.A. (Lond.), Lecturer in German at Newnham College, Cambridge. 3*s.* 6*d.*

ZOPF UND SCHWERT. Lustspiel in fünf Aufzügen von KARL GUTZKOW. With a Biographical and Historical Introduction, English Notes, and an Index. By the same Editor. 3*s.* 6*d.*

"We are glad to be able to notice a careful edition of K. Gutzkow's amusing comedy 'Zopf and Schwert' by Mr H. J. Wolstenholme. . . . These notes are abundant and contain references to standard grammatical works."—*Academy.*

Goethe's Knabenjahre. (1749—1759.) GOETHE'S BOYHOOD: being the First Three Books of his Autobiography. Arranged and Annotated by WILHELM WAGNER, Ph. D., late Professor at the Johanneum, Hamburg. 2*s.*

HAUFF. DAS WIRTHSHAUS IM SPESSART. Edited by A. Schlottmann, Ph. D., late Assistant Master at Uppingham School. 3*s*. 6*d*.

DER OBERHOF. A Tale of Westphalian Life, by Karl Immermann. With a Life of Immermann and English Notes, by Wilhelm Wagner, Ph.D., late Professor at the Johanneum, Hamburg. 3*s*.

A BOOK OF GERMAN DACTYLIC POETRY. Arranged and Annotated by the same Editor. 3*s*.

Der erste Kreuzzug (THE FIRST CRUSADE), by Friedrich von Raumer. Condensed from the Author's 'History of the Hohenstaufen', with a life of Raumer, two Plans and English Notes. By the same Editor. 2*s*.

"Certainly no more interesting book could be made the subject of examinations. The story of the First Crusade has an undying interest. The notes are, on the whole, good."—*Educational Times.*

A BOOK OF BALLADS ON GERMAN HISTORY. Arranged and Annotated by the same Editor. 2*s*.

"It carries the reader rapidly through some of the most important incidents connected with the German race and name, from the invasion of Italy by the Visigoths under their King Alaric, down to the Franco-German War and the installation of the present Emperor. The notes supply very well the connecting links between the successive periods, and exhibit in its various phases of growth and progress, or the reverse, the vast unwieldy mass which constitutes modern Germany." —*Times.*

DER STAAT FRIEDRICHS DES GROSSEN. By G. Freytag. With Notes. By the same Editor. 2*s*.

GOETHE'S HERMANN AND DOROTHEA. With an Introduction and Notes. By the same Editor. Revised edition by J. W. Cartmell, M.A. 3*s*. 6*d*.

"The notes are among the best that we know, with the reservation that they are often too abundant."—*Academy.*

Das Jahr 1813 (The Year 1813), by F. Kohlrausch. With English Notes. By W. Wagner. 2*s*.

V. ENGLISH.

COWLEY'S ESSAYS. With Introduction and Notes. By the Rev. J. Rawson Lumby, D.D., Norrisian Professor of Divinity; Fellow of St Catharine's College. 4*s*.

SIR THOMAS MORE'S UTOPIA. With Notes by the Rev. J. Rawson Lumby, D.D. 3*s*. 6*d*.

"To Dr Lumby we must give praise unqualified and unstinted. He has done his work admirably. . . . . Every student of history, every politician, every social reformer, every one interested in literary curiosities, every lover of English should buy and carefully read Dr Lumby's edition of the 'Utopia.' We are afraid to say more lest we should be thought extravagant, and our recommendation accordingly lose part of its force."—*The Teacher.*

"It was originally written in Latin and does not find a place on ordinary bookshelves. A very great boon has therefore been conferred on the general English reader by the managers of the *Pitt Press Series,* in the issue of a convenient little volume of *More's Utopia* not in the original Latin, but in the quaint *English Translation thereof made by Raphe Robynson,* which adds a linguistic interest to the intrinsic merit of the work. . . . All this has been edited in a most complete and scholarly fashion by Dr J. R. Lumby, the Norrisian Professor of Divinity, whose name alone is a sufficient warrant for its accuracy. It is a real addition to the modern stock of classical English literature."—*Guardian.*

BACON'S HISTORY OF THE REIGN OF KING HENRY VII. With Notes by the Rev. J. Rawson Lumby, D.D. 3*s*.

MORE'S HISTORY OF KING RICHARD III. Edited with Notes, Glossary and Index of Names. By J. RAWSON LUMBY, D.D. to which is added the conclusion of the History of King Richard III. as given in the continuation of Hardyng's Chronicle, London, 1543. 3*s.* 6*d.*

THE TWO NOBLE KINSMEN, edited with Introduction and Notes by the Rev. Professor SKEAT, Litt.D., formerly Fellow of Christ's College, Cambridge. 3*s.* 6*d.*

"This edition of a play that is well worth study, for more reasons than one, by so careful a scholar as Mr Skeat, deserves a hearty welcome."—*Athenæum.*

"Mr Skeat is a conscientious editor, and has left no difficulty unexplained."—*Times.*

LOCKE ON EDUCATION. With Introduction and Notes by the Rev. R. H. QUICK, M.A. 3*s.* 6*d.*

"The work before us leaves nothing to be desired. It is of convenient form and reasonable price, accurately printed, and accompanied by notes which are admirable. There is no teacher too young to find this book interesting; there is no teacher too old to find it profitable."—*The School Bulletin, New York.*

MILTON'S TRACTATE ON EDUCATION. A facsimile reprint from the Edition of 1673. Edited, with Introduction and Notes, by OSCAR BROWNING, M.A.

"A separate reprint of Milton's famous letter to Master Samuel Hartlib was a desideratum, and we are grateful to Mr Browning for his elegant and scholarly edition, to which is prefixed the careful *résumé* of the work given in his 'History of Educational Theories.'"—*Journal of Education.*

THEORY AND PRACTICE OF TEACHING. By the Rev. EDWARD THRING, M.A., Head Master of Uppingham School, late Fellow of King's College, Cambridge. New Edition. 4*s.* 6*d.*

"Any attempt to summarize the contents of the volume would fail to give our readers a taste of the pleasure that its perusal has given us."—*Journal of Education.*

THE TEACHING OF MODERN LANGUAGES IN THEORY AND PRACTICE. Two Lectures delivered in the University of Cambridge in the Lent Term, 1887. By C. COLBECK, M.A., Assistant Master of Harrow School. 2*s.*

GENERAL AIMS OF THE TEACHER, AND FORM MANAGEMENT. Two Lectures delivered in the University of Cambridge in the Lent Term, 1883, by Archdeacon FARRAR, D.D., and R. B. POOLE, B.D. Head Master of Bedford Modern School. 1*s.* 6*d.*

THREE LECTURES ON THE PRACTICE OF EDUCATION. Delivered in the University of Cambridge in the Easter Term, 1882, under the direction of the Teachers' Training Syndicate. 2*s.*

JOHN AMOS COMENIUS, Bishop of the Moravians. His Life and Educational Works, by S. S. LAURIE, A.M., F.R.S.E., Professor of the Institutes and History of Education in the University of Edinburgh. New Edition, revised. 3*s.* 6*d.*

OUTLINES OF THE PHILOSOPHY OF ARISTOTLE. Compiled by EDWIN WALLACE, M.A., LL.D. (St Andrews), late Fellow of Worcester College, Oxford. Third Edition Enlarged. 4*s.* 6*d.*

"A judicious selection of characteristic passages, arranged in paragraphs, each of which is preceded by a masterly and perspicuous English analysis."—*Scotsman.*

"Gives in a comparatively small compass a very good sketch of Aristotle's teaching."—*Sat. Review.*

A SKETCH OF ANCIENT PHILOSOPHY FROM THALES TO CICERO, by JOSEPH B. MAYOR, M.A. 3*s.* 6*d.*

"Professor Mayor contributes to the Pitt Press Series *A Sketch of Ancient Philosophy* in which he has endeavoured to give a general view of the philosophical systems illustrated by the genius of the masters of metaphysical and ethical science from Thales to Cicero. In the course of his sketch he takes occasion to give concise analyses of Plato's Republic, and of the Ethics and Politics of Aristotle; and these abstracts will be to some readers not the least useful portions of the book."—*The Guardian.*

[*Other Volumes are in preparation.*]

CAMBRIDGE: PRINTED BY C. J. CLAY, M.A. AND SONS, AT THE UNIVERSITY PRESS.

[illegible]